BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
C
25
NAPOLI

Digitized by Google

21
D.
26.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

LIBRI QUINQUE:

QUIBUS SACRI JURIS,
Atque univerſi Studii Eccleſiaſtici Principia,
& Adminicula enucleantur.

EXARABAT

JOANNES DOUJAT

Anteceſſorum Pariſienſium, ac Regiorum Pro-
feſſorum Primicerius, eoque nomine Comes.

Editio Tertia anterioribus accuratior.



VENETIIS,
Ex Typographia Balleonii.

MDCCXVII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I. NEC Terræ ſemina committunt agricolæ, niſi ejus gremio antè mollito ſulcis atque ſubacto; nec Pictores tabulis ſuis vividos & manſuros colores imponunt, niſi prævio quodam pigmento priùs imbutis, quo velut ſolo univerſa pictura ſuſtineatur: nec Ars omninò ulla reperitur, cujus opera vel minimùm duratura diligenti præparatione non indigeant. Sic ſua judiciis, ſua itineribus præparatoria ſunt; aut omnibus, ut veriùs dicam, humanis actionibus, quarum nulla ſtatim & ſine cura perfici poteſt.

1. In opere quovis præparatione opus.

II. Hoc autem, cum in reliquis rebus, tum maximè in Scientiis adipiſcendis evidens eſt; quæ cum nobis natura non inſint, non ſine magna cultura, nec niſi gradatim proveniunt: ideoque *Præcognitis* quæque ſuis, non ſecùs ac fundamentis nituntur. Ut enim Ariſtoteles rectè obſervat, atque inductione comprobat (a), *Doctrina omnis, omniſque diſciplina, quæ intelligentia & meditatione conſtat, ex antecedente fit cognitione.* Eſt ſanè prior cognitio ad poſteriorem velut gradus, donec ad culmen (ſi quodmodò in humanis, ac præſertim in diſciplinis culmen eſt) perveniatur.

2. Præſertim in Diſciplinis.

a In princip. analyticor. poſter.

III. Cum ergo Ars nulla difficultatibus ſuis careat, danda eſt opera, ut ad ſuperandos earum, ut ita dicam, labyrinthos, aliqua eis recti itineris certò cognoſcendi, atque inſtituendi adjumenta, inſtar Ariadnæi ſtaminis futura, comparentur. Itaque ſicut in ædificiis fundamentum, ſine quo nec parietes, nec conclavia ſtare, nec tecta poſſunt: ita in Arte quavis pars præcipua eſt cognitio Principiorum,

3. Ideo Præcognita earum tradenda.

quæ & ipſa idcirco fundamenta dicuntur. Duo autem ſunt Principiorum genera: alterum Dogmata & Regulas cujuſque diſciplinæ, ſive Axiomata certum in ordinem redacta complectitur: alterum in Præcognitis conſiſtit, id eſt in Notionibus Cauſarum ipſius Artis. Hoc poſterius in Jure Pontificio nondum quiſquam plenè ac perfectè tractavit.

4. Id tentarunt in Jure Canonico viri docti: ſed minùs plenè.

b Libris trib. de Jure Sacro.

c In Cenſura de quibuſdam veteribus Canonum Collectionibus.

d In Canonicis diſſertationibus & in limine tractatuum ad 9. primos Decretal. Tit.

IV. Nec me latet ſimile quid utraque in Juriſprudentia, à nonnullis tentatum fuiſſe. Et quidem poſt alios, noſtra & ſuperiore ætate in Jure Eccleſiaſtico Boetius præſertim Epo (b), Antonius Auguſtinus Societatis Jeſu (c), ac denique Franciſcus Florens, Pariſienſis ſimul & Aurelianenſis Academiæ decus, amicus quondam noſter atque in anteceſſorio munere deceſſor (d), egregium ejus inſtituti ſpecimen ediderunt. Sed ut ad illuſtrandum hocce Jus, præclara multa, non ſine ſumma ſua laude hi viri eximii contulerint, quæ & aliqua jam rerum ſacrarum cognitione imbutis ſufficiat: ſatis uberem nobis adhuc meſſem reliquerunt; ſuoque exemplo alios potiùs adhortari ad plenius quid proferendum, & in hoc ſtadio poſt ſe currentibus lampadem tradidiſſe videri poſſint, quàm abſoluto numeris omnibus opere, incipientium deſideria prorſus expleviſſe.

5. Hac ſuſcipiendi hujus operis cauſa: & quis nobis in eo ſcopus propoſitus.

V. His ego cauſis jamdiu adductus, in animum induxi ut Juris Canonici Fundamenta, generaliaque Principia ad examen revocanda, ejuſque tironibus, paulò accuratiùs præmonſtrandum ad ejus penetralia iter ſuſciperem. Neque enim doctis ſcribere, nec difficili arduarum quæſtionum tractatione, gloriam hìc aucupari animus fuit, (quæ tenuis admodum ex eo ſperari poſſet, quod laboris magis ſit, quàm aut exquiſitæ eruditionis, aut eximiæ alicujus ſolertiæ.) Juniorum profectui conſultum ivi; & nondum gnaris, ſacrorum ſtudiorum viam aperire, aut lævigare decrevi. In id quippe maximè incumbendum Profeſſoribus ſemper cenſui, quod auditoribus quàm utiliſſimum noverint: nihil autem viſum mihi utilius, quàm ut quod me ipſum, cum ad diſciplinas hujuſmodi animum appellerem, juviſſet promptum paratumque habere, id ipſe aliis pararem: collectis nempe ac digeſtis iis quorum cogni-

tio in toto artis decurſu neceſſaria eſt: Certè quæ nullo duce, nullo ordine, ſed prout uſus fert, magno & cæco, ut ita dicam, labore pervolutandis voluminibus ignotis, per mille errorum ambages ſæpenumerò fruſtra quæruntur; nec niſi per diuturni temporis jacturam ſigillatim percipi ſolent: quis non maximè commodum eſſe videt, ea ex ſexcentis diverſi generis Autoribus ſedulò conquiſita, collecta, & certo ordine ac methodo digeſta paucos intra menſes perdiſcere, & in promptu habere, quò identidem recurrere liceat, ſi quid eorum quæ quis didicerat, exciderit? Non minùs profectò de ſtudioſis merentur ſimilium autores operum, quàm de viatoribus, quibus per vaſta ſylvarum agendum iter eſt, ii quorum opera locorum, vel opacus horror exciſis denſiorum arborum ramis, in apertam vertitur lucem; vel ſublatis ſenticetis, ac ſalebris, aſperitas lævigatur; vel complanatis tumulis, rupibuſque, pervia ex inviis fiunt; per quos denique additis ad trivia Mercuriis, quò trames quiſque ducat, indicatur.

VI. Ut autem perſpicuum cuique ſtatim fiat, quid *Prænotionum* titulo in hoc volumine intelligamus, percurrenda paucis tota ejus materia eſt. In eo itaque hiſtoricè & criticè, brevitate ſolida, referuntur ſequentia, & pleraque diſcutiuntur.

Primo Omnium *utriuſque fœderis Librorum*, ordo, nomina, autores, tempora, rerum ſumma, autoritas, & variæ ſacri operis Verſiones atque Editiones. Secundo *Conciliorum*, tum Generalium, tum Particularium, ex quibus à Collectoribus deſumpti ſunt Canones, anni, cauſæ, numerus Epiſcoporum & Canonum, atque autoritas. Tertio *Pontificiorum* Decretorum ac Decretalium, (quarum dubiæ ſigillatim diſcutiuntur) fides ac vis. Quarto *Sanctorum Patrum* Græcorum, Latinorumque Opera, unde à Collectoribus Canonum decerptæ ſunt ſententiæ, & ſingulorum veritas aut falſitas expenſa. Quinto Volumina *Juris Romani* & *Francici*, aliaque opera indicata, quibus uſi ſunt Collectores. Sexto *Collectiones* cujuſvis generis *Canonum*, Græcæ & Latinæ, veteres ac recentiores, editæ, non editæ, exactiùs & fuſiùs quàm hactenus factum ſit, examinatæ. Septimo Com-

6. Quæ in hoc opere contineantur.

mentatores & clari *Interpretes* Canonum, tum Græci, tum Latini, & cujuſque opera. Octavo *Hiſtoria*, *Chronologia*, & *Geographia Eccleſiaſtica* Autores Græci ac Latini. Ultimò Juris Canonici *Finis* & *Uſus*, præter alia, quæ pleniùs oſtendet ſequens Librorum & Capitum Index. Ordinis rationem in clarum Diagramma contractam, proxima dabit Tabella.

In Appendice, tum alia, tum *Provinciarum Eccleſiaſticarum* Notitia relata ad tempus Gregorii Magni; *Patriarcharum* Orientis Series; Monaſticorum ac Regularium *Ordinum* & Congregationum Origo.

7. Quis ejuſdem operis fructus. VII. Ex his omnibus rei cujuſque initium & progreſſum, omnemque totius Juris Canonici rationem atque concentum eximium perſpicienti cuique, maxima lux toto diſciplinæ decurſu orietur; & ſtudentium tempori (cujus ſolius laudanda eſt parſimonia) mirum in modum conſuletur: tum multis aliis de cauſis, tum eò imprimis, quòd quæ de eodem, exempli cauſa, Concilio, Pontifice, ſive Autore alio Canonis cujuſque, repetenda toties eſſent, quoties inter explicandam hanc vel illam juris partem, in Canonem, Epiſtolam, ſententiamve alicujus è Patribus incideremus, aut eorum quomodocumque mentio fieret, ea omnia ſemel ac certo ordine abſoluta erunt.

Cæterùm ſi quid fortè imprudenti mihi alicubi exciderit, quod aut Catholicæ fidei, aut debito S. Apoſtolicæ Romanæ Sedis honori, aliquatenus adverſari, vel certis ac receptis Eccleſiæ Regnive Gallici juribus, detrahere videatur; id ego nec dictum, nec ſcriptum volo.

PRÆ-

PRÆNOTIONUM CANONICARUM
DELINEATIO.

- **JURIS CANONICI PROTHEORIÆ, ſive *Præcognitorũ* Tractationis, *Tria* ſũma ſunt Capita:**
  - **I. De ejus NATURA: cujus conſideratio *Quatuor* complectitur,**
    - 1. *Definitionem*, ſive,
      - Nominis, ſ. Etymon,
      - Rei ipſius.
      - } De quib. LIB. I. Parte 1.
    - 2. SubjectũMateriam, ſive *Objectum*.
    - 3. *Differentias*, aliaſque proprietates.
    - 4. *Diviſiones*, & Subdiviſiones.
    - } De qua LIB. I. Parte 2.
  - **II. De ejus PRINCIPIIS, quorum alia ſunt,**
    - *Rei*, ſive ut ajunt *Eſſentia*, quã conſtituunt tanquam Cauſæ. Hec ſunt vel
      - *Interna*, nempe
        - MATERIA, *Ex qua* componitur, quæ & Subjectum, quò pertinent
          - 1. SCRIPTURA SACRA.
          - 2. CONCILIA quę ſunt partim
            - *Vniverſalia*, ſive Oecumenica, eaq; vel
              - *Græca* in Oriente habita.
              - *Latina* habita in Occidente.
            - *Localia*, quorum alia
              - *Nationalia*,
              - *Provincialia*,
              - &c.
          - 3. DECRETA PONTIFICUM. Quorum alii
            - *Antiquiores*, quorũ Decreta referuntur vel
              - In veteri Codice Canonũ.
              - Apud Gratianum.
            - *Poſteriores* quorũ Decretales extãt, vel
              - Apud Grego.
              - In Sexto, &c.
          - 4. SENTENTIÆ PATRUM, & Eccleſiaſticorum Auctorũ quorum alii
            - *Priſci*, qui quatuor primis à Chriſto ſæculis vixerunt.
            - *Medii Ævi*.
          - } De quib. LIB. II.
        - FORMA ſeu Diſpoſitio Præceptorum, quæ eſt aut
          - VETUS, eaq; Duplex, alia
            - Apud GRÆCOS ſeu *Orientales*, in qua ſunt
              - Collectiones variæ,
              - Synopſes,
              - Nomocanones,
              - &c.
            - Apud LATINOS ſive *Occidẽtales*, quò ſpectant
              - Codices Canonũ varii, Verſiones plures Breviationes ſive Epitomæ, &c.
            - } De quibus fusè LIB. III.
          - HODIERNA, hæcq; vel
            - *Communis* & recepta apud omnes, conſtans
              - *Decreto*, *Decretalibus*, *Sexto*, *Clementinis*, *Extravagantibus*.
            - *Propria* cujuſq; nationis, Gallicæ præſertim: quæ conſtat,
              - *Libertatibus E.G.*
              - *Pragmaticis Sanctionibus*.
              - *Concordatis*
              - *Conſtitutionibus Regiis*, *&c.*
            - } De quibus accuratè LIB. IV.
      - *Externa* nimirum
        - EFFICIENS, quò ſpectant
          - 1. Auctores ipſius juris Can.
          - 2. *Interpretes*.
          - 3. *Auctores affines*.
          - 4. *Alia adminicula*.
        - FINIS.
          - Proximus,
          - Ultimus.
    - *Cognitionis*, quæ ſunt partim
      - *Simplicia* ut
        - Abbreviationes.
        - Voces Technicæ,
      - *Compoſita*, ut
        - Generalia
        - Axiomata.
  - **III. De METHODO, ſeu Arte ejus.**
    - Diſcendi, ac Docendi
    - In Uſum deducendi.
  - } Quæ omnia tractantur LIB. V.

PRÆ-

PRÆNOTIONUM CANONICARUM SERIES,

SIVE LIBRORUM ET CAPITUM INDEX.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *De Juris Canonici Nominibus ac Definitione*. pagina 3.
CAP. II. *De Juris Canonici ſubjecta Materia, & in quo ab affinibus ſcientiis, Jure Civili, Theologia, Morum Philoſophia differat.* 7
CAP. III. *De Juris Canonici Præſtantia, atque ad cæteras principes diſciplinas Utilitate.* 9
CAP. IV. *De Juris Canonici Diviſionibus, ac de Lege Divina & humana, atque utriuſque neceſſitate.* 13
CAP. V. *De Origine Juris Canonici.* 19
CAP. VI. *De primo Juris Canonici Fonte, nimirum* SACRA SCRIPTURA *in genere, deque ejus Nominibus.* 21
CAP. VII. *De divinarum Scripturarum Autoritate, ac Difficultatibus in genere.* 24
CAP. VIII. *De Libris Canonicis & Apocryphis.* 27
CAP. IX. *De Partibus Sacræ Scripturæ, ac Libris ejus in claſſes diviſis.* 32
CAP. X. *De Pentateucho, ſive Quinque Legis libris.* 35
CAP. XI. *De Hiſtoricis veteris Teſtamenti Libris.* 37
CAP. XII. *De Propheticis veteris Teſtamenti Libris, ac primùm de Pſalterio, & Poeſi Hebraica.* 43
CAP. XIII. *De reliquis Libris Propheticis.* 48
CAP. XIV. *De Libris Sapientialibus ſeu Moralibus Veteris Federis.* 54
CAP. XV. *De Libris Novi Fœderis Legalibus, ſive Evangeliis.* 56
CAP. XVI. *De Hiſtorico novi Teſtamenti Libro, Actibus nempe Apoſtolorum.* 60
CAP. XVII. *De Moralibus Libris Novi Fœderis, ſive Pauli, aliorumque Apoſtolorum Epiſtolis.* 61
CAP. XVIII. *De Prophetico Novi Fœderis Libro, Apocalypſi.* 66
CAP. XIX. *De Textu Hebraico Veteris Teſtamenti.* 67

CAP.

CAP. XX. *De Græcis Translationibus in genere.* 69
CAP. XXI. *De Septuaginta Interpretum Verſione.* 71
CAP. XXII. *De Novi Teſtamenti Græco Textu, deque Scripturæ Latinis Editionibus in univerſum.* 75
CAPUT XXIII. *De Vulgata Editione ſpeciatim, ejuſque Autoritate.* 76
CAP. XXIV. *De recentiorum Verſionibus.* 78
CAP. XXV. *De variis Veteris Teſtamenti Verſionibus, & Paraphraſibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis.* 79
CAP. XXVI. *De Sacræ Scripturæ variis ſenſibus, ejuſque interpretandæ regulis.* 81
CAPUT XXVII. *De Librorum Canonicorum diviſionibus in Capita & Verſus, aliaſve Sectiones apud Hebræos, Græcos, & Latinos.* 86
CAP. XXVIII. *De præcipuis Sacræ Scripturæ Interpretibus.* 94

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. DE CONCILIIS *in genere.* 100
CAPUT II. *De Juriſdictione Eccleſiaſtica.* 105
CAP. III. *De primis quatuor Conciliis Oecumenicis, & primùm de Nicæno I.* 114
CAP. IV. *De tribus ſequentibus Conciliis generalibus Conſtantinopolitano I. Epheſino I. Chalcedonenſi.* 121
CAPUT V. *De ſequentibus quatuor generalibus Synodis in Oriente habitis, Conſtantinopolitanis II. & III. Nicæna II. & Conſtantinopolitana IV.* 127
CAPUT VI. *Sequentia Concilia Univerſalia ſeptem in Occidente habita, Lateranenſia nimirum quatuor, Lugdunenſia duo, & Viennenſe.* 131
CAP. VII. *De reliquis Conciliis generalibus, Piſano, Conſtantienſi, Baſileenſi, Florentino, Lateranenſi V. Tridentino.* pag. 135
CAPUT VIII. *Concilia quaſi univerſalia, Arelatenſe, Sardicenſe, &c.* 138
CAP. IX. *Pſeudo-ſynodi generales.* 141
CAPUT X. *Concilia localia Græca in Codicem Eccleſiæ univerſæ relata.* 143
CAP. XI. *Concilia Africana vetera.* 145
CAP. XII. *Concilia Gallica vetera ſub Imperatoribus Romanis, & Francorum primæ ſtirpis Regibus.* 147
CAP. XIII. *Concilia Hiſpanica vetera ſub Romanis & Viſigothis.* 152
CAP. XIV. *Concilia Italica priſcorum temporum, ante Carolum ſcilicet Magnum.* 155
CAP. XV. *Concilia Italica medii ævi ab initio ſæculi VIII. ad dimidium ſæculum XII.* 157

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI. *Concilia particularia Gallica medii ævi, à ſæculo VIII. ad XII.* 161
CAPUT XVII. *Concilia localia Germanica à ſæculo VIII. ad XII.* 166
CAP. XVIII. *Anglica & Hibernica quædam præcipua ante XII. ſeculum Concilia.* 168
CAP. XIX. *Concilia particularia poſteriorum temporum, quæ in Collectionibus Decretalium memorantur præter ſuperiora.* 170
CAP. XX. *De præcipuis Conciliorum Editionibus ſeu generalibus Collectionibus.* 171
CAP. XXI. *De* PONTIFICUM ROMANORUM CONSTITUTIONIBUS *in genere.*
CAP. XXII. *De Romanorum Pontificum ante Siricium Epiſtolis in genere.* 176
CAPUT XXIII. *De S. Petro ejuſque proximis duobus ſucceſſoribus.* 181
CAPUT XXIV. *De Clemente Romano, Pontifice IV. ejuſque Epiſtolis, tum dubiis, tum veris.* 182
CAP. XXV. *De Anacleto, & ſequentibus ſecundi ſæculi Pontificibus, eorumque Epiſtolis.* 184
CAP. XXVI. *De ſeculi tertii Romanis Epiſcopis, eorumque Decretalibus.* 189
CAP. XXVII. *De ſummis Pontificibus qui Eccleſiam ſæculo IV. rexerunt, & eorum Decretalibus.* 193
CAPUT XXVIII. *De Pontificibus quorum Decreta Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ inſerta ſunt, & primò de Siricio & Anaſtaſio.* 198
CAP. XXIX. *De ſæculi V. Pontificibus, & Epiſtolis in Canonum Codicem relatis.* 199
CAP. XXX. *De prioribus ſæculi VI. Pontificibus, & Decretalibus in Codicem Canonum relatis.* 204
CAP. XXXI. *De aliis ſæculi VI. Pontificibus, & eorum apud Iſidorum Epiſtolis.* 205
CAP. XXXII. *De S. Gregorio Magno, ejuſque Epiſtolis.* 208
CAP. XXXIII. *De ſæculi VII. Pontificibus, quorum ex Epiſtolis ſententiæ à Collectoribus in corpus Decretorum translatæ ſunt.* 210
CAPUT XXXIV. *De ſæculi VIII. Pontificibus, quorum Epiſtolæ paucæ Codici Canonum illatæ, aliæ à priſcis Collectoribus, ipſoque Gratiano ſunt excerptæ.* 212
CAP. XXXV. *De Pontificibus ſæculi IX. quorum Decretis uſus eſt Gratianus.* 214
CAP. XXXVI. *De ſæculi X. Pontificibus, quorum mentio apud veteres Canonum Collectores.* 216
CAP. XXXVII. *De Pontificibus ſæculi XI. quorum Decreta retulit Gratianus.* ibid.
CAP. XXXVIII. *De ſæculi XII. Pontificibus, quorum Decreta apud Gratianum, aut etiam apud Gregorium IX. collecta extant.* 218
CAP. XXXIX. *De Pontificibus ejuſdem ſæculi, ex quorum præcipuè ſcriptis conflata eſt Collectio Decretalium Gregoriana.* 219

CAP. XL. *De ſeculi XIII. Pontificibus.* 221
CAP. XLI. *De Pontificibus ejuſdem ſaeculi XIII. ex quorum maximè Decretalibus compoſitus eſt Liber VI. Bonifacii VIII. mandato.* 222
CAP. XLII. *De Pontificibus ſaeculi XIV. Clementinarum aut Extravagantium Autoribus.* 224
CAP. XLIII. *De Pontificibus ſaeculi XV. quorum Extravagantes corpori Juris Canonici adjectae.* 225
CAP. XLIV. *De* SANCTORUM PATRUM SCRIPTIS, *eorumque autoritate.* 226
CAPUT XLV. *Examen Scriptorum Eccleſiaſticorum primi à Chriſto nato ſaeculi.* 227
CAP. XLVI. *De Graecis ſecundi ſaeculi Patribus.* 230
CAPUT XLVII. *De Latinis tertii ſaeculi autoribus Eccleſiaſticis.* 233
CAP. XLVIII. *De Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis Graecis ejuſdem tertii ſaeculi.* 235
CAPUT XLIX. *De Graecis ſaeculi quarti Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis.* 238
CAP. L. *De Latinis ſaeculi IV. Patribus atque Autoribus ad res Eccleſiaſticas pertinentibus.* 245
CAPUT LI. *De Scriptoribus Graecis Eccleſiaſticis qui ſaeculo V. floruerunt.* 248
CAP. LII. *De Latinis ejuſdem ſaeculi V. Autoribus Eccleſiaſticis.* 253
CAP. LIII. *De ſacris Scriptoribus Latinis ſaeculi VI.* 263
CAP. LIV. *De Graecis Autoribus ſaeculi VI.* 265
CAP. LV. *De Graecis Scriptoribus ſaeculi VII.* ibid.
CAP. LVI. *De Patribus Latinis ſeptimi ſaeculi.* 266
CAPUT LVII. *Eccleſiaſtici Scriptores Latini, qui VIII. ſaeculo floruerunt.* 267
CAP. LVIII. *Graeci Scriptores ejuſdem VIII. ſaeculi.* 268
CAP. LIX. *Saeculi noni Scriptores Eccleſiaſtici Latini.* 269
CAP. LX. *De Graecis ejuſdem ſaeculi IX. Scriptoribus.* 272
CAP. LXI. *De Latinis Autoribus ſaeculi* X. ibid.
CAP. LXII. *De Graecis ſaeculi X. Scriptoribus.* 273
CAPUT LXIII. *Latinis Scriptores Eccleſiaſtici, qui ſaeculo XI. floruerunt.* 274
CAP. LXIV. *Autores Graeci ejuſdem ſaeculi XI.* 275
CAP. LXV. *De Saeculi XII. Scriptoribus Eccleſiaſticis.* 276
CAPUT LXVI. *De Latini ſaeculi XIII. Scriptoribus Eccleſiaſticis.* 277
CAP. LXVII. *De Libris Juris Civilis, Conſtitutionibus, aliiſque operibus quibus uſi ſunt Canonum Collectores.* 278
CAP. LXVIII. *De Libro Diurno & Ordine Romano.* 280

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

CAPUT I. DE Collectionibus Canonum in genere. 283
CAP. II. De Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum. 284
CAP. III. De antiqua Canonum COLLECTIONE GRÆCA ſecundum ſeriem Conciliorum, quæ prima vulgò habetur. 288
CAP. IV. De veteri altera Græca Collectione poſt Chalcedonenſe Concilium edita. 292
CAP. V. De alia Collectione Theodorito à quibuſdam adſcripta. 293
CAP. VI. De Collectione à Trullana Synodo probata. 296
CAP. VII. De Conciliorum & Patrum Canonibus hac Collectione additis ad ſuperiores, deque ejus Appendice. 297
CAP. VIII. De ultima Græcorum Collectione per Concilia. 300
CAP. IX. De Collectione Joannis Antiocheni cognomento Scholaſtici, per capita Materiarum. 303
CAP. X. De Photii Nomo-Canone. 305
CAPUT. XI. De Nomo Canonibus aliis, Synopſibus Canonum, & Abbreviatis Collectionibus, Simeonis Logothetæ, Alexii, Ariſtini, Arſenii, Harmenopuli, Pſelli, Anonymi. 308
CAP. XII. De Decretis Synodalibus, & Reſponſis Patriarcharum, aliorumque Græcorum Antiſtitum. 312
CAP. XIII. De LATINIS Canonum COLLECTIONIBUS in univerſum. 313
CAPUT XIV. De veteri Priſcorum Canonum Collectione per ſeriem Conciliorum. 315
CAP. XV. De Collectione Dionyſii Exigui, quæ vulgò Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ vocatur. 322
CAP. XVI. De Ferrandi Breviatione Canonum. 325
CAPUT XVII. De Martini Bracarenſis Collectione Orientalium Canonum. 326
CAPUT XVIII. De Creſconii Breviario Canonico & Collectione Canonum. 327
CAPUT XIX. De III. ampliori Canonum expanſorum Latina Collectione juxta ordinem Conciliorum, quæ Iſidoro Hiſpalenſi adſcribitur. 329
CAPUT XX. De IV. integrorum Canonum Latina Collectione, ſecundum tempora Conciliorum ac Decretalium, ſub titulo Iſidori Mercatoris. 333
CAP. XXI. De Hadriani I. Capitulis Angilramno Metenſi traditis, & de Codice Canonum per eumdem Pontificem oblato Carolo Magno. 337
CAP. XXII. De antiquis Anonymi & Reginonis Collectionibus ſecundum ordinem Materiarum. 338
CAP. XXIII. De Burchardi Vvormatienſis Decreto. 340
CAP. XXIV. De Cæſarauguſtana & Tarraconenſi Collectione. 343
CAP. XXV. De Collectione Anſelmo Lucenſi adſcripta, & de Hildeberto Cenomanenſi. 344
CAPUT XXVI. De Collectione Deus-dedit Cardinalis. 347

CAP.

CAP. XXVII. *De Ivonis Carnotenſis Decreto.* 348
CAP. XXVIII. *De Panormia.* 350
CAP. XXIX. *De Gregorii Polycarpo.* 357
CAP. XXX. *De Algero, & Halitgario.* 359
CAP. XXXI. *De Collectione Hibernica.* 360
CAPUT XXXII. *De Pœnitentialibus ſeu Libris Canonum Pœnitentialium.* 363
CAPUT XXXIII. *De Capitularibus Regum atque Imperatorum Francorum.* 367
CAP. XXXIV. *De Capitulis ſeu Conſtitutionibus Epiſcop.* 370

LIBER QUARTUS.

CAPUT I. *Quot & quæ ſint partes Juris Canonici hodierni.* pagina 372
CAP. II. *De* GRATIANO *Autore Decreti.* 373
CAPUT III. *De vero titulo Decreti, deque ejus condendi cauſis & tempore.* 375
CAPUT IV. *De Autoribus, quorum centones in opus ſuum contulit Gratianus.* 377
CAP. V. *De Partibus Decreti Gratiani.* 378
CAP. VI. *De ordine Primæ partis.* 379
CAP. VII. *De ordine Secundæ partis Decreti.* 381
CAP. VIII. *De ordine Tertiæ partis Decreti.* 385
CAP. IX. *De Diſtinctionum & Quæſtionum numero ac diviſione.* 386
CAP. X. *Ratio allegandi Capita, ſeu Loca Decreti.* 388
CAP. XI. *Quibus de cauſis Gratianus cæteris Collectoribus potior habeatur.* 390
CAP. XII. *De Mendis & Nævis Gratiani.* 392
CAP. XIII. *De Emendatione Gratiani.* 397
CAP. XIV. *De Autoritate Decreti.* 399
CAP. XV. *De Nomine* Palea, *ſæpe Decreti Capitibus adſcripto.* 400
CAPUT XVI. *De Priſcis Decretalium Compilationibus ante Gregorium IX.* 402
CAP. XVII. *De Autore, tempore & ratione Decretalium Gregorii IX. deque Decretalium nomine.* 404
CAP. XVIII. *De Fontibus Decretalium, ſive de Autoribus ex quibus eæ ſunt deſumptæ.* 406
CAP. XIX. *Index & Nexus Titulorum, quibus Decretalium quinque Libri conſtant.* 407
CAP. XX. *De Rubricis Decretalium & allegandis earum locis.* 417
CAP. XXI. *De Sexto Decretalium.* 418
CAP. XXII. *De Clementinis.* 419
CAPUT XXIII. *De Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.* 420

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV. *De Autoritate Decretalium Gregorianarum, Sexti & reliquarum Collectionum.* 422
CAPUT XXV. *De Bullis, ſeu poſterioribus Extravagantibus & Bullario.* 424
CAPUT XXVI. *De Nova Extravagantium Compilatione facienda.* 426.
CAP. XXVII. *De Origine ac progreſſu Juris Eccleſiaſtici Gallicani, Pragmatica Sanctione, Concordatis, &c.* 428

LIBER QUINTUS.

CAPUT I. *Interpretum Juris Canonici Diviſio in varias claſſes,* pagin. 432.
CAP. II. *Quid Gloſſa, & de Juris Canonici Gloſſis in genere.* 433
CAP. III. *De Autoribus Gloſſarum Decreti.* 434
CAP. IV. *De Gloſſatoribus Decretalium.* 436
CAP. V. *De reliquis Interpretibus Juris Canonici, qui Seculo XIII. ſcripſerunt.* 438
CAP. VI. *De Interpretibus Seculi XIV.* 441
CAPUT VII. *De iis qui Seculo XV. Jus Canonicum ſcriptis illuſtrarunt.* 445
CAP. VIII. *Seculo XVI. Interpretes & Doctores.* 451
CAP. IX. *Currentis Seculi XVII. Interpretes Canonum & Doctores præcipui recenſentur.* 467
CAPUT X. *Recenſentur Scriptores præcipui, qui Autorum Eccleſiaſticorum & Juris Canonici Doctorum res atque opera memorarunt.* 482
CAPUT. XI. *De præcipuis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ generalis Autoribus.* 483
CAP. XII. *De iis qui res Pontificum Romanorum & Epiſcoporum cujuſque Nationis ſcripſere.* 487
CAP. XIII. *De Hiſtoriæ Monaſticæ Scriptoribus.* 489
CAP. XIV. *De Martyrum, aliorumque Sanctorum Hiſtoria.* 491
CAP. XV. *De aliis ſacri ſtudii adminiculis.* 494
CAP. XVI. *De Auctoribus Geographiæ Eccleſiaſticæ.* 496
CAP. XVII. *De Chronologia Eccleſiaſtica.* 498
CAP. XVIII. *Abbreviationes utriuſque Juris, & allegandis Juris Canonici ratio.* 505
CAP. XIX. *Explicantur quædam voces technicæ, & formulæ maximè uſitatæ.* 509
CAP. XX. *Indicantur aliquot axiomata, eorumque collectanea.* 512
CAP. XXI. *De Methodo diſcendi docendique Juris Canonici.* 513
CAP. XXII. *De Juris Canonici Fine.* 519
CAPUT XXIII. *De uſu Juris Canonici, & præcipuis ejus editionibus.* 524

Index.

Index Librorum & Capitum.

Index Alphabeticus INTERPRETUM *Juris Canonici*. 530

1. *Notitia* Provinciarum *Eccleſiaſticarum tempore S. Gregor. Papæ*. pag. 535

2. *Index Alphabeticus* Conciliorum. pag. 551

3. *Index Alphabeticus Romanorum* Pontificum. pag. 561

4. *Catalogus Epiſcoporum Byzantii & Patriarcharum* Conſtantinopoleos. pag. 569

5. *Catalogus Patriarcharum* Alexandrinorum. pag. 578

6. *Index Chronologicus Patriarcharum* Antiochenorum. pag. 581

7. *Index Chronologicus Patriarcharum* Hieroſolymitanorum. pag. 586

8. *Index Alphabeticus* Autorum *Eccleſiaſticorum*. pag. 591

9. Ordinum Regularium *Index Chronologicus*. pag. 597

A D

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Juris iter preceps; anfractus hæ tamen omnes
PRÆNOTIONES *explicant:*
Ecce patent aditus cuncti, tanto Duce tota
Juris patet prudentia.
Huc age qui ſtudii ſacri penetralia quæris:
Proſtant ſuo cuncta ordine.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Prænotionum Canonicarum Libri quinque, Autore Joanne Doujat*, non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Giugno 1716.

(Girolamo Venier Kav. Proc. Riſ.
(
(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Riſ.

Agoſtino Gadaldini Segr.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

QUIBUS SACRI JURIS

AC TOTIUS ECCLESIASTICI STUDII

PRINCIPIA ET ADMINICULA EXPLICANTUR;

LIBER PRIMUS.

EX ordinis in Præfatione delineati ratione, duæ hujus libri partes erunt, ad quas poterunt, quæ in eo tractabuntur, omnia revocari. In priore agetur *de Juris Canonici natura*; quò pertinent ejus Etymologia, Definitio, Proprietates, Diviſiones atque ab affinibus ſcientiis Differentiæ. Deinde, cùm generales quatuor ſint quaſi Fontes, ex quibus præcipuè manant

ſpecialia Juris hujus effata atque præcepta: in Poſteriore hujuſce libri parte primùm illorum genus tractabitur, Sacri nimirum Codices, ſeu *Scripturæ Canonicæ*. Quæ verò ad Concilia, tum univerſalia, tum localia ſeu particularia; ad Pontificias Conſtitutiones; ad dicta & Sententias Patrum, cæterorumque Auctorum Eccleſiaſticorum pertinent, & quæ alia ex Jure Civili Romanorum, atque ex Jure Francico veteri acceſſerunt; ea in proximum rejecimus librum. Conſuetudines autem, & Traditiones, cùm per ſe ſcriptis mandatæ non ſint, ex iiſdem illis fontibus nunc ferè nobis ſunt hauriendæ.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De Juris Canonici Nominibus ac Definitione.

I. JUS Sacrum, quod ex divinis oraculis, atque Apoſtolorum præceptis, inſtitutis, ac traditionibus derivatum, legibus, decretis & reſponſis per eorum ſucceſſores editis conſtitutum eſt, variis nominibus deſignatur. Modò enim *Canonicum*, modò *Eccleſiaſticum*, aut *Pontificium* nuncupatur. Sunt & qui *Theologiam Canonicam*, vel *Practicam* vocent; quarum appellationum originem cauſaſque non abſurdum fuerit paucis inquirere.

1. *Varia juris Canonici nomina.*

II. Et *Juris* quidem vocabulum, cùm pluribus modis ſumatur apud Juriſconſultos [a], accipitur hoc loco pro Arte æqui & boni. Jus enim eſt dictum, quia juſtum eſt, ut docet Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus [b].

2. *Primò* jus, *id eſt bonum & æquum, aut ars æqui & boni.*

a L. 1. penult. & ult. Dig. de juſt. & jure.

b Lib. 5. etymol. cap. 3.

III. At *Canonicum* procul dubio appellatur à voce Græca, Κανὼν, quæ *Regulam* ſignificat: & propriè quidem de Regula dicitur, quam in operibus ſuis, ad lineas rectè ducendas, aut explorandas, adhibent artifices: translatè ad præcepta morum ac diſciplinarum porrigitur.

3. *Canonicum à Canone, ſeu regula.*

IV. Hoc autem Græcorum nomen nonnulli apud V. Cl. P. Gaſſendum amicum & collegam quondam noſtrum, eruditionis nomine omnibus notum [c], ab Hebræo קָנֶה *kaneh* deducunt; quod deflexum à radice קָנָה *kanah* (id eſt *acquiſiit*, ac *poſſedit*) *Cannam* ſeu calamum ſonat; ſumiturque pro *menſoria arundine*; ut & vox, *Cane* apud Occitanos, & Provinciales. Et verò quæ acquirimus, quæque poſſidemus, ſive mobilia ſint, ut panni, telæ &c. ſive immobilia, ut agri, eorum quantitatem, hujuſmodi fere menſoriis inſtrumentis inveſtigamus, atque cognoſcimus. Accipitur etiam Hebraicum illud nomen pro oſſe cubiti, ſive lacerto; non ſecus ac *ulna*, *cubitus*, *pes*, pleraſque apud gentes, tam pro parte corporis, quàm pro certa menſura dicuntur, qua ratione Græci quoque, αὐτῷ πήχει, id eſt *eodem cubito*, proverbiali quadam loquendi figura, uſurpant pro eo quod eſt eadem menſura metiri. Sic etiam & Græcis, Κανὼν & קָנֶה *kaneh* Hebræis virgulam, ſeu examen ac ſtylum trutinæ ſignificant: & apud Homerum Κανὼν ad textrinam traductus, pro radio uſurpatur, quo fila diriguntur, & ſubtegmen ſtamini inſeritur.

4. *Canonis nomen forte ab Hebraico kaneh.*

c Tom. 1. Commentar. ad lib. 10. Diogen. Laert. de Doctr. Epicuri.

V. *Canonum* igitur titulo, ut obſervavit Matthæus Blaſtares Græcus Monachus [d], Priſci Eccleſiæ Patres ſuas nominarunt conſtitutiones, figurata dictione uſi, & metaphora petita à ligneo illo inſtrumento, quo in lignis aut lapidibus dirigendis uti conſueverunt, qui mechanicas artes tractant. Atque hæc Canonis appellatio, eodem teſte, ab aliis quoque eſt uſurpata, Philoſophis nimirùm, atque imprimis Dialecticis; Medicis deinde, Grammaticis, iiſque, qui harmonias cantuum compoſuere, & ab iis, qui leges civiles ordinarunt. Hæc ut pleniùs intelligantur, haud extra rem fuerit, ejus vocis varias ſignificationes percurrere.

5. *Variè ſumitur in artibus & ſcientiis.*

d In præfat. ſui Syntagmatis.

VI. Enimverò generali acceptione, in uſu eſt vox *Canon* pro norma ſive præcepto, ad quòd opus quodque exigitur, tum in liberalibus, tùm in mechanicis artibus. Inde Muſicæ pars ea, quæ vocis longitudines ac latitudi-

6. *Pro communibus præceptis.*

nes metitur, *Canonices* denominationem accepit: inde & Polycleti opus, à quo velut à lege quadam ſtatuariæ artis, lineamenta, & membrorum proportiones petebantur, *Canon* dictus eſt ex Plinio [e] & Galeno. Epicurus quoque, poſt Democritum (ut creditur) *Canonem* appellavit librum illum, quo veritatis criteria, ſeu judicandi de rebus inſtrumenta expoſuerat, atque examinaverat: quod opus à Colote ipſius cultore apud Plutarchum [f] Διοπετὴς cognominatum eſt: à Cicerone [g] autem quaſi delapſa de cælo *Regula* dicitur: ac propterea hæc Epicureæ Philoſophiæ pars *Canonica* eſt nuncupata. Prætereà eo nomine deſignantur in Chronologicis, columnæ, quibus temporum, ac rerum geſtarum ſeries diſtinguitur.

e Lib. 34. cap. 8. hiſtor. natur.
f Adver. Colot.
g Lib. 1. de fin.

7. *In rebus morum, pro* Jure ac Lege.

VII. In Moribus, deinde *Canonis* nomine ſignificatur tam id quod à natura præſcribitur, Euripidi Κανὼν τοῦ καλοῦ, quàm jus humanum, cujus ſpecialia diverſas apud nationes Decreta, μολιβδίνῳ κανόνι, comparantur ab Ariſtotele [h], plumbeæ nimirum regulæ, qua in ſua ædificatione uſi Lesbii feruntur, eamque ad lapidum quibus applicabatur figuram inflexiſſe. Hinc Chryſippo [i] lex in genere Κανὼν dicebatur δικαίων καὶ ἀδίκων.

h Lib. 5. Ethicorum cap. 14.
i Laudato in l. 2. Dig. de legib.

8. *In Sacris*.

VIII. Quin & in Sacris eodem nomine *Canonis* utimur ad deſignandum arcanam partem Miſſæ, preceſque ſecretas; quòd in ea parte ſit legitima & regularis Sacramentorum (id eſt conſecrationis) confectio, ut notat Vvalfridus Strabo [k]. Producta eſt etiam ea vox ad Catalogos ſive indices, tum librorum ſacrorum, qui ex eo Canonici nuncupantur; tum Divorum, ſive Sanctorum hominum, quorum in numerum qui referuntur, idcirco dicuntur κανονίζεσθαι. Matricula quoque, hoc eſt ſyllabus clericorum, aliorumque, qui neceſſaria vitæ ſubſidia ab unaquaque Eccleſia accipiebant, in antiquiſſimis Conciliis *Canon* appellatur.

k De reb. Eccleſiaſt. cap. 22.

9. *In tributis & præſtationibus*.

IX. Remotiore denique metaphora ad quamlibet ordinariam ſpecierum, aut pecuniæ collationem, *Canon*, etiam latinè loquentibus porrigitur; ſive quòd ad catalogum cenſus, ſive quòd tanquàm ex certa regula & præſcripta forma præſtari ſoleat. Et primò quidem eo ſenſu accipitur *Canon* pro conſueta penſitatione ſeu illatione annua, annonæ, auri, aliorumve ſubſidiorum, quæ Principi præſtantur; quas & *Canonicas neceſſitates* vocabant [l]. Atque hæc Canonis acceptio ex compluribus Juris Civilis locis confirmari poteſt [m], in quibus *Canonicum* pro ſolenni, atque ordinario dici conſtat, cùm extraordinario opponatur. Quamobrem rectè Aſconius Pædianus [n], cùm tria faciat tributorum ſeu collationum genera, *Canonem* diſtinguit ab oblatione, atque indictione, extraordinariis nimirùm functionibus. Ab hac Canonis ſignificatione *Canonicarii* derivantur, annuorum publicorum exactores; qui & ſcriniarii dicti, quòd è ſcrinio Canonum in provincias ad fiſcales titulos exigendos mitterentur. Eorum meminere Juſtinianus Imperator [o] & Caſſiodorus [p].

l L. 2. Cod. de priv. domus Aug.
m Ut ex l. 1. Cod. de indiction.
n In Verrinas.
o Nov. 128. cap. 16.
p Lib. 10. Epiſt. 13.

Accipitur ſecundò *Canon*, eodem formè ſenſu, pro Emphyteumate, id eſt annua penſione, quam fundi Domino præſtare debet Emphyteuta: eòque referri videtur Canon glebæ, apud Sidonium Apollinarem [q].

q Lib. 6. Ep. 10.

Tertiò uſurpatur *Canon* pro certo numero frumenti, ſive annona, plebi, aut etiam militibus, erogari, ac viritim diſtribui ſolita, ut videre eſt in Codice Juſtiniani [r], itemque apud Spartianum [ſ] & Lampridium [t]. Atque hinc fortaſſe factum eſt, ut Clerici, qui proventus Eccleſiaſticos pro rata participandi jus habent, *Canonici* cognominati ſint; à Canone ſcilicet illo, ſive penſione, ac ſtipendio cuique debito; non minùs quàm à regulari vita,

r Lib. 11. ſub titulis de Can. frument. urbis Romæ, de frument. urbis Conſtantinop. de annonis civil.
ſ In Severo.
t In Heliogabalo.

aut

aut à catalogo ſeu matricula Eccleſiæ cui ſunt inſcripti. Id certè vel ipſum *Præbendæ* nomen ſuaſerit, eorum muneri in jure noſtro attributum; ab ea nempe portione, quæ ipſis præberi conſuevit. Nam & *Præbendum* Ulpianus Juriſconſultus [u]; & multitudinis numero *Præbenda*, pro Canone atque annona, quæ militibus diſpenſari conſueverat, Livius, Gellius aliique dixerunt, laudati ab Alciato [x].

u l. inviti 19. Dig. de teſtib.

x Lib. 2. parerg. cap. 33.

X. Jus itaque CANONICUM rectè dicitur à Canonibus, quo nomine donatæ ſunt per antonomaſiam Eccleſiaſticæ Conſtitutiones; vel quòd regant, & normam rectè vivendi præbeant: vel quòd regulæ inſtar diſtortum pravumque corrigant, ut cenſent Iſidorus, & Gratianus noſter [y]. Atque hæc Canonis ſignificatio non recens in Eccleſia, ſed ab ipſis Apoſtolorum temporibus recepta videri poteſt: utpote qua non ſemel D. Paulus utatur [z], ac præſertim in Epiſtola ad Philippenſes [a]: nam hæc verba τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, quæ Latine vulgò redduntur, *in eadem permaneamus Regula*, continent adhortationem Apoſtoli ad Eccleſiam Philipporum, ut eoſdem cum reliquis Eccleſiis Canones obſervet, utque in fidei ac morum regulis cum aliis conveniat.

10. *In Iure*, pro Conſtitutionibus Eccleſiaſticis.

y In ſum. & can. 2. diſt. 3.

z 2. ad Cor. cap. 10. & ad Galat. cap. 6.

a cap. 3. 6. 16.

XI. ECCLESIASTICUM præterea dicitur hoc Jus noſtrum, ab Eccleſiaſticis, tum rebus de quibus tractat, tum perſonis, quæ eo potiſſimùm utuntur, ac reguntur. Eccleſiaſticæ autem res & perſonæ vocantur eæ ſpeciatim, quæ divino cultui ſunt dicatæ.

11. *Hoc Ius dicitur* Eccleſiaſticum.

XII. Nomen quidem Ἐκκλησίας deductum à verbo Græco ἐκκαλεῖν ſive ἐκκαλεῖσθαι, quod evocare ſignificat ſeu evocari; apud Athenienſes dicebatur de cœtu civium, qui erant in urbe, ſive concione (quæ Romanis Comitiorum nomine nuncupabatur.)

12. *Eccleſia unde dicta.*

XIII. Apud Chriſtianos deinde pro tota Fidelium, non modò in unaquaque civitate, ſed per univerſum orbem degentium, multitudine accipi id vocabulum cœpit. Jamdiù tamen invaluit, ut ſtrictiùs ſumptum, cuilibet ædi ſacræ, in qua Chriſtiani ſacrorum cauſa convenire ſolent, clericiſque in ea miniſtrantibus, tribuatur: ut infinita utriuſque Juris & Eccleſiaſticorum auctorum loca evidenter oſtendunt.

13. *Quomodo ſumatur apud Chriſtianos.*

XIV. Ad ſacros hoſce miniſtros, reſque ad eos, vel ad loca ſacra pertinentes, cùm ſpecialiùs pertineat Jus canonicum, nihil mirum ſi SACRI etiam JURIS titulum plerumque ſortiatur.

14. *Ius* Sacrum *etiã appellatur.*

XV. PONTIFICIUM quoque jus appellatur, ab Antiſtitibus ſacrorum ſeu Pontificibus, quos autores agnoſcit, & quorum poteſtate Jus hoc omne nititur: Romanorum præſertim, utpote quorum ſtudio, & autoritate in unum corpus, atque in artem ſit redactum. *Pontificum* autem nomen pro ſacro Magiſtratu apud Romanos ab ipſis urbis incunabulis uſurpatum, à Chriſtianis quoque eodem ſenſu receptum eſt. Putatur autem vel à *Ponte faciendo* derivatum ex Varronis ſententia; vel, ut exiſtimat Scævola J.C. à *Poſſe* & *facere*. Et primò quidem certum eſt, Pontificibus, inter cætera, Pontium curam incubuiſſe, qui diu Romæ lignei fuerunt. Pons ſublicius imprimis, Anco Martio Rege, ab ipſis factus, ac deinde ſæpenumero reſtitutus legitur: quòd cum nullo ære aut ferro compactus eſſet, ſæpiùs collaberetur. Cur autem ejus inſtaurandi munus ad Pontifices pertineret, id erat cauſæ, quòd ſacer crederetur, atque idcircò non niſi cæſa victima & peracto ſacrificio refici poſſet. Altera nominis ratio, aut derivari poteſt à poteſtate ſacrificandi (nam faciendi verbum Latinis, ut Hebræis, idem

15. *Dicitur &* *Ius* Pontificium.

eſt ac ſacra facere:) aut quòd Pontifex Maximus omnia quodammodo tacere poſſet, ut qui & religionibus Deorum, & ſummæ reip. præeſſet, teſte Cicerone (b): quæ cauſa fuit cur Auguſtus, eumque inſecuti Principes, tuendo imperio ſuo, Tribunitiæ poteſtati, & Cenſuræ, Pontificatum maximum ſenſerint adjungendum.

b In princip. orat. pro domo ſua.

16. *Ius Canonicum* Theologia Practica *ſive Rectrix*.

XVI. Denique Canonum Doctrinam THEOLOGIÆ PRACTICÆ nomine non abſurdè indigitarunt Alvarus Pelagius Theologiæ & Canonum Magiſter [c], Melchior Canus [d] & Coſmas Guimerius Præſes Pariſienſis [e], aliique: THEOLOGIAM RECTRICEM nuncupat Boetius Epo [f], quòd circa gubernationem regimenque Chriſtianorum verſetur; & quæ ad fidem, ac Dei ipſius, rerumque divinarum cognitionem ſpectant, ea, quatenus ad ſalutem neceſſaria ſunt, complectatur, quemadmodum ſuo loco demonſtrabitur.

c Lib. 2. de ſtatu & planctu Eccleſ. art. 20.
d Lib. 8. de locis Theol. cap. 6.
e Ad Pragmat. Sanct. tit. de collat. §. Ordinat. in fin.
f De Jure ſacro lib. 1. cap. 20. num. 190.

17. *Definitio Iuris Canonici*.

XVII. Ex his patet Jus Canonicum definiri breviter poſſe, *Syſtema legum ſacrarum*. Quòd ſi quis accuratiorem definitionem requirat, dici poterit: *Jus poſitivum, quod ex ſcripturis divinis, atque ex regulis priſcorum Patrum, de rebus ad Dei cultum ac religionem pertinentibus, à Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ traditum, conſtitutum, vel approbatum fuit, ad rectam fidei, & morum inter Chriſtianos conſtitutionem.*

In hac definitione ſeu deſcriptione, (ut eam paucis ad Scholæ Dialecticæ normam exigamus) generis loco eſt *Jus Poſitivum*, qua in parte cum Civili Jure videtur convenire Canonicum. Licèt enim Jure divino Eccleſiaſticæ regulæ ex parte nitantur, & plerumque Poſitivi Juris appellatione intelligatur, quod poſitum eſt ab hominibus: aliud tamen eſt, ut obſervat Dominicus Soto [g], Deum ipſum per ſe aliquid inſtituere; aliud verò hominem divinitus afflatum: deinde ea ipſa, quæ Juris divini propriè ſunt, Eccleſiæ traditione ac judicio Canonica declarata ſunt, atque ab apocryphis & ſuppoſititiis diſtincta. Denique cum divinæ legis autoritate ſuffulti Pontifices multa præter eam legem ſanxerint, certè à majori parte *Poſitivum* dici Jus Canonicum poteſt.

g In 4. ſentent. diſt. 2. quæſt. 2. art. 1.

Hujus definitionis reliqua ad hanc ſcientiam à reliquis diſtinguendam ſpectant, & cauſas Juris Canonici, ac ſubjectum circa quod verſatur, complectuntur. Materiam quidem præcipuam ex qua conſtat, præter ſacros codices, exhibent *Regulæ Patrum*, quæ ad Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, Sententias Eccleſiæ Doctorum ferè referuntur. Autores primarii Pontifices fuere. Forma deinde in traditione, conſtitutione, approbatione conſiſtit. Quædam enim ſunt in hoc Jure à Pontificibus tradita ſeu recepta ex veteri quadam traditione, ut ſcripturæ canonicæ, opuſcula Patrum [h]. Quædam conſtituta ſunt à ſummis Pontificibus, ſive in ſynodis unà cum aliis Epiſcopis, ut Canones Conciliorum, & priſca Pontificum Decreta: ſive extra Concilia, ut Decreta ipſorum poſteriora, & Epiſtolæ Decretales: quædam comprobata, confirmataque, ut Concilia pleraque, & compilationes, tum Decreti, ſive ab Eugenio III. ſive à Gregorio XIII. tacitè probati; tum Decretalium à Gregorio IX. Sexti à Bonifacio VIII. Clementinarum à Joanne XXII. De ſubjecto, rebus ſcilicet Eccleſiaſticis, dicemus capite proximo: Finem, qui ad fidem ac mores præſertim Eccleſiæ rectè inſtituendos pertinet, libro 5. explicabimus.

h Can. *Sancta Romana*. 3. diſt. 15. Can. in Canonicis, 6. diſt. 19. Can. *Sunt quidam*. 6. XXV. quæſt. 1.

CAPUT

CAPUT II.

De Juris Canonici ſubjecta Materia, & in quo ab affinibus ſcientiis, Jure Civili, Theologia, Morum Philoſophia differat.

I. JUS omne, ut Civile, ita & Canonicum, verſari circa Perſonas, Res, atque Actiones ſive Judicia, nemo eſt qui neſciat. Inde ad hæc tria ſumma capita ſuam Juris Pontificii veteris Epitomen Antonius Auguſtinus, ſuaque alii opera revocarunt. Sed quoniam generali Rerum nomine reliqua continentur, dici poteſt cum Joanne de Imola [a]. Subjectum circa quod verſatur Jus Canonicum, nihil eſſe aliud quàm *res Eccleſiaſticas* quatenùs ſub diſceptationem cadunt. Nam & Perſonæ Eccleſiaſticæ, earumque officia & dignitates, non aliter hìc ſpectantur, quàm prout res ſacras tractant, ac divino cultui mancipatæ ſunt; & ipſa judicia ad res Eccleſiaſticas acquirendas, conſervandas, aut alienandas maximè referuntur.

1. Iuris Canonici ſubjecta Materia *Res Eccleſiaſticæ, prout in diſceptationem cadunt.*

a In proœmio Decretal.

II. Ex his ſequitur Juris Canonici magnam eſſe cum Theologia, Jure Civili, ac Morali Philoſophia affinitatem.

2. Affinitas cum aliis diſciplinis, Iure Civili, Theologia, & Ethica.

Et primò quidem cum tribus illis ſcientiis id habet commune Jus Canonicum, quòd hominum Mores componit. In eo prætereà cum Jure Civili convenit, quòd utrumque Leges continet, quibus dirimuntur controverſiæ, pœnæque irrogantur. Cum Theologia verò, quòd utraque hac diſciplina fides Chriſtiana & ſacra inſtituta ad religionem ſpectantia diriguntur: ita ut his quatuor velut columnis niti & ſtare dici poſſit omnis humana felicitas.

III. Ea verò eſt inter haſce præclaras diſciplinas neceſſitudo, & quaſi ſororium vinculum, ut ad ſui perfectionem, unaquæque alterius ope indigeat.

3. Vtilitas.

Ethicæ Philoſophiæ principiis, & generalibus per eam ex recta ratione deductis notionum ſeminibus, cæteræ utuntur: unde quod Civili Juriſprudentiæ attribuit Ulpianus Juriſconſultus [b], ut vera non affectata Philoſophia habenda ſit, id potiori ratione Pontificiæ convenit; utpotè quæ naturalem rationem divinis luminibus perficiat, atque hominum animos, derivatis ex ipſo omnis ſapientiæ fonte præceptis, informet.

b Leg. 1. §. 1. Dig. de juſt. & jure.

Cum Theologia Jus Canonicum cohærere, ejuſque auxilio ſæpenumerò uti, evidentius eſt, quàm ut argumentis confirmandum ſit. Etenim Jus hoc noſtrum nihil reverà eſt aliud, quàm ad vitæ uſum aptata, atque in ipſis rerum argumentis poſita Theologia, ut jam ante [c] dictum eſt; & ex iis quæ affert Joannes de Turrecremata Cardinalis [d] luculenter colligi poteſt.

c Cap. 1. §. 16.
d In proœm. Commen. in Decretum Grat.

Jus deinde utrumque ſic inter ſe connexum eſt, ut alterum ſine altero mancum omnino videatur, nec temporum noſtrorum uſui ſatis accommodatum: ſed profanum à ſacro in multis corrigendum, hoc ab illo in multis adjuvandum. Hinc fit, ut quemadmodùm quæ ſpeciali cuique Conſuetudini deſunt, ea ex Jure communi ſuppleri ſolent: ita ſi quid in Jure Canonico deſideretur, id ex Civili petendum ſit; & vice verſa ſi quapiam in re Jus Civile deficiat, vel minùs religioni conſentaneum ſit, recurri oporteat ad Canonicum: non rarò etiam alterum ab altero in ambiguis interpretario-

nem accipiat. Quæ regula ab Interpretibus recepta, nititur imprimis autoritate Lucii III. Pontificis [e]: atque huic ejus definitioni aliorum quoque Pontificum autoritas quamplurimis locis ſuffragatur, in quibus ii deciſiones ſuas, etiam inter Clericos, deque rebus Eccleſiaſticis, ex Juris Civilis placitis mutuantur, aut roborant [f]. Imò non pauca ex Codice Theodoſiano, ex Jure Juſtinianæo, ipſiſque adeo priſcorum Juriſprudentum operibus, ut & ex Capitularibus Regum Francorum in corpus Juris Canonici tranſlata ſunt [g]. Idque evidentiùs cuivis apparebit Juris Pontificii Gloſſas atque Interpretes legenti, quorum omnis ratiocinatio, legum (quas paſſim firmandis rationibus ſuis adducunt) non minùs quàm Canonum ipſorum regulis innititur. Denique ad demonſtrandam Theologicarum ac Civilium materiarum cum Canonicis cognationem ſufficere videtur, quòd ut vetus Auctor, inſtituta Legis divinæ cum Romanis legibus Collatione, utriuſque legiſlationis miram conſenſionem jam olim oſtenderat: ita & inſignis ſuperiore ſæculo Theologus, Angelus Clavaſius Summæ ſuæ, qua conſcientiæ, quos vocant caſus, tradidit, Rubricas utriuſque Juris, tamquam præcipua Deciſionum ſuarum promptuaria, præfixit: Et Pontificiæ ſcientiæ cum aliis optimè convenire probavit ante aliquot annos Lælius Mancinus in Patavino ſtudio Primarius Anteceſſor, integro volumine eam in rem ſcripto, quod παραλλήλων, ſive *Collationum*, aliàs de *Triplici Jure* indigitavit. Sed quantacunque ſit harum artium affinitas, quia tamen non eadem omnes via incedunt, à reliquis Jus Canonicum diſcrepet neceſſe eſt: cum diverſam ab illis conſtituat diſciplinam.

e Cap. 3. *Ext.* de novi oper. nunciat.

f Cap. *Innotuit.* in fin. e. de arbitr. cap. *Si diligenti.* de foro compet. & alibi paſſim.

g Can. *Propter ſuperfluam.* 22. & ſeqq. 11. qu. 6. Can. *Imperiali.* 13. & ſeqq. xxv. q. 2. Can. *Continuò.* 5. Can. *Quicumque* 35. & ſeqq. xj. quæſt. 1.

4. *Differentia Iuris Canonici à Morali.*

IV. Differt igitur à Morum quidem Philoſophia Jus Canonicum, tum quòd divina potiùs autoritate, quàm humana ratione regitur & fulcitur, (quemadmodùm oſtendetur ubi de ipſius origine ſermo erit:) tum quòd cuncta ad religionem referat; ac denique quòd ad ſingularia magis deſcendat.

A Theologia diſcrepat, quòd ea rationes Philoſophicas ſacris præceptis admiſceat, magiſque in ſpeculatione verſetur: Jus noſtrum Regulis Eccleſiaſticis omnino adhærens, rebus agendis & praxi maximè inſiſtat.

Diſtat denique à Civili Jure Pontificium; tum materia, quòd hoc ſacras præcipuè res & ſpirituales; illud Civiles ac fluxas, ſive temporales tractet: tum autoritatis diſcrimine, quæ in illo politica eſt & merè humana, in hoc autem multum habet ex divino, inſpecta præſertim origine. Sancto quippe à Spiritu manat legiſlatio omnis Eccleſiaſtica, cùm ejus afflatu & gratia ſancti Canones editi ſint [h], ut libro ſequenti demonſtrabitur, ubi de Conciliis agendum erit. Atque hoc utriuſque Juris, poteſtatiſque civilis ab Eccleſiaſtica diſcrimen indicatur à Gratiano [i]: cùm ait *duas eſſe perſonas quibus mundus iſte regitur, videlicèt Regalem & Sacerdotalem: & ſicut Reges præſunt in cauſis ſæculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei. Regum eſſe corporalem irrogare pœnam, ſacerdotum ſpiritualem inferre vindictam: ſicut enim* ut poſt ſubjungit ex D. Paulo [K]) *non ſine cauſa Judex gladium portat, ita non ſine cauſa claves Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt; ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; iſti habent claves ad excluſionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium.* Quæ deſumpta videntur ex pluribus Canonibus diſtinctionis [l] 96. Atque hæ ferè ſunt generales utriuſque Juris differentiæ: ſpecialia quantùm ad Regulas & quæſtionum deciſio-

h Can. *Violatores.* xxv. quæſt. 1. Et Can. *Igitur ead. cauſa.* q. 2.

i §. *Sed notandum eſt.* poſt Can. *Nos ſi incompetenter.* 41. xj. quæſt. 7. & §. ſeqq.

K Ad Rom. 13. & D. Petri Ep. 2. cap. 2.

l Can. *Duorum.* Et Can. *Si Imperator.*

ciſiones, Canonum Legumque Civilium diſcrimina, poſt Bartolum [m], Henricus præſertim Caniſius ſingulari opuſculo collegit.

m In tract. differentiarum ſeu contrarietatum inter Jus Civile & Canonicum.

CAPUT III.

De Juris Canonici Præſtantia, atque ad cæteras principes diſciplinas utilitate, deque Clavibus Eccleſiæ.

1. Præſtantia Iuris Canonici.

I. HARUM trium principum diſciplinarum quænam cæteris præſtet, mihi non aſſumo ut definiam, ne nimium profeſſioni ac materiæ à me ſuſceptæ aut blandiri videar, aut detrahere. Boetius Epo [a] divinam legem & ſacram ſapientiam ſplendidiorem fatetur Juriſprudentia Canonica; ſed hanc Eccleſiaſticam legiſlationem Civili auguſtiorem affirmare non dubitat; idque vel ſolo nomine Divinarum & ſecularium legum evinci putat: quæ ſententia confirmari poſſe videtur ex utriuſque Juris ac Theologiæ officio, de quibus diſſerit Medina [b]. *Jus*, inquit, *Cæſareum componit pacem in exteriori Republica: Ius Pontificium in Republica Chriſtiana & Eccleſiaſtica: Jus Theologicum docet bene & feliciter vivere in ordine ad Rempublicam Cæleſtem* (quod tamen cur Canonicæ Theologiæ deneget, haud ſatis videre me fateor.) Addit Epo antelaudatus [c], Leges Eccleſiaſticas Civilibus, vel in eo præcellere, quòd cùm illæ ad normam præſcriptumque divinæ legis explorentur; quemadmodùm hæc ubique eadem, ita & Eccleſiaſtici Juris Regulæ, quantùm ad generalia præcepta, per univerſum orbem Chriſtianum uniuſmodi, ſeu uniformes ſint: cum Civiles per ſingula ferè territoria, aut ſaltem per regna & provincias ſingulas, variæ ſint, pro eorum arbitrio, qui in unaquaque regione dominati ſunt. Ejus rei hæc ratio adduci poteſt, quòd ſola naturali naturales ipſæ quoque ratione & humano judicio politicæ Conſtitutiones nitantur: Eccleſiaſticæ verò, licèt eamdem ſequantur rationem; tamen Spiritus ſancti ductu coaptantur divinæ legi, ex qua omnia hujus ſcientiæ præcepta elici ac derivari non ambigitur.

a Lib. 1. de Jure ſacro num. 1. & ſeqq.

b Ad 1. 2. quæſt. 19 in introductorio.

c Cap. 2.

Eccleſiaſticæ certè poteſtatis ſupra Civilem præſtantia variis juris noſtri, non Canonici tantùm [d], ſed & Cæſarei locis prædicatur. Eam in rem ſufficere poſſet quod Juſtinianus conſtituit [e] *ſanctos Eccleſiaſticos Canones, qui à ſanctis quatuor Conciliis expoſiti & confirmati ſunt* (id eſt univerſum Codicem Canonum qualis ejus tempore extabat) non modò *vicem legum obtinere*: quod antea quoque ſancitum ab eo fuerat [f]; verùm & *eorum decreta perinde ac ſacras Scripturas ſuſcipi*. Addere tamen libet, quod idem Imperator de ſacris Canonibus agens ſubjungit, *quos etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges*. [g] Et quod alibi ait, *plus ſtudii adhibendum ſibi eſſe circa ſacrorum Canonum & divinarum Legum cuſtodiam, quæ ſuper ſalute animarum definitæ ſunt, quàm circa leges Civiles* [h].

d Can. *Cùm ad verum*. Can. *Duo ſunt*. Can. *Si Imperator*. diſt. 96. Vide Panorm. in c. 1. de Conſt. Cap. *Omnes*. & cap. *Solitæ benignitatis*. e. de major. & obed.

e Nov. 31. §. *Sen.* cap. 1.

f L. *Sacris*. 45. Cod. de Epiſc. & Cler.

g Nov. 83. c. 1.

h Nov. 137. in præf. v. & leg. 23. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & l. 42. Cod. de Epiſc. & Cler.

2. Iuris Canonici ad emendan-

II. Ex antè dictis facilè colligitur quæ ſit hujus Juris utilitas, aut quæ potiùs ejus ad perfectam cæterarum affinium ſcientiarum notitiam neceſſitas.

Et primò quidem Ethicæ præcepta, niſi ad hujus Theologicæque

dam Ethicam, Ius Civile, & Thelogiam, neceſſitas.

Doctrinæ examen perpendantur, eorumque ope quodammodò lævigentur, vera vitia ſæpè pro virtutibus obtrudunt, inſipientiam meram divinæ Doctrinæ inimicam pro ſapientia venditant: idque ex eo intelligi poteſt, quòd Chriſtianis & Catholicis inſtitutis opponi Moralia conſuevere.

Chriſtianos deinde omnes Juriſconſultos Canonum peritia omnino indigere vel inde patet, quòd in iis quæ ad vitam æternam, atque ad ejus (ut ita dicam) vehicula pertinent, Eccleſiaſticas Regulas neceſſariò ſequi oportet, quæ Juri Romano Civilibuſque aliis Legibus non paucis in articulis adverſantur, eaque non rarò corrigunt. Per Leges certè viduis nuptiæ intra luctus tempora prohibentur ſub infamiæ periculo; at per Canones qui fragilitatis, & vitandi peccati præcipuam rationem habent, permittuntur [i]. Illæ in rei alienæ poſſeſſore bonam fidem, initio dumtaxat; hi per totum aſſignati præſcriptionibus temporis curriculum exigunt [k]. Concubinatus Jure Civili non improbatur: idem rejicitur Jure Canonico. Patres & maritos quibus adverſus adulteras in flagitio deprehenſas ultorem gladium, illis abſolutè, his aliquando porrigunt Imperatoriæ, exarmant Pontificiæ ſanctiones; & parem eſſe volunt, ex naturali ratione, atque Apoſtolica doctrina, utriuſque conjugis cauſam [l]. Eædem Uſuras quoque damnant, & graviſſimis pœnis coercent Principum conſtitutionibus permiſſas [m]; atque intra proximos tantùm cognationis atque affinitatis gradus coercita ab his conjugia, juſtis de cauſis, longiùs à communi contrahentium origine removent [n]. Eæ tamen in his apud nos præpollent. Divortia, per leges propemodùm arbitraria, ad tori ex legitimis cauſis ſeparationem redegerunt Eccleſiaſticæ Regulæ [o]; quæ & in aliis capitibus propè innumeris differunt: de quibus conſulendi inter cæteros prædicti Epo [p], & Caniſius, aliique. Quàm neceſſaria denique ſit omnibus hodie cauſas ſive dicentibus, ſive judicantibus, Canonici æquè ac Civilis, & Patrii juris, peritia, manifeſtum reddunt quotidianæ, ac ſæpè maximi momenti lites de Beneficiis, & Jure Patronatus Eccleſiaſtici, de Decimis, de Regularium & Clericorum validis aut invalidis Votis, de Electionibus, de Matrimoniis, aliiſque rebus lites: ut egregiè diſſerit Arnoldus Corvinus Batavus Juriſconſultus [q]. Prætereà univerſus Judiciorum ordo, quem hodie utroque in foro receptum videmus, ex ſecundo Decretalium libro haud dubiè eſt addiſcendus.

i Cap. pen. & ult. ext. de ſecund. nupt.

k Cap. 5. & cap. ult. e. de præſcript.

l Can. 19. 20. & ult. xxxij. quæſt. 5. & x. quæſt. 6. c. pen. & ult. ext. de adult.

m Toto tit. ext. de uſur.

n Cap. 8. de conſanguin.

o To. tit. de divort. ext.

p Lib. 1. de Jure ſacro cap. 1. nu. 53 ac ſeqq. Et cap. 2. num. 107. & ſeqq.

q In præfat. Jur. Can. per aphoriſmos explicati.

Ad Theologiam verò quod attinet, ut ejus cognitionem ad Canonum perfectam notitiam apprimè conducere ultro concedimus; ita inficiari nemo poteſt, in multis eam ſine Canonum ope cæcutire. Ejuſmodi ſunt quæ ad ritus Sacramentorum & reliqua ſacra munia, quæ ad Eccleſiaſticorum officiorum & beneficiorum adminiſtrationem, ac præſertim quæ ad Eccleſiaſticæ juriſdictionis uſum ſpectant: imò & ea quæ ad ſolvendas quæſtiones quaſcumque de Moribus, & dubitationes de variis hominum actionibus motas pertinent. Quapropter Melchior Canus [r] Theologum ſic informat, ut velit Juris Pontificii imprimis peritum eſſe, tum aliis de cauſis, tum quòd ex Pontificum Decretis Theologi dogmata ſua, ſive in rebus fidei, ſive in rebus morum collegerint; Pontificum autem decreta ex libris utriuſque Teſtamenti manarint; nec modò maximam cum illis habeant affinitatem, ſed & ad eorum explicationem momen-

r Lib. 8. de locis Theol. cap. 6.

momenti ſint haud exigui; tum etiam quòd Canonicæ ſit facultatis per Eccleſiaſticas leges dirigere animas in æternam ſalutem: tum denique quòd vel in ſolo Decretalium volumine permulti caſus & articuli contineantur adeò utiles & neceſſarii, tam in foro pœnitentiæ, quàm in diſponendis Eccleſiæ rebus, ut abſque illorum cognitione nonniſi periculoſè tractari poſſint, qui vocantur *Conſcientiæ caſus*. Id palàm profitentur doctiſſimi quique ejuſmodi Caſuum poſt Raymundum Pegnafortium, & D. Thomam tractatores, Silveſter, Navarrus, Henriquez, Laymannus, ut qui omnia ferè definitionum ſuarum argumenta, ex Juris noſtri officina, velut ex ſuo & vero armamentario, depromant.

III. Certè cùm duplex vulgò, aliquibus etiam triplex, Clavium genus diſtinguatur, in quibus Pontificia poteſtas eſt poſita; quarum prima Ordinis dicitur, altera Juriſdictionis, tertia Scientiæ: harum omnium rerum directionem ex parte aliqua ſibi vindicat Jus Canonicum. Et primum quidem genus, quod circa Sacramenta adminiſtranda potiſſimùm verſatur, id eatenus dumtaxat ad Theologicam Facultatem videtur ſpectare, quatenus eorum indaganda natura & vis eſt: quatenus autem exhibendorum ratio tradenda eſt ac præſcribenda, Juris eſt haud dubiè Pontificii: qua de re Joannes Andreas [ſ], & reliqui Doctores [t]. 3. *De Clavibus.*

Clavis deinde *Juriſdictionis* tota videtur eſſe Juris Canonici, quantùm ad forum, quod vocant *Fori*, id eſt exterius; ſi modò ipſam poteſtatis hujus inſtitutionem demas, quæ ſolius eſt Chriſti, Legiſque divinæ. Quin & quod attinet ad juriſdictionem Conſcientiæ, ſive forum *Poli* & interius; id etiam ad Jus Pontificium pertinet; ſic tamen ut Theologia quoque ad eam partem explanandam non parum conferat: ſed praxis, deciſio, uſuſque, & pœnitentiæ imponendæ modus, Juriſconſultorum noſtrorum eſt. Ejus quippe rei principia & regulæ non aliunde certiùs tutiùſque, quàm ex Canonibus peti poſſunt: ut iis omnibus eſt perſpectum, qui Theologos, non minùs quàm Canonum Doctores ante laudatos, cæteroſque peccatorum, ad uſum fori pœnitentialis, diſquiſitores ac diſcuſſores, qui vulgò Caſuiſtæ vocantur, vel à limine ſalutarunt.

ſ Ad cap. 1. de ſumma Trinit.
t Ad cap. *Poſt tranſlationem*. §. *Cum ergo*. de renunt. & alibi.

At tertium Clavis genus, *Scientiæ* ſcilicet, ſi de ſacræ Scripturæ interpretatione intelligatur, ea magis propria videtur eſſe Theologorum: ſed ſi cum Magiſtro Sententiarum [u], ſumatur pro totius Scientiæ Prælatis accommodatæ peritia, ſpectabit procul dubio ad Canonum quoque Conſultos. Nam in Pœnitentiæ tribunali, tum exteriori, tum etiam interiori, ſive ſolemnem indicturis Pœnitentiam, ſive privatim Confeſſiones fidelium auditauris, tremendumque judicis in utroque genere acturis officium, tam Eccleſiaſticæ, quàm Divinæ Legis neceſſariam prorſus eſſe cognitionem, ex ſuprà dictis evincitur. [x] Ea certè notitia deſtituti, nec peccata pœnitentium ſatis diſcernere ac diſtinguere poterunt, nec in abſolutionis ferenda ſententia ſalutares pœnitentias injungere. Quapropter, optima ratione jubentur [y] Sacris initiati ſic Canonum ſtudio incumbere, ut eos apprimè calleant: atque olim in ordinatione, Liber Canonum idcircò ab Epiſcopis tradi legive ordinatis ſolebat, Concilii Carthaginenſis Decreto [z]: eademque de cauſa præcipiunt Toletani IV. Concilii [a] Patres, ut *Sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones*. Nec verò ſine cauſa Melchior Canus non alienum à vera conjectura exiſtimat, Chriſtum Dominum ſpeciali quadam gratia Juris Pon-

u Lib. 4. ſent. diſt. 19. in princ.
x Cap *inter cætera*. in fin. de offic. Jud. ord.
y Can. 4. diſt. 38.
z Can. 7. ead. diſt. 38.
a Can. 1. ibid.

Pontificii Profeſſoribus adeſſe in Legum Eccleſiaſticarum vera interpretatione. Cujus ſententiæ hanc ſubjicit rationem, quòd Deus, qui in neceſſariis non deficit, non in Theologos ſolùm, ſed & in Sacri Juris Doctores ſpiritum veritatis effundere debeat. Quin etiam quæ Theologiæ Polemicæ adſcribi ſolent, ad Canonicam Diſciplinam trahere non dubitat Antonius Demochares Monchiacenus Theologus Pariſienſis [b]. Neque enim aliud vult, cùm in editione Juris Canonici, cujus curam ſuſceperat, id præſertim agit, ut ex priſcis Canonibus jure noſtro comprehenſis, confutari poſſe oſtendat novos in fidei articulis errores ab Hæreticis introductos.

4. Utri præferēdi in decidendis rebus Juriſdictionis à divina lege manantibus, Canoniſtæ, an Theologi.

IV. Quærunt nonnulli ad utros potiùs recurrendum ſit, ad Theologiæ, an ad Juris Canonici peritos, quoties de materia Pontificiæ Juriſdictionis aut adminiſtrationis agitur, quæ ex ſacris maximè Literis pendeat, quales ſunt Hæreſis, Uſura, Simonia, Matrimonium, Divortium, Juſjurandum, Perjurium, Votum, Indulgentiæ, Decimæ, & alia ejus generis. Eam quæſtionem tractarunt inter Juris Canonici Doctores Petrus Ancaranus [c], Petrus Ravennas [d], & Nicolaus Everardus [e]: ex Theologis verò Melchior Canus anteà laudatus [f]; & Conradus Summenhartius [g]: atque alii, quos ſuæ quemque profeſſioni ſuffragari non eſt mirum. Sed optimè hanc litem componet, qui cum jam nominato Boetio Epone, haſce duas præſtantiſſimas utiliſſimaſque diſciplinas aſſiduo ſtudio conjunxerit, ut paulò antè indicata plurimorum Canonum decreta ſanxerunt. Agnoſco itaque libenter non omnibus planè numeris abſolutum fore Juris noſtri Doctorem, qui Sacrarum Literarum rudis penitus fuerit; nec minùs affirmare audeo Theologos inter vix quemquam magni nominis extiturum, qui ſacros Canones, Sacrarum Literarum certiſſimos multis in locis interpretes, ignoraverit. Certè in Eccleſiaſticis Præfecturis ac dignitatibus, atque officiis obtinendis, Juris Canonici Doctores, cæterique gradu aliquo academico ejus peritiæ nomine donati, tum ex Pragmaticæ Sanctionis [h], & Concordatorum noſtrorum [i], tum ex Concilii Tridentini placitis [k], deteriori loco non habentur, quàm Theologi, ſed pari omnino paſſu ambulant. Quin & Canonum periti, in iis dignitatibus quibus annexa juriſdictio eſt, anteponi aliis videntur [l]. Nimirum hæc utraque ſcientia Eccleſiæ æquè neceſſaria eſt, cum verè Sorores ſint, ut ait Epo [m], ſi earum finis conſideretur: vel potiùs mater & filia, ſi ſpectetur origo. Adde quæ hac de re diſſerit P. Gregorius Toloſanus [n].

b In præfat. Decreto Gratiani præfixa.

c In diſputat. cujus initium, *antiquis & modernis temporibus.*

d In compendio utriuſque Juris, tit. dicta notabilia §. hoc in loco.

e In locis Dialecti. loco ab autoritate num. 7.

f Lib. 8. cap. 7.

g De contractib. quæſt. 49.

h §. *Videlicet* de Collat.

i §. *Præterea* eod. tit.

k Seſſ. 23. cap. 18. de reform. ℣. *Quòd ſi Iudicio.*

l Seſſ. 24. cap. 16. de reformat.

m Lib. 1. de Jure ſacro, cap. 2.

n Lib. 1. de Uſuris, cap. 4.

C A-

CAPUT IV.

De Juris Canonici Diviſionibus, ac de Lege Divina & humana, atque utriuſque neceſſitate.

I. EX ſuperioribus variæ oriuntur Juris Pontificii Diviſiones: quarum duæ imprimis obſervandæ. Prima ex origine petitur, in Divinum & Humanum [a]: altera ex conſtituendi modo; in Jus ſcriptum & non ſcriptum, ſive mores [b]. His addenda tertia ex autoritate, & locis ubi viget, in Commune, quod ſcilicet in corpus Juris relatum, apud omnes ferè nationes Chriſtianas valet; & Proprium ac ſingulare, ſeu ſtatutorum, quod extra Corpus Juris habetur [c]. Quartam præterea Diviſionem, quæ in Jure noſtro indicatur [d], in jus Græcum ſeu Orientale, ac Latinum ſive Occidentale, lib. 3. exequemur.

1. Iuris Canonici diviſio prima in ſcriptum & non ſcriptum.

a In ſumma & Can. *Omnes Leges* diſt. 1. & Can. 1. diſt. 8.

b Can. *Ius generale*, diſt. 1.

c Cap. *Cùm dilectus*, de conſtit.

d Cap. 11. de Temporib. ordination.

II. Quæ ad Jus Scriptum pertinent, ea deſumpta ſunt partim ex Jure Divino, partim ex Conſtitutionibus humanis ſeu Canonibus. Hæ quippe voces latiori ſignificatione pro omni Jure Poſitivo Humano uſurpantur [e]: quamquam ſpecialioris diſtinctionis cauſa, nomine quidem *Canonum* propriè ſtatuta Conciliorum; nomine *Conſtitutionum* intelliguntur decreta Pontificum, aliorumque Epiſcoporum aut etiam Collegiorum.

2. Ius ſcriptum adhuc dividitur in Divinum & Humanum.

e In princip. & §. *Porrò*, poſt Can. 2. diſt. 3.

III. JUS DIVINUM latè ſumpto vocabulo appellamus quod in Lege continetur & Evangelio [f], id eſt Veteris & Novi Teſtamenti Legislationem univerſam: utriuſque enim præceptis Jus Canonicum non modò paſſim eſt reſperſum, ſed etiam ex iis potiſſimùm profluxit [g]. Atque hoc Jus omnibus aliis anteponitur ſcriptis [h].

3. Ius Divinum quid.

f Diſt. 1. in ſumm.

g Cap. *Qualiter & quando* 24. e. de accuſat.

h Can. *quis neſciat*, diſt. 9.

IV. Jus iſtud à quibuſdam, ab ipſo imprimis Gratiano, cum Naturali; ab aliis cum Æterna Lege confundi videtur. Verùm, ſi accuratè res perpendatur, non exiguum inter hæc conſtituendum eſt diſcrimen. Cùm enim in Lege Divina triplicis generis præcepta tractentur, Moralia, Cærimonialia ſeu Myſtica, & Judicialia: Moralia, quæ Decalogo ferè continentur, à Jure Naturali humano vix recedunt. Legalia, ſive ad myſteria & ritus, ſive ad judicia referantur, Juris Naturalis nomine comprehendi minimè poſſunt.

4. In quo differat à naturali.

V. *Æterna* verò *Lex* nihil eſt aliud, quàm ſumma ratio in ſolo Deo perfectè exiſtens, & participatione quadam mentibus hominum omnium, modò ſani judicii ſint, indita; ex qua Legum tum naturalium, humanarum & civilium omne genus manavit, ut luculenter oſtendit poſt Platonem [i] Cicero [k], longèque enucleatiùs ac diſtinctiùs D. Thomas [l].

5. Lex Æterna quid.

Sed *Lex Divina* propriè ſumpta ea dicitur, quæ finem hominis naturalem excedens, & ſupernaturalem, vitam nempe æternam proponens, ab ipſo Deo revelata eſt; quam Doctores nonnulli *Legem Divinam Poſitivam* nominant. Hæc conſtat utriuſque Fœderis, veteris & novi præceptis; quæ tamen non eumdem omnia vigorem nunc habent. Novi quidem Teſtamenti præcepta (præcepta dico, non conſilia)

i In Epinomide, & alibi.

k Lib. 1. de legib.

l 1. 2. Quæſt. *Præſertim* 93.

divi-

divino Jure cunċta ſervanda neceſſariò ſunt. Sed Moſaicæ Legis iis tantùm præceptis adſtringimur, quæ ad generalem morum informationem ſpeċtabant. Hæc, uti jam diċtum eſt, ad Decalogum fermè referri poſſunt. Quin hæc quoque, non tam quatenùs præcepta ſunt Legis Moſaicæ, quàm vi Legis naturæ in animis hominum inſitæ, quæ idcirco, ex Juſtiniano quoque, immutabilis eſt [m], hodie obligant ex communi ſententia, quam inter alios Juriſconſultos probat Didacus Covarruvias; inter Theologos Gregorius de Valentia [n]. Judicialia verò, quæ ad Jus dicendum, Judiciaque reċtè adminiſtranda pertinebant, & Cærimonialia ad Divinum cultum ritè exhibendum ſpeċtantia, per Chriſti mortem ſublata ſunt, ut probant D. Auguſtinus [o], & D. Hieronymus [p]. Quamquam, quod attinet ad hæc Legalia præcepta, ita diſtingui ſolet, ut ſuperficie tantùm tenus mutata ſint; at ſecundum moralem intelleċtum, nullam acceperint mutationem, ut contendit Gratianus [q]. Unde veteris Legis ea præcepta quæ Decretalium Libris à ſummis Pontificibus inſerta ſunt [r], non ut Divinæ Legis placita cuſtodiri à nobis debent; ſed quatenus humani Juris ſunt, Pontificiis Conſtitutionibus recepta, & renovata: qua ratione aliorum quoque obſervatio præcipi poſſet. Cum igitur hujuſmodi etiam præcepta, Divini juris ſeu Divinæ Legis Conſtitutiones alicubi appellantur in Decretalibus [ſ]: id de Divina lege veteris Teſtamenti eſt intelligendum, qua reverà tenebantur ante Chriſtum Judæi; ſed cujus vinculum ex D. Thoma [t], inchoato humanæ Redemptionis myſterio, ſolvi cœpit adveniente Chriſto, paſſione verò ejuſdem finem omnino accepit, Redemptionis ſcilicet conſummato myſterio. Quòd autem Legalia nonnulla poſt mortem Chriſti obſervata leguntur, [u] id ideo factum dicitur, ut mortua ſynagoga cum honore ſepeliretur; quæ ſunt verba D. Thomæ [x]; idque non alia ratione quàm qua videmus mortuorum corpora non ſtatim ſepulturæ tradi, ſed aliquandiu oculis exponi ſuperſtitum, atque ſervari.

m §. pen. Inſt. de Jure Nat. Gent. & Civili.
n In 1. 2. diſp. 7. quæſt. 7.
o Epiſt. 19.
p Epiſt. 11.
q §. fin. diſt. 8.
r Cap. 1. e. de adult. Cap. 1. de furtis. &c.
ſ Cap. *Literis* e. de reſtit. ſpoliat. & cap. *ina*, Cap. *in aliquibus* in fin. e. de decim.
t 1. 2. quæſt. 103. art. 4. & quæſt. 104. ar. 3.
u Act. cap. 15. 16. & 21. item ad Galat. cap. 5.
x Dicto art. 4.

6. Neceſſitas Divinæ Legis.

VI. Cur autem præter humanas Leges Divina quoque neceſſaria fuerit, cauſæ ab eodem D. Thoma quatuor aſſignantur [y]. Prima, ut homo erigeretur ad ſupernaturalem æternæ beatitudinis finem. Secunda, ut in actibus dubiis, certò & ſine errore dirigeretur. Tertia, ut interiores ejus mores atque actus pravi cohiberentur. Quarta denique, ut nihil quidquam quod malum ſit, impunitum remaneret. Horum verò nihil leges humanæ, propter hominum infirmitatem atque ignorantiam præſtare poſſunt. Eòque S. Doctor refert illud Pſal. 118. *Lex Domini immaculata, convertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Quibus verbis indicatur, ex ejus ſententia, ſingulorum peccatorum, etiam minimorum correctio; internorum actuum, motuumque animi compoſitio; & promiſſio vitæ cæleſtis, in qua inveſtiganda conſiſtit vera ſapientia.

y 1. 2. Quæſt. 91. art. 4.

7. In quo differat Nova Lex à Vetere.

VII. Lex verò Nova perfeċtione magis quàm alia re quapiam à Veteri diſtinguitur; atque, ut idem D. Thomas loquitur [z], tanquam vir à ſeipſo puero. Eſtque notatu dignum, quod obſervant Legem Moſaicam populo Dei, Hebræis nimirum, datam eſſe à Deo

z Ead. quæſt. art. 5.

Digitized by Google

Patre per Angelos; Legem Evangelicam, Dei quoque populo, nimirum Eccleſiæ Chriſtianæ, à Deo Filio traditam proprio Domini Chriſti ore, qui Deus verus & homo eſt; Legem denique Eccleſiaſticam, pro re nata, Pontificum ore, quibus licèt meris hominibus, paſcendum gregem ſuum Chriſtus commiſit, eidem Chriſtiano populo quotidie dari à Spiritu ſancto; cujus ad Eccleſiæ Catholicæ regimen divinus nunquam deerit afflatus.

VIII. Philo quidem Judæus [a] non dubitat ſecundam Decalogi tabulam ad Jus humanum revocare, quòd ad charitatem erga homines pertineat [b]; quemadmodùm prior tabula ad charitatem erga Deum. Sed quamvis, ſi quis ſubjectum ejus tabulæ ſpectet, vera ejus ſententia ſit; attamen inſpecto autore atque origine, (qua præſertim ratione Jus Divinum ab humano ſecernitur) Decalogus univerſus divini Juris eſt, utpotè Dei digito exaratus; vel potiùs in omnium hominum animis maxima ſaltem ex parte inſculptus.

8 Decalogi ſecunda pars quatenùs Iuris humani.

a *Lib. de Decal.*

b Exod. cap. 31.

IX. HUMANUM Jus, ſive Jus *Conſtitutionum*, quod & propriè Poſitivum dicitur, tanquàm ab hominibus poſitum atque inſtitutum, complectitur Leges omnes ſcriptas [c]. Conſtitutiones autem aliæ ſunt Civiles, aliæ Eccleſiaſticæ. Civiles ſunt, quas Principes populis, aut ipſi ſibi populi poſuerunt: quæ, ſi Evangelicis Canoniciſque inſtitutis non adverſentur, omni reverentia dignæ ſunt [d]: ſi contrariæ ſint Pontificiis Conſtitutionibus, modò ad animarum interitum non vergant, in ſuo foro ſervantur.

9. Ius Humanum, ſeu Conſtitutionum, quarum aliæ Civiles, aliæ Eccleſiaſticæ.

c Diſt. 3. in ſum.

d Can. 1. in fin. & duob. ſeqq. ibid.

X. Conſtitutiones autem Eccleſiaſticæ, de quibus hìc præcipuè agimus, ſunt in triplici differentia, ut ſuprà à nobis indicatum eſt. Vel enim ſunt ſtatuta Conciliorum, ſive Generalium, ſive Localium (quo nomine comprehenduntur tam Provincialia, quàm Nationalia) vel decreta Pontificum, vel dicta Sanctorum [e].

10. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ ſunt Triplicis generis.

e *§. Perrò*, poſt Canonem 2. ead. diſt.

XI. Sed quæri poteſt, conſtituta Lege Divina, quæ ad æternam ſalutem ſufficeret, quid attinuerit Canonicam prætereà, ſive Eccleſiaſticam Legem conſtitui? Ejus rei hæc ratio redditur, quòd cùm nulla civilis ſocietas ſine congruis ſtatui ſuo Legibus ſtare poſſit, neceſſarium viſum eſt diſciplinæ, vitæque, tum communis, tum etiam privatæ, regulas accuratiùs clariùſque præſcribi: quæ ſanè ad faciliorem divinæ ipſius Legis obſervationem plurimùm conducunt; uti præter cæteros probat Alphonſus de Caſtro [f]. Atque huc referri poſſunt divinæ Sapientiæ verba apud Salomonem [g]: *Conſerva, fili mi, præcepta Patris tui: & ne dimittas Legem matris tuæ. Matris* nomine quis dubitet Eccleſiam eſſe intelligendam, per quam Chriſto generati ſumus? Et verò quemadmodùm, præter legem Naturalem, Civilibus quoque opus fuit in Republica: pari quoque ratione præter Divinam Legem, opus habet Eccleſia propriis Legibus & Conſtitutionibus, quibus ejus corpus in exteriori diſciplina regatur. Etenim ſicut Leges Civiles ex naturali ratione; ita Eccleſiaſticæ Leges ex Lege Divina profluunt [h], ſuntque velut concluſiones quædam ex illa deductæ, ad ea moderanda, quæ Chriſtus Dominus judicio eorum qui præfuturi erant, pro rerum, perſonarum, temporum, locorum varietate, definienda reliquit.

11. Cur neceſſaria fuerit Lex Canonica.

f Adverſus hæreſes, Lib. 6. dictione *Eccleſiæ*, hæreſi 9.

g Proverb. 6.

h Cap. *qualiter & quando* 24. e. de accuſat.

12. Ius non ſcriptum quotuplex.

XII. Jus non Scriptum conſtat Traditionibus & Conſuetudine: ad quam referri poteſt Romanæ Curiæ Stylus, & quam nonnulli Conniventiam vocant.

13. Traditiones.

XIII. *Traditionibus* accenſentur quæcumque ſola voce ab Apoſtolis eorumque primis ſucceſſoribus prodita, ad nos, velut per manus tranſmiſſa pervenerunt; licèt ex parte ſcriptis quoque à poſteris ſint comprehenſa. Hujuſmodi ſunt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, aquæ cum vino permixtio; Inunctio eorum qui baptizantur; Inſtitutum frontem ſigno Crucis muniendi; Imaginum uſus, aliaque quàm plurima, quæ autoribus D. Baſilio, & D. Auguſtino non minoris ſunt autoritatis & ponderis, quàm ſi ab initio ſcriptis mandata eſſent [i]. Atque huc pertinet illud Pauli [k]: *Itaque fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Valeat & in hac re Tertulliani ſententia, vel potiùs teſtimonium; qui ubi inter cætera [l], Baptiſmatis & Euchariſtiæ ſumendæ ritus, Oblationes pro Defunctis, & Crucis crebrò uſurpata in fronte ſignacula commemoravit, hæc ſubjungit [m]; *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, Conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix.* Eodem etiam ſpectat illud B. Irenæi martyris ad Florinum hæreticum apud Euſebium [n], Ταῦτα τὰ δόγματα, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. *Hæc dogmata, hi qui ante nos vixere presbyteri, ſive ſeniores, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt.* Quod ſanctiſſimi & antiquiſſimi præſulis teſtimonium ad confutandam vanitatem cæterorum hæreticorum Traditiones reſpuentium, non exiguum habet momentum. Nec minoris eſt ponderis, quòd idem Lugdunenſis Antiſtes [o] hæreticos provocat Eccleſiæ nomine ad eam Traditionem quæ eſt ab Apoſtolis, & per ſucceſſiones quoque Seniorum in Eccleſiis cuſtoditur. Quamobrem & Nicæna II. [p], & Florentina [q], univerſales ſynodi Traditionum Eccleſiaſticarum impugnatores anathemate haud immeritò damnarunt. Tridentina quoque ſuperiorum veſtigiis inhærens, *omnem veritatem* & morum *diſciplinam contineri* affirmat *in Libris Scriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt* [r].

i Can. 5. diſt. xj. Can. *illa* 11. diſt. 12.
k 2. Ad Theſſalon cap. 2.
l De corona Milit. cap. 3.
m Cap. 4.
n Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 20.
o Lib. 3. adverſus hęreſes, c. 2.
p Actio. ult.
q Seſſ. 5.
r Seſſ. 4. in pr.

14. Conſuetudo quid, ejuſque autoritas.

XIV. *Conſuetudo* eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit Lex [ſ]. Ea optima eſt Legum interpres [t]: adeo ut non modò Lege deficiente valeat; ſed ſi legitimè præſcripta ſit, in iis, in quibus non vertitur ſalutis periculum, juri etiam ſcripto deroget [u]. Specialis certè conſuetudo canonicè præſcripta generali conſtitutioni præſtat, niſi conſuetudinis ejus in conſtitutione poſteriori nominatim mentio fiat [x]. Ita enim intelligendus eſt, opinor, Nicolaus I. Pontifex, hac de re ſcribens ad Michaelem Græcorum Imperatorem [y]. Præſcripta verò cenſetur ſpatio quadraginta annorum [z]. Quæ ita intelligi debent, ſi Conſuetudo rationi ſit conſentanea; nec Juri divino aut naturali, ſeu bonis moribus, aut receptis apud omnes Canonibus planè contraria ſit; quo caſu corruptela potiùs & abuſus, ac vetuſtas erroris, quàm con-

ſ Can. 5. diſt. 1. Can. 6 diſt. x. Can. 7. diſt. 12. l. 32. & 33. Dig. de Legib.
t Cap. 8. ext. de conſuet. l. 37. Dig. eod. tit.
u Cap. ult. de conſuet. ext. & in 6. & de l. 37. in fin.
x Cap. 3. de conſuet. in 6.
y Can. conſequens. 2. diſt. xj.
z Gloſ. in cap. ult. de Conſuet. in 6. & in cap. *ut litigantes* de offic. ordinar.

conſuetudo dicenda videtur [a]. Hujus rei exempla non panca in toto Jure habentur.

X V. Eſt autem conſuetudo vel Generaliſſima, quæ in univerſo orbe Chriſtiano viget, & hæc pro Apoſtolica ferme Traditione eſt habenda [b]; vel Generalis, quam aliqua natio, aut provincia ſervat [c]: vel Specialis ſeu Localis, quæ in aliqua certa Civitate, aut Collegio valet [d].

Conſuetudo Particularis, ratione ſubnixa & probata, in loco ubi recepta eſt generalem vincit, ut antea indicavimus [e]; idque propter diverſam populorum ac locorum naturam, quæ ſæpè diverſa exigit inſtituta [f]. Etenim ob varium provinciarum ingenium, ac morum in quibuſque gentibus varietatem, non eadem ubique conveniunt, ſed ut loquitur Plutarchus in Themiſtocle ἄλλα δ' ἄλλοις καλά. Cujus rei exempla habentur apud Theophilum [g], Polybium & alios.

Tria itaque ſunt quibus fermè Catholica Eccleſia gubernatur: autoritas ſcripturarum, aut traditio univerſalis, aut propria & particularis inſtitutio. Sed autoritate Scripturarum, & univerſali Traditione majorum tota coſtringitur: privatis verò conſtitutionibus & propriis informationibus, unaquæque, pro locorum varietate, & prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit; ut ratiocinatur D. Auguſtinus in epiſt. ad Januar.

a Can. 3. & ſeqq. diſt. 9. Can. 3. 8. & 11. diſt. 11. cap. 7. & ult. ext. de Conſuet.

15. *Diviſio Conſuetudinis.*

b Cap. 5. ext. de conſang. & affin. Cap. 49. de ſent. excom. &c.

c Can. *Catholica* 8. diſt. 11.

d Cap. *cùm Eccleſia* 31. de elect.

e Vid Cap. 19. de jurejur.

f §. 1. Inſt. dè Jur. nat. & c. 1. de Conſuet. in 6.

g Inſtit. §. 1. de Jure natur. &c.

X V I. *Stylus Curiæ* Romanæ nihil eſt aliud quàm formula, qua Aulæ Romanæ Officiales, ſive agentes, Scribæ ac ſcriniarii in reſcriptis, vel aliis negotiis expediendis utuntur [h]. Ea dici poteſt conſuetudo quædam, quæ reſpicit ordinem ac formam loquendi, ſcribendi vel procedendi: in quo differt à conſuetudine generaliter ſumpta, quæ abſolutè Deciſiones cauſarum ſpectat [i]. Hic Stylus, ubi Jus contrarium nullum eſt, poteſt in deciſionibus allegari, cùm pro lege habeatur [k]: & jure quoque Civili ejuſmodi uſus, ac ſtyli ratio habetur, & ſi quid contrà fiat, improbari ſolet [l].

X V I I. Qua verò ratione conſuetudo atque uſus probatur, eadem quoque ratione *Conniventia* ipſa (ut vocant) Juris vicem obtinet [m]; eſt enim tacitus quidam conſenſus eorum, qui quod vetare poſſent tolerare malunt.

16. *Stylus Curiæ Romanæ.*

h V. can. 8. diſt. 11.

i Vid. c. *quàm gravi* 6. ext. de crim. falſi.

k Cap. *literas* 2. ext. de jur. calum. Panorm. & alii ad cap. *ex Litteris* de Conſtit.

l L. 6. Cod. de diverſ reſcript.

17. *Conniventia.*

m Cap. 18. in fin ext. de preb.

X V I I I. Hanc Juris Diviſionem paulò aliter inſtituere videtur in Decreto ſuo Gratianus [n], illud diſtribuens in jus *Naturale*, quod vetuſtius & immutabile eſſe affirmat; & *Mores* ſeu conſuetudinem. Verùm Juris naturalis nomine Leges omnes divinas intelligit, juſque illud quod Moſaica Lege atque Evangelio continetur. Quod ex parte verum eſt, quatenus nempe Decalogus & alia utriuſque Legis præcepta rectæ rationi ſic conſentanea ſunt, ut omnibus naturali lumine pateant: ex parte falſum, quandoquidem non omnia quæcunque in Lege aut Evangelio continentur, ad Jus naturale referuntur, ut & ipſe Gratianus agnoſcit. Quòd autem *Morum* nomine inſtituta quævis & omnes conſuetudines complectitur: & conſuetudinem facit partim *Scriptam*, quæ propriè Lex eſt ſeu conſtitutio; partim non ſcriptam, quæ conſuetudo ſtrictè appellatur: impropriè loquitur. Non malè deinde Conſtitutionem ſcriptam [o] dividit in Civilem vel

18. *Explicatur Juris Diviſio à Gratiano adducta.*

n In ſum. & Can. *omnes* diſt. 1. atque in ſum. diſt. 5.

o §. His itaque poſt Can. *non eſt peccatum*, diſt. 6.

vel Jus forenſe, & Eccleſiaſticam ſeu Canonem: Canonum verò alios facit Decreta Pontificum, alios ſtatuta Conciliorum [p]. Quæ omnia cum diviſione à nobis allata conciliari nullo negotio poſſunt: ſi dicamus aliter ab eo ſumi Conſuetudinis nomen, quàm vulgò accipiatur; & ad omnia Juris humani genera porrigi. Et verò, ſi benè calculum ponamus, facilè apparebit Jura omnia ex hominum uſu originem ac vim habere. Nam & ante deſcriptas populis leges, certis civitas quæque aut natio inſtitutis regebatur, ita exigente ſocietatis cujuſvis natura: & Leges ipſæ ac ſcriptæ conſtitutiones, etſi ab imperantibus earum conditoribus accipiant autoritatem; fruſtra nihilominùs promulgentur, niſi, ut ad ſubjectorum utilitatem accommodandæ ſunt [q], ita eorum moribus receptæ, plenum robur nanciſcantur.

p §. *Cum itaque.* poſt Can. *Conſuetudo* diſt. 1.

q In princ. ſeu ſum. diſt. 3.

19. Diviſio Juris in Commune & ſingulare.

XIX. Ex ſupradictis tertia oritur Juris Diviſio in Commune & Singulare ſeu ſpeciale. *Jus Commune* dicitur quod in corpus Juris Canonici eſt relatum [r]. De hoc etenim hic agimus [ſ]. Corpus autem Juris, ut fuſiùs lib. 4. diſſeremus, continet Decretum Gratiani, Quinque Libros Decretalium Gregorii IX. Sextum Decretalium, Clementinas, & Extravagantes tam Joannis XXII. quàm Communes. [t]. *Jus Singulare*, ſtrictè quidem loquendo, ea complectitur quæ nationi, provinciæ, Eccleſiæ, collegio cuique propria ſunt, ideoque jus Proprium & jus quoque Statutorum generali appellatione dicitur; at latiori ſignificatione ad alia quoque extendi poteſt, quæ licèt recepti Juris corpore non comprehendantur, vim tamen Legum certis in rebus obtinent. Hujuſmodi ſunt Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, ac Bullæ ſeu Decretales, quæ extra Juris corpus habentur, ſecundum quas in locis, ubi promulgatæ ſunt, pronuntiare judices debent. Huc etiam referri poſſunt in Gallia Concordata à Franciſco I. Rege Francorum cum Leone X. ſummo Pontifice inita, & Pragmatica Sanctio Caroli VII. quâ illius Juri Concordata non derogant: itemque in Germania Concordata Germanica: prætereà variis in regionibus locíſque, Eccleſiarum Statuta & Conſuetudines ſpeciales.

r §. Porrò poſt Can. *regula* diſt. 3.

ſ Can. 2. & §. *leges* poſt Can. 3. diſt. 4.

t Cap. 9. de fide inſtrum. juncta parte deciſa.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Origine Juris Canonici.

I. ORigo Juris Canonici, ſi Autoritatem inſpiciamus, petenda eſt non tam ex Judæorum uſu, apud quos ad Chriſti uſque tempora de rebus religionis Pontifices cognoſcebant [a], quàm ex facultate Apoſtolis à Chriſto conceſſa, atque ex uſu Eccleſiæ univerſæ ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem tranſmiſſo. Hanc quippe poteſtatem ipſi Apoſtoli exercuerunt, ut videre eſt toto Actuum libro [b]; ubi primo omnium Concilio Hieroſolymis celebrato de Circumciſionis neceſſitate tollenda, ſic pronunciarunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris* &c. Idque ſignificarunt epiſtola ad fratres, qui Antiochiæ & in reliqua Syria Ciliciaque converſi ad fidem erant, nomine Apoſtolorum & ſeniorum ſive Presbyterorum ſcripta. Per illam, ſibi collectis in unum placuiſſe indicarunt, ut ad eos Judam & Silam mitterent, qui geſta in Concilio illo referrent. Ab eo tempore haberi Concilia cœperunt, quoties opus fuit, ut fuſiùs infrà memorabitur, Lib. 2.

1. Origo Iuris Canonici, autoritate inſpecta.

a Deuteron. 17. Actuum 13.

b Præſertim cap. 15.

Quòd ſi materiam, qua conſtat Jus Canonicum, ſpectemus; ab utraque Lege Divina, Moſis & Chriſti, illud derivari manifeſtum eſt [c] ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. habito. Ejus ſunt hæc verba notatu digna: *Qualiter & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus, ex autoritatibus veteris & novi Teſtamenti colligitur, ex quibus poſteà proceſſerunt Canonicæ ſanctiones*; inſpecta ſcilicet materia atque initio, ut clariùs demonſtrant ea quæ ibi ſequuntur. Et verò Leges omnes Eccleſiaſticæ ad normam Divinæ, ſeu revelatæ Legis explorantur, ex cujus præceptis, tanquam ex ſuis fontibus ac principiis deducuntur earum definitiones ſive deciſiones.

c Cap. *qualiter & quando*; ext. de accuſat. in parte deciſa.

II. Quapropter non immeritò Lex Eccleſiaſtica ſæpenumerò Divinæ Legis titulo decoratur: & D. Gregorius Nazianzenus [d], ac D. Auguſtinus [e] non Evangelium tantùm, ſed & Pontificium Jus videntur Divini juris nomine intelligere. Innocentius ſanè IV. [f], poſtquam dixit velle ſe in Urbe Roma vigere ſtudium *Divini & Humani Juris*, explicationis cauſa ſubjungit, *Canonici videlicèt & Civilis*. Nicolaus denique Pontifex [g], aliique Jus Eccleſiaſticum ſæpè vocant Legem Dei; duabus nempe de cauſis anteà indicatis; partim quòd afflante Spiritu ſancto conſtitutum ſit, deriveturque ex principiis Evangelicis; partim quòd ipſius Chriſti ore Sacrarum Legum condendarum poteſtatem Petrus ac reliqui Apoſtoli [h] ipſorumque ſucceſſores acceperint.

2. Ius Canonicum Legis Divinæ nomine aliquando ſignificatur.

d Can. *Suſcipitis*, diſt. 20.

e Can. 1. xiij. quæſt. 7.

f Cap. *Cùm de diverſis* 2. de privil. in 6.

g Can. 1. diſt. 10.

h Matth. 10. Luc. 10.

III. Non diffitemur tamen Jus Canonicum ex parte quoque *Humanum* eſſe, quandoquidem ab hominibus revera eſt conditum, quamvis autoritatem à Deo habentibus. Nam D. Thomas [i], at-

3. Ius Canonicum rectè Humanum dicitur.

i 1. 2. quæſt. 98. art. 3. &c.

que alii Scholaſtici, nomine Divini Juris illud duntaxat intelligunt, quod à Deo rectè & immediatè, ſeu certè per Angelos Dei juſſu & nomine loquutos, revelatum, & conſtitutum eſt; nec ullius hominis ore primùm promulgatum traditumve propria autoritate: unde fit ut & in ipſis novi Teſtamenti Libris quædam reperiantur, quæ eo ſenſu humani Juris non divini dicuntur: quæcunque nimirùm per Apoſtolos ſunt decreta.

4. Ius Canonicum ortum ex Chriſti & Apoſtolorum præceptis.

IV. Ut igitur quæ ad Juris Eccleſiaſtici originem pertinent, brevi quaſi anacephalæoſi in pauca contrahamus: cùm Chriſtus novam Legem inſtituerit; nec tamen eo tempore quo inter homines verſatus eſt, ſingula quæ ad Eccleſiæ πολιτείαν neceſſaria erant, ſtatuere potuerit, (quòd tum Neophyti in fide cuncta quæ tradenda erant portare non poſſent) abiturus ad Patrem, curam poteſtatemque regendæ Eccleſiæ Apoſtolis commiſit, quibus ut & eorum ſucceſſoribus, ducem inviſibilem ſe in perpetuum fore promiſit dato Spiritu ſancto [k], ſicque poſt ejus ad cœlos digreſſum, Eccleſia, univerſus nempe ſidelium cœtus, juxta ejus mandata, ductu Spiritus ſancti regi cœpit, præſide D. Petro [l] Ab his ſimul congregatis conditæ jam tum Leges ſacræ: quæ vera fuere hujus noſtri Juris incunabula. Sed præter eas Conſtitutiones, quæ in ſacris Codicibus extant, ſuperſunt etiam qui ſcripti non multò poſt ea tempora dicuntur Canones Apoſtolorum, & quæ vocantur Apoſtolicæ Conſtitutiones, de quibus infrà.

k Joann. cap. 14.

l Act. cap. 5. & 6.

5. Ex Traditionibus etiam Apoſtolicis conſtat.

V. Traditiones autem Apoſtolorum non omnes ſanè ſcriptis mandatæ fuerunt; ſed per manus ab iis ad nos perductæ quamplurimæ: nec minùs tamen obſervandæ, ut patet ex D. Pauli locis ſuprà laudatis [m]: quemadmodùm ipſius Chriſti Leges & dogmata non omnia ſcripta ſunt à ſauctis ejus hiſtoricis quatuor, ut docet D. Joannes [n]; ſed quædam ſine ſcripto, & ſolo Eccleſiæ uſu ſuere recepta.

m Ad Theſſalon. cap. 2. &c.

n Evang. cap. ult.

6. Progreſſus Iuris Canonici ex Statutis Conciliorum, Decretis Pontificum, ac ſcriptis Patrum.

VI. Poſt Apoſtolos, eodem ſancto Spiritu dictante, ſubrogati in eorum locum Epiſcopi, varias Leges pro variis Eccleſiæ neceſſitatibus ac rerum occaſionibus promulgarunt. Et iis quidem definiendis quæ ad univerſæ Eccleſiæ fidem ac regimen pertinere videbantur, Oecumenica ex toto orbe Chriſtiano coacta: rebus autem cauſique Provinciarum conſtituendis aut diſceptandis, Provincialium Epiſcoporum Concilia ſunt introducta.

Sed quoniam non ſemper obvium fuit Concilia congregare; quæque coibant non ſemper ritè congregata celebratave videbantur: ideò conſulti plerumque Romani Pontifices ſuas partes in rebus Eccleſiæ tractandis ac decernendis ſuo Jure interpoſuerunt: eorumque decreta, alia ab univerſa Eccleſia, alia in Occidente recepta; ut & Patriarcharum, aliorumque in Oriente, & cæterorum Præſulum in Provinciis atque Epiſcopatibus ſuis, valuerunt. Proprias præterea Regulas ſinguli Ordines Monaſtici cœtuſque Regulares ſibi poſuere.

Denique quia ſingulis ſeculis eminentes pietate ac ſcientia Viri, iique maximam partem Antiſtites, Patreſque Chriſtianæ plebis ſpirituales, de rebus fidei ac morum eruditè, ſancto quoque ipſi Spiritu, ut par eſt crede-

credere, afflati, ſcripſerunt; eorum quoque ſententias amplexa ut plurimùm Eccleſia eſt.

VII. Ex his igitur quatuor fontibus promanat univerſum Jus Canonicum; Scriptura ſacra, Conciliis, Decretis Pontificum, & ſententiis Patrum. His Juris Civilis Romani Francicique, ſi paucas addideris conſtitutiones, vix quicquam ſupererit quod ad cognoſcendam Juris noſtri originem ac materiam deſideretur. De his omnibus nunc ſigillatim nobis agendum, & primo loco de ſacris utriuſque Fœderis Codicibus. *7. Quatuor præcipui fontes Iuris Canonici.*

CAPUT VI.

De Primo Juris Canonici Fonte, nimirum Sacra Scriptura in genere, deque ejus nominibus.

I. LIcèt, Capitum titulis ſive inſcriptionibus ſpectatis, haud ſanè multa ſint Sacrarum Literarum teſtimonia in Canonici Juris Corpus relata: Si tamen perpendantur ſacri textus loca, tum Conciliorum, Decretorum Pontificiorum ac Patrum articulis, tum ipſius Gratiani contextui inſerta; ea innumera reperiemus: adeo ut Scripturæ pars nulla, vix ullum ſit caput, ex quo non plures ſententiæ in Juris noſtri Libris habeantur, ac ſæpenumerò explicentur. Quapropter Boetius Epo [a] peculiarem eorum Indicem, tum Decreto Gratiani, tum Decretalibus, præfigi optabat, ut ex eo liqueret, quomodo paſſim totam Scripturam interpretetur ipſamet Mater Eccleſia. Quod ille optabat, jam præſtiterat aliquatenus Joannes Abbas Nivicellenſis. His de cauſis operæ pretium me factum putavi, ſi de omnibus ſacris codicibus ita diſſeruero, ut de quorum Autore, Tempore, Autoritate inter omnes Chriſtianos conſtat, ſemperque conſtitit, ea breviter attingere contentus; iis de quibus aliqua ſubeſt dubitatio, paulò accuratiori tractatione, ſuum aſſeram robur. *1. Innumera Scripturæ loca inſperſa Corpori Iuris Canonici.*

a Lib. 2. de Jure ſacro cap. 3.

II. Scriptura Sacra, quæ & abſolutè *Scripturà*, & Hebræis eodem ſenſu מִקְרָא *Mikrà* dicitur, quòd maximè digna, cæteriſque omnibus Libris dignior ſit, quæ ſcriptis mandetur. Aliis prætereà nominibus appellari ſolet: Modò enim *Biblia*, Sacra, modò *Teſtamentum*, aliquando *Verbum Dei*, aliiſque vocabulis deſignatur. *2. Scripturæ Sacræ Nomina.*

III. BIBLIA SACRA plurali numero vocantur, tanquam volumina ſacram Doctrinam continentia. Eſt enim Græcè βιβλίον, volumen, ſeu Liber, à voce βύβλος, quæ Papyrum [a] ſignificat arborem; ſive etiam Codicem, hoc eſt Tiliæ alteriuſve arboris internum corticem, qui in tenuiſſimas longaſque philyras ſeu membranas ductus, chartæ uſum veteribus præbebat. Qua igitur ratione *Codex* dictus *3. Biblia.*

a Suidas, Euſtath.

dictus eſt, per excellentiam, Liber Imperialium Conſtitutionum; eadem ac multò potiori ratione, *Biblia* nullo addito vocantur Divinæ Legis volumina: quòd ſcilicet omnes alios Libros dignitate & utilitate facilè ſuperent.

4. *Teſtamentum.* IV. Dicitur TESTAMENTUM, fortè, non tàm acceptione illa uſitatiſſima, qua Teſtamentum definitur à Juriſconſultis, mentis noſtræ juſta ſententia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit [b]; quàm pro fœdere ac pacto, ſeu pro inſtrumento & conteſtatione fœderis, quod inter Deum & homines initum eſt: quo ſenſu à D. Paulo ſumi, contra vulgarem opinionem ſingulari diſſertatione oſtendit amicus quondam noſter Philippus Codurcus Nemauſenſis. Negat enim Hebraicum בְּרִית *Berith*, Græcum Διαθήκη, (quibus vocibus Scriptura Sacra deſignatur) ullibi in ſacris paginis pro Teſtamento accipi, ſignificatione illa in jure Romano uſurpata: cùm nec ullus Hebræis Teſtamentorum hujuſmodi uſus fuerit, ſed vel cognationis jure, vel donatione inter vivos, bona in proximos aut amicos, apud eos transferrentur. Quæ ſententia confirmari imprimis videtur ex eo quod habetur in Exodo [c], de volumine & ſanguine Fœderis; quæ vox iiſdem nominibus in Græco & Hebræo ibi exprimitur; licèt aliis locis in vulgata editione vocabulo Teſtamenti ea nomina explicentur; ipſum etiam Hebraitum בְּרִית *Berith*, quod propriè Fœdus ſive *Pactum* ſignificat. Deducitur nempe à radice בָּרָא *Bara*, quæ accipitur tam pro eo quod eſt *eligere*, quàm pro eo quod eſt *cædere*, ſeu *mactare*. Eliguntur autem tum perſonæ, inter quas, tum leges & conditiones quibus fœdus initur: & in pangendis fœderibus cædi victimæ ſolebant apud pleraſque nationes; ut apparet ex eodem Exodi loco; atque ex Geneſi [d], ubi agitur de Abrahami fœdere cum Deo. Hinc & fœdus ferire, & fœdus icere Romani quoque dixerunt; quia porca à fecialibus ſilice percuſſa, cæſaque, fœdera contrahebant: quem ritum tangit Suetonius [e], deſcribit Livius [f], ac Virgilius [g].

Poſt iidem inter ſe, poſito certamine, Reges
Armati, Jovis ante aras, pateraſque tenentes,
Stabant, & cæſa jungebant Fœdera porca.

Hic itaque valebit aliquatenùs Teſtamenti Etymon à Servio Sulpicio Juriſconſulto adductum: quum vult Teſtamentum dictum eſſe à teſtatione mentis, ſi generaliori ejus vocabuli acceptione, pro ſolenni voluntatis & mutui conſenſus conteſtatione ſumatur.

Verùm quod attinet ad Græcum nomen Διαθήκη, id ſæpè à Rabbinis pro vero morientis teſtamento uſurpari non eſt quod ambigatur. Ita certè interpretantur R. David Cohen de Lara & Buxtorfius in ſuo Lexico. Eaque nominis hujus uſurpatio ex multis Talmudicorum locis colligi facilè poteſt. Suggeſſit tamen mihi vir Cl. Joannes Capellanus è Collegio Sorbonæ Theologus, & Sacræ Linguæ laudatiſſima profeſſione Collega noſter, autoritatem R. Davidis Kimchi, qui ad illud Samuelis, ſive Regum II. [h] & *præcepit domui ſuæ*, notat, morem eſſe hominum, ut morti proximi liberis aut domeſti-

cis

b In L. 1. Dig. qui teſt. fac. poſſ.

c Cap. 24.

d Cap. 14.

e In Claud. cap. 25.

f Lib. 1. cap. 14.

g Æneid. 8. ỳ. 639.

h Cap. 17. ỳ. 23.

cis ſuis præcipiant, quid poſt mortem ſuam de rebus domus & hæreditatis ſuæ fieri debeat: & ſecundum hæc in Miſchna memorari Moſem teſtamentum feciſſe. Sed, ut inde evinci fateor ſuprema morientium mandata, & mortis cauſa donationes Judæis haud incognitas fuiſſe: ita, niſi aliud quid proferatur, non ſatis certò, mea quidem ſententia, conficitur, eis uſu tritum fuiſſe illud Teſtamentorum genus, quo hereditas aut inter liberos proximoſve cognatos, pro arbitrio teſtatoris dividitur inæquali partium rerumve aſſignatione; aut in extraneos etiam tranſcribitur. Etenim, præterquàm quòd Kimchium interpretari licet de moribus plurimarum gentium, inter quas degebant deguntque adhuc Judæi: nomen prætereà Διαθήκη non pro Teſtamento tantum apud ipſos quoque accipitur, ſed etiam modò pro donatione, ut cum dicunt דְיָתִיקִי מַתָּנָה *Diathiki Mathena*, quod ſonat diſpoſitionem Donationis; modò pro Mandato ſive, quemadmodùm Gloſſa Talmudica explicat, pro *Literis Præceptionis*. Quid vetat igitur quominùs *Diathiki* Moſis ad poſtrema ejus Mandata pertineat: & quæcunque in eam rem adducuntur, de alia diſponendarum rerum forma accipiatur, quàm de Teſtamentaria? neque ex his confici omnino videtur dici Hebraicum, בְּרִית *Berith*, de Teſtamento propriè accepto.

Communis tamen ſententia, eorum nempe qui utrumque Fœdus,
Moſaicum ſcilicet atque Evangelicum, nominè *Teſtamenti* propriè di-
ctò cenſeri contendunt, ex D. Paulo validè confirmari videtur. Ete-
nim in Epiſtola ad Hebræos [i], ubi de utroque fœdere loquitur, *i* Cap. 9. ℣. 16.
veteris cum novo comparatione inſtituta, ſubjungit: *Ubi enim Teſta-* & 17.
mentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in
mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet dum vivit qui teſtatus
eſt. Ex quibus apparet ſenſiſſe Apoſtolum fœdus tum Chriſti, tum
Moſis, verum fuiſſe Teſtamentum Dei, illud ex perſona Chriſti
venturi, hoc in perſona ejuſdem præſentis & pro nobis immolati.
His Apoſtoli dictis lucem affert Lactantius Firmianus [k]. *Idcirco* *k* Divinar. inſt.
Moſes, inquit, *& iidem ipſi Prophetæ, Legem, quæ Judæis data erat,* lib. 4. cap. 20.
Teſtamentum vocant; quia niſi teſtator mortuus fuerit, nec confirmari
teſtamentum poteſt, nec ſciri quid in eo ſcriptum ſit: quia clauſum, &
obſignatum eſt. Itaque niſi Chriſtus mortem ſuſcepiſſet, aperiri Teſtamen-
tum, id eſt, revelari, & intelligi myſterium Dei non potuiſſet. Verùm
Scriptura omnis in duo Teſtamenta diviſa eſt. Illud, quod adventum Do-
mini paſſionemque anteceſſit, id eſt, Lex & Prophetæ, Vetus dicitur.
Ea verò quæ poſt reſurrectionem ejus ſcripta ſunt, Novum Teſtamentum
nominatur. Judæi Veteri utuntur, nos Novo: ſed tamen diverſa non ſunt;
quia Novum Veteris adimpletio eſt, & in utroque idem Teſtator eſt
Chriſtus; qui pro nobis morte ſuſcepta, nos hæredes regni æterni fecit, ab-
dicato, & exhæredato populo Judæorum; ſicut Hieremias propheta teſta-
tur, cùm loquitur talia: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſumma- “
bo domui Iſrael, & domui Juda Teſtamentum Novum; non ſecundum Te- “
ſtamentum, quod diſpoſui patribus eorum, in die, qua apprehendi manum “
eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quia ipſi non perſeveraverunt “
in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, & quæ apud eum “
ſequuntur.

VI. Quidam *Theologiam Poſitivam* nominant Sacram Scripturam; quia doctrinam de Deo, rebuſque divinis continet, & apertioribus verbis ponit: ad Scholaſticæ nempe diſcrimen, quæ obſcuriores è Scripturis ſententias per ratiocinationes philoſophicas exponere ac dilucidare conatur.

6. Theologia Poſitiva.

Verbum autem *Dei* appellatur, quòd à Deo inſtillata atque infuſa hominibus fuerit Doctrina omnis quæ in hiſce Libris continetur. Deum ſanè Sacræ Scripturæ autorem eſſe, non Concilia modò, & Patres uno ore, ſed ipſi quoque Apoſtoli teſtantur. Sic D. Petrus [l]: *Non enim*, inquit, *voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Ei concinit Gentium Apoſtolus [m]: *Omnis ſcriptura divinitùs inſpirata* &c. Eò etiam referendum eſt quod apud Lucam [n] Zacharias ait; *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus*. Idque ex eo patet, quòd prophetæ omnes identidem vaticiniis ſuis inſerunt, *Hæc dicit Dominus*; hac tanquam ſolenni clauſula miſſionem ſeu legationem ſuam conteſtati.

l Cap. 2. Epiſt. Can.

m 2. ad Timoth. cap. 3.

n Cap. 2.

CAPUT VII.

De Divinarum Scripturarum Autoritate ac Difficultatibus in genere.

1. Cur & quo ſenſu Divinæ dicantur ſcripturæ.

I. PRopheticorum atque Apoſtolicorum librorum præſtantiam, vel ipſe Divinarum Scripturarum titulus probat, eis ab omnibus attributus Chriſtianis: idque non immeritò. Eorum quippe Scriptores divinus Spiritus ad ſcribendum movebat, non eo pacto quo Arreptitii ſive Energumeni ab immundis ſpiritibus impelluntur; in qua ſententia fuere Montaniſtæ Hæretici, à D. Hieronymo & Epifanio confutati. Hoc enim vatum fuit Ethnicorum, & Pythoniſſarum: qualis Pythias ſacerdos Apollinis Delphici plurimos apud autores memoratur, & qualis apud Poetam VI. Æneid. Sibylla deſcribitur.

Cui talia fanti
Ante fores, ſubitò non vultus, non color unus;
Non compta manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Jam propiore Dei.

Sed à ſancto Spiritu Prophetæ atque Apoſtoli incitabantur, incolumi ſemper liberi arbitrii uſu. Neque enim divinæ præſentiæ convenit, ut quem ſapientia impleat, eum redigat ad furorem; & rationis uſum auferat autor rationis. Impellebat eos divinus Spiritus ad ea ſcribenda, vel quæ ipſi nondum ſatis noſſent, vel quæ ſpeciali revelatione intelligerent. Idque ita ut eis non modò res ipſas, ſed & voces quaſi dictaret, ut nonnulli cenſent: aut ſaltem

expri-

exprimendi rationem interiùs ſuggereret, ne in aliquo errarent, ut autores ſunt præ reliquis D. Auguſtinus & Gregorius magnus. Illius quidem hæc ſunt verba [m]: *Si in aliquo ſacro libro vel minima falſitas reperiretur, totius libri certitudo periret: & niſi ſcriptor ſacer peculiari Spiritus ſancti aſſiſtentia dirigeretur, etiam in iis quæ vidit & novit, facilè per oblivionem aut affectum non purum, in aliquam falſitatem incideret, ut fit ſubinde apud hiſtoriographos.* Hic verò [n] de libro Job ſic loquitur: *Quis hæc ſcripſerit valde ſupervacuè quæritur, cùm tamen autor Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit qui hæc ſcribenda dictavit: ipſe ſcripſit qui & illius operis inſpirator extitit. Si magni cujuſdam viri ſuſceptis epiſtolis, legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta quæreremus; ridiculum profectò eſſet, ſi non epiſtolarum & autorem ſcire & ſenſum cognoſcere; ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus. Cùm igitur rem cognoſcimus, ejuſque rei Spiritum ſanctum autorem tenemus: qui ſcriptorem quærimus, nihil aliud agimus, niſi legentes literas de calamo perſcrutamur.*

m In epiſt. 8. ad Hieronym.

n In proœmio Moralium.

II. Advertendum tamen eſt cum D. Hieronymo, Dei Spiritum ad cujuſque ſcriptoris ingenium ſe accommodaſſe. Unde Iſajas in aulis verſatus, elegantiori ſtylo uſus eſt; Amos ruſticus, ſubruſticum quoque dicendi genus eſt ſequutus; & ita cæteri. Quapropter Dominus per Oſeam [o] *Locutus ſum*, inquit, *ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicavi, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum*. Maneat igitur quod D. Auguſtinus ait [p]: *De illa civitate unde peregrinamur, venerunt hæ literæ: ipſæ ſunt Scripturæ quæ nos hortantur ut bene vivamus*. Hinc & [q] Joannes Baptiſta ſuam legationem confirmat Iſajæ verbis: *Ego Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſajas propheta*: Et Chriſtus ipſe Prophetæ quoque teſtimonio utitur, ut miſſionem ac poteſtatem ſuam teſtetur atque confirmet: *Spiritus Domini ſuper me eò quòd unxerit me &c.*

2. Deus Prophetæ cuique ſtylum ſuum permiſit.

o 12. cap.

p In pſal. 9. concione 2.

q Joan. ap. 1.

III. Sacræ Scripturæ autoritatem, & venerationem ipſi exhibendam, rationibus quoque humanis ſtabilierunt Euſebius Cæſarienſis [r], Auguſtinus [ſ], aliique Patres, qui pro Chriſtiana fide ac religione ſcripſerunt; quibus acceſſere, tum D. Thomas præclaro contra Gentes opere, tum poſterioribus ſeculis Hieronymus Savonarola, [t] Ludovicus Vives, Bellarminus [u] aliique. Quin & nonnulli heterodoxorum noſtri temporis, ipſeque etiam impius Socinus, cætera omnino damnandus autor. Et verò, præterquàm quòd nullum extat opus Pentateucho Moſis antiquius, vixque ulla eſt homine digna cognitio cujus non ſaltem ſemina in Libris utriuſque Teſtamenti contineantur: veritas Vaticiniorum; Autorum qui eos libros variis locis, temporibus, linguis ediderunt, ſumma Concordia, & velut conſpiratio; Miracula denique non pauca ad confirmandam ipſorum Doctrinam à Deo patrata, Divinam eorum originem abundè teſtantur. Itaque nullus omnino liber eſt, cui probabiliùs, ſecluſa etiam revelatione, fides adhibenda videatur.

3. Autoritas ſcripturarum ſupra cæteros omnes Libros.

r In lib. de Præparat. & Demonſtrat. Evang.

ſ De civit. Dei & alibi.

t In triumpho Crucis.

u Tom. 1. Controverſ.

IV. Ex his ſtatuendum nobis eſt Propheticos & Apoſtolicos Libros, juxta mentem Eccleſiæ Catholicæ intellectos, verum eſſe *Verbum Dei*, & ſtabilem *fidei Regulam*, ut tum in Concilio Carthaginenſi 3. tum in Tridentino [x] deciſum eſt. Atque hanc Regulam

4. Hinc petenda Fidei regula.

x Seſſ. 4.

cæte-

Digitized by Google

cæteris omnibus anteferendam eſſe D. Auguſtinus oſtendit [y].

V. Quod dixi *juxta mentem Eccleſiæ Catholicæ* Libros ſacri Fœderis exponi debere: id ea de cauſa eſt adjectum, ſecundum ejuſdem Tridentinæ Synodi decretum: quòd licèt adeo vera ſint ac certa quæcunque Scriptura Sacra continentur, ut de conſtanti eorum veritate ne hæretici quidem dubitent; non tamen cujuſvis ſit (quidquid ipſorum nonnulli velint) verum ejus ſenſum per ſe percipere. Quapropter non adeò facilè omnibus permittenda ejus interpretatio: *mare enim eſt* ex D. Ambroſio [z] *habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum*: Id à Divo Hieronymo confirmatur [a]; itemque à D. Auguſtino [b], atque à D. Joanne Chryſoſtomo [c] qui vetat nos temerarios eſſe in ſcrutanda profunditate Scripturarum, cum in iis multa lateant difficilia. Idque ita eſſe quis neget, cùm D. ipſe Petrus [d] quædam fateatur eſſe *intellectu difficilia* in Epiſtolis B. Pauli, quæ indocti & inſtabiles depravent.

VI. Scripturæ autem obſcuritas variis ex cauſis proficiſcitur, quas recenſent Clemens Alexandrinus [e], D. Hieronymus [f], Irenæus [g], & alii. Præcipuæ cauſæ ſunt, ſublimitas rerum de quibus agitur, veluti Trinitatis, Incarnationis, Prædeſtinationis, Sacramentorum, & ſimilium, quæ humanum captum ſuperant: deinde Vaticinatio de rebus futuris atque incognitis, eaque metro ſæpè compreſenſa: tum Repugnantia, quæ prima fronte apparet inter diverſa loca, veluti inter illud Exodi 20. *Ego Deus zelotes viſitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. Et illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, aliaque non pauca. Præterea quòd multa ſint in ea metaphorica & ambigua, ex quibus variæ oriuntur interpretationes. *In ſacris Scripturis*, ait Tertullianus [h], *pleraque figuratè portenduntur, & per ænigmata & allegorias & Parabolas, aliter intelligenda quàm ſcripta ſunt*. Quinetiam, ut docet D. Hieronymus [i]. *ſæpiùs in Sacris Literis, præſertim Prophetis, dum aliud agitur, repentè ad alios perſona mutatur*. His addendus denique Hebraici Græcique textus idiotiſmus, à Latina loquendi forma in multis diſcrepans; unde verſionum inſtituendarum & percipiendarum difficultas oritur non mediocris.

Plura de Nominibus & Autoritate Sacrorum Codicum habes apud Sixtum Senenſem, Poſſevinum, Juſtinianum [k], & Melch. Canum [l] ex recentioribus, præter antè laudatos.

Sequitur nunc ut toto Veteris ac Novi Teſtamenti corpore in ſuas partes diviſo, ſingulos utriuſque libros percurramus. Sed advertendum non ſtatim omnes ubique Eccleſias in eumdem Librorum Sacrorum numerum conſenſiſſe; & quamvis plerique Sacrarum Scripturarum Libri ſemper in Eccleſia recepti fuerint, de quibuſdam tamen alibi probatis atque inter divina relatis, alibi aliquandiu fuiſſe dubitatum. Quinetiam nonnullos, re accuratiùs perpenſa, tandem communi conſenſu rejectos fuiſſe. Atque hinc orta eſt Canonicorum ab Apocryphis diſtinctio. Idcirco de utroque genere priùs dicendum videtur.

y Can. quis neſciat, & aliis, diſt. 9.

5. *Scripturæ ex mente Eccleſiæ Catholicæ intelligendæ.*

z Epiſt. 44.

a In præfat. comment. ſupra epiſt. ad Epheſ. & in epiſt. ad Pauli. &c. epiſt. 3.

b Epiſt. 3. ad Voluſ.

c Hom. 40. in Joan. & ho. 18. ad cap. 3. ep. 1. ad Timoth.

d Ep. 2. cap. 3.

6. *Obſcura in Scriptura non pauca & cur.*

e Stromat. 6.

f Prolo. in Prophet.

g Lib. 3. adverſus hæreſ.

h Lib. 3. ad Marcion.

i In Nahum cap. 2.

K Lib. de Sacr. Script. par. 1. c. 2.

l Lib. 2. de locis Theolog.

CAPUT VIII.

De Libris Canonicis & Apocryphis.

I. CANONICI Libri ſunt in Canonem & Syllabum ſacrorum codicum communi Eccleſiæ judicio relati. *Authentici* vocantur, vel (ut medio ævo loquebantur) *Autorabiles*, quia Deo Autore per Prophetas, Apoſtolos, alioſque ſanctitate inſignes viros, ejus ſpiritu impulſos conſcripti, publicæ in Eccleſia *lectionis Autoritatem* meruerunt, ut eam loquendi formam in re ſacra uſurpemus, qua uſus eſt Theodoſius junior, cum ſelectorum Juriſconſultorum ſcriptis jus attribueret, ut in foro ad lites ambiguas decidendas laudari ac legi poſſent [a]. Et verò αὐθεντία Græcè idem eſt ac Latinè autoritas.

1. Libri Canonici, qui.

a L. un. cod. Theod. de reſponſ. prud.

II. *Apocryphi* generaliter appellantur (quaſi abſconditos dixeris,) qui vel nullius, vel dubiæ ſaltem autoritatis, publicè non leguntur. Nomen deducitur à verbo Græco ἀποκρύπτω, quod ſignificat occulto, abdo, recondo. Cæterùm Euſebius [b] ἀπόκρυφα diſtinguit ab Adulterinis; quòd illa à quibuſdam admittantur, ſpuria ab omnibus repudientur: quamquam ad hæc quoque porrigitur nonnumquam nomen Apocryphorum, veluti ad hæreticorum damnata opera. Sed propriè Apocrypha cenſentur, quæ palàm in Eccleſia non leguntur.

2. Qui Libri Apocryphi, & unde dicti.

b Lib. 3. hiſt. cap. 31.

III. Horum autem plura genera nonnulli diſtinguunt. Aliorum & Scriptor & veritas ignorantur, veluti *Libri de Infantia Salvatoris*: aliorum non Autor, ſed veritas in dubium revocatur, ſive ob ſuſpectam Autoris fidem, ſive ob falſa veris extrinſecùs admixta; ut in *Libris Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quæ Clementi Romano adſcribuntur. Quorumdam & Autor nominatur, & veritas habetur minùs incerta, adeo ut à nonnullis inter Canonicos aliquando numerati fuerint; ſed tamen in eorum cenſum vulgò non ſunt admiſſi. In exemplum adducitur *liber Enoch*. Quarta ſpecies eſt eorum Librorum, quorum certus ſcriptor, aut certa Autoritas initio non omnibus liquidò perfecta fuit: verùm quamvis multi aliàs dubitaverint an inter Divinos cenſendi eſſent, Eccleſia tamen illos in eorum numerum retulit: quales in veteri Teſtamento *Machabæorum duo*, *& Sapientia*, in novo *Apocalypſis*: quos nunc perfecta pertinacia hæretici ex Librorum Canonicorum albo expungunt. Revera enim hi nonniſi impropriè admodum, imò nullatenus Apocryphi dici poſſunt; ſed aliàs Dubii, Græcis ἀντιλεγόμενα, quibus nempe aliqui contradicebant, ut notat vir eruditus, nobis dum viveret amicus, Henricus Valeſius, ad Euſebii lib. 6. hiſt. cap. 14.

3. Apocryphorum plures ſpecies.

IV. Hinc fit ut Canonicorum duæ claſſes conſtituantur: alii Primi Ordinis ſunt, de quorum fide & autoritate nulla unquàm controverſia extitit: ſed ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, communi orthodoxorum ſuffragio, pro Sacris ac Divinis recepti fuerunt, ut *Quinque libri Moſis* in veteri, & *Quatuor Evangelia* in novo Teſtamento, &c.

4. Libri Canonici primi Ordinis.

V. Canonici autem Secundi Ordinis dicuntur, qui non ſtatim ab omnibus, etiam Catholicis, inter Canonicos habiti ſunt; ſed progreſſu temporis, meliùs explorata veritate, inter irrefragabilis autoritatis Scripturas, certo Eccleſiæ judicio ſunt relati. Ejuſmodi ſunt inter veteris fœderis

5. Canonici ſecundi Ordinis, qui & Eccleſiaſtici.

volu-

volumina, libri *Eſther*, & *Judith*, liber *Tobiæ*, liber *Sapientiæ* itemque *Macchabæorum* libri: In voluminibus autem novi fœderis *Epiſtola* S. Pauli *ad Hebræos*, & quædam aliorum Apoſtolorum quæ Catholicæ vocantur, ac S. Joannis *Apocalypſis*; & prætereà pauca ſingularia quorumdam Librorum loca.

Canonicos Secundi Ordinis libros, nulli priſcorum Eccleſiæ Patrum Apocryphis annumerarunt; ſed Dubiis, quòd ambigerent an à ſcriptoribus, quorum nomen præferebant, aut an à divino Spiritu afflatis compoſiti eſſent: eos nihilominus Catechumenis legi permittebant, quaſi Canonicæ lectionis nondùm capacibus, quemadmodum Athanaſius [c] teſtatur. Deinde tamen omnibus fidelibus publicè in Eccleſia recitari conceſſerunt, uti ſcribit Rufinus [d], ſed ad docendum magis inſtruendumque populum, quàm ad confirmanda fidei dogmata. His porro ex hac publica lectione in Eccleſia, inditum *Eccleſiaſticorum* nomen.

[c] In Synopſi.
[d] In Symbolo.

6. Cur aliquando dubia fuerit horum librorum Autoritas,

VI. Cur de illorum Autoritate dubitatum ſit, tres præſertim generales cauſæ afferuntur, quarum duæ ſola veteris teſtamenti volumina reſpiciunt; tertia utriuſque fœderis codicibus obiicitur. Prima eſt quòd libri illi, vel librorum particulæ, Hebraico ſermone ſcriptæ non ſint, quemadmodum reliquæ veteris fœderis partes; ſed Chaldaico vel Græco. Altera, quòd ea non ſint à Judæis in catalogum Divinarum Scripturarum relata. Tertia quòd à priſcis aliquibus Græcæ præſertim Eccleſiæ Patribus in Librorum Sacrorum numerum recepti non fuiſſe videantur; nec in ſyllabo divinarum Scripturarum à pleriſque priſcorum Patrum Græcorum recenſeantur.

6. Hi quoque verè Canonici.

VII. Verùm primæ objectioni facilè occurritur, ſi dicamus Libros illos, partim tempore Babylonicæ captivitatis compoſitos fuiſſe lingua Chaldaica, quæ Judæorum ceperat eſſe vulgaris: partim, Hebraicè quidem conſcriptos primùm fuiſſe, ſed deinde in Græcum ſermonem tranſfuſos, ac tractu temporis contigiſſe, ut Judæis inter Græcas nationes diſperſis, Autographa in hominum manibus eſſe deſierint, Verſiones manſerint eorum loco. Circa ſecundum, quamvis à ſynagoga, numero litterarum Hebraicarum ſtrictiùs inhærente, inter Canonicos recepti non eſſent aliqui eorum librorum quos pro Canonicis amplectimur, eoſdem tamen nec Judæis improbatos fuiſſe; & Eccleſiæ ſufficere, quòd ab Apoſtolis, aut ab Apoſtolorum diſcipulis teſtimonium habeant Divinorum Librorum. Judæi certè duo habuere Hagiographorum genera, teſte Epiphanio [e]: alia intra, alia extra Arcam ſervari ſolita. Prioris generis Hagiographa Canonicis procul dubio accenſebantur, dicebanturque eo nomine ut conſtitueretur aliquod inter illos libros, interque Hiſtoricos & Propheticos diſcrimen, clarioris Scripturarum diſtinctionis cauſa: deque his agit D. Hieronymus in prologo Galeato. At verò, qui extra arcam erant, de quibus idem Hieronymus loquitur in Tobiæ ac Judith præfatione, etſi à Canonicis aliquatenus diſtinguerentur, magno tamen apud Judæos in pretio erant, ut qui ſervarentur, & ſic pro libris ſacris omnino haberentur: quod & ipſum Hagiographorum Græcum nomen demonſtrat. Ad Tertium, quòd nonnulli vetuſtiorum Patrum Græcorum vetus Teſtamentum ex ſola Septuaginta interpretum editione æſtimantium, de quorundam voluminum autoritate dubitarunt; dicendum eſt id veritati nihil detrahere. Etenim nec unquam tota Eccleſia eos revocavit in dubium, ut è numero Canonicorum eraderet; prout ſuo loco fuſiùs proſequemur, ubi dicendum erit de ſingulis utriuſque Teſtamenti Libris, de quibus

[e] Lib. de Ponderib. & Menſur.

nunc

nunc inter Catholicos & Sectarios controverſia eſt. Tandem quinto ſæculo eò decurſum eſt, ut omnes & Patres, & Synodi, opera quæ hodiè Canonica in Eccleſia Catholica habentur, cuncta probaverint, atque in ſanctarum Scripturarum Canonem ea omnia retulerint. Eorum ſanè numerus certò definitus eſt à totius Africanæ Diœceſeos Antiſtitibus, inque his à Divo Auguſtino, in plenaria Synodo, quæ anno Chriſti 397. habita eſt. [f] Simili ratione paulò poſt Innocentius I. Summus Pontifex Librorum Sacrorum numerum contexuit [g], circa annum ſcilicet 405. Nec aliter recenſuit Gelaſius Pontifex cum lxx. Epiſcopis in Synodo Romana anni 494. Eundem quoque Catalogum deinde repetierunt, atque autoritate ſua firmarunt Concilia univerſalia duo, Florentinum in Armenorum inſtructione, ac Tridentinum, ſeſſ. 4. Quibus ſic conſtanter ante ſæcula tredecim definitis, & ubique in Eccleſia receptis repugnare, nonniſi hæreticorum eſt, Eccleſiæ traditam à Chriſto poteſtatem per contumaciam negantium; cum Catholici poſt Auguſtinum ne ullis quidem Scripturis fidem habituri ſint, niſi Eccleſiæ accederet autoritas.

f Conc. Carthag. 3. Can. 47.
g Epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum.

8. De Libris Sacris tertii Ordinis.

VIII. Sed hæc de Canonicis Secundi Ordinis voluminibus accipienda ſunt. Nam quidam ſunt Libri, quos Tertii Ordinis vocant, qui ſanè eodem numero haberi non debent. Eo quippe nomine comprehenduntur Apocryphi non improbati. Eos autem præter Gelaſium, memorant Athanaſius [i], Euſebius [k], Innocentius Pontifex ſupra laudatus, ſed ex his pauca nunc extant, *Oratio Manaſſæ Regis*, *Libri Eſdræ Tertius & Quartus*, *Tertius* quoque & *Quartus Macchabæorum*, *Pſalmus* 151. *Appendix libri Job*, & Liber Hermæ, qui *Paſtor* dicitur.

i In Synopſi.
k Lib. 3. Hiſt. cap. 25.

Ex his conſtat primis ſeculis diverſo Canone uſas fuiſſe Eccleſias; & Scripturas Sacras vel quæ pro ſacris habitæ ſunt, variè in Claſſes fuiſſe diviſas. Harum diviſionum duæ præcipuæ fuere. 1 [a] In duas tantùm Claſſes, in *Canonicas* nempe, à Spiritu ſancto dictatas, & *Apocryphas* quarum autores ſoli homines: 2. [a]. In tres, nimirum in *Canonicas*, quas *γνησίας* & *ὁμολογουμένας* Græci vocant, & ab omnibus receptas; in *Apocryphas*, propriè dictas, quæ adulterinæ, ac repudiandæ ſunt; & in *Dubias*, quæ mediæ ſunt inter Genuinas, & Nothas. Cujuſque generis plures ſunt gradus, de quibus D. Auguſtinus, & Iſidorus. Vide imprimis Joannem Bapt. Cotelerium. [m]

l De Doctr. Chriſt.
m In notis ad Barnabam.

Hæc ut clariùs eluceſcant, operæ pretium facturus mihi videor, ſi collatis veterum aliquot Græcorum & Latinorum Catalogis, Canonicorum Librorum à Dubiis aut Apocryphis diſtinguendorum progreſſum ob oculos ponam.

SYLLA-

SYLLABUS LIRORUM CANONICORUM VETERIS TESTAMENTI.

Secundum Veteres Græcos.			Secundum Latinos.		
Ex Concilio Laodiceno, anno 314. Can. 59. alias 60.	*Ex S. Athanaſio, in Synopſi anno 375.*	*Ex Canone Apoſtolorum* lxxxv.	*Ex Concilio Carthaginenſi 3. ann. 397. Can. 47.*	*Ex Innocentio I. Decreto 27. anno 405.*	*Ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 4. ann. 1546.*
	Libri Canonici.	*Libri Moſis quinque.*			
1. Geneſis.	1. Geneſis.	1. Geneſis	Geneſis.	1. Geneſis.	1. Geneſis.
2. Exodus.	2. Exodus.	2. Exodus.	Exodus.	2. Exodus.	2. Exodus.
3. Leviticum.	3. Leviticus.	3. Leviticus.	Leviticus.	3. Leviticus.	3. Leviticus.
4. Numeri.	4. Numeri.	4. Numeri.	Numeri.	4. Numeri.	4. Numeri.
5. Deuteronomium.	5. Deuteronomiũ.	5. Deuteronomiũ	Deuteronomiũ.	5. Deuteronomiũ.	5. Deuteronomiũ.
6. Jeſu Nave.	6. Jeſu Nave.	6. Jeſu filii Nave unus	6. Jeſu Nave.	6. Jeſu Nave.	6. Joſue.
7. Judices.	7. Judices.	7. Judicum.	Judicum.	7. Judicum.	7. Judicum.
8. Ruth.	8. Ruth.	8. Ruth.	Ruth.		8. Ruth.
9. Eſther.	25. Eſther.	17. Eſther.	29. Eſther.	21. Eſther unus.	19. Eſther.
10. Regnorum Primus & Secundus.	9. Regum Primus & Secundus.	9. Regnorum quatuor.	Regum libri quatuor.	8. Regnorum libri quatuor.	9. Regum quatuor.
11. Tertius & Quartus.	10. Regum Tertius & Quartus.	10.	10.	9.	10.
		11.	11.	10.	11.
		12.	12.	11.	12.
12. Paralipomenon Primus & Secundus.	11. Paralipomenon Primus & Secundus.	13. Paralipomenon duo.	13. Paralipomenon libri duo.	27. Paralipomenon duo.	13. Paralipomenon duo.
		14.	14.	28.	14.
13. Eſdræ Primus & Secundus.	12. Eſdras prior & poſterior.	15 Eſdræ duo.	30. Eſdræ libri duo.	25. Eſdræ duo.	15. Eſdræ Primus
		16.	31.	26.	16 & Secundus.
14. Liber Pſalmorũ numero 150.	13. Pſalterium Davidicum habens Pſalmos 151.	22. Pſalterii unus.	16. Pſalterium Davidicum.	18. Pſalterium.	21. Pſalterium Davidicum 150. Pſalmorum
15. Parœmiæ Salomonis.	14. Parœmiæ Salomonis.	23. Salomonis tres. Proverbia.	17. Salomonis libri quinque.	13. Salomonis libri quinque.	22. Parabolæ.
16. Eccleſiaſtes.	15. Eccleſiaſtes ejuſdem,	24. Eccleſiaſtes.	18.	14.	23. Eccleſiaſtes.
			19.	15.	24. Canticum Canticorum.
17. Canticum Canticorum.	16. Canticum Canticorum ejuſdẽ.	25. Cantica Canticorum.			
18. Job.	17. Job.	21. Job.	5. Job.	19. Job liber unus.	20. Job.
19. Duodecim Prophetæ.	18. Duodecim Prophetæ.	26. Prophetarum duodecim.	12. Libri duodecim Prophetarum.	12. Prophetarum libri ſedecim.	31. Duodecim Prophetæ minores.
	Oſee.				1. Oſea.
	Amos.				3. Amos.
	Michæas.				6. Michæas.
	Joel.				2. Joel.
	Abdias.				4. Abdias.
	Jonas.				5. Jonas.
	Nahum.				7. Nahum.
	Ambacum.				8. Abacuc.
	Sophonias.				9. Sophonias.
	Aggæus.				10. Aggæus.
	Zacharias.				11. Zacharias.
	Malachias.				12. Malachias.
20. Eſajas.	19. Eſajas.	27. Eſajæ unus	3. Eſajas.	13.	27. Eſajas.
21. Jeremias & Baruch. Lamentationes & Epiſtolæ.	20. Hieremias & Baruch.	28. Jeremiæ unus.	4.	14.	28. Jeremias cum Baruch.
22. Jezechiel.	21. Ezechiel.	29. Jezechielis unus	5. Ezechiel.	15.	29. Ezechiel.
23. Daniel.	22. Daniel.	30. Danielis unus.	6. Daniel.	16.	30. Daniel.
		18. Macchabæorum tres.	2. Macchabæorum libri duo.		32. Macchabæorum duo Primus &
					33. Secundus.
		19.	3.		
		20.			
	Libri non Canonici (id eſt tunc adhuc dubii apud Ægyptios.)				
	23. Sapientia Salomonis.	20.	20.	16. Sapientia.	
	24. Sapientia Jeſu filii Sirach.	21.	21.	17. Eccleſiaſticus.	
	26 Judith.	28. Judith.	22. Judith unus.	18. Judith.	
	27. Tobis ſeu Tobias.	27. Tobias.	20 Tobiæ unus.	17. Tobias.	

Digitized by Google

SYLLABUS LIBRORUM CANONICORUM NOVI TESTAMENTI.

Secundum Veteres Græcos.			Secundum Latinos.		
Ex Concilio Laodiceno, anno 364. Can. 59. alias 60.	*Ex S. Athanaſio, in Synopſi anno 375.* *Libri Canonici.*	*Ex Canone Apoſtolorum lxxxv.*	*Ex Concilio Carthaginenſi 3. an. 397. Can. 47.*	*Ex Innocentio I. Decreto 27. anno 405.*	*Ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 4. anno 1546.*
1. Evangelia Quatuor, ſecundum Matthæum.	1. Secundum Matthæum.	1. Evangelia quatuor Matthei.	1. Evangeliorū libri quatuor.	1. Evangeliorū libri quatuor.	1. Quatuor Evangeliæ ſecundum Matthæum.
2. Secundum Marcum.	2. Secundum Marcum.	2. Marci.	2.	2.	2. Secundum Marcum.
3. Secundum Lucam.	3. Secundum Lucam.	3. Lucæ.	3.	3.	3. Secundum Lucam.
4. Secundum Joannem.	4. Secundum Joannem.	4. Joannis.	4.	4.	4. Secundum Joannem.
5. Actus Apoſtolorum.	5. Acta Apoſtolorum.		5. Actuum Apoſtolorum liber unus.	10. Actus Apoſtolorum.	5. Actus Apoſtolorum.
6. Catholicæ Epiſtolæ ſeptem: Jacobi una.	6. Catholicæ Epiſtolæ Apoſtolorum: Jacobi una.	24. Jacobi una.	16. Jacobi una.	25. Epiſtola Jacobi.	25. Jacobi Apoſtoli una.
7. Petri duæ.	7. Petri duæ prior & poſterior.	19. Petri Epiſtolæ duæ.	18. Petri Epiſtolæ duæ.	22. Epiſtolæ Petri duæ.	20. Petri Apoſtoli duæ.
8.	8.	26.	21.	23.	21.
9. Joannis tres.	9. Joannis tres.	21. Joannis tres.	22. Joannis Apoſtoli tres.	19. Epiſtolæ Joannis tres.	22. Joannis Apoſtoli tres.
10.	10.	22.	3.	20.	23.
11.	11.	23.	24.	21.	24.
		25			
12. Judæ una.	12. Judæ una.	9. Judæ una.	25. Judæ Apoſt. una	24. Epiſtola Judæ.	26. Judæ Apoſt. una
13. Epiſtolæ Pauli xiv. ad Romanos una.	13. Pauli Apoſtoli Epiſtolæ xiv. ad Romanos una.	5. Pauli Epiſtolæ quatuordecim.	5. Pauli Epiſtolæ tredecim.	5. Apoſtoli Pauli Epiſtolæ xiv.	6. Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos.
14. Ad Corinthios duæ.	14. Ad Corinthios duæ, prior &	6.	7.	6.	
15.	15. poſterior.	7.	8.	7.	7. Ad Corinthios duæ.
	16.				
16. Ad Galatas, una.	17. Ad Galatas.	8.	1.	8.	8.
17. Ad Epheſios, una.	18. Ad Epheſios.	9.	2.	9.	9. Ad Galatas.
18. Ad Philippenſes, una	19. Ad Philippenſes.	10.	12.	10.	10. Ad Epheſios.
19 Ad Coloſſenſes, una.	20. Ad Coloſſenſes.	11.	2.	11.	11. Ad Philippenſes.
20. Ad Theſſalonicenſes, duæ.	21. Prior ad Theſſalonicenſes.	12.	13.	12.	12. Ad Coloſſenſes.
21.	22. Ad Theſſalonicenſes ſecunda.	13.	14.	13.	13. Duæ ad Theſ- 14. ſalonicenſes.
22. Ad Hebræos, una.	23. Ad Hebræos.	14.	9. Ejuſdem ad Hebræos una.	14.	19. Ad Hebræos.
23. Ad Timotheum, duæ.	24. Ad Timotheum prior.	15.	15.	15.	15. Ad Timotheum duæ.
24.	25. Ad Timotheum poſterior.	16.	16.	16.	16.
25. Ad Titum, una.	26. Ad Titum.	17.	17.	17.	17. Ad Titum.
26. Ad Philemonem una.	27. Ad Philemonem.	18.	18.	18.	18. Ad Philemonē.
	Inter Libros Canonicos à quibuſdam recepta. 28 Apocalypſis Joannis Theologi.		2. Apocalypſis Joannis liber unus.	12. Apocalypſis Joannis.	27. Apocalypſis Joannis Apoſtoli.
		10. Clementis Epiſtolæ duæ.			

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Partibus Sacræ Scripturæ, ac Libris ejus in claſſes diviſis.

1. *Teſtamentum duplex.*

I. SCriptura Sacra, ut cunctis eſt notum, in duas primùm partes diſtinguitur, *Vetus* ac *Novum Teſtamentum*. Priore ii continentur libri, qui ad Moſaicam Legem & Synagogam ſpectant: Poſteriore, qui ad Legem Chriſti Domini ſeu Evangelium, atque ad Eccleſiam pertinent. *Legis* porro nomine, licèt propriè quinque Libri Moſis intelligantur, ea tamen appellatio ad univerſos porrigitur Veteris Teſtamenti Libros. Sic etiam *Evangelii* nomen, quod ſtrictè de quatuor Evangeliſtarum libris dicitur; latiori tamen ſignificatione totum complectitur Novi Teſtamenti corpus: uti ex Gratiano [a] colligi poteſt.

a In ſum. diſt. 1.

2. *Veteris Teſtamenti diviſiones variæ juxta Hebræos.*

II. Veteris Teſtamenti maximè recepta apud Hebræos Diviſio eſt in Libros duos & viginti, juxta numerum Literarum Hebraici Alphabeti: nimirum 1. Geneſim. 2. Exodum. 3. Leviticum. 4. Numeros. 5. Deuteronomium. 6. Joſue. 7. Judicum & Ruth. 8. Samuel. (id eſt apud nos Regum Primum & Secundum) 9. Regum (quo nomine eos Regum Libros intelligunt qui nobis ſunt Tertius & Quartus) 10. Iſaiam. 11. Hieremiam. 12. Ezechielem. 13. Duodecim Prophetas minores. 14. Librum Pſalmorum. 15. Proverbia. 16. Job. 17. Danielem. 18. Eſdram. 19. Paralipomena. 20. Eſther. 21. Eccleſiaſten. 22. Canticum Canticorum. Aliquando in XXIV. dividunt; Libro Ruth à Libro Judicum, & Lamentationibus ſeu Threnis ab Hieremiæ prophetia ſejunctis. Aliàs XXVII. volumina numerant; non adjectis, ſed adhuc ſeparatis Libris quatuor; Samuelis volumine in duo; Regum item poſteriorum hiſtoria in duas partes diviſa. Paralipomenon quoque opere in duos Libros diſtributo; Eſdræ denique diſtinctis duobus Libris ſub diverſis titulis Eſdræ, & Nehemiæ.

3. *Diviſio alia ex D. Hieronymo, &c.*

b Præfat. in lib. Reg.

c Contra Appion.

d Lib. 6. Etymol.

e In prol. Galea. & alibi.

III. D. Hieronymus [b], cum Joſepho [c], & poſt utrumque Iſidorus Hiſpalenſis [d] primam illam agnoſcunt veteris Teſtamenti, ex Hebræorum mente, Diviſionem in duos & viginti Libros Canonicos: Hos autem Libros viginti duos D. Hieronymus [e] in tres dividit claſſes, in Legem nempe, Libros Propheticos, & Hagiographa. *Legis* nomine comprehendit quinque Moſis Libros: *Propheticos* numerat octo, Joſue, Judicum (adjuncto Libro Ruth) Samuel, Regum; tres majores Prophetas Iſaiam, Hieremiam, & Ezechielem; ac Librum duodecim Prophetarum minorum, qui in unum volumen conferuntur. *Hagiographa*, ſive ſancta ſcrippta, recenſet novem, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Danielem (qui non totus extat Hebraicè) Paralipomenon ſeu Chronicorum; Eſdram cum Nehemia; & Eſther. Notat idem ſanctus Doctor aliquos fuiſſe, qui Librum Ruth, & Librum Lamentationum à reliquis diſtinctos inter Hagiographa reponerent: ex quorum calculo efficiuntur XXIV. Libri, apud Hebræos pro Canonicis probati: unde fit ut illis Scriptura ſacra dicatur עשרים וארבעה *Heſrim vearbaa*, ſeu *Viginti quatuor*. Cæterùm *Tobiam* & *Judith*, quamvis Hebraicè extare

aſſeve-

aſſeveret B. Hieronymus: à Judæis nihilominùs inter Canonicos non numerari fatetur. Obſervat præterea, quemadmodum quinque ſunt duplices apud Hebræos literæ, quæ ſcilicet aliter in principio ac medio dictionis, aliter in fine ſcribuntur; ita horum Librorum quinque duplices eſſe, eorum ſententia, qui cum Alphabeti Hebraici Literis ſacrorum Librorum numerum æquant; Samuel nimirum, Regum, Parapolimenon, Eſdræ, & Hieremiæ. Sunt autem apud Hebræos literæ duplices hæ,

	Initiales.	*Finales.*
Caph	כ	ך
Mem	מ	ם
Nun	נ	ן
Pe	פ	ף
Tſade	צ	ץ

Eo exemplo Arabibus quoque Literæ quædam aliter in principio dictionum, aliter in medio, aliter in fine delineantur.

IV. Quòd autem Propheticis Libris, ut & Hagiographis Hiſtoricorum nonnullos accenſet Hieronymus: id mirum nemini videri debet, cùm ſacra omnia volumina divino impulſu conſcripta, Prophetas autores habuiſſe dici poſſint. Hinc familiaris fuit apud Judæos veteris Teſtamenti diviſio in *Legem* & *Prophetas*, Chriſto quoque ipſi uſurpata: ita ut ad hæc duo ſumma capita cunctæ ipſius partes referri ſolerent. Sic apud Matthæum: *Hæc eſt enim Lex & prophetæ*: [f] & [g], *Ex his duobus univerſa Lex pendet, & Prophetæ*. Item apud Lucam [h], *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*. *4. Alia diviſio juxta veteres Iudæos.* f Cap. 7. & 11. g Cap. 20. h Cap. 16.

V. Recentiores Judæi ſuum עשרים וארבעה *Heſrim vearbaah*, ſeu viginti quatuor Libros Teſtamenti Veteris, in quatuor partiuntur ordines, in תורה *Thorah*, ſive חמישה חמשי תורה *Chamiſcha Chomſche Thorah*, id eſt, *quinque quinterniones*, id eſt quinque partes *Legis*, in Prophetas priores quatuor, נביאים ראשנים *Neviim Riſchonim*, Joſue nempe, Judicum, Samuel, Regum; Prophetas poſteriores נביאים אחרנים, *Neviim Acharonim*, quatuor Libris diſtinctos, nempe Iſajam, Hieremiam, Ezechielem, & duodecim Prophetas minores, qui ipſis תרי אשר *There aſſer*, id eſt duodecim: deinde Scripturas undecim Libris comprehenſas ſub generali appellatione כתובים *Chethuvim*; Pſalterium, Proverbia, Job, Danielem, Eſdram, Paralipomena, Ruth, Eſther, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum, Lamentationes. *5. Iuxta recentiores Iudæos.*

VI. Gregorius Theologus, cui à paterno Nazianzi Epiſcopatu cognomen, Librorum Canonicorum ordines tres conſtituit, quorum nomina verſibus Græcis incluſit. Primus ordo complectitur *Hiſtoricos* duodecim; Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, Regum, (duabus partibus diſtinctum,) Paralipomena, & Eſdram. Secundus ordo quinque *Poeticos*, ſeu carmine conſcriptos continet; Job, David, Proverbia, Eccleſiaſten, & Cantica. Tertius demum ordo totidem habet *Propheticos*, Librum ſcilicet XII. Prophetarum, Iſajam, Hieremiam, Ezechielem, ac Danielem. *6. Iuxta S. Greg. Nazianzenum.*

VII. S. Auguſtinus [i] dividit in *Hiſtoricos* XXII. & *Propheticos* totidem. Prioris generis ſunt quinque Libri *Moſis*, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum* quatuor, *Paralipomenon* duo, *Job*, *Tobias*, *Eſther*, *Judith*, *Eſdræ* duo, *Machabæorum* duo. *Prophetici* autem *David*, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *Iſajas*; *Hieremias* *7. Iuxta S. Auguſtinum.* i Lib. 2. de doctrina Chriſtiana.

cum Threnis, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oſea*, & reliqui duodecim.

8. Iuxta Scholaſticos.

VIII. Sed veteris Teſtamenti Canon, ſeu Librorum ab Eccleſia Catholica receptorum Ordo à recentioribus Latinis, Scholaſticis præſertim, in Claſſes diſtinguitur quatuor. *Prima* continet libros Legis, ſive *Legales*: altera *Hiſtoricos* ſeu hiſtoriales: *Propheticos* tertia: quarta denique Parænetieos vel *Sapientiales* ſive *Morales*.

LEGALES ſive *Lex* propriè dicta, & volumen Legis, Hebraicè, ut diximus, תורה *Thorah*, Græcè Πεντάτευχος vocatur, quaſi dicas Quinque libros: quoniam quinque libris conſtat, quibus lex Moſis univerſa continetur, *Geneſi, Exodo, Levitico*, libro *Numerorum*, *Deuteronomio*; quorum nominum rationem indicabimus capite proximè ſequenti.

HISTORICI numero ſunt ſeptemdecim, ſub undecim titulis; videlicet liber *Joſue*, ſeu *Jeſu Nave*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum* quatuor, quorum duo priores *Samuelis* quoque appellantur; *Paralipomenon* duo, Primus & Secundus; *Eſdræ* quoque duo, quorum Secundus dicitur etiam, *Nehemias*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, & duo *Maccabæorum*.

PROPHETICI octodecim erunt, ſi Baruch à Hieremia ſejungatur, (cum quo ab aliquibus conjungitur) Hi ſunt *Pſalterium* Davidis, Prophetiæ *Iſajæ*, *Hieremiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*; qui quatuor Prophetæ Majores apud nos vocantur; deinde *Oſeas*, & reliqui undecim, qui Minores Prophetæ dicuntur, & *Baruch*.

SAPIENTIALES, qui ad Morum doctrinam referuntur, nonniſi quinque ſunt, *Proverbia* nempe, ſeu Parabolæ Salomonis, *Eccleſiaſtes* ejuſdem, *Canticum Canticorum* etiam ejuſdem, tum *Sapientia*, & *Eccleſiaſticus*.

9. Novi Teſtamenti Partes, juxta S. Auguſt.

IX. NOVI autem TESTAMENTI Libros S. Auguſtinus enumerat octo, *Evangeliorum Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, & *Joannis* libros quatuor; *Epiſtolarum* quatuordecim *Pauli* librum unum; *Apoſtolicorum Actuum* librum unum; *Catholicarum Epiſtolarum*, hoc eſt, duarum *Petri*, trium *Joannis*, *Jacobi* unius, & *Judæ* unius librum unum; *Apocalypſeos Joannis* Evangeliſtæ librum unum.

10. Ex S. Gregorio Nazianzeno.

X. Eoſdem quoque verſibus incluſerat, poſt Amphilochium, Gregorius Nazianzenus: præter Apocalypſin, quam plerique Græcorum adhuc in dubium revocabant, quemadmodum Latinorum plerique Epiſtolam ad Hebræos.

11. Secundum Scholaſticos.

XI. Apud recentiores recepta eſt NOVI æquè ac Veteris fœderis diviſio in Sacrorum Librorum ordines quatuor; LEGALES libri, quatuor cenſentur Evangelia: *Hiſtoricus* unus, Acta ſcilicet Apoſtolorum; *Sapientiales* viginti & unus, omnes nempe Apoſtolorum Epiſtolæ: *Propheticus* unus, videlicet Joannis Apoſtoli Apocalypſis.

12. Numerantur Libri Canonici utriuſque Teſtamenti.

XII. Libris ſex & viginti Veteris, ac totidem Novi Teſtamenti, quos Laodicenæ Synodi Patres, & alii plerique antiquorum Græcorum inter Canonicos admittebant, alios ſeptem adjiciunt ex mente Eccleſiæ Latinæ jam antelaudati Præſules Concilii Carthaginenſis 3. anno 397. habiti [k] & Innocentius I. [l] ſub finem Epiſtolæ ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum; quos ſequitur Auguſtinus [m], & Gelaſius Pontifex in Concilio Romano lxx. Epiſcoporum. Hi ſunt, quod attinet ad TESTAMENTUM VETUS, libri ſub Salomonis nomine duo, *Sapientia* & *Eccleſiaſticus*: ac præterea *Tobias*, *Judith*, & *duo Machabæorum*. Quod ad NOVUM TESTAMENTUM ſpectat, *Apocalypſis* Joannis: inde conſurgunt veteris Teſtamenti volumina tria

k Can. 47.

l Decretorum ſuorum cap. 27.

m Lib. de Doct. Chriſt.

na tria & triginta; *Novi* autem Fœderis Libri ſeptem ſupra viginti: & ſic fiunt omnino libri Canonici utriuſque Scripturæ ſexaginta, qui enumerantur in Concilio Tridentino [n], atque à nobis ſigillatim recenſebuntur additis cujuſque nominibus, Autore, tempore, & argumento. *n* Seſſ. 4.

XIII. Ad hæc omnia enucleanda non parum conferent Sacrorum Librorum indices columnis diſtincti, quos ad calcem ſuperioris capitis adjeci. Si quis enim eos inter ſe comparet, in diverſo eorum ordine, ſuis in unaquaque columna numeris indicato, eadem volumina reperiet. In diverſis quoque Teſtamenti utriuſque Scripturarum diviſionibus eadem nomina ſæpiùs, vel cum tædio referenda fuerunt, ut evidenter appareret, eorum Librorum qui nunc ab Eccleſia Romana pro Canonicis habentur, concordi Latinorum præſertim Conciliorum atque Pontificum conſenſu, perpetuam fuiſſe autoritatem, atque ita ab Occidentalibus populis omnibus abſolutè recipiendam, ut qui ab Eccleſia Romana [o] fidem cuncti acceperint. 13. *Horum omnium certa omnino autoritas.* *o* Innoc. I. Can. quis neſciat 11. diſt. 11.

XIV. Cæterùm in deſignandis cujuſque Libri & rerum in eo comprehenſarum temporibus, inter varias Chronologorum ſententias, non meam ſequar, cujus ſæpiùs reddenda ratio eſſet, ſed eam quæ communis ferè videri poteſt recentioribus Annalium Sacrorum Scriptoribus, *Torniello, Salliano*, eorumque abbreviatori *Spondano*. 14. *Qua in his Chronologia uſuri ſimus.*

CAPUT X.

De Pentateucho, ſeu quinque Legis libris.

PRimum inter Divinas Scripturas locum obtinet *Pentateuchus*, quinque Legis volumina complectens, quæ ſcripſit divinus Hebræorum Legiſlator Moyſes, Amrami filius, nepos Caathi, Levi Patriarchæ pronepos. Is in Ægypto natus anno mundi, ex Spondani, aliorumque rationibus, 2464. ex aliorum ſententia octoginta fermè annis priùs. Anno ætatis lxxx. Dei juſſu regimen ac principatum populi ſui ſuſcepit: eoque ab Ægyptiaca ſervitute liberato, obiit annos natus cxx. Hic doctiſſimus & antiquiſſimus eſt Autorum omnium, quorum ad nos monumenta pervenerunt: nec ſolùm in omni ſapientia Ægyptiorum verſatus, ut D. Stephanus ajebat [a], ſed in omni omninò, quantam quidem humani ingenii vires in hac vita mortali capere poſſunt. Scripſit Hiſtoriam Hebræorum, in qua omnium ferè gentium originem refert; eamque ab orbe condito ad mortem ferè ſuam perduxit. Ejus vitæ ſeriem ſcripſere Philo ex Judæis, ex Chriſtianis Gregorius Nyſſenus. Quinque Libri Legis ab eo compoſiti apud Græcos & Latinos, ab argumento præcipuo de quo in cujuſque potiſſimùm initio agitur, denominationem acceperunt: Hebræi unumquemque patrio more à primis vocibus appellant. 1. *Pentateuchi autor Moyſes.* *a* 2. Actor. 7.

II. Primus Legis ac veteris Teſtamenti Liber, *Geneſis* eſt, Hebræis dictus בראשית *Bereſchith*, hoc eſt *in Principio*: Septuaginta Interpreti- 2. *Pentateuchi Liber primus Geneſis.*

bus Γένεσις, id eſt *Generatio*, quòd rerum omnium natales, ac generis præſertim humani originem & propagationem, primorum hominum genealogiam ac res geſtas contineat. In his eminent primi Parentis lapſus; Diluvium; Dei cum Abrahamo ejuſque poſteris fœdus, ſeu fidelis populi, cui danda lex erat, electio; Migratio denique Jacobi cum filiis in Ægyptum. Complectitur autem Hiſtoriam annorum, ſi Spondanum ſequamur 2400. ſi Petavium, alioſque 2308. à mundo ſcilicet condito ad Joſephi Patriarchæ obitum. Tertullianus à primo Dei cum hominibus fœdere, *Originale Teſtamentum nominavit*.

3. Exodus Pentateuchi Liber 2.

III. Sequitur Liber EXODI Hebræis dictus ואלה שמות *Veelle ſchemoth*, id eſt, *Hæc ſunt nomina*; Græcis Ἔξοδος, id eſt *Exitus*, quòd in eo Iſraelitarum egreſſio ex Ægypto, atque ex ſervitute Pharaonis liberatio deſcribatur. Continet geſta annorum 156. à morte Joſeph ad Fœderis Tabernaculum in deſerto erectum: memoratque plagas Ægyptiis divinitus inflictas; Decalogi traditionem, ſeu promulgationem Legis divinæ, cum myſticis Præceptis.

4. Leviticus 3. Liber Pentateuchi.

IV. Tertium volumen Hebræi ויקרא *Vajikra* nominant, id eſt, *Et vocavit*: Græci Λευιτικὸν, Latini accepto ab eis vocabulo LEVITICUM, quòd præcepta potiſſimùm complectatur ad divinum cultum ſpectantia, quæ *Cæremonialia* dicuntur: & quòd Levitarum ac Sacerdotum officia, & ſacrorum Ritus præſcribat, quorum cura omnis atque adminiſtratio Leviticæ Tribui jure ſingulari attributa erat. Unius tantùm menſis res narrat, ab erecto Tabernaculo ad cenſum uſque Iſraelitarum.

5. Numeri Lib. 4. Pentateuchi.

V. Quartus Liber, Hebræis vocatur וידבר *Vajedaber*, id eſt, *Et locutus eſt*: Græcis Ἀριθμοὶ, noſtris eodem ſenſu NUMERI, quòd contineat Populi Iſraelitici Cenſum & Enumerationem, tam eorum qui prophanæ, quàm qui ſacræ militiæ addicti erant; imò totius multitudinis per Tribus & familias digeſtæ: itemque Manſionum, ſeu ſtationum in deſerto. Continet præterea hic Liber præcepta plurima, maximè quæ ad mutua Iſraelitarum inter ſe officia pertinebant. Narrationem autem Hiſtoricam habet annorum XXVIII. menſium IX. & XX. dierum, à prima die ſecundi menſis anni ab exitu ſecundi, ad manſionem in campeſtribus Moab.

6. Deuteronomiũ Pentateuchi Lib. 5.

VI. Quintus denique Liber vocatur Hebraicè אלה הדברים *Eleh haddevarim*, hoc eſt, *Hæc ſunt verba*: Græcè Δευτερονόμιον, unde Latini DEUTERONOMIUM fecere, quaſi ſecundam, vel repetitam Legem dixeris: quæ licèt judicialia imprimis præcepta complectatur, habet tamen reverà totius Legis enarrationem, ac ferè repetitionem; qua ſuperioribus Libris omiſſa ſupplentur, obſcura verò dilucidantur. Memorat geſta menſium dumtaxat duorum ſupremi anni Moſis in campeſtribus Moab. Libri hujus verſus octo ultimi qui ſunt de morte Moſis, ab his verbis, *Et mortuus eſt Moſes*, à Joſue conſcripti creduntur; idque tradit Talmud [a]. Licèt alii apud Bellarminum [b] ab Eſdra, aliove Propheta additos ſuſpicentur.

Legem Moſis, atque adeò univerſum veteris Teſtamenti opus, priſcorum Hæreticorum nonnulli tanquam à malo Deo dictatum reſpuerunt: verùm eorum deliria refellunt Irenæus [c], Epiphanius [d], aliique.

[a] In Bababatra cap. 1.
[b] De Scriptor. Eccleſiaſt.
[c] Lib. 1. cap. 20. & ſeqq.
[d] Hereſi 33. & 63.

CAPUT XI.

De Hiſtoricis veteris Teſtamenti Libris.

1. Liber Ioſue.

I. LIber JOSUE, Hebraicè יהושע *Jehoſchuah*, Græcè Ἰησοῦς Ναυῆ, à Joſue ſeu Jeſu filio Nun, ſive Nave, nomen accepit, cujus ſtupenda prorſus geſta continet: Fuit is in Hebræorum Principatu ſucceſſor Moſis, quo defuncto Judaicum populum *Judicis* titulo rexit annis XXVI. obiitque anno ætatis XC. ut libri hujus cap. ult. habetur; hoc eſt anno ab orbe condito (ex Spondani ſententia) 2593. qui Uſſerio eſt 2591. etſi Petavius ad 2490. referat. Deſcribitur in eo Iſraelitarum per medium & ſiccatum Jordanem tranſitus, ingreſſus in Chananæam, ipſorum parentibus à Deo promiſſam: Hierichuntis, edito poſt circumlatam ſeptem diebus arcam tubarum clangore, & clamore militum, expugnatio; pluriumque in Palæſtina regnorum everſio: Victoria de Gabaonitis, immoto ad Joſue juſſum ſole, reportata; ac debellatis uno & triginta Regibus: Diviſio Terræ ſanctæ inter Iſraeliticas Tribus, fœduſque cum Deo renovatum. De Libri hujus autore non ſatis conſtat. Nonnulli à Joſue ipſo conſcriptum cenſent, poſt Iſidorum Hiſpalenſem [a], Petrum Comeſtorem, & alios: idque confirmari videtur his extremi capitis verbis, quæ de ipſo ſunt: ***Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini***: quæ licèt referri poſſint ad verba fœderis cum Deo renovati, cujus ibi fit mentio; tamen inſpecta Hebraica loquendi forma, de rebus quoque omnibus in hoc libro memoratis facilè intelligi poſſunt. Theodoretus [b] ab autore anonymo Libri Juſtorum ſcriptum hunc Joſue Librum exiſtimat; argumento petito ex eo quòd capite x. dicitur Joſue geſta deſcripta eſſe in Libro Juſtorum. Sed argumentum illud haud ſatis probabile videtur, cum in Libro illo Juſtorum ſcriptum dicatur miraculum duntaxat ſtantis jubente Joſue ſolis: & præteréa ejuſdem hominis vitam ſcriptis mandari à pluribus nihil vetet. Alii non multò certiori ratione, non pauca in eo ab Eſdra adjecta putant. Ad Finem verò quod attinet, dubium non eſt quin alium ab Joſue habeat autorem, cum in eo mors ipſius narretur: hanc verò appendicem à Samuele adjectam communis fert opinio.

a Lib. 6. Orig. cap. 2.

b Lib. de quæſt. in Joſue.

2. Iudices.

II. JUDICUM Liber, qui Hebraicè dicitur שפטים *Sciophetim*, (ſi quis Italorum more ſcribat: Galli & Germani *Schophetim* ſcriberent) Græcè Κριταὶ, eodem ſenſu. Geſta continet ***Judicum*** numero XVIII. qui à Deo conſtituti, & diverſis è Tribubus delecti, ab exceſſu Joſue ad Heli principatum, apud Iſraelitas rerum potiti ſunt, miniſteriumque potiùs quàm ſummum Imperium, ſive quantùm ad militaria, ſive quantùm ad res politicas exercuere, ut colligitur ex reſponſo Gedeonis ad populum, quod habetur *cap.* 8. Hi fuere ***Othoniel***, ſive Athniel Calebi gener; ***Abod*** quem alii Ehud, alii Ajod pronunciant; ***Samgar***; ***Barach***, cum Debora; ***Gedeon***, qui & Jerobaal; ***Abimelech***, ***Thola***, ***Jair***, ***Jephthe***; ***Abeſam***, ſive Ebzan; ***Abialon***, qui aliis Elon; ***Abdon*** & ***Samſon***: quo temporis intervallo Iſraelitæ peccantes in Deum, atque ab ejus cultu ad idololatriam deſciſcentes, ſæpiùs vicinis gentibus, Meſopotamenis nempe, Moabitis, Chananæis, Madianitis, Ammonitis, & Philiſtæis in ſervitutem traditi & quaſi addicti; reſipiſcentes autem, ab ea ſubinde li-

berati fuerunt. Comprehenduntur hoc volumine res trecentorum fermè annorum, ab anno mundi 2594. ad 2900. ex Spondano: alii multò plures annos computant, ut Petavius, quia tempora ſervitutum ſeparant à Judicum ipſorum temporibus, quæ alii conjungunt. Hujus libri, ut & Ruth, & primi Regum maxima ex parte, autorem tradit Iſidorus [c] Samuelem; quod poſtremum palàm traditur in ſacris Codicibus [d], atque in hac ſententia eſt alicubi Abulenſis [e]: quamquam non deſint qui Ezechiam, aut Eſram Judicum Libri autores malint. Theodoretus [f] certè apud Sixtum Senenſem, cum longè poſt Samuelis tempora collectum eſſe exiſtimat ex antiquo illo libro Juſtorum, cujus in hoc ipſo volumine mentionem ait.

c Lib. Orig. 6. cap. 12.
d Paralip. lib. 1. cap. ult.
e in Joſue, 15 poſt 4. q.
f Lib. 1. Bibliot. ſan. r.

3. *Ruth.*

III. Libro RUTH, Hebraicè רות, Græcè Ῥὺθ, qui apud Hebræos primum inter Hagiographa obtinet locum, Moabitidis honeſtæ mulieris, quæ hoc nomen *Ruth*, ab idololatria ad verum Dei cultum converſio, nuptiæque cum Booz affine ſuo memorantur. Hæc autem Judicum tempore contigerunt, ut conſtat ex Libri ipſius initio. Abeſan tunc præfuiſſe populo, ex eo conjici poteſt, quòd hunc Judæi Booz quoque nominant. Vixit autem Judex ille circa mundi annum 2855. ex Spondano.

4. *Regum Libri.*

IV. Libri REGUM apud nos quatuor ſunt; quorum duo priores Hebræis שמואל *Scemuel*, id eſt *Samuelis*; poſteriores מלכים *Melachim*, id eſt *Regum*, indigitantur: a Græcis verò dicuntur Libri Βασιλειῶν, hoc eſt *Regnorum*: Utroſque Hebræi Propheticis accenſent. Horum primi pars prior, quæ geſta ſub Heli, Samuele, Saule, ac Davide complectitur ad caput uſque xxv. a Samuele ipſo Propheta ſcripta creditur ex Iſidoro [g] & Talmude: reliqua Davidis, quæ Libri ejuſdem fine, totoque ſecundo Libro continentur, ſcripſere, ut iidem tradunt, Gad videns, & Nathan Propheta. Idque confirmari videtur ex Paralipomenon libro I. [h]. Sic enim ibi ſcribitur, *Geſta David priora & noviſſima ſcripta ſunt in Libro Samuel videntis*, in Libro *Nathan Prophetæ*, *& in volumine Gad videntis*. Duo autem poſteriores Libri REGUM ab Ahaja Silonite, & Addo ſcripti videntur, quantùm ad priorem partem, quæ res Salomonis complectitur, ad caput XI. ut colligi poteſt ex Paralipomenon libro II. [i] Reliqua à Sacerdotibus, ac Prophetis illorum temporum. Procopius Gazæus ab Hieremia conſcripta putat; quod in Talmude quoque traditur: alii ab Eſdra. Et fortè probabiliter dicamus poſteriores hos libros per compendium collectos eſſe, partim ex Nathan, aliorumque prædictorum ſcriptis, partim ex Libris dierum ſive Annalibus Regum Judæ.

g Loco ſupra citato.
h Cap. ult.
i Cap. 9.

Priores comprehendunt hiſtoriam centum viginti & quatuor annorum, ab initio Heli ad Salomonis primordia & Templum conditum, id eſt ab anno mundi 2900. ad annum 3024. Poſteriores, *Regum*, cùm Judæ, tum Iſraelis facta continent per annos 422. à Templo condito ad captivitatem Babylonicam, ſive ab anno 3024. ad 3446. Nihil autem refert Hebræorum, Latinorumque more, Regum Libros dixeris, an cum Græcis Libros Regnorum: nam & Regum facta in iis memorantur; & non unius, ſed duorum Regnorum Judæ ſcilicet, atque Iſrael, ſive Samariæ; quæ ex decem Tribuum a Judæ ac Benjamin Tribubus ſeceſſione exorta ſunt, per Roboam ſive imperitiam, ſive ſævitiam & Jeroboami perduellionem.

Apud

Apud Judæos poſt *Saulem*, *Davidem* ac *Salomonem* Templi conditorem, regnarunt HIEROSOLYMIS viginti Reges annis 386. *Roboam* nempe, *Abiam*, *Aſa*, *Joſaphat*, *Joram*, *Ochoſias*, *Athalia* vidua Jorami, *Joas*, *Amaſias*, *Azarias* qui & Oſias, *Joathan* vel Jotham, *Achas*, *Ezechias*, *Manaſſes*, *Ammon*, *Joſias*, *Joachas*, *Jojakim* ſive Eliacim, *Jechonias* qui & Joachin, *Sedechias*. Hic direpto incenſoque Templo, ac vaſtata civitate à Nabuchodonoſor Rege Babylonis, excæcatus, & Babylonem captivus cum ſuis eſt abductus. Apud ISRAELITAS novemdecim Reges per annos circiter 254. regnarunt, *Jeroboam*, *Nadab*, *Baaſa*, *Ela*, *Zamri*, *Amri*, *Achab*, *Ochoſias*, *Joram*, *Jehu*, *Joachas*, *Joas*, *Jeroboam* eo nomine ſecundus, *Zacharias*, *Sellum*, *Manahem*, *Phaceja*, ſive Pecaja, *Phacee* qui alias Pecah, *Oſee*, ſive Hoſeas; qui temporibus Ezechiæ regnavit, & cum Iſraelitis, ſive decem Tribus in Aſſyriam translatus eſt, capta à Salmanaſare Aſſyriorum Rege Samaria. Illi defecerunt anno mundi 3446. ante Chriſtum natum circiter 605. Hi circa annum mundi 3314. ante Chriſtum fermè 737.

V. PARALIPOMENON Libri duo Græcè Παραλειπομένων, ſive *Prætermiſſorum*, Hebræis דברי הימים *Divre hajamim*, id eſt, *Verba dierum*, alias Libri Chronicorum. Multa quæ in Pentateucho, vel in Libris Joſue, Judicum & Regum, aut omiſſa, aut non ſatis explicata fuerant, ſummatim enarrant. Annorum numerum ferè 3520. ab Adamo ad Cyrum Perſarum Regem complectuntur. Eorum Autor aliis Eſdras putatur, aliis probabilius Hieremias. Gloſſa Talmudis [k] tradit Eſdram ſcripſiſſe, præter librum ſuum, etiam Genealogias Libri Chronicorum uſque ad locum ubi ſuam ipſius Genealogiam deſcribit; primi ſcilicet Paralipomenon cap. 9. verſu 11. vel ſecundum alios, uſque ad libri 2. cap. 21. ejuſque verſum 2. à Nehemia Chachaniæ filio librum eum abſolutum.

5. Paralipomenon.

k. Ad cap. 1. Dababatra.

VI. ESDRÆ, qui Hebraicè עזרא *Ezra*, Græcè Ἔσδρας, duo ſunt Libri, Hebraicis literis & Chaldaico ſermone ſcripti. *Prior* habet autorem Eſdram Jarajæ filium ex Aaronis ſtirpe Sacerdotem magnum, ac ſacræ Scripturæ Inſtauratorem. Hic ſub Artaxerxe Rege Perſarum vixit, vel, ut vult gloſſa Talmudis, ſub Dario ſecundo, qui poſt Aſſuerum regnavit. Continet Liber Primus res geſtas Iſraelitarum in reditu è Babylonia, prinſquam ad Templi ac murorum Hieroſolymitanorum inſtaurationem Nehemias mitteretur, maximè reductionem populi ſub Jeſu filio Joſedech; & divinæ Legis novam velut promulgationem circa annum mundi 3610. ante Chriſtum natum 440. aut circiter. *Secundum* Eſdræ librum cenſent quidam ab eodem conſcriptum: quanquam à Nehemia compoſitum vulgaris ac probabilior ſententia ſit: unde & Nehemiæ liber ſæpenumerò dicitur. Hic narrationem continet inſtauratorum murorum per Nehemiam filium Helchiæ Sacerdotem, qui Pincerna fuit Artaxerxis, & ab eodem Dux conſtitutus, atque Hieroſolymam ea de cauſa miſſus, ut ei operi præeſſet.

6. Eſdræ.

Adjunguntur his *Eſdræ* Libri *Tertius* & *Quartus*, qui tamen, cùm in Canonem ab Eccleſia Catholica recepti non ſint, ſed inter apochryphos habeantur, in finem Bibliorum rejici ſolent. Diſſident tamen hac in parte Græci à Latinis: Nam qui à nobis Tertius Eſdræ Liber inſcribitur, eum illi in Canone receptum primum in ordine Librorum Eſdræ collocant, quòd quæ in eo narrantur, ea ordine temporum priora ſunt iis quæ in

Primo à Latinis recepto habentur: qui verò apud nos Primus & Secundus Eſdræ ſunt, ab illis uterque in unum Eſdræ Secundum volumen conjiciuntur.

7. Tobias.

VII. TOBIAS, Hebraicè טוביה *Tobiah*, id eſt *bonus Deus*, vel *bonus Dei*, Græcè Θωβὶτ dicitur. Liber quem *Tobias* vir juſtus de vita ſua conſcripſit circa annum mundi 3350. cùm apud Niniven ageret, quò à Salmanaſare Aſſyriorum Rege abductus in captivitatem fuerat, anno Oſeæ Regis Iſrael 9. Ezechiæ Regis Juda 6. Scriptus eſt Chaldaicè ſive Syriacè, qua lingua uti cœperunt Iſraelitæ poſtquàm per eas gentes diſperſi ſunt: ut docet Rabbi Azarias, & Joannes Benedictus, cum Sixto Senenſi. Idque patet ex cap. 12. v. 21. ejuſdem Libri. Ultimum caput addidiſſe creditur Tobias filius; niſi quòd finem, ubi de filii morte agitur, ab alio adjectum fuiſſe neceſſe eſt. Compoſitus videtur poſt mortem Sennacherib, quo tempore regnabat apud Judæos Manaſſes, vel certè apud Babylonios captivus erat. Maximis abundat hic liber vitæ moralis exemplis, ac monitis: cumque ſe ex Chaldaico in Latinum ſermonem unius diei labore tranſtuliſſe teſtatur Hieronymus [l]. Cum ſequentibus duobus inter Hagiographa ſecundi ordinis habetur, quæ non à Spiritu ſancto per Prophetas; ſed à filia vocis, ut loquuntur, profecta cenſent; id eſt à viris piis, divina quidem inſpiratione, ſed citrà Prophetiæ donum ſcripta. Inter Sacros & Canonicos Libros ab Eccleſia Catholica ſemper habitum Tobiæ hunc Librum patet ex Concilio Carthaginenſi III. [m] & Innocentio I. [n] & ex Gelaſio primo Pontifice [o], præterea ex Cypriano [p], Ambroſio [q], Auguſtino [r], Iſidoro Hiſpalenſi [ſ], Caſſiodoro [t], & Conciliis Florentino ac Tridentino [u]: fruſtrà itaque eum è numero Canonicorum Lutherani, & Calviniſtæ expungunt.

l Præfat. in hunc librum.
m Can. 43.
n Ep. ad Exup. Toloſ. Epiſc.
o In Decret. Conc. Rom. de Lib. ſacris ab Eccl.
p In lib. de Eleemoſyna.
q In lib. de Tobia.
r 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8.
ſ Lib. Etymol. 6. cap. 1.
t Lib. 1. Divin. lect.
u Seſſ. 4.

8. Judith.

VIII. Liber JUDITH, Hebraicè יהודית, Græcè Ἰουδὶθ, dicitur ab Hebræa hujus nominis muliere, quæ populum Iſraeliticum Bethuliæ oppido incluſum, ab Aſſyriorum oppugnatione, Holoferne cæſo, liberavit. Ejus autor, ſi fidem habemus Joſepho [x], fuit Eliachim qui aliàs Joachim, Sacerdos magnus Hebræorum, medio inter duas captivitates Aſſyriacam & Babylonicam tempore, regnante apud Judæos Manaſſe; apud Aſſyrios Merodach Baladani filio, circà mundi annum 3323. Eliachim illius mentio fit libri ejuſdem cap. 4. verſu 15. quanquam id opus Jeſu, qui pater Eliachim fuit, tribuat Rabbi Azarias ſuprà laudatus. Sanctus autem Iſidorus [y] incertum putat ejus autorem. Chaldaico ſermone primùm ſcriptus hic Liber fuit, autore Hieronymo [z]: licèt Hebræi atque Hæretici hodierni illum rejiciant è Canone; à Concilio tamen Nicæno primo Oecumenico relatus eſt in numerum ſacrorum Codicum, eodem Hieronymo teſte; itemque à Conciliis & Pontificibus laudatis §. ſuperiore.

x Lib. 1. contra Appionem.
y Dict. Etymol. lib. 6.
z Epiſt. 3.

9. Eſther.

IX. ESTHER, Hebraicè אסתר, Græcè Ἐσθὴρ, Liber eſt continens narrationem ſervati, per nobiliſſimam hoc nomine fœminam, Judaici populi, exitio jam damnati ab Aſſuero, inſidiis Aman Macedonis; de quo ſumptum deinde ſupplicium eſt ab eodem Aſſuero. In hujus conjugio Eſther vixit circa annum mundi 3650. ſicquidem Aſſuerus ille idem fuit cum Artaxerxe priore, ut vulgò creditur ex Joſepho [a], Severo Sulpitio [b], Nicephoro Conſtantinopolitano [c]. Alii Artaxerxis patrem Xerxem interpretantur, qui & Oxyares dictus, vocabulo non abludente à nomine Aſſueri. Libri hujus autorem Iſidorus [d], ex Philone Alexandrino, Joachim putat,

a Lib. 2. antiq. cap. 6
b Lib. de ſacr. Hiſt.
c In Chron.
d Lib. 6. Origin. c. 2.

putat, filium Jeſu, ſummum Hebræorum Pontificem. Bellarminus [e] Mardochæum Eſtheris ipſius patruum: alii ex Talmude, compoſitum hunc librum exiſtimant à viris Synagogæ magnæ. Septem ejus poſtrema capita in Hebræo textu deſiderantur: unde adulterina ea colligit D. Hieronymus [f], eumque ſequuti alii non pauci Scriptores ſacri: imo totum Librum extra Canonem cenſuerunt Aſiani apud Euſebium [g], Athanaſius[h], Gregorius Nazianzenus[i]. Verùm reliqui omnes Eccleſiæ Patres Græci & Latini totum librum, qualis in Eccleſia Latina legitur, ſacrum & canonicum eſſe fatentur poſt Concilium Laodicenum [k] itemque Carthaginenſe 3. [l] quibus tandem adjungi debet Tridentinum [m].

Septem verò illa capita quæ vulgata editio Latina in finem, alieno fortè loco, rejicit, probabile eſt aliquando in Hebræo extitiſſe & caſu excidiſſe. Etenim Joſephus idem [n] oſtendit hunc Librum in Canone Hebræorum fuiſſe, duaſque Epiſtolas Aſſueri & orationem Mardochæi hiſtoriæ ſuæ inſeruit, quæ in his capitibus extant, etſi apud Hebræos hodie non habeantur: & tamen idem Autor [o] teſtatur ſe ex Hebræo narrationes ſuas nullo adjecto depromere. Aut certè fieri poteſt ut Hebraicè primùm per compendium ſcripta hæc hiſtoria, deinde copioſiùs Græco ſermone enarrata fuerit à Lyſimacho ſub Ptolæmeo Epiphane Alexandrino Rege; quemadmodum indicatur hujus Libri capite 11. Quæ translatio Latinè verſa ad nos pervenerit, cum prior Hebraicè hodie non ſuperſit. His aliiſque argumentis omnia quæ contra hujus Libri autoritatem objiciuntur diluit Bellarminus [p].

e De Script. Eccleſ.
f In Præf. hujus Lib.
g Lib. 4. Hiſt. c. 26.
h In Synopſi.
i In Carm. de genuinus ſcript.
k Can. 49.
l Can. 47.
m Seſſ. 4.
n Lib. 11. antiq. cap. 6. & 1. contra Appion. lib. 6.
o Lib. 10. antiq. c. 11.
p Lib. 1. de Verbo Dei c. 7.

10. *Iob.*

X. Liber JOB, Hebraicè איוב *Job*, id eſt, *ululans*, Septuaginta Ἰὼβ dicitur: geſta continet viri juſti ejus nominis, qui natus creditur Boſtræ in Idumæa, & habitaſſe in terra Hus, quæ pars fuit Arabiæ. Eum cum Jobab abnepote Eſau, cujus mentio fit Geneſeos cap. 37. plerique confundunt, maximè quòd in appendice ad finem Libri hujus adjecta in editione Septuaginta, dicatur Job fuiſſe de filiis Eſau, & quintus ab Abrahamo. Sed hæc appendix textui Septuaginta addita videtur. Et S. Hieronymus [q] ex ſententia Hebræorum putat à Nachor Abrahæ fratre oriundum Job, ac tertium ab eo. Diverſum à Jobab fuiſſe conjicitur ex nominis utriuſque, ſi Hebraicè ſcribantur, diverſitate, atque ex ætate Jobi, qui ad 248. annum pervenit ex Iſidoro [r], quanta ætas nulli tribuitur qui tempore Moſis, aut ſequentibus annis vixerit. Unde inferunt eum diù ante Moſem vixiſſe. Autorem Libri Iſidorus [ſ] ſcribit fuiſſe Moſem, aut ipſum Job, vel certè aliquem Prophetarum. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis priores ſententias conciliat; ita ut velit à Job ærumnarum ſuarum hiſtoriam Arabicè (aut ut alii volunt Syriacè) ſcriptam eſſe; ex eo verò commentario librum, qualem habemus, à Moſe compoſitum. Gloſſa Talmudica geminas ea de re adducit Hebræorum ſententias: Prima fert Job tempore Moſis vixiſſe, qui & hunc librum conſcripſerit; altera eum vixiſſe eodem tempore quo Regina Saba, unde quidam Salomoni hoc opus tribuerunt, ducta conjectura ex eo quòd quædam ejus verba laudantur ſub nomine Salomonis à Gregorio Nazianzeno [t]: quamvis facile fuerit virum ſanctum hac in re memoria labi, & alicui Salomonis libro adſcribere, quod in hoc volumine legiſſet. Philippus Codurcus, qui ante aliquot annos eruditum in illud opus commentarium edidit,

q In quæſt. Hebraicis.
r In lib. de vita & morte Patrum.
ſ Lib. 6. Orig. cap. 2.
t Oration. ad Julianum exact. tribut.

Iſaiæ

Iſaiæ eſſe putat, duplici imprimis argumento, tum quòd in Hebraico textu libri hujus initium ejus ferè Prophetæ nomen habeat, tùm quòd multæ in eo voces, & loquendi figuræ occurrant Iſaiæ peculiares, & quas nullo in alio ſacri textus volumine invenire eſt. Narrantur in eo libro quæ ipſi B. Job contigerunt; in quibus inter miras ipſius virtutes, ſumma præſertim patientia elucet. Refertur diſputatio etiam diſertiſſima, quam vir ille ſanctus cum amicis ſuis inſtituit; in qua non pauca de Eccleſiæ myſteriis, diaboli viribus, improborum in hac vita felicitate, proborum calamitatibus, partim indicantur, partim explicantur, aliaque habentur eximia de morum & naturæ rebus. Magnam libri partem à cap. 3. verſu 3. ad cap. 42. verſu 6. teſtatur D. Hieronymus verſibus ſcriptam. Græci totum volumen dividunt in capita 32. Latini in 42.

11. *Libri Machabæorum.*

XI. Libri MACHABÆORUM. Hebræis חשמונאי *Chaſmonai*, ſive *Haſamonai*, Græcis Μακκαβαίων, ſic inſcribuntur à Juda præſertim Hebræorum Duce, qui Machabæus eſt cognominatus, ex quatuor literis Hebraicis, quas ſuis vexillis, teſſeris-ve militaribus inſcribere ſolitus erat, מכבי quæ vocem *Machabi* formant, ſuntque initiales totidem vocabulorum quibus conſtat hæc ſententia [u] מי כמוכה באלים יהוה *mi Chamocha Baelim Jehovah*, id eſt, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* quæ vox velut ſymbolum quoddam, ab eo ad ejus fratres, cum Machabæorum appellatione, manavit. Ejus familiæ præclara adverſus Seleucidas Syriæ Reges, qui & Syro-Macedones dicti, pro tuenda religione facinora; Regnumque Judaicum propria ipſis virtute partum, in his Libris memorantur. Horum autem Librorum duo tantùm in Eccleſia Catholica pro Canonicis ſunt recepti. *Tertius* Græcus, ab Euſebio citatus [y] invenitur: Latinè verſus habetur à Flaminio Nobilio [z]. *Quartus*, extat Græcè Lugduni in Sancti Pagnini Bibliotheca, ubi à ſe viſum aſſerit Sixtus Senenſis. Verùm hi duo poſteriores inter apocryphos haud dubiè ſunt habendi, cum à nullo Concilio ſint recepti. Eorum verò qui inter Canonicos habentur, prior continet res geſtas *Mathatiæ*, ac trium ejus filiorum, *Judæ*, *Jonathæ*, *Simonis*, contra Antiochi Magni filium, Seleuci 4. Philopatoris fratrem, Antiochum Epiphanem, aliosque Reges Syriæ Græcos, ab anno circiter 3880. ab orbe condito ad annum 3919. Poſterior eamdem Hiſtoriam paulò altiùs repetit, ab anno ſcilicet 3868. narratque inſigne martyrium Eleazari, & ſeptem puerorum Machabæorum, unà cum matre variis ſuppliciis peremptorum, regnante Epiphane. Collectorem hujus Libri Honorius Auguſtodunenſis tradit Philonem: Bellarminus Joannem Hircanum fuiſſe conjicit, Simonis filium, qui rebus omnibus interfuit, ac poſt Patrem ſummo Sacerdotio functus eſt. Secundus ex quinque Libris Jaſonis Cyrenæi de rebus Judæ & fratrum ejus fuſiùs editis excerptus innititur capite 2. ipſius libri, num. 24. Continent hi duo Libri res Judaicas, annorum ferè 52. ab anno mundi 3868. ante Chriſtum 184. ad annum ab orbe condito 3919. ante Chriſtum circiter 133. Ambos agnoverunt tam Græci quàm Latini, in quibus Cyprianus [a], Ambroſius [b], Auguſtinus [c], S. item Leo [d], ac cæteri Latini præſertim Patres; ſemperque pro Canonicis, quicquid hodierni Hæretici contrà conentur, eos agnovit Eccleſia, ut perſpicuum eſt ex Conciliis antè laudatis, 3. Carthaginenſi & Tridentino, ex Epiſtola Innocentii I. ad Exuperium, ex

u Ex cap. 15. Exodi.

y In Chronico.

z In editione Rom.

a De exhort. Martyr. cap. 11. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel.

b Lib. 1. de Jacob. & vita beat. c. 11. & 12.

c Lib. 2. contra Epiſt. Gaudentii c. 23. & lib. 18. de Civ. Dei c. 36.

d In ſerm. de illd. Machabæis.

ex Decreto Gelaſii Pontificis de Scriptoribus ſacris. Rabbi Azarias [e] ante Joſephum autorem rerum Judaicarum ſcriptos fuiſſe tradidit, eumque inde multa hauſiſſe.

e Lib. Imre Binah.

CAPUT XII.

De Propheticis veteris Teſtamenti Libris, ac primùm de Pſalterio, & Poeſi Hebraica.

1. *Libri Pſalmorum nomina.*

I. PSALMORUM Liber inter Propheticos primo loco numeratur. Hebræi ספר תהלים *ſepher Thehillim*, id eſt, *Librum Hymnorum*, ſive *Laudum*: Græci ψαλτήριον, & poſt eos Latini *Pſalterium* vocant, à verbo *pſallo*, quod utroque ſermone idem eſt ac canere, cythara imprimis, aliove muſico inſtrumento: unde *Pſalterii* nomen inſtrumento ipſi inditum eſt, quo David frequenter in concinendis Pſalmis uſus fertur. Fuit autem illud inſtrumentum chordis decem inſtructum, ut patet ex Pſalmo 32. ſonumque edebat à ſuperiore parte, in quo à cythara lyraque diſtabat.

2. *Autor.*

II. De Pſalmorum autore duplex eſt ſententia: alii quidem, ut S. Athanaſius [a], S. Hilarius [b], S. Hieronymus [c], volunt non ab uno Davide, ſed à pluribus Autoribus ſcriptos, ab iis nempe qui in cujuſque Pſalmi epigraphe nominantur; & Davidis quidem eſſe eos, qui David tribuuntur, cæteros Moſis, Salomonis, Aſaph, filiorum Core, cæterorumque quorum nomina præferunt. Alii, in quibus Chryſoſtomus, Theodoretus, Caſſiodorus [d], atque Auguſtinus [e] exiſtimant totum Librum centum quinquaginta Pſalmorum à Davide ſolo compoſitum eſſe; quorum ſententiam probabiliorem putat Bellarminus [f]. Id confirmari videtur 2. Paralipomenon cap. 5. ubi dicitur *Cantores ordinatos* fuiſſe, *ut canerent Pſalmos quos fecit David*; itemque ex eo quòd Chriſtus Librum Pſalmorum ei tribuere abſolutè videtur [g], *Et ipſe David dixit in Libro Pſalmorum*; ac denique ex eo quòd ſatis conſtet Aſaph, Idithun, Ethan, Core, & alios, quorum nominibus Pſalmi non pauci prænotantur, Cantores, non Prophetas fuiſſe. Hinc veriſimile fit, ideò tantùm eorum nomina aliquibus Pſalmis fuiſſe præpoſita, quòd illis hi Pſalmi canendi darentur; idque ex eo præſertim intelligi poteſt, quòd in eodem titulo jungitur aliquando nomen David cum nomine Idithun. Et verò Pſalmos omnes eſſe Davidis indicat Talmud [h]; ait enim David ſcripſiſſe Librum Pſalmorum per manus decem ſeniorum, ſive per manus primi hominis, Melchiſedeci, Abrahami, Moſis, itemque per manus Heman, Idithun, Aſaph, & trium filiorum Corah; quæ ſic explicat gloſſa inſcripta Maſoreth ad Talmud, ut velit à Davide ſcripta eſſe in hoc Libro cum ſuis canticis, ea quæ protulerunt tam ſeniores, qui ſcilicet illius ævum præceſſerant, quàm nonnulli qui ipſius ætate vivebant. Rabbi verò Kimchi vult à ſenioribus illis pronunciatos eſſe Pſalmos eorum nomine inſcriptos, v. g. Pſalmum 92. qui inſcribitur Canticum in diem ſabbati, à primo homi-

a In Synopſi.
b Prologo in Pſalmos.
c In epiſt. ad Sophronium & ad Cyprianum.
d Suis in hunc lib. præfationib.
e Lib. 6. de Civ. Dei c. 14.
f Præfat. Comment. ſuor. in hunc lib.;
g Lucæ 20.
h Libri Babatra cap. 1.

i In Præfat. comment. in Pſal.
l Actor. 4.
m Epiſt. ad Hebr. c. 4.

homine dictum fuiſſe, poſtridiè quàm creatus fuerit. Bellarminus [i], tam eos omnes qui titulo carent, quàm eos qui David palàm adſcribuntur, ſive dicantur *Pſalmi Davidis*, ſive *Pſalmi Davidi*, cenſet Davidis eſſe. Pſalmi ſanè 2. & 94. qui apud Hebræos titulo carent, ab Apoſtolis aſſeruntur Davidi; ille quidem à Petro [l], hic verò à Paulo [m]: & in genere Pſalmi qui in Hebræo codice titulo deſtituuntur, è ſeptuaginta Interpretibus tribuuntur Davidi. Falli ergo Hebræos, qui exiſtimant Pſalmos titulo carentes eundem autorem habere, cujus nomen priori Pſalmo præſcribitur, cùm ex dictis, tum ex eo apparet, quòd Pſalmus 89. Moſi aſcribatur, & ſequentes decem titulum non habeant; unde 98. ex eadem regula Moſi tribuendus eſſet, qui tamen Samuelis mentionem facit quarto poſt Moſem ſæculo nati. Eos quoque qui Davidi inſcribuntur, non ab alio huic Regi oblatos, ſed ab ipſo conſcriptos, ipſivè à Deo dictatos probat D. Auguſtinus ex Pſalmo 109. qui eum titulum habet.

3 *A quo digeſti in ordinem Pſalmi.*
n In Synopſi.
o In Prol. Pſal.

III. Non tamen à Davide digeſti Pſalmi putantur; ſed vel ab Eſdra, ut ſentire Athanaſius videtur [n], vel à Septuaginta Interpretibus, ut cenſet S. Hilarius [o]. Nec verò juxta ſeriem temporis, quo ſcripti ſunt diſpoſiti cenſeri debent. Conſtat enim Pſalmum 3. ſcriptum eſſe cùm David Abſalonis filii perſecutionem fugeret: Pſalmum 50. paulò poſt cædem Uriæ & adulterium cum Bethſabee, quando ſcilicet David à Nathan Propheta increpitus eſt: Pſalmum 141. cùm David in ſpelunca ob Saulis metum deliteſceret: 143. devicto Goliath, in quibus omnibus inverſus temporum ordo apparet: denique Pſalmus 71. in medio ferè libri collocatus omnium poſtremò eſt ſcriptus: quandoquidem in Salomonem jam regnare incipientem compoſitus eſt, & poſt eum additur defeciſſe orationes ſive Laudes David filii Jeſſe. Hunc verò ſervatum à Digeſtore ordinem quidam exiſtimant, ut quinquaginta primi, quorum ultimus eſt *Miſerere mei Deus*, ad pœnitentes pertineant: medii quinquaginta qui deſinunt in Pſalmo *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, ad juſtos proficientes: quinquaginta poſtremi, quos concludit Pſalmus, *Laudate Dominum in ſanctis ejus*, ad perfectos.

4. *De Pſalterii diviſionibus & ordine.*
p Præfat. in lib. Regum.
q Luc. 20.
r Act. 1.
ſ Tum in Prol. Gale. tum in ep. ad Sophron.
t In lib. de Ponder. & Menſuris.

IV. Obſervat autem Rabbi David Kimchi, quemadmodum Moſes Legem in Quinque Libros diviſerat, ſic diviſum eſſe Pſalterium à Davide in Quinque Libros: quod licèt verum eſſe non poſſit ex ſupradictis, quantum ad ejus diviſionis autorem; certum tamen eſt librum Pſalmorum apud Hebræos Quinque inciſionibus comprehendi, ut loquitur D. Hieronymus [p], id eſt volumen Pſalmorum, licèt unicum ſit, & ſub unius libri nomine à Chriſto Domino [q], atque à D. Petro [r] laudetur; tamen ab Hebræis in Quinque Libros diſtingui: non diſpari ratione ac in corpore juris Pontificii, Sextus Liber Decretalium, in minores libros quinque ſubdividitur. Hanc autem Pſalterii diviſionem teſtatur cum D. Hieronymo [ſ], Epiphanius [t]. Ubicumque enim ad finem Pſalmi ſcribitur *Amen, amen*, ſive *Fiat, fiat*, ibi terminari Librum unum exiſtimant. Primum quidem ad finem Pſalmi XL. Secundum ad finem Pſalmi LXXI. Tertium ad calcem Pſalmi LXXXVIII. Quartum ad finem CV. Quintum denique ad finem Pſalm. CL.

5. *De numero Pſalmorum.*

V. Numerus Pſalmorum apud omnes eſt CL. Sed in deſignandis Pſalmorum aliquot numeris, differunt Judæi à Græcis & Latinis, & aliquando

unum

unum in duos dividunt, aliquando contrà, duos in unum conjungunt. Et primo quidem Pſalmum IX. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo &c.* in duos ſecant, & à verſu 22. *Ut quid Domine receſſiſti longè*, Pſalmum 10. inchoant: Unde fit ut Pſalmus *In Domino confido*, qui apud Septuaginta Interpretes & in noſtra Vulgata verſione X. eſt, apud Hebræos XI. numeretur, & ſic diverſa ſit Pſalmorum ſequentium computatio.

VI. An metro ſcripti ſint Pſalmi, quanquam plerique omnes affirmant, non deſunt tamen qui dubitent. D. Hieronymo [y] David *Simonides noſter*, dicitur, *Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Chriſtum Lyra perſonans, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitans reſurgentem*. Idem præfatione in Chronicon Euſebii, *Pſalterium*, ait, *in morem Flacci & Pindari, nunc Jambo Alchaico, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur*. His conſonat quod Joſephus [z] affirmat hymnos vario metro à Davide compoſitos, qui & trimetros fuiſſe alios Pſalmos, alios pentametros obſervat. Doctiſſimus Mercerus [a] tradit Franciſcum Vatablum Regium Hebraicarum literarum Profeſſorem verſuum omnium Jobi & Pſalterii ordinem intellexiſſe; quoſdam etiam Canones ad eorum rationem faciliùs percipiendam præſcripſiſſe; ſeque ipſum profitetur, cum Jobi verſus dimenſos eſſet, pleroſque hexametros inveniſſe; ſed ita ut pro dactylo & ſpondæo paſſim alii pedes juxtà linguæ idioma occurrant, non earumdem ſyllabarum, ſed eorumdem temporum, ut Hieronymus loquitur [b]. At Franciſcus Gomarus [c] tradit inſtituta poetica analyſi Pſalmorum alphabeticorum 25. 34. 37. 111. 113. 119. (qui apud Latinos eſt 118. & 145.) aliorumque ſcripturæ Canticorum, ſe reperiſſe illa omnia priſcorum Hebræorum poemata variis ac promiſcuis carminum generibus conſtare, qualia ſunt Pindari in ſingulis ſtrophis, & Lyrica apud Sophoclem plurima, ἄτακτα ſcilicet, & ſibi invicem haud ſatis reſpondentia: ita ut metro quidem ſcripta ſint, nullam verò habeant inter ſe conſonantiam, ſive revolutionem; qualis in odis Græcis, Latiniſque ſervari ſolet, ſi ſtrophe una alteri comparetur. Exiſtimat itaque idem Gomarus [d], novem omninò carminum generibus, ſive puris, ſive mixtis, tam per analogiam, quam per anomaliam, perfectiſque partim, partim imperfectis, vel per defectum, vel per exceſſum totam poeſim ſacram contineri. Obſervat porro in Pſalmis trimetri terminos vix excedi, exceptis dactylicis, quorum multi ſunt in Hebraica poeſi hexametri.

6. An verſibus ſcripti ſint Pſalmi, & de Poeſi Hebraicæ ex Mercero.

y In epiſt. ad Paulin. de lib. ſacr. Scipt.

z Lib. 7. antiq. c. 12. & 15.

a Comment. in Joan. c. 3.

b Præfat. in Job.

c In Davidis Lyra.

d Cap. 3. & ſeq. de Poeſi Hebraic.

VII. Verùm Joſephus Scaliger [e] contendit in Pſalterio nullum canticum eſſe metricis legibus adſtrictum, ſed merè ſolutam orationem, charactere ſeu ſtylo poetico duntaxat animatam, qualis in Iſaiæ, aliorumque Prophetarum ſcriptis apparet; negatque abſolutè in Hebraico idiomate aliiſque orientalibus ullam metri ſpeciem concipi poſſe. Et verò Joſephus de Voiſin [f] ex Iſaaco Abarbanel, ſecundum autorem Coſri in cap. 5. Iſaiæ, tradit Canticum Moyſis, atque ejus generis alia, magis vocis modulamine, quàm ipſis dictionibus differre ab aliis ſcriptis. Ipſe nihilominus Scaliger in eo Cantico, ut & in Proverbiis Salomonis, & libro Job, rythmum agnoſcit, fateturque in iis verſus ut plurimùm conſtare duobus dimetris jambicis, aliquando tribus dipodiis; ſed aliquando miram eſſe inæqua-

7. Aliorum de Poeſi Hebraica opinio.

e Initio obſervat. in Euſebium.

f Cap. 34. de Lege divina.

lita-

pro morte, referri videtur ad myſteria Chriſti Domini, qui in carne humana mortem vicit; aut etiam ad liberationem Eccleſiæ à tyrannorum perſecutionibus. *Tituli inſcriptio*, vel, *in Tituli inſcriptionem*, Græcè στηλογραφία, eſt quaſi trophæum & monumentum Chriſti victoriæ, aut beneficii alicujus divini, in corde, tanquàm columna, incidendum. *Pro ſuſceptione matutina*, aliàs *pro cerva vel pro ſtella matutina*, ſignificat Pſalmum pertinere ad Chriſti reſurrectionem. *Prima ſabbati, ſecunda ſabbati, &c.* oſtendit Pſalmum die Dominica quæ prima eſt hebdomadæ, aut die ſequenti recitandum, vel de prima mundi creatione agentem. *In conſummatione*, vel *in exitu Tabernaculi*, indicat Pſalmum compoſitum eſſe eo tempore quo David perfecit Tabernaculum, & in eo collocavit Arcam Domini: myſticè intelligitur de prædicatione Evangelii, qua ſcilicet novum Tabernaculum perficitur. *Pſalmus cantici* denotat Pſalmum, qui & voce & inſtrumentis muſicis canendus eſſet. *Intellectus*, vel *ad intellectum*, ſignificat reſipiſcentiam peccatoris, intelligentis quantum deliquerit. *In rememorationem de ſabbato*, pertinet ad pœnitentiam, qua in memoriam revocatur quies, ſive per peccatum amiſſa, ſive promiſſa in reſurrectione Juſtorum. *Idithun*, eſt vel inſtrumentum muſicum quo canebatur Pſalmus, vel nomen Cantoris, cui decantandus dabatur; ut & *Aſaph*, & *filii Core*. *Pro iis qui commutabuntur*, deſignat fideles populos per juſtificationem mutandos, & gloriam æternam adepturos. *Pro delicto* ſignificat Chriſtum ipſum Redemptorem. *In confeſſione*, adhortatio eſt ad celebrandas Dei laudes.

IX. Pſalterium inter Libros Propheticos numerandum, primumque ejus autorem Spiritum ſanctum eſſe, cùm multa alia loca demonſtrant, tum quòd ipſe David 2. Regum cap. 23. dixit, *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*: quod teſtimonio quoque D. Petri [l], & D. Pauli [m] confirmatur. *9. Pſalterium inter Libros Propheticos.* *l 1. Actor.* *m ad Hebr.*

X. Hoc Libro Hiſtoriæ ſacræ, Legum Divinarum, ac veræ Theologiæ, moralis quoque ac naturalis Philoſophiæ præclara monumenta; deque Chriſto Davidi promiſſo multa vaticinia continentur, ut epitome ac ſumma totius veteris Teſtamenti dici poſſit: adeòque eleganti loquendi genere uſus eſt autor; ſic animos in Dei amorem & laudem rapit, ut nihil ſuavius, aut quod magis ad ſalutem conducat, cani, audirive poſſit. Quapropter S. Baſilius rectè ſcribit Hymnos ſacros vel lapideo è pectore poſſe lachrymas elicere. Sanctus verò Joannes Chryſoſtomus, eos qui Pſalmis rectè canendis dant operam, cum Angelis choreas ducere affirmat, & de celebrandis ejus laudibus, & amore in Deum concipiendo, propè cum illis contendere. *10. Quid Pſalterio contineatur.*

XI. David hujus operis ſaltem præcipuus autor, filius fuit Iſai, ſive Jeſſe Bethlehemitæ, ex Tribu Juda; Rex Hebræorum & Propheta, ac Poeta eximius: regnare cœpit poſt Saulem in Hebron circa annum mundi 2980. ante Chriſtum 1072. ac ſeptennio poſt Hieroſolymis: regnavitque annos omnino quadraginta. *11. David, quis?*

CAPUT XIII.

De reliquis Libris Propheticis.

1. Prophetarum in genere, Tempora, & diviſio. I. PROPHETÆ, tam Majores quàm Minores, ſub Regibus Juda & Iſrael, poſt regni Hebræorum diviſionem floruerunt. Majores dicuntur, quorum longiora opera ſunt, & quorum unumquodque volumen ſuum conficit: Minores quorum opera breviora, uno cuncta volumine apud Hebræos continentur.

2. Majorum Prophetarum primus Iſaias. II. Inter Prophetas Majores primus occurrit ISAIAS, ſeu Eſaias, Hebraicè ישעיהו *Jeſciahjahu*, id eſt, *Domini ſalus*, Græcè Ἡσαΐας. Fuit is regiæ ſtirpis, atque Oſiæ ni fallor fratris filius. Prophetavit ejus primùm tempore, deinde Joathan, Achaz, & Ezechiæ temporibus, in Judæa, & Hieroſolymis præſertim: ac tandem juſſu impii Regis Manaſſis in duas partes ſerra lignea diſſectus interiit, ut Judæi tradunt, ſcribitque Epiphanius [a], & cum eo Suidas, ac Cedrenus: quod circa annum mundi 3340. ante Chriſtum 711. contigit; cum annos fermè nonaginta prophetaſſet, eſſetque centenario major. Ejus ſepulchrum Deus miraculis glorioſum reddidit. Primus hujus Prophetæ ſcopus fuit, teſte Hieronymo, ut admirabile Chriſti regnum, vocationem Gentium, & gloriam Eccleſiæ prædiceret: tantaque claritate de Chriſti Domini adventu, nativitate ex Virgine, vita, prædicatione, paſſione, morte, ſepultura & reſurrectione dixerit, ut rem geſtam narrare potiùs quàm futura vaticinari videatur; & Davide ipſo meliùs, Evangeliſtæ magis quàm Prophetæ partes implere. Nec verò minùs venuſtate ſermonis & urbanæ dictionis elegantia, quàm ſplendore natalium, atque ætate, reliquis majoribus Prophetis præſtare cenſendus eſt. Totius Libri narratio ſoluta, ſed florida oratione conſtat, exceptis tribus canticis, Vineæ nempe, urbis Sion, & Ezechiæ Regis, quæ unà cum Iſaiæ ipſius Oratione, hexametris & pentametris verſibus incedere Iſidorus teſtatur. Talmudici Doctores Hieremiæ atque Ezechielis Prophetias priùs collocant, ſtatim poſt Libros Regum, propter quandam argumenti conſonantiam; quòd ſcilicet Libri Regum deſinant in vaſtitatem, de qua totus Hieremias agit; & à qua incipit Ezechiel, qui tamen in conſolationem deſinit.

a Lib. de vita & morte Prophet.

3. Hieremias. III. HIEREMIAS, Hebraicè ירמיהו *Irmejahu*, id eſt *Excelſus Dei*, vel *Extollens Deum*, Græcè Ἱερεμίας, filius Helciæ Sacerdotis magni, ex Tribu Levitica, & vico Anathoth in terra Benjamin, tribus ab urbe Hieroſolyma milliaribus, natus ſub Joſia anno ejus 7. mundi 3402. circiter, ante Chriſtum 651. Invenit in Templo Librum Divinæ Legis, multos jam annos, ſuperiorum Regum incuria, latentem; ut conſtat ex 4. Regum cap. 22. Ab anno itaque prædicto ad undecimum Sedeciæ, & ultimum Regni Judaici, hoc eſt mundi 3446. ante Chriſtum 606. vaticinatus eſt, civitati Hieroſolymitanæ prænuncians ſiccitatem futuram, atque adventum Babylonii Regis, imminenſque ab eo Templi atque urbis excidium; nec pauca deſignavit de Chriſto & futura Eccleſia; populumque Judaicum ad pœnitentiam hortatus eſt, excipiente ipſius dictata Baruch Neriæ filio. Tandem cum in Ægyptum; unà

unà cum reliquiis populi poſt captivitatem Babylonicam ſe recepiſſet, lapidibus à popularibus ſuis in Urbe Taphni obrutus eſt, ut refert Hieronymus [b]: licèt alii aliter referant. Præter Prophetiæ Librum qui LII. capitibus abſolvitur, ſcripſit etiam Librum *Lamentationum*: Græcis dicuntur Θρῆνοι, ſive planctus, Hebræis eodem ſenſu קנות *Kinoth*, vel à prima voce איכה *Echah*, id eſt, *quomodo*. Hoc opuſculum in Hebræo verſibus ſcriptum eſt, quorum ſinguli incipiunt à ſingulis per ordinem alphabeti Hebraici literis. In eo Urbis ac Templi ruinam, gentiſque Judaicæ captivitatem deplorat: quas Lamentationes fama eſt ab eo ſcriptas eſſe in ſpelunca quadam, non procul Hieroſolymis, quæ fovea Hieremiæ inde dicta eſt. Addidit denique epiſtolam ad populum Babylone captivum, qua eos hortatur ad fidem vero Deo conſtanter ſervandam, vitandumque idolorum cultum: quam epiſtolam Baruch extremo ſuo Libro inſeruit.

b Lib. 2. contrà Jovinianum.

IV. EZECHIEL, Hebraicè יחזקאל *Iechezhel*, id eſt *robur*, ſive *imperium Dei*; Græcè Ἰεζεκιήλ, filius Buzi Sacerdotis. Prophetare cœpit, ut ipſe teſtatur [c] anno 5. à translatione Jechoniæ Regis, mundi 3440. idque in Chaldæa inter captivos degens, atque ipſos ad virtutem adhortans, eodem tempore quo Hieremias Hieroſolymis vaticinabatur: ſed mercedis loco ab ipſo populi Principe, quòd ejus idololatriam argueret, obtruncatus eſt, referente Epiphanio [d], qui ſepultum memorat apud Aſſyrios in monumento Sem, atque Arphaxad progenitorum Abrahæ. Prædixit autem reverſionem Iſraelitarum in Palæſtinam; nonnulla etiam, ſed paulò obſcuriùs, de adventu Chriſti Domini, de Baptiſmo, aliiſque myſteriis. Ejus opus tantis difficultatibus involutum eſt, ut D. Hieronymus, qui omnium primus commentarium perpetuum in hunc Librum compoſuit, Labyrintho comparet; atque ex Rabbinorum traditione, vetitum Judæis ſit, primum, & octo poſtrema ejus capita legere aut interpretari, donec trigeſimum ætatis annum quis impleverit.

4. *Ezechiel.*
c Cap. 1.
d De vita & morte Prophet.

V. DANIEL, Hebraicè דניאל id eſt *Judicium*, ſeu *Judicatum Dei*; Græcè Δανιήλ, à Chaldæis mutato nomine Balthaſar dictus, quartus ex majoribus Prophetis, adhuc puer in Babyloniam captivus ductus eſt, in qua vixit ad Cyrum uſque, id eſt ad finem captivitatis. Fuit è Tribu Juda, & regio genere, ac ſapientia non minùs quàm nobilitate illuſtris: eaque de cauſa Regibus Babylonicis charus, atque ab eis, præſertim à Dario Medo, maximis honoribus cultus. Iſidorus putat eum ad annum vitæ centeſimum ac decimum perveniſſe. Hieronymus Spadonem fuiſſe refert, quamquam Epiphanius non verè Spadonem, ſed ob caſtitatis ſtudium à Chaldæis Spadonem creditum aſſerit. Prophetare cœpit anno ſecundo Nabuchodonoſor Regis, qui annus computari debet, vel à morte Patris ipſius, quæ incidit in annum mundi 3429. vel ex Bellarmino à Monarchia ipſius poſt devaſtatam Ægyptum, quæ incidit in annum 3452 Multa ſcripſit de Chriſti adventu, & morte, deque Judæorum execratione: item de Antichriſto, atque ejus præliis: prædixit etiam progreſſum quatuor principum Regnorum, Babylonici nempe, Perſici, Græci; ac Romani, & bella, tum inter Perſas & Græcos, tum inter Alexandri Magni ſucceſſores futura; idque tanta perſpicuitate, ut fuerint qui multò poſt ſcripta cen-

5. *Daniel.*

ſerent. Hic Liber partim Hebraicè, partim Chaldaicè ſcriptus eſt, atque ab Hebræis inter Hagiographa, non inter Propheticos numeratur; quia (ut Rabbi Moſes Maimonides in morte Nevochim [e] notat) Daniel ipſe viſiones ſuas, ſive Angeli à ſe viſi ſermones ſomnia vocat, etiam ubi eos narrat. Unde putant loquutum motu Spiritus ſancti tantùm, qui ſecundus eſt Prophetiæ gradus; non autem ex vera viſione quæ integris ſenſibus fit, aut vero Angeli colloquentis ſermone, qualem experti ſunt reliqui Prophetæ; qui licèt aliquando dicant ſe ex ſomnio prophetaſſe, tamen cùm rem viſam ſcribunt, non vocant amplius ſomnium; ſed diſertè prophetiam pronunciant.

e Lib. 2. cap. 45.

6. Inter ſacros Codices Danielis totus liber habendus.

f Præf. in Danielem.

VI. Judæi ac Porphyrius, teſte D. Hieronymo [f], cum quibus ſentiunt non modò Anabaptiſtæ, aliique Hæretici, ſed & Catholici quidam, in quibus Deſiderius Eraſmus, capita, ſive partes aliquot hujus Prophetæ, pro apocryphis habent, Orationem ſcilicet Azariæ, atque Hymnum trium puerorum qui refertur cap. 3. Suſannæ hiſtoriam, quæ cap. 13. narratur; itemque Belis idoli everſi, ac draconis à Daniele interfecti, qua de re cap. 14. agitur. Euſebius hanc Græcam appendicem exiſtimat partem eſſe cujuſdam hiſtoriæ, quam de alio Daniele Sacerdote filio Abdæ, ſcripſerit Abacuc diverſus à Propheta: quod confirmat ex titulo hiſtoriæ Belis apud Septuaginta. Concilium tamen Tridentinum [g] abſolutè Danielem inter Libros ſacros recenſet, quos recipi jubet cum omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt; & ex conſeqnenti ea quoque capita probat, cùm in Miſſa ac Divino Officio, ea ſuo quæque tempore legantur, lectaque ſemper fuerint. Et verò B. Ignatius [h], & Tertullianus [i] Suſannæ hiſtoriam citant: Cyprianus [l] hymnum trium puerorum laudat ſub nomine Scripturæ ſacræ; citat [m] etiam hiſtoriam Draconis, itemque [n] hiſtoriam prandii ab Abacuc allati ad Danielem. His conſentit Origenes [o], atque inter Græcos Patres D. Athanaſius [p], Baſilius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Theodoretus; inter Latinos Ambroſius, Auguſtinus, aliique. Denique Concilia vetera Laodicenum & Carthaginenſe 3. cum Græca ſeptuaginta Interpretum editione uterentur, in qua habentur hæc omnia, Danielem abſque ulla exceptione in numerum ſacrarum Literarum retulerunt. Prætereà autor Libri Jucazim Suſannæ hiſtoriam pro vera agnoſcit; quam Sedeciæ tempore, Chelechiæ filiam, Joachimi uxorem, tradit à ſenioribus accuſatam, à Daniele liberatam. Quæ contrà opponi ſolent diluit Bellarminus [q].

g Seſſ. 4.

h In epiſt. ad Magneſios.

i Lib. de Corona Milit.

l In ſerm. de orat. Domin. & ſerm. de lapſis.

m Lib. 4. ep. 6.

n Serm. de orat. Domin. & ſerm. de Eleemoſyna.

o Tractatu 31. in Matth.

p In Synopſi.

q In controverſiis lib. 4. de Verbo Dei.

7. Baruch.

VII. BARUCH, Hebraicè ברוך, id eſt *Benedictus*, Græcè quoque Βαρὼχ, Neriæ filius, antequam ſpiritu prophetiæ donaretur, Hieremiæ aſſecla, & amanuenſis fuit, ut ex cap. 36. Hieremiæ colligitur: unde & ejus Prophetia tanquam appendix Hieremiæ habetur apud Hebræos, eodemque Libro continetur. Vaticinatus autem eſt populo in Babylonia captivo, invocationem divini nominis ſuadens, & ſpem afferens futuræ liberationis ac reſtaurationis Hieroſolymorum; idque tempore Jechoniæ Regis, ut ipſe initio Libri ſui teſtatur, id eſt circa annum ab orbe condito 3440. Prædixit apertiſſimè Verbi divini humano in corpore futurum adventum. Quamvis autem hic Liber à veteribus Conciliis inter canonicos expreſsè non numeretur, habendus eſt nihilominus pro canonico ex Concilii Tridentini ſeſſ. 4. Citatur quippe paſſim à

Patri-

Patribus, partim ſub Hieremiæ nomine, partim etiam ſub nomine Baruch, velut à S. Cypriano [r], & à ſancto Cyrillo [ſ]. Rabbi Azarias [t] Librum Baruch præferre videtur Libris Judith & Tobiæ, utpote Chaldaico ſermone poſt captivitatem Babylonicam ſcriptis; cùm Baruch diſcipulus fuerit Hieremiæ ſtante adhuc Templo, atque Hebraicè ſcripſerit. Is ab Hieremia Legem in Babylonia didicit duodecim annis poſt exilium, ex autore Libri Jucazim; ibique mortuus eſt: nec niſi poſt ejus mortem, in Palæſtinam aſcendit Eſdras ipſius Diſcipulus, quippe qui ſuperſtitem deſerere nefas duceret.

r Lib. 2. contra Judæos c. 5.
ſ Lib. 10. in Julia.
t Cap. 57.

VIII. OSEE, Hebraicè הושע *Hoſcheah*, id eſt *ſalutem præſtans*, ſive *ſalvans*, Græcè σώζων, primum locum tenet inter duodecim Prophetas Minores, qui in unum volumen conjecti ſunt à viris Synagogæ magnæ, propter ſcriptorum brevitatem; cùm priores quatuor ſuum quiſque Librum abſolvant. Filius fuit Bechri de Tribu Iſſachar, ex Epiphanio: prophetare cœpit circa annum Oſiæ Regis Judæ 18. & 33. Jeroboam ſecundi eo nomine Regis Iſrael, id eſt, mundi 3243. ante Chriſtum 809. vixitque ad Ezechiæ tempora: unde ſi ætatem ſpectemus, primus erit omnium, majorum ſimul, minorumque Prophetarum. Is Chriſti figuram gerens, qui ex Gentium fornicatione ſibi Eccleſiam aſſumpturus erat, fornicariam Dei juſſu duxit uxorem. Id alii factum volunt, ut populi per idololatriam à Deo fornicatio ſignificaretur, propter quod peccatum decem primò Tribuum, ac deinde reliquarum etiam duarum captivitatem prænunciat. Brevi opuſculo, elocutione varia, multa complexus eſt, quæ multiplici affectu explicat: unde & interdum obſcuriùs loquitur. 8. *Oſee.*

IX. JOEL, Hebraicè יואל *Joel*, id eſt, *incboans*, aut ut ait Hieronymus [u], *Dominus Deus*, è Tribu Ruben, prophetavit Tribui Judæ & Hieruſalem circa annum Oſiæ 33. mundi 3259. & ſub inſequentibus Regibus: primùm de divina comminatione, & futura per Palæſtinam fame; itemque de captivitate Babylonica: poſteà de promiſſione Regni Chriſti, & effuſione Spiritus ſancti in ſervos Dei; denique de futuro Judicio: quare homines hortatur ad pœnitentiam. Demum, ut obſervavit Poſſevinus, in agro Betron, qui aliis Bether, unde oriundus erat, obdormivit in Domino. 9. *Joel.*

u Prologo in Malach.

X. AMOS, Hebraicè עמוס *Hamos*, id eſt, *portans*, vel *populus avulſus*, ut ait Hieronymus [x]. Ex oppido Techme, ſex millibus paſſuum à Bethlehem ad meridionalem plagam, è Tribu Juda ortus; vitæ conſuetudine ſimplici atque horrida, minùſque ingenio ac ſcientia excultus, lingua etiam tardus, à paſcendis bobus abſtractus à Deo, ut magnis de rebus legatus mitteretur in Samariam, atque ad Gentes: Tempore Oſiæ, & Hieroboam prædictorum, prænunciavit iram Dei, & captivitatem decem Tribuum, aliaque gravia flagella. Tandem graviſſimè in ſcelera invectus, à filio Amaſiæ Sacerdotis fuſte inter tempora percuſſus, interiit, ut teſtis eſt Epiphanius [y]. Poſt Oſeam à Græcis ponitur, inter eum & Joelem medius, cum huic à Latinis Hebræiſque poſtponatur. Verùm cùm tres hi Prophetæ eodem tempore vixerint, res eſt exigui momenti. Videtur tamen Amos poſt Joelem ſcripſiſſe, cùm Prophetiam ſuam ab eo ipſo verſu inchoet, quo ſuam Joel concluſerat. 10. *Amos.*

x In Prologo ejuſdem.
y De vita & morte Prophet.

11. *Abdias*.

XI. ABDIAS, Hebraicè עבדיה *Hobadjah*, id eſt *ſervus Domini*, Græcè Ὀβδιού, natus eſt in oppido Sichem, quod eſt in agro Ethacmar, teſte Epiphanio. Coætaneum Oſeæ, Joelis, & Amos ſcribit Hieronymus [z]: Idem tamen alibi dicit Abdiam eum eſſe qui diſpenſator domus Achab fuiſſe memoratur [a], & centum Prophetas in ſpeluncis abditos aluiſſe. Verùm cum Achab centum annis priùs regnaverit, id à D. Hieronymo prolatum Bellarminus putat, non ex propria mente, ſed ex traditione aliqua Judæorum, quam ſequitur Euſebius in Chronico; quæque ſola nominis ſimilitudine nititur. Hanc verò rationem licèt amplexi communiter fuerint Hebræorum Doctores, velintque ideò poſtpoſitum hunc Librum ſuperioribus, quòd Abdias, quamvis tempore prior, proſelytus tamen fuerit ex Idumæa, non Judaicæ ſtirpis: nihilominùs ea ſententia rejicitur à Rabbi Aben-Eſra, quòd dicto Regum loco Abdias cognominetur *timens Deum*: quod elogium minùs convenire videtur Prophetæ, cum Prophetæ titulus præſtantior ſit. Epiphanius exiſtimat Abdiam Prophetam eundem fuiſſe cum ejus nominis quinquagenario militum Duce ſub Ochoſia filio Achab, cui Elias pepercit, ne igne de cœlo miſſo abſumeretur [b]. Alii poſteriorem his omnibus cenſent, quòd de captivitate Babylonica, tanquam præterita, loquatur. Sed minùs validum eſt hoc argumentum, quandoquidem Prophetarum more futura pro præteritis habere potuit. Prophetavit contra Idumæos hoſteſque alios Iſraelitarum de futuris eorum calamitatibus, anno Oſiæ 22.

z In cap. 1. Oſeæ.

a 3. Regum 18.

b De quo Reg. 4. c. 1.

12. *Jonas*.

XII. JONAS, Hebraicè יונה *Jonah*, id eſt, *columba*, Græcè Ἰωνᾶς. Natus eſt in vico Geth, quo nomine duo loca fuere in Palæſtina, aliud versùs Tiberiadem in Tribu Aſer, aliud in Tribu Dan; atque ex hoc ortum duxiſſe putat Epiphanius, qui cum Hebræis eum viduæ Sareptanæ filium exiſtimat, ab Elia ſuſcitatum. Sed hujus traditionis certa ratio non apparet, nec tempora ſatis congruunt: cùm Jonas prophetaverit adversùm Ninivitas quibus exitium prænunciavit, quod diu poſt Eliam contigit. Itaque eodem tempore vixit Jonas quo ſuperiores Prophetæ, ex Hieronymo [c], Euſebio, & aliis. Hebræi prophetaſſe volunt tempore Jeroboami filii Joas Regis Iſrael, qui regnare cœpit ab orbe condito 3211. idque eruunt ex ſecundo Regum cap. 14. At hæc ſententia ſuperiorem non evertit, cùm tempora ſatis conveniant. Quamvis autem Ninivitis Deus pepercit poſt Jonæ comminationem, quòd nimirùm pœnitentiam egerint: poſteà tamen ad iniquitatem reverſis, exitium quod Jonas prædixerat, immiſit: ut habetur Tobiæ cap. 12. Ac licèt in noſtro Tobiæ libro non extet expreſsè nomen Jonæ; is tamen nominabatur in exemplo, ex quo verba Tobiæ refert Hieronymus [d].

c In ejus Prologo.

d In Prologo illius libri.

13. *Michæas*.

XIII. MICHÆAS, Hebraicè מיכה *Michah*, id eſt, *quis ſicut*, vel, ut explicat Hieronymus, *humilitas*; Græcè Μιχαίας: natus eſt in vico Moraſtite juxta Eleutheropolin, in Tribu Ephraim; aut ut vult Jonathas Chaldæus, in urbe Mareſa, quæ eſt in Tribu Juda. Prophetavit paulò poſt ſupradictos, turbulentis Joathan & Achaz, ac duris Ezechiæ temporibus: nam diutiſſimè vixit. Brevi, ſed perutili libello, prænunciavit adventum Salvatoris in Bethlehem naſcituri, converſionem Gentium ad Eccleſiam, captivitatem utramque & Hieruſalem & Samariæ:

riæ: monitis præterea atque adhortationibus Judaicum & Iſraeliticum populum ad pœnitentiam revocare conatus eſt.

XIV. NAHUM, נחום *Nachum*, id eſt, *Conſolator*, ut Hieronymus interpretatur; Græcè Ναούμ: natus in oppido Elceſes, ex Tribu Simeon, quæ pars eſt Galileæ. Prophetavit Aſſyriis, & præcipuè Ninivitis, quibus excidium per Chaldæos, & Regis interitum prædixit, eò quòd regnum Iſraeliticum populati, decem Tribus deportaſſent: Judæis autem pollicitus eſt fore ut Aſſyriis Hieroſolyma non ſuccumberet, quantumvis Samaria ſuccubuiſſet. Itaque Propheta ejus prodiit poſt abductas in captivitatem à Salmanaſare Rege Aſſyriorum decem Tribus, tempore Ezechiæ Regis Juda, autoribus Hieronymo, Theodoreto, & Theophylacto; vel, ut docet Sedar Olam, ſub Manaſſe, cujus imperio interfectum non ambigitur. 14. *Nahum.*

XV. HABACUC, Hebraicè חבקוק *Havakkuk*, id eſt, *amplexans*, ſive *luctans*, quòd quaſi in certamen cum Deo veniat, ubi de proſperitate impiorum queritur. Græcè Ἀμβακούμ. Natus eſt è Tribu Simeon in agro Bazochar: vaticinia ſua protulit contra Babylonem, & Nabuchodonoſor, de adventu Domini, & Regni Babylonici everſione, circà annum Manaſſe 37. mundi 3375. ſuamque Prophetiam juſſu Domini ſcripſit ante duarum Tribuum captivitatem; quam prædixit unà cum primo Chriſti adventu, paſſione, reſurrectione, ac ſecundo etiam ejuſdem glorioſo adventu. Nabuchodonoſoris quoque interitum ob vaſtatum ab eo Regnum Hieroſolymitanum, deportatoſque in Chaldæam Judæos; & parem vaſtitatem à Medis & Perſis minatur Babyloniis. Hunc Prophetam alium fuiſſe ab eo qui Danieli in lacu leonum cœnam attulit, oſtendit imprimis Ribera [e]. Eumdem tamen fuiſſe credebant D. Hieronymus & Theodoretus, ideoque poſt captivitatem Babylonicam eum ſcripſiſſe tradiderunt. Verùm huic ſententiæ repugnat omnino uſus Prophetarum, quorum non eſt præterita tanquam futura annunciare, cùm ea citra Prophetiam narrare quiſque poſſit. 15. *Habacuc.*

XVI. SOPHONIAS, Hebraicè צפניה *Tſephanjah*, id eſt, *arcanum Domini*, Græcè Σοφονίας, è progenie Simeon, & monte Sarabatha; filius fuit Chuſi, Godoliæ nepos, pronepos Amariæ: prophetavitque Hieroſolymis atque in univerſa Judæa, de idolorum deſtructione, divinæ juſtitiæ ſeveritate; Palæſtinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, Aſſyriorumque excidio; de converſione Gentium, Chriſti reſurrectione, Judæorum excœcatione, ultimoque exitio, atque Eccleſiæ gloria; idque ſub Joſiæ Regis, vel initium, vel certè anno 20. qui cadit in annum mundi 3414. 16. *Sophonias.*

XVII. AGGÆUS, Hebraicè חגי *Haggai*, id eſt, *feſtivus*, ſeu *feſtum ſolenne*: Græcè Ἀγγαῖος, ad Prophetiæ munus in juventute vocatus, concionatus eſt Hebræis in Judæam reverſis ex captivitate, quos ad inſtaurandum Templum ſæpiùs hortatur; graviter increpans quòd diligentiùs privatas domos, quàm Templum Dei ædificarent, atque ornarent. Fuit nempe hic Propheta, quemadmodum & ſequentes, in diebus, ut Hebræi loquuntur, viſitationis Templi ſecundi, ſive poſt inſtauratum Templum: quod multò glorioſius priore futurum prædixit; non quidem ſtructuræ magnificentia, ſed, ut explicat Auguſtinus [g], ob Chriſti præſentiam. Scripſit autem anno 2. Darii Nothi Per- 17. *Aggæus.*

e Prælud. 2. comment. in min. Proph.

g D. Civit. Dei.

Prænot. Canonic. Doujat. D 3 ſarum

ſatum Regis, id eſt, anno mundi 3630. quanquam hæc alii ad regnum Darii prioris referunt.

18. Zacharias. XVIII. ZACHARIAS, Hebraicè זכריה: *Zecharjah*, id eſt, *memoria Domini*, Græcè Ζαχαρίας, filius fuit Barachiæ, nepos Addo Prophetæ, è terra Chaldæorum. Prophetavit duobus poſt Aggæum menſibus, eidem populo Judaico, longiori paulò & obſcuriori libro, ſed iiſdem de rebus ſcripto. Hortabatur nimirum Judæos ad ædificandum denuò Templum, ad Dei timorem & mandatorum ejus obſervationem; multa quoque prædixit per varias allegorias de Eccleſiæ Chriſtianæ felicitate, & ultimo Judæorum excidio.

19. Malachias. XIX. MALACHIAS, Hebraicè מלאכי *Malachi*, id eſt, *Nuncius*, ſive *Angelus meus*, ut Cyrillus ait: ab officio nomen ſortitus; Græcè Μαλαχίας. Natus eſt, Epiphanio teſte, in loco cui nomen Sopha in Tribu Zabulon: tantaque vitæ ſanctimonia præditus fuit, ut Angelus ideò dictus putetur: imò Angelum eum in hominis ſpecie Origenes exiſtimat, conjectura ex nomine ducta, quam refellit S. Hieronymus [h]. Hebræorum nonnulli voluerunt Malachiam eundem fuiſſe cum Eſdra, qui Angelus à ſapientia morumque puritate cognominatus fuit: quod non reprobat omninò S. Hieronymus. Communis tamen ſententia S. Auguſtini [i], S. Cyrilli [l], & aliorum, eum diverſum facit ab Eſdra. Prophetavit omnium ultimus, ſub Artaxerxe Mnemone, Darii filio, anno ejus 1. mundi 3650. de abolendis Judæorum ſacrificiis, novo inſtituendo; de ultimo judicio, Eliæ reditu ad convertendas Iſraelitarum reliquias, ac præter ejuſmodi vaticinia, vehementer invectus eſt in vitia Sacerdotum, ac Judæorum reliquorum, eos maximè arguens, quòd alienigenas uxores duxiſſent: tandem adhuc juvenis in pace, ex Epiphanio, quievit.

h In proœmio hujus Libri.

i Lib. 8. de Civ. Dei, cap. 36.

l In 1. cap. Malachiæ.

CAPUT XIV.

De Libris Sapientialibus ſeu Moralibus veteris Fœderis.

1. Moralium Librorum autor præcipuus Salomon. I. HORUM Librorum tres priores Salomoni ab omnibus ferè adſcribuntur, *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *& Canticum Canticorum*: reliquos duos eidem Regi nonnulli aſſignant. Is Davidis filius fuit, ac Hieroſolymis regnare cœpit anno mundi 3020. ante Chriſtum natum 1052. regnavitque annis 40. primùm quidem ſapientiæ cœlitùs infuſæ illuſtre, ut ita dicam, prodigium: ſed humanæ fragilitatis tremendum deindè exemplum. Quarto Regni anno magnificentiſſimi Templi fundamenta jecit, quod undecimo anno perfectum dicavit; aliaque quamplurima præclara egit, de quibus Reg. lib. 3. diſſeritur.

2. Proverbia. II. PROVERBIA, Hebraicè משלי שלמה *Miſchle Scielomoh*, id eſt *Similitudines*, ſive *Parabolæ Salomonis*; Græcè Παροιμίαι Σαλωμῶντος, ut Septuaginta inſcripſerunt. Liber eſt in quo Salomon, ut Hieronymus ait [a], parvulum de variis vitæ officiis erudiens, Adagia, Parabolas Sententiaſque colligit, quæ ad mores rectè inſtituendos pertinent. Continet verſus 915. quibus

a Comment. in Eccleſiaſten cap. 1.

quibus tria circiter millia parabolarum comprehenduntur. Quæ à capite 25. ad finem habentur, collecta ſunt à Sobna & reliquis Ezechiæ ſcribis, qui aliis è voluminibus ea in unum contulerunt.

3. Eccleſiaſtes.

3. ECCLESIASTES, Hebraicè קהלת *Koheleth*, Græcis Ἐκκλησιαστής, id eſt, *Concionator*, Salomoni quoque tribuitur, niſi quòd autores Talmudis, Ezechiæ, ejuſque familiaribus adſcribunt. In eo mundi vanitas, per multiplices rerum creatarum qualitates oſtenditur: ut caduca eſſe intelligamus quæcumque contra rectæ rationis præſcripta appeti ſolent. Deſcribit corruptos hominum mores, Deique in iis puniendis clementiam ſimul ac providentiam exaggerat; omnibus animantibus moriendum, ſolum hominis animum immortalem docet, ut divinum judicium timere, ac divinæ Legi parere aſſueſcamus. Vide Phil. Codurci in hunc librum notas.

4 Canticum Canticorum.

IV. CANTICUM Canticorum, Hebræis שיר השירים, *Schir haſchirim*, id eſt *Excellens Canticum*, Græcis Ἆισμα ἀισμάτων, Salomoni ab omnibus aſſignatur; quamvis incertum ſit an ante, an poſt lapſum, ab eo ſcriptus hic Liber fuerit: quorum poſterius tradidit gloſſa Maſoreth Hattalmud. Is metrica & figurata oratione, per dialogum in morem Eclogarum, Hebraicè compoſitus eſt: eoque carmine ſub perſona ſponſi, & ſponſæ deſcripti creduntur; in ſenſu allegorico Chriſti erga Eccleſiam affectus. Propter arcanos ſenſus ea in veneratione habebatur à veteribus Hebræis, ex Hieronymo [b], ut nonniſi poſt trigeſimum ætatis annum legi ſoleret. Ex hoc Libro Drama elegans, ſuiſque partibus conſtans, Gallico carmine confecit, difficiliaque loca notis expoſuit V. Cl. Car. Cotinus Abbas de Montfronchel, è quadraginta Academicorum Francicorum Collegio.

b Præfat. in Ezechielem.

5. Hi Libri ſaltem ex Proverbiis & Canticis Salomonis collecti, & metro ſcripti.

V. Sunt qui exiſtiment horum trium Librorum Sententias ex variis Proverbiorum & Canticorum Libris, quales Salomon magno numero dictavit, divino inſtinctu collectas. Ea quemadmodum ex Joſepho & Hieronymo affirmat Iſidorus, hexametris & pentametris verſibus decurrunt: niſi quòd extrema pars Libri Proverbiorum concluditur alphabeto, quod trimetro jambico ſupputatur.

6. Sapientia.

VI. Liber SAPIENTIÆ, Græcis Σοφία, qui & *Panaretos* cognominatur, quaſi omnium virtutum doctrinam continens, utrùm Salomonis ſit ambigitur, quòd in Hebraicis Codicibus non habeatur, ſed ſolùm in Græcis. Unde nonnulli, teſte ſancto Hieronymo [c], Philoni Judæo tribuunt, ei qui pro gente ſua Legatus ad Cajum Imperatorem fuit, multaque alia Græcè ſcripſit: quamquam alii vetuſtiori alteri Philoni adjudicant, qui 160. circiter ante Chriſtum annis ſub Onia Pontifice floruerit. Theodoretus autorem ejus voluit eſſe Sirach, ipſius filium Auguſtinus [d]: qui tamen ſententiam poſteà mutavit [e]. Sed hæc omnia non omninò pugnant inter ſe. Nam Sententiæ hujus Libri, quamvis reverà Salomonis fuerint, colligi tamen ab alio, & Græcis verbis exprimi potuerunt; quemadmodum Parabolæ ejuſdem Salomonis [f] tranſlatæ dicuntur in unum librum à viris Ezechiæ Regis Judæ; cùm anteà fortè in ſchedis haberentur. Certè Philonis aut privati alterius non eſſe hoc opus conſtat ex cap. 9. ubi autor ſe Regem à Deo electum, & Templum ædificaſſe teſtatur. Judæi quoque ipſi hunc librum, ut authenticum commendant, ejuſque autorem putant Salomonem, im-

c In Proverb Salom.

d Lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 8.

e Lib. 2. retractation. cap. 4.

f Proverb. c. 25.

g In prologo comment. ſui in Legem. primis Rabbi Moſes Nahmanides [g], qui ſe hunc Librum vidiſſe refert Chaldaicè ſcriptum ſub titulo Sapientiæ magnæ Salomonis. Id etiam ſcribit Rabbi Azarias in Libro *Imre Binah cap.* 47. Et verò, licèt ab Hæreticis inter apocrypha numeretur, tamen Concilium Sardicenſe epiſtola ad
h Lib. 2. hiſtor. cap. 3. omnes Epiſcopos apud Theodoretum [h[, & Concilium Toletanum XI. in confeſſione fidei, ejus autoritate utuntur: Cyprianus, Cyrillus, au-
i Cap. 4. tor libri de divinis nominibus [i], aliique à Bellarmino laudati, canonicis accenſent; & præter Tridentinam Synodum, Concilium Carthagi-
l Can. 47. nenſe 3. [l], Lateranenſe 4. Gelaſius Pontifex, imò & plurimi Patrum Salomoni aſcribunt. Continet hic Liber Doctrinam juſtitiæ, ſeu vitæ rectè inſtituendæ, & præcepta ad pravorum hominum converſionem ac bonorum inſtitutionem pertinentia. Cap. 6. exhortationem habet ad Juſtitiam: à 7. uſque ad 10. explicat Sapientiæ originem: hinc ad finem uſque, utriuſque virtutis effectus delineat.

7. *Eccleſiaſticus.* VII. ECCLESIASTICUS, Græcis Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειρὰχ, quòd à Jeſu filio Sirach Hieroſolymitano conſcriptus exiſtimetur, quem ejus Nepos eodem cum Avo nomine dictus, ut ex ipſius prologo colligitur, & tradit
m Tit. 4. fidei orthodoxæ. Beatus Joannes Damaſcenus [m], ex Hebræo in Græcum vertit, temrore Ptolæmei Evergetæ, cujus initio in Ægyptum venit, paulò poſt mundi annum 3804. Clemens tamen & Cyprianus, aliique Salomoni adſcribunt. Atque hæ ſententiæ ità conciliantur à Bellarmino, ut Salomonis ſcripta à Jeſu Siracide collecta, & in unum volumen redacta ſint. Hunc ſacrum Librum Hæretici recentiores contemnunt: ſed Canonicum agnoſcunt priſci Patres, qui vel ſub nomine Scripturæ eum laudant, vel
n Lib. de pond. & menſuris. inter ſacros Libros disertè nominant. Quod autem Epiphanius [n] hos Libros non eſſe receptos ait, hoc ex ſententia Judæorum intelligi debet: nec tamen omnium, cùm inter Hagiographa numerentur à Judæo autore *Semach David*, in Chronologia ad annum 3448. laudetur à Gemara, & aliis à quibus vocatur Liber *Ben-ſira*. In prima parte continet encomia Sapientiæ: in altera, tam de ea, quàm de aliis virtutibus ſententias ſeniorum ad 44. caput: in tertia exempla refert Sapientum à capite 44. ad finem. Hactenus de ſacris veteris Teſtamenti Codicibus. Nunc ad Novi Fœderis Libros veniamus.

CAPUT XV.

De Libris Novi Fœderis Legalibus, ſive Evangeliis.

1. *De nomine Evangelii.* I. EVANGELII nomen ab eodem fonte manat, à quo Angeli appellatio, à verbo ſcilicet Græco ἀγγέλω, quod nunciare ſignificat: unde eſt Ἄγγελος, *Nuncius*, & εὖς, *bonus*, compoſitumque ex eo Εὐαγγέλιον, *bonum nuncium*. Eaque vox non modò apud Home-
a Odyſſ. ξ. rum [a], ſed & apud Ciceronem in Epiſtolis ad Atticum, in multitu-
b Lib. 2 ep. dinis numero, ſumitur pro præmio quod lætum nuncium afferenti dari
c D. de fuit. in l. falſus creditor, 43. §. 9. ſolet, *O Suaves*, inquit, *epiſtolas duas, quibus Evangelia deberi fateor!* [b] quod etiam [c] probant Ulpiani Juriſconſulti verba: *Quid ergo ſi*

Evan-

Evangelia quæ dicunt, *petat*? ubi tamen alii Εὕρετρα legunt, id eſt mercedem pro rei inventæ, ſeu repertæ nuncio. Alii μηνύτρα malunt, id eſt præmia indicii, de quibus Budæus. Accipiuntur item Evangelia apud Plutarchum [d] pro ſacrificiis & ſupplicationibus quæ ob jucundum nuncium decerni conſueverant. Chriſtiana Eccleſia hoc vocabulo Hiſtoriam ſignificat Annunciatæ per Chriſtum vitæ ac ſalutis æternæ (quod Evangelium Regni apud Matthæum dicitur) itemque ſermonem quo Dominus peccata noſtra ſuo adventu, ſuaque morte deleviſſe prædicatur. Sed quoties Evangelium *ſecundum Matthæum*, *&c.* dicimus, hiſtoria intelligitur qua Salvatoris ac Domini noſtri Jeſu Chriſti fauſtum hominibus ſalutis nuncium afferentis geſta deſcribuntur: qualia Evangelia, licèt plures contexere ſint conati; tamen, quia id plerique ſine divino Spiritu ſuſceperunt, omnes ab Eccleſia rejecti ſunt, præter quatuor qui Evangeliſtæ vulgò vocantur.

d In apothegmat.

II. Primus inter eos qui ſacram Chriſti Hiſtoriam, qua Chriſtianæ quoque Legis præcepta continentur, ſcripſere, *Matthæus* fuit, ex Publicano Apoſtolus, Levi priùs dictus; à quo τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον appellatur. Æthiopibus Chriſtum prædicavit: indè reverſus, apud Parthos in civitate Hiera obiit. Is lingua patria id eſt Hebraica ſcripſit, teſtibus Epiphanio [e], Euſebio [f], Irenæo [g], & Hieronymo [h]; qui ſe illud Evangelium vidiſſe, ac deſcripſiſſe teſtatur lingua Hebraica ſcriptum. Hebraicum ſanè hodieque ſub ejus nomine Evangelium Pariſiis ſuperiore, in Germania verò etiam currente ſeculo, typis mandatum habemus; ſed an illud verè ſit, quod ſcripſerat S. Matthæus, non ſine cauſa ab eruditis dubitatur. Epiphanius [i] appellat Ἑβραϊκὸν φυτὸν, quod malè vertit interpres Hebraicam Genealogiam; cum ſignificet Hebraicum germen, ſive fœtum: notatque ſcriptum fuiſſe Ἑβραϊστὶ καὶ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι. hoc eſt Hebraica lingua, & literis Hebraicis. Verùm D. Hieronymus [l] aſſerit ſcriptum fuiſſe Chaldaico Syroque ſermone, ſed Hebraicis Literis: quod facilè cum ſuperioribus conciliatur, ſi meminerimus linguam Chaldaicam ſive Syriacam ex Chaldaica derivatam, nec multùm ab Hebraica diverſam, ſæpè poſt captivitatem Babylonicam Hebraicæ nomine intelligi, quod Hebræis tunc in uſu eſſet. *Matthæus*, ut ait Iſidorus [m], *ſcripſit Evangelium literis Hebraicis & ſermonibus, in Judæa.* Euſebius [n] tradit Pantænum Evangelii prædicandi cauſa in Indiam miſſum, apud quoſdam ejus regionis populos Matthæi Evangelium reperiſſe, quod eis D. Bartholomæus Apoſtolus Hebraicis ſcriptum literis reliquerat. Cedrenus quoque inventum in Cypro narrat S. Matthæi Evangelium juxta ſacras B. Barnabæ reliquias, hujus manu deſcriptum: inde à Zenone Imperatore ſublatum, atque in Palatio repoſitum.

2. *Evangelium Matthæi.*

e Hæreſi 29. quæ eſt Nazaræorum.
f Hiſt. Eccl. lib. 3. c. 28.
g Lib. 3. c. 1.
h Tum præf. in Matth. tum lib. de Script. Eccl.
i Hæreſi 30. num. 3.
l Dialogo 3. cōtra Pelagium.
m Lib. 6. Orig. cap. 24.
n Hiſtor. lib. 5. c. 10.

III. Cur Hebraico ſermone ſcripſerit D. Matthæus, cum reliqui novæ legis Scriptores Græcum amplexi fuerint, ratio hæc affertur à D. Joanne Chryſoſtomo [o] & Euſebio, quòd in Judæa & Judæorum cauſa illud compoſuerit, rogantibus iis, qui jam Chriſto crediderant, & à quibus diſceſſurus erat, ut ad alias gentes proficiſceretur. Id verò ad Olympiadem 204. & Chriſti annum 41. refert idem Euſebius; ad annum verò 15. poſt aſcenſum Chriſti Nicephorus & autor Chronici Alexandrini.

3. *Cur Hebraicè & quando ſcriptum Matthæi Evangelium.*

o In opere imperfecto, tom. 1.

IV. Proprium ſanè argumentum Matthæus ſibi ſumpſit, ut Judæis, Meſ-

4. *Scopus Matthæi.*

Digitized by Google

Meſſiam ſeu Chriſtum expectantibus, demonſtraret Jeſum eſſe Meſſiam, ex Abrahami & Davidis ſtirpe ortum, & ſic Meſſiam jam veniſſe.

5. Ejus Evangelii in capita diviſio.

V. Dividitur Evangelium Matthæi apud Latinos recentiores in 28. capita, apud Græcos in 68.

6. De Evangelio ſecundum Hebræos.

q Lib. 3. c. 25. & ult. hiſt. Eccl.
r In cap. 12. Matth.
ſ In epiſt. ad Smyrnæos.
t In Matth. c. 8.
u Lib. 2. Stromatum.

VI. Aliud ab hoc Matthæi Evangelio eſt Evangelium quod dicitur *ſecundum Hebræos*, in quo aſſuta ſunt multa quæ non extant in Evangelio ſecundum Matthæum: ut hiſtoria de adultera, quam à Joanne relatam habemus, de qua apud Euſebium [q]; & alia quæ apud Hieronymum [r], Ignatium [ſ], Origenem [t], & Clementem Alexandrinum [u] leguntur.

7. Evangelium ſecundum Marcum.

VII. MARCUS Iſraelita fuit ex Tribu Levi, Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus & interpres, quem graviſſimi autores eundem faciunt cum Marco Barnabæ conſobrino. Sed alium eſſe conſtat ex Martyrologio Romano, quod Evangeliſtæ quidem feſtum habet ad diem xxv. Aprilis; alterius autem ad xxvII. Septembris. Perperàm quoque eum quidam tradunt, Epiſcopalis, ac Sacerdotalis gradus vitandi cauſa, ſibi pollicem præcidiſſe; quod à Marco Anachoreta factum Baronius aliique demonſtrant. Romæ, ſive fidelium precibus Evangeliſta adductus, ſive Petri ipſius juſſu, ut vult Irenæus, anno ab aſcenſione Domini decimo, (vel potiùs decimo ſeptimo) geſta ejus ſcriptis mandavit, compoſito brevi EVANGELIO, quod Græcis dicitur *τὸ κτ Μάρκον Εὐαγγέλιον*. In eo plura, utpote à Matthæo jam memorata, prætermiſit. In præceptis morum, atque in iis quæ ad doctrinam pertinent enarrandis brevior, in aliquibus factis, factorumve adjunctis & adminiculis accuratior. Hoc autem Evangelium B. Petrus à ſe lectum probavit, atque Eccleſiæ legendum tradidit. Scriptum Latino primùm ſermone, quo ii utebantur maximè quorum cauſa ſcribebatur, autor eſt Damaſus Pontifex, ſive quis alius autor vitæ Pontificum Romanorum, in vita ſancti Petri, & Syriacus textus indicat, cùm ad calcem ejus Evangelii adjicit deſinere Evangelium Marci, quod locutus eſt & evangelizavit Romæ, Romanè: eamque ſententiam Baronius etiam ſequitur: quamvis Divi Hieronymus [x], & Auguſtinus aliter ſentiant. Creditur tamen B. Marcus, cum Aquilejam à Petro miſſus fuiſſet, ibi Evangelium lingua Græca enarraſſe; cujus codicem adhuc in ea civitate cum ſella Marci eburnea oſtendi ferunt. Quod autem nunc Latinum habemus ejus Evangelium, id ex Græco ab alio interprete redditum eſt, ut cenſet Lucas Brugenſis [y], & plerique alii rerum Eccleſiaſticarum Scriptores. Proprium ſcopum Marcus habuit ut Chriſtum Regem eſſe demonſtraret, cui parere cunctæ poteſtates debeant. Paſſus eſt anno Neronis 8. Chriſti 61. Ultimum ejus Evangelii caput, propter inſerta quædam verba apocrypha, ab omnibus pro Canonico receptum non fuiſſe conſtat ex epiſtola D. Hieronymi ad Hedibiam: ſed cum & reliqui Patres illud agnoſcant, & in Eccleſia legatur, recipiendum eſt haud dubiè ex præſcripto Concilii Tridentini [z]. Noſtri hoc opus in 16. Græci in 48. capita partiuntur.

x In Præfat. ad Damaſum.
y Lib. de conſenſu Evangeliſt.
z Seſſ. 4.

8. Evangelium ſecundum Lucã.

a Cap. 4.

VIII. LUCAS Syrus, Antiochiæ natus, profeſſione medicus fuit, ut in epiſt. ad Coloſſenſes [a] teſtatur D. Paulus, cujus ille individuus comes fuit. Ab Epiphanio inter lxxII. Chriſti Diſcipulos numeratur; eumque nonnulli apud Theophylactum alterum fuiſſe putarunt ex duobus diſcipulis quibus Emmaus proficiſcentibus Chriſtus Dominus poſt reſur-

rectio-

rectionem apparuit. Ægyptiis & Pentapolitanis Chriſtum prædicavit. Græci ſermonis peritus fuit; unde & Græcis autoribus utitur magis, quam Hebræis. Fertur is primùm Chriſti & Mariæ Matris ejus, ac Principis Apoſtolorum effigiem pictura delineaſſe, teſte Nicephoro [b]. Poſt Chriſti Aſcenſionem anno xv. vel xviii. id eſt à Chriſto nato xlviii. aut li. ſub Claudio Cæſare. EVANGELIUM ſcripſit: Græcè τὸ κτ' Λουκᾶ Εὐαγγέλιον. Id autem Græca lingua compoſitum eſt, ſive, ut Syri in titulo ipſius notant, Jonicè, in urbe Alexandria. Hieronymus tamen in Achajæ & Bæotiæ regionibus ſcriptum probabilius exiſtimat. Prolixiùs hiſtorico ſtylo plura nobis geſtorum Domini miracula revelavit, ut loquitur Ambroſius; cæterùm D. Marcus Sacerdotalem Domini ſtirpem ac dignitatem cæteris exactiùs proſecutus eſt: unde per Vitulum ſignificatur, quòd vitulus præcipua eſſet in Sacrificiis victima. Lucas ex ſacris præſertim D. Pauli colloquiis & concionibus, Evangelium ſuum collegit. Cælebs vixit ad annum ætatis 84. Naturali morte defunctum innuunt Hieronymus, Iſidorus, & Metaphraſtes; martyrio coronatum affirmant Nazianzenus, Paulinus, Nicephorus: qua de re videndus Baronius [c].

b Hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 43.

c In Martyrol. Romano.

IX. Ex capite xxii. hujus Evangelii partem illam, ubi narratur Chriſtus Dominus ſudorem ſanguineum ſudiſſe, atque Angeli conſolatione recreatus eſſe, nonnulli revocabant in dubium; eamque è ſuis codicibus delebant, ne Chriſto infirmitatem nimis tribuere viderentur, teſtibus Hieronymo, atque Hilario. Verùm cum apud alios Evangeliſtas & fleviſſe, & alia quaſi affectuum humanorum genera expertus fuiſſe Dominus dicatur; cumque Athanaſius [d] anathema dicat iis, qui Chriſtum ſanguinem ſudaſſe negant; denique cum Epiphanius [e], & Auguſtinus [f] hunc Lucæ locum ut Evangelicum agnoſcant, nulla ſupereſſe videtur dubitationis cauſa. Ejus Evangelium Latini recentiores in 24. capita ſecant, Græci in 63.

9. Aſſeritur caput Marci 22. de Sudore Chriſti ſanguineo.

d Lib. 6. de Beatitud. filii Dei.

e In Ancorato.

f Lib. 3. de conſenſu Evãgeliſt.

X. JOANNES Apoſtolus, Jacobi frater, filius Zebedæi, Bethſaidæ in Galilæa natus, arte piſcator, à Chriſto præ cæteris dilectus; qui in cruce moriens, Matrem ei ſuam novo adoptionis genere commendavit. Diſcedentibus in varias orbis terrarum partes Apoſtolis, Epheſum, cum prædicta ſanctiſſima Matre Domini noſtri Maria profectus eſt, ut Baronius probat. Inde Domitiano Imperatore in vinculis miſſus eſt Romam, & in dolium ferventis olei injectus: è quo illæſus cum exiiſſet, relegatus eſt in inſulam Pathmon, ubi vidit & ſcripſit ea quæ in Apocalypſi ab eo narrantur. Ab exilio liberatus Imperatore Nerva, Epheſum rediit, ubi paulò poſt, expleto (ut ait Epiphanius) vitæ ſuæ anno xc. rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, EVANGELIUM ſuum Græcè compoſuit, τὸ κτ' Ἰωάννην Εὐαγγέλιον, adverſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maximè Ebionitas, qui negabant Chriſtum ante Mariam fuiſſe. Græcè quoque ſcripſit Epiſtolas ſuas canonicas tres, de quibus ſuo loco. Cumque tres alii Evangeliſtæ de Salvatoris maximè Humanitate diſſeruiſſent, ipſe divino actus ſpiritu proprium habuit argumentum de Divina Chriſti natura plura enarrare, & ab eodem antequam Joannes Baptiſta in carcerem mitteretur, geſta, atque à prioribus prætermiſſa, exponere. Hoc Evangelium noſtri 21. capitibus diſtinguunt: Græci 18. non numerato capite quod nobis viii. eſt. Pervenit S. Joannes, teſtibus Euſebio & Hieronymo, uſque ad tempora Trajani Imperatoris: & Epheſi 68. poſt paſſionem Domini anno, qui

10. Evangelium ſecundum Ioannem.

erat

erat ab eodem nativitatis 100. vel 101. in pace quievit, ætatis ſuæ anno XCIV. [g].

g Bar. ann.101.

11. *Tollitur dubitatio de hujus Evangelii c. 8.*

h In annot. ad hunc locum.

XI. INITIUM capitis VIII. Evangelii ab eo conſcripti quo Adulteræ hiſtoria continetur, non fuiſſe olim certæ fidei Eraſmus docet [h] ex Euſebio, ubi ſic ait: *Hiſtoriam quandam ſubjungit de muliere adultera, quæ accuſata eſt à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio, quòd dicitur ſecundum Hebræos, ſcripta iſta parabola.* Quibus verbis apertè indicat ſe non vidiſſe eam hiſtoriam in Evangelio Joannis, & ſibi non tam hiſtoriam, quàm parabolam videri. Initio non extitiſſe in multis Græcorum, & Latinorum Codicibus fatetur D. Hieronymus [i]. Nihilominùs tamen dubium eſſe non debet, quin ea Hiſtoria ſit, eaque Evangelica. Cum & in Eccleſia legatur Sabbato poſt Dominicam III. Quadrageſimæ; & eam agnoſcant graviſſimi Patres Græci ac Latini Athanaſius [k], Chryſoſtomus [l], Ambroſius [m], Hieronymus [n], Auguſtinus [o]. Eam hiſtoriam ab inimicis veræ fidei eraſam fuiſſe de nonnullis codicibus notat. Neque huic cauſæ officit, ſed prodeſt potiùs, quòd Euſebius ſcribit, Papiam Joannis diſcipulum hujus hiſtoriæ meminiſſe. Papias quippe Hierapolitanus Epiſcopus, ſanctorum Polycarpi & Ignatii æqualis, tum antiquitate tum ſacrarum Literarum peritia celebris, niſi dubitanter prolaturus credi non poteſt, quod non pro vero habuiſſet. Quòd autem eam Euſebius in ſuo Evangelii volumine non habuerit, parum refert: nam & in quibuſdam veterum libris deſideratam fuiſſe eam narrationem probabile jam ex Hieronymo obſervavimus; & Euſebium non de hac adulteræ Hiſtoria loqui, ſed de alia verè apocrypha, quæ non tantùm adulterii, ſed plurium criminum rea dicebatur. Certè in textu Græco Euſebii non de adultera agitur, ſed περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης.

i Lib. 2. adverſ. Pelagianos.

k In Synopſi.

l Homil. 60. in Joan.

m Epiſt. 58. l. 7. ad Studium.

n Lib. 2. contra Pelag.

o Tractat. 33. in Joannem.

12. *De aliis Evangeliis.*

XII. Circumferebantur olim Evangelia aliorum Apoſtolorum nomine, ut Petri, Thomæ, Philippi, Mathiæ. Sed quoniam ab Hæreticis, aut conficta, aut corrupta omninò fuerant, Eccleſiæ judicio rejecta ſunt. Evangelium Jacobi quod ſecundum Hebræos dicitur, de quo ſuprà, videtur expoſitio Evangelii à Matthæo conſcripti, cujus meminit D. Athanaſius. Verùm illud primis tantùm ſæculis notum. De his Evangeliis poſt Athanaſium, ſive autorem Græcum libri de ſacris Scripturis, & Euſebium, videndi ex Neotericis, Sixtus Senenſis [p], Covarruvias, Dartis.

p Lib. 2. Biblioth. ſanctæ.

CAPUT XVI.

De Hiſtorico novi Teſtamenti Libro, Actibus nempe Apoſtolorum.

1. *Actus Apoſtolorum quid contineant.*

I. LIber ACTUUM APOSTOLORUM, ſive *Acta Apoſtolorum*, Græcè Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, Hiſtoricum eſt volumen quod tametſi magna ex parte Pauli dumtaxat geſta commemoret; de aliis tamen Apoſtoli multa, eaque graviſſima tradit: & quia Actorum, ut & Annalium,

Digitized by Google

nalium, nomine comprehenduntur etiam quæ docentur, ac præcipiuntur; hinc fit ut Apoſtolorum conciones quoque ad duas & viginti, in hoc libro referantur.

2. A quo & qua lingua ſcriptus ſit Liber Actuū.

II. Syrus interpres hunc præfixit Titulum, *Liber Actuum, hoc autem eſt Hiſtoria Beatorum Apoſtolorum, quam collegit S. Dominus meus Lucas Evangeliſta.* Scriptus eſt lingua Græca nitidè & eleganter, quippe quam per ſe D. Lucas callebat, & ſtylo hiſtorico.

3. Quo tempore compoſiti Actus Apoſtolorum, etc.

III. Pervenit, ut ait Hieronymus, uſque ad biennium Romæ commorantis Pauli, id eſt uſque ad 4. Neronis annum: ex quo intelligi poteſt in eadem urbe hunc librum eſſe conſcriptum, idque ut ait Baronius anno 61. à Chriſto nato, qui fuit Neronis 5. Quoniam autem Lucas non ſemper ita individuus fuit Pauli comes, quin interdùm ab eo abſuerit: ideò plura non exigui momenti prætermittens, aut ſtrictim attingens, ea tantùm quibus interfuit diſtinctè atque integrè ſibi narranda ſuſcepit. Eſt autem hæc Apoſtolorum hiſtoria cum Evangelica ſummè connexa. Ibi cœleſtis frumenti granum deſcribitur quaſi terræ commendatum; hìc verò jam enatum & ſuam paulatim frugem proferens. Apud Græcos diſtinguitur hoc volumen in 40. apud Latinos in 28. capita.

CAPUT XVII.

De Moralibus Libris Novi Fœderis, ſive Pauli aliorumque Apoſtolorum Epiſtolis.

1. De B. Paulo Apoſtolo.

I. PAULUS Apoſtolus, qui ante converſionem Saulus dicebatur, Judæus ex Tribu Benjamin, Tarſi in Cilicia natus, à parentibus Hieroſolymam miſſus, ut Legi operam daret, in ea à Gamaliele eſt eruditus ac deinde in Phariſæorum ſectam cooptatus, ſcenopegiam ſeu conficiendorum tentoriorum artem didicit. Cùm autem paternarum traditionum ſtudio arderet, Chriſtianos capitali odio proſecutus, perſecutuſque eſt: donec ſecundo poſt Domini in cœlum aſcenſionem anno, cum ea ipſa de cauſa Damaſcum proficiſceretur, eo in itinere per miraculum à Chriſto Domino cœlitùs vocatus, & converſus, ipſum publicè prædicare cœpit. Pro quo ter virgis cæſus, naufragium paſſus, ut ipſe teſtatur, tandem ſimul cum B. Petro anno Chriſti 69. ætatis 68. Romæ ſub Nerone martyrii laurea decoratus eſt.

2. De Epiſtolis B. Pauli, earum numero, & qua lingua ſcriptæ.

II. Epiſtolas reliquit quatuordecim, omnes Græca lingua, quæ tum maximè trita erat: præter Epiſtolam ad Hebræos, quam Hebraicè ſcriptam probabiliter plerique cenſent, ac deinde in Græcum ſermonem translatam.

3. De quibuſdam D. Pauli Epiſtolis, præter receptas in Canone.

III. Meminit & cap. 4. ad Coloſſenſes, Epiſtolæ Laodicenſium, quaſi à ſe ad Laodicenſes miſſæ, quam ab iis, quæ extant, diverſam nonnulli putant; unam tamen eandemque eſſe cum ea, quæ Laodicæa ad Timotheum per Tychicum Diaconum miſſa eſt, communi fert ſententia. Et verò eo loco epiſtolæ ad Coloſſenſes, illam, non epiſtolam ad Laodicenſes vocat, ſed τὴν Λαοδικείαν, quaſi dicas Laodicenam, ſive ut Vatablus vertit, quæ ſcripta eſt ex Laodicæa. Epiſtola verò ad Laodi-

Laodicenſes quæ extra canonem invenitur, nihil quidquam continet præter ea, quæ fuſiùs in Epiſtola ad Coloſſenſes habentur; unde inutilis prorſus fuiſſet. Idem cenſendum de Epiſtola ad Corinthios, quam antè ad eoſdem miſſas aliqui ſcriptam affirmant, ex eo quod 1. Corinth. 5. dicitur, *Scripſi vobis in Epiſtola ne commiſceamini fornicariis*: iis enim verbis illa ipſa prima ad Corinthios Epiſtola indicatur, in cujus priori parte id ſcriptum invenitur. Feruntur & quædam breves epiſtolæ tanquam ſancti Pauli ad Senecam, quas D. Hieronymus [a] non omninò rejeciſſe videtur; ſed cum à Catholica Eccleſia receptæ non ſint, nec ſancti Pauli ſunt cenſendæ.

a Lib. de Scriptor. Eccleſ.

4. *Epiſtola ad Romanos.*

b Tom. 1.

c Præfat. in epiſt. Pauli.

IV. Primam juxta Scripturarum ordinem Epiſtolam *ad Romanos* ſcripſit Paulus Corintho anno Chriſti 58. ætatis 57. ex Baronio [b], eamque per Phœben miniſtram Cenchreenſis Eccleſiæ miſit. Hæc Epiſtola, Græcis Παύλου τοῦ Ἀποστόλου ἡ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολὴ, licèt ut Theodoretus [c] docet ultima ſit earum quæ ex Orientalibus & tranſmarinis regionibus à D. Paulo ſcriptæ ſunt; ac, ſi tempus ſpectetur, ſeptimum tantùm locum ſibi vendicare debeat: attamen quia & dignitate ac gravitate alias ſuperat, & prima Chriſtianæ inſtitutionis rudimenta continet, utpote quæ de Fide, Gratia, Chriſtique Meritis multa tractet, primo loco poſita eſt. Nititur in ea Paulus Romanos ex Judæis ac Gentilibus nuper converſos, deque meritis eorum qui ad Religionem Chriſtianam aut etiam ad Eccleſiaſtica munia admittendi eſſent, inter ſe contendentes, ad mutuam concordiam revocare. Eſt ea omnium difficillima, tùm ob argumenti ſublimitatem, tùm ob loquendi figuras, quæ alicubi minùs perſpicuæ ſunt. Dividitur hæc Epiſtola apud Græcos in capit. 20. apud recentiores Latinos in 16.

5. *Ad Corinthios prima.*

V. *Ad Corinthios*, Chriſtianam nempe religionem Corinthi amplexos, quæ Achajæ ac totius Græciæ primaria civitas erat, duæ extant Pauli Epiſtolæ: *Prior* Epheſo ſcripta eſt, anno Chriſti 57. & per Stephanum ac Fortunatum miſſa, ſedandis Corinthiorum diſſidiis, quæ à nonnullis qui ſapientiores videri volebant, excitata fuerant circa Evangelii præſertim præcones & Sacramenta. Ideò autem poſtpoſita Epiſtolæ ad Romanos dicitur à ſancto Anſelmo [d], quoniam eos, qui fidem jam acceperant, in bono opere inſtruit. Habet apud Græcos capita novem, apud Juniores Latinos ſedecim.

d In Præfat. Epiſt. ad Rom.

6. *Ad Corinthios ſecunda.*

VI. Poſteriorem *ad Corinthios* Epiſtolam anno inſequenti, id eſt Chriſti 58. per Titum & Lucam Nicopoli miſit, qua fideles Corinthi agentes, propter dignam bonorum operum frugem collaudans, ad meliora hortatur; monetque ut bonis Evangelii miniſtris adhæreant, rejectis malis. Diſtinguitur in capita decem à Græcis, à Latinis neotericis in tredecim.

7. *Epiſtola ad Galatas.*

VII. *Ad Galatas*, ſive Gallo Græcos, vel potiùs advenas, qui in Galatia provincia commorabantur, ſcripta Epheſo anno Chriſti 55. vel 56. (ut oſtendit Baronius) Epiſtola, quæ quarto loco poſita eſt, ob maximam quam cum ſuperioribus habet affinitatem; quemadmodum ait D. Anſelmus [e]. Hac Epiſtola graviter Galatas objurgat, quòd obliti Evangelicæ libertatis, quam adepti fuerant, in Legis Moſaicæ ſervitutem relapſi eſſent. Continet cap. duodecim apud Græcos, ſex apud Latinos.

e In ejus epiſt. argumento.

8. *Epiſtola ad Epheſios.*

VIII. Quæ quinto loco numeratur Epiſtola *ad Epheſios* ex Romano carcere per Tychicum miſſa eſt anno Chriſti 59. ad fideles Epheſi degentes, quæ

Metro-

Metropolis eſt Aſiæ. Quemadmodum autem in proximè ſuperiore Galatæ ad Fidem revocantur, ſic per hanc Epheſii confirmantur in fide, ex Anſelmo; ut prætermiſſis carnalibus Legis obſervationibus, veram vitæ Chriſtianæ formam, quam fidem jam edocti à Paulo flagitaverant, accipiant & ſequantur. Habet apud Græcos decem capita, apud Latinos ſex.

9. Epiſtola ad Philippenſes.

IX. *Ad Philippenſes*, Philipporum in Macedonia Cives, ſextam Epiſtolam Romæ in vinculis ſcripſit, ac per Epaphroditum miſit. In ea Clericos præſertim hortatur ad concordiam, atque ad fidei veritatem tuendam adverſus Pſeudo-apoſtolos ſchiſma per Judaiſmi commendationem molientes. Græci dividunt in octo capita, Latini in quatuor.

10. Epiſtola ad Coloſſenſes.

X. Coloſſæ civitas eſt Phrygiæ; ad cujus incolas ſeptimam in vinculis quoque Romæ agens Paulus ſcripſit Epiſtolam; ac per Tychicum jam laudatum, anno Chriſti 60. tranſmiſit: qua eos Judaicis Græciſque ſuperſtitionibus adhuc involutos, ab iis avocat, oſtendens non niſi per Chriſtum patere ad Deum acceſſum. Apud Græcos in capita decem diſtribuitur, apud Latinos in quatuor.

11. Epiſtola ad Theſſalonicenſes prima.

XI. *Ad Theſſalonicenſes*, quæ civitas eſt Macedoniæ Metropolis, duæ extant Epiſtolæ. Prima, quæ octavo inter reliquas loco collocata habetur, Corinthi præſente Timotheo, ſcripta anno 52. & per Tychicum miſſa: ſingularem eorum in fide conſtantiam laudat: deindè hortatur eoſdem ut mortuorum certam expectent reſurrectionem, atque ut perſecutiones pro Chriſto alacriter perferant: monet prætereà, ne in Domini adventu inveſtigando nimis curioſi ſint. Hæc habet apud Græcos ſeptem, apud Latinos quinque capita.

12. Ad Theſſalonicenſes ſecunda.

XII. Altera quæ nona cenſetur, anno inſequenti eodem ex loco miſſa, ejuſdem ferè argumenti eſt cum priore. Habet capita apud Græcos quinque, apud Latinos tria.

13. Ad Timotheū 1. Epiſtola.

XIII. *Ad Timotheum* Epheſiorum Epiſcopum, Lyſtris in Iſauriæ, ac Lycaoniæ confinio, patre Athenienſi, matre Judæa natum, duas conſcripſit Epiſtolas: prior in Biblico ordine decima legitur: eſtque ex Macedonia per Tychicum eundem anno Chriſti 57. miſſa, ea mente, ut officium Paſtoris, & conſtituendorum ſacrorum Eccleſiæ miniſtrorum rationem eum doceret. Conſtat ex Græcorum calculo octodecim, ſecundum Latinos ſex dumtaxat capitibus.

14. Ad Timotheum ſecunda.

XIV. Undecima Roma ex carcere miſſa eſt anno 59. Eundem *Timotheum* adverſus falſos Prædicatores, & perſecutionum procellas confirmans, omnem veritatis regulam tradens; deque iis, quæ ultimis temporibus futura ſunt, admonens. Græci hanc partiuntur in capita novem, Latini in quatuor.

15. Epiſtola ad Titum.

XV. *Ad Titum* Cretæ Inſulæ Epiſcopum anno Chriſti 58. Nicopoli Macedoniæ, aliàs Epiri civitate, ſcripta eſt, quæ in ordine Bibliorum habetur duodecima: qua docet præſertim quæ Epiſcopali dignitati atque adminiſtrationi, ſive ſtatui Eccleſiaſtico conveniant; quoſdam etiam ex Judaica religione converſos accuſat, qui ſalutarem prædicationem corrumpere conabantur: ac denique divinæ diſpenſationis cauſas oſtendit. Hujus ſunt capita quatuor in Græcis codicibus, in Latinis tria.

16. Epiſtola ad Philemonem.

XVI. Decimatertia numeratur, quam Romæ in vinculis anno 60. dedit ad Philemonem moribus & genere nobilem Phrygium, per ejuſdem ſer-

Digitized by Google

vum fugitivum Oneſimum; quem & hero conciliat, mutua dominorum, ſervorumque officia demonſtrans. Græci in duo capita dividunt; Latini ſine ſectione legunt.

17. Epiſtola ad Hebræos.

XVII. Epiſtola *ad Hebræos*, quæ XIV. loco ponitur, Hebraicè ſcripta putatur, Romæ in vinculis anno Chriſti 60. propter credentes ex Judæis, qui eum inviſerant: miſſa eſt autem per Timotheum. In ea Judæis ad fidem converſis ſuadet, ut quæcunque adverſa inciderint, ea fortiter ferant; præmiumque expectent exemplo Chriſti, & Patrum etiam ſuorum: à Moſaicæ præterea Legis obſervationibus eos dehortatur, ut ſoli Evangelio adhæreant. Dividitur à Latinis in capita tredecim, à Græcis in duo ſupra viginti.

18. De ea dubitatum initio.

f In lib. de Scriptor. Eccleſ.

XVIII. Jam olim teſte Hieronymo [f] hanc Epiſtolam Pauli eſſe multi negabant; quorum alii Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementi Romano adſcribebant: ex quo intelligas licet à D. Luca, vel à S. Clemente eam in Græcum ſermonem fuiſſe verſam. Nec defuerunt veteres ac recentiores Hæretici, qui fidem canonicam ei detraherent.

19. Sed & Pauli & Canonica eſt hæc Epiſtola.

XIX. Verùm eam Canonicam & à ſancto Paulo ſcriptam eſſe Catholica ſemper Eccleſia cenſuit; quæ inter Miſſarum ſolemnia eam ſub Pauli nomine populo Chriſtiano legit. Patres quoque Conciliorum Laodiceni, Carthaginenſis 3. Arauſicani, Florentini, ac Tridentini eam in ſacrum divinarum Scripturarum catalogum retulere; ejuſque autoritate utuntur ſancti Eccleſiæ Doctores, laudati à Bellarmino [g].

g Lib. 1. de verbo Dei.

20. Aliorum Apoſtolorum Epiſtolæ, cur Catholicæ dictæ.

XX. Reliquorum *Apoſtolorum* Epiſtolæ ſeptem numero *Catholicæ* communi nomine appellantur ſive Univerſales; quòd non ut Paulinæ ad Gentem aut civitatem unam, ſed vel ad Judæos per orbem propè univerſum diſperſos, vel ad Chriſtianos omnes pertineant. Ex Græca lingua omnes ſcriptæ eodem ordine creduntur, quem in ſacris Codicibus obtinent.

21. Epiſtola ſancti Iacobi.

XXI. Prima eſt *B. Jacobi* cognomento Juſti, qui & Minor dictus eſt, quod poſt alium Jacobum Zebedæi filium, & Joannis Evangeliſtæ fratrem ad Apoſtolatus gradum vocatus ſit. Idem frater Domini appellatus fuit, quòd filius eſſet, non D. Mariæ Deiparæ, ut volebat Helvidius Hereticus; aut Joſephi, ut Euſebius, & Epiphanius exiſtimarunt: ſed Mariæ Cleophæ, quæ ſoror Matris Domini vocitabatur, quia, ut Bellarminus [h] partim ex Evangelio, partim ex Hegeſippo apud Euſebium colligit, Cleophæ fratri Joſephi nupta erat: eſtque uſu apud omnes ferè gentes receptum, ut duorum fratrum uxores ſe invicem ſorores compellent; & Latinè quoque fratres patrueles, abſolutè dicuntur fratres duorum fratrum filii: *les Couſins germains*. Unde apud Ovidium Ajax de armis Achillis cum Ulyſſe contendens, hac ratione utitur,

h Lib. de Script. Eccleſiaſt.

Frater erat, fraterna peto.

Cleophas hujus Apoſtoli pater, Alphæus quoque dictus, duobus nominibus, quemadmodum Matthæus qui & Levi; ac Petrus, qui & Simon. Sic Jacobum hunc à Jacobo Alphæi diverſum non fuiſſe probat S. Hieronymus [i]: unde fruſtrà Græci in Menologio tres Jacobos Chriſti Diſcipulos ponunt, Jacobum Alphæi à Jacobo fratre Domini diſtinguentes, qui idem eſt. Is Epiſcopus Hieroſolymæ ordinatus, à Judæis anno 7. Neronis, Domini 63. è faſtigio Templi præceps actus, ac fuſte percuſſus interiit: ibique poſt alterum Jacobum fidem ſanguine ſuo ſancivit. Hæc Epiſtola ad duodecim Tribus Judæorum per varia loca diſperſas ſcri-

i In lib. contra Helvidium.

Digitized by Google

ſcripta; non verbo tantùm, quod Phariſæis ſolenne, ſed opere docet fidem eſſe oſtendendam. Eam Latini in capita quinque, Græci in ſeptem diſtinguunt. Et licèt non ſtatim ab univerſis Eccleſiis receptam, pro canonica tamen agnoverunt S. Hieronymus [l], Ambroſius [m], Auguſtinus [n], Iſidorus [o], Innocentius I. & alii; Concilia item, Laodicenum, Carthaginenſe 3. & Milevitanum [p]. Vide Bellarminum [q].

l De Viris Illuſtribus.
m Serm. 7. in pſalm. 118.
n Lib. 2. de doctr. Chriſt.
o Lib. 6. etymol. cap. 1.
p 1. Can. 7.
q Lib. 1. de Verbo Dei c. 18.

XXII. B. PETRI Apoſtoli, qui (Græcè Πέτρος, Hebraicè כיף *Cheph*, Syriacè vel Chaldaicè כיפא *Chepha*, ſive Petra:) Epiſtolæ duæ ſunt in Canone. Is Betſaidæ in Galilæa natus, à piſcatura cum majore fratre Andrea ad Apoſtolatum vocatus, ſocrum habuit, & ex conſequenti uxorem: ex qua natam quidam volunt Petronillam; quam alii ſpiritualem dumtaxat ejus filiam putant fuiſſe. Antiochenæ primùm Eccleſiæ ſeptem annis præfuit; deinde per minorem Aſiam ſparſo fidei ſemine, anno Claudii 2. Chriſti 42. Romam venit: ubi ultra annos quatuor & viginti ſedem habuit, ad XIII. & ultimum Neronis, Chriſti 68. quo tempore martyrio coronatus eſt, Cruci, ſed verſo in terram capite, affixus. Primam Epiſtolam anno Domini XLV. Romæ ſcripſiſſe creditur, quam Baronius poſt Hieronymum ex Hebræo translatam à Marco exiſtimat. Scripta eſt ad Judæos Chriſto credentes per Aſiam minorem ſparſos, de redemptione per Chriſti ſanguinem à Prophetis annunciata, de honore Regibus & Magiſtratibus exhibendo, de conjugum concordia, deque ultimo judicio. Hanc Latini in quatuor, Græci in octo capita diſtribuerunt.

22. S. Petri Epiſtola 1.

XXIII. Altera, qua Romam reverſus anno 68. Hebræos, qui nuper crediderant, docet religionem quam acceperant, & ex ejus diſciplina veram ſanctamque innocentiam vitæ ſequendam; vitandos eſſe Pſeudoprophetas, quorum verſutias indicat. De ſecundæ hujus Epiſtolæ autore, & autoritate dubitatum aliquando teſtantur Origenes, Euſebius, & Hieronymus: ſed ſuprà nominatæ Synodi canonicis voluminibus ſub Petri nomine inſerendam pronunciarunt. Diviſa eſt hæc Epiſtola à Latinis in tria, à Græcis in quatuor capita.

23. Petri 2. Epiſtola.

XXIV. JOANNIS Apoſtoli & Evangeliſtæ tres ſunt canonicæ Epiſtolæ, quarum *Prima* ſemper ab omnibus probata. Eam B. Auguſtinus [r] ad Parthos ſcriptam innuit. In illa univerſos fideles hortatur, ut odium mundi in lucro ponant, tanquam cœleſtem jam tum converſationem habentes. Theologicè tractat de Verbo æterno, & charitate Dei erga nos, ac mutua Chriſtianorum dilectione. Dividitur à Græcis in ſeptem, apud nos in quinque capita.

24. Epiſtola Ioannis 1.
r Quæſt. Evang. lib. 2. c. 39.

XXV. *Secundam* ad Electam nobilem, ut videtur, fœminam, ejuſque filios de hoſpitalitate ſcriptam, ac *Tertiam* ad Cajum de recta fide ſervanda, vitandiſque hæreticis. Nonnulli apud Hieronymum ex Euſebio exiſtimarunt eſſe alterius Joannis, cujus ſepulcrum Epheſi diverſum ab Apoſtoli ſepulcro monſtrabatur: tum quòd in his Seniorem ſe, ſive Presbyterum dicat; tùm quòd contra conſuetudinem Epiſtolarum Catholicarum, ad unum, unamve ſcriptæ ſint. Utramque nihilominùs & prædicta Concilia, & Patres non pauci, tanquam Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ Epiſtolam in Canonem receperunt. Græci priorem dividunt in duo capita, poſteriorem in tria: utramque ſine ſectione Latini reliquerunt.

25. Ioannis 2. & 3.

XXVI. JUDAS Apoſtolus, qui & Thadæus, frater Jacobi minoris, Evangelium per univerſam Syriam & Meſopotamiam, atque in Perſide

26. Epiſtola Iudæ.

prædicavit; ubi & martyrium paſſus eſt: quamquam Beryti in Phœnicia occiſum Hippolytus & Dorotheus autores ſunt. Hanc *ultimam* inter Catholicas Epiſtolam, ad eos, qui jam crediderant, de fide viriliter tuenda, & fugiendis ſeductoribus ſcripſit. Eam, quòd ex Libro Enoch apocrypho teſtimonium adduceret, atque Hiſtoriam Angeli Michaelis de Moſis corpore cum Diabolo contendentis contineret, veterum plerique, teſtibus Euſebio & Hieronymo, è Canone reiiciebant. Autoritatem tamen vetuſtate meruit, & à ſuprà memoratis Synodis ac Patribus, Hieronymo imprimis, & Auguſtino, inter ſanctas Scripturas eſt connumerata. Græci in tria capita diſtinguunt; apud Latinos concluditur uno capite.

CAPUT XVIII.

De Prophetico novi Fœderis Libro, Apocalypſi.

1. Apocalypſis ubi & quando ſcripta, quid contineat.

I. SUPEREST *B. Joannis* Apoſtoli APOCALYPSIS, id eſt *Revelatio*, plenus myſteriorum Liber; & qui tot habet Sacramenta, quot verba (ut inquit Hieronymus ad Paulinum.) Scripta putatur in Inſula Pathmo, anno Domitiani 14. ab ortu Chriſti 95. & miſſa ad ſeptem Aſiæ Eccleſias, quas Evangelii prædicatione erudierat: ubi deſcribens varia perſecutionum genera, quas Eccleſia, à prima origine ad mundi finem pertulit, perferetve, fideles adverſus Hæreticos & perſecutores confirmat; additis & quæ Hieroſolymorum excidium, ac Judæorum abjectionem reſpicere videntur.

2. Germanum S. Joannis Evangeliſtæ opus.

II. Veterum Græcorum Patrum quidam hunc Librum tanquam alienum à ſancti Joannis Evangeliſtæ dictione, Joanni alteri Epheſino Presbytero aſſignabant: nec in Canone recipiebant. Sed inter germana B. Joannis Apoſtoli ſcripta numerarunt Dionyſius Areopagita, ſive quis alius antiquiſſimus certè ſub eo nomine ſcriptor, Juſtinus, Irenæus, Baſilius, Epiphanius, Gregorius Theologus, cum omnibus ferè Occidentis Patribus, & Conciliis, tam priſcis, quàm recentioribus. Apud Latinos capita duo ſupra viginti continet; apud Græcos Andreas Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus pro numero Seniorum, quorum in hoc Libro frequens mentio, in quatuor & viginti partes ſecuit: & earum quamlibet in ſanctiſſimæ Triadis honorem tribus diſcrevit capitibus; unde conſurgit ſumma omnium capitum ſeptuaginta duorum.

3. Indicantur autores qui de ſacra Scriptura pleniùs ſcripſerunt.

III. Hactenus de ſacris utriuſque fœderis voluminibus, de quibus qui in genere plura volet, conſulere inter cæteros poterit Bibliothecam Sanctam Sixti Senenſis, Roberti Bellarmini libros de Verbo Dei, & de Scriptoribus Eccleſiaſticis, atque in hunc diſſertationes Philippi Labbei & Fabiani Juſtiniani Commentarium de ſacra Scriptura; cumque his Joannis Driedonis Iſagogicos de ſacris Scripturis, & Melchioris Cani de locis Theologicis libros.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De Textu Hebraico veteris Teſtamenti.

I. QUONIAM Scriptura Sacra variis Linguis compoſita eſt, atque edita, quarum maximè nobiles ſunt, Hebraica, Græca, & Latina; & Textus à Verſionibus, & ipſæ inter ſe Verſiones diſtinguendæ ſunt.

Hebraicum veteris Teſtamenti genuinum Textum integrum incorruptumque ad nos perveniſſe non convenit inter omnes; & qui de illius fide dubitant, in diverſas abeunt ſententias. Alii omnino corruptum eſſe contendunt, & in univerſum depravatum, quæ ſententia eſt Jacobi de Valentia Chriſtopolitani Epiſcopi [a], Melchioris Cani Epiſcopi Canarienſis [b], & Leonis [c]. Sed huic ſententiæ Catholici plerique omnes adverſantur, in quibus Pius II. Papa, Joannes Driedo Novarienſis Doctor [d], Sixtus Senenſis Dominicanus [e], Robertus Bellarminus [f]. Et revera Mahometanos aut Anabaptiſtas, qui poſt Manichæos hanc opinionem ſectatoribus ſuis inſinuarunt, ea ſententia, magis quàm Catholicos decet.

II. Alii Textum Hebraicum, licèt non omnino corruptum; à Judæis tamen cenſent eſſe depravatum, odio Chriſtianæ Religionis: quò ſcilicet ejus myſteriis tenebras offunderent. Ita Alphonſus Salmeron Societatis Jeſu Presbyter [g], Jacobus Gordonus ejuſdem Societatis [h], aliique nonnulli ex recentioribus Theologis; inter quos Joannes etiam Morinus Bleſenſis, Oratorii Presbyter [i], eique adſtipulati deinde Guido Michael le Jay [l], & Abrahamus Ecchellenſis [m]. Sed Morino quidem contradixit Simeon de Muis, Linguæ ſanctæ Profeſſor Regius [n]. Jaii vero & Abrahami Ecchellenſis ſcriptis refellendis egregiè operam dedit Cl. vir, Collega quondam noſter, Valerianus de Flavigny Doctor ac ſocius Sorbonicus Regiorum Profeſſorum Decanus [o] repugnante acriter Capellano ex eadem Sorbona.

III. Alii deinde ſunt qui veſint Textum Hebræum, non data quidem opera, ſed temporum injuria, & Rabbinorum atque Amanuenſium imperitia aut oſcitantia, vitii quid contraxiſſe, maximè in apponendis punctis, quæ vocalium loco ſunt apud Hebræos, & in iis literis, quæ aliquam inter ſe figuræ ſimilitudinem, aut etiam ſoni cognationem habent, exſcribendis; unde fit ut nullibi faciliùs quàm in lingua Hebraica errores accidere poſſint. Etenim unius ſive literæ, ſive puncti mutatione, quantumvis leviſſima, in diverſiſſimos ſenſus eædem voces detorquentur. Exemplo ſit illud Pſalmi 21. quod in vulgata verſione ſic legitur, *foderunt manus meas & pedes meos*, cujus ſi primum vocabulum Hebraicè, ut debuit, ſcribatur כרו *Caru*, efficit *foderunt*; ſi ut eſt hodiè in Hebræo ſic efformetur כארי *Cari*, erit, *ſicut leo*. Puncta autem vocalia initio nulla erant: ſed quinto demum poſt Chriſtum ſæculo, paulò poſt S. Hieronymi tempora, à Maſoretis ſeu Judæis Doctoribus Tiberiade (quæ eſt urbs Palæſtinæ) inventa eſſe notum eſt; idque ut conſtaret deinceps, de cujuſque vocabuli lectione, quæ antea, deficientibus vocalibus, incerta videri poterat, præſertim linguæ ſanctæ minùs peritis. Hæc itaque ſententia de Textu Hebraico nonnullis in locis ex ignorantia ſcribentium corrupto, maximè recepta eſt; eamque poſt Hebræorum Doctorum primores tuentur ex recentioribus

1 *Textum Hebraicum quidam corruptum omnino volunt, ſed perperam.*

a Præfatione in Pſalmos.

b Lib. 2. de locis Theolog. c. 13.

c In Apologetico.

d De dogmatibus Eccleſiaſticis lib. 2.

e Lib. 8. Bibliothecæ, hæreſ. 2.

f Lib. 2. de Verbo Dei c. 2. to. 1. controverſ.

2. *Alii volunt à Judæis conſultò depravatum.*

g In Evang. hiſt. prolog. 3.

h Controverſ. 1. cap. 10.

i Præfat. in edit. lxx. Interpretum, & paſſim, in ſuis exercit. Eccleſiaſt. & Biblicis.

l In præfat. ad magna Biblia Pariſienſis.

m In ſuis epiſt. apologet.

n In ſuis aſſertionibus & cenſ.

o In ſuis adverſus eos epiſtol.

3. *Quidam Textum Hebraicum per incuriam aut imperitiam aliquatenus vitiatum putant.*

ribus Driedo, & Bellarminus [p], Amandus etiam Polanus [q], & Petrus Cevallerius [r]. Imò eò quoque revertitur ipſe Morinus: qui tamen inde Textui Hebraico autoritatem abrogat, contra eorum opinionem, cum quibus ſentit. Totum autem hoc argumentum pertractat Lud. Capellus Salmurienſis Profeſſor heterodoxus integro volumine cui titulus *Critica ſacra*; contra quem ſcripſit Joannes Buxtorſius etiam heterodoxus Profeſſor Baſilienſis, & Flavignius ante memoratus [ſ]. Videndus Buxtorfii patris theſaurus Grammaticus, & Tiberias, ac Buxtorfii filii tractatus varii eam in rem editi. Hi textum Hebraicum ad nos purum & integrum perveniſſe contendunt poſt Irenæum [t], Origenem [u], Chryſoſtomum [x], Tertullianum [y], Hilarium [z], Hieronymum [a], Cajetanum Cardinalem, Auguſtinum Steuchum, Sanctem Pagninum, & Benedictum Ariam Montanum [b].

p Tom. 1. controverſ. lib. 2. cap. 1. 2. 3.
q In Syntagm.
r In Grammat.
ſ In brevi & amica diſquiſit. ad Mart. Grandinum, & in exercit. Theol.
t Lib. 3. cap. 25.
u Lib. 8. in Eſa.
x Hom. 8. in ep. ad Hebræos.
y De habitu mulierum.
z Præfat. in Pſal.
a In Prolog. Galeato.
b In Apparatu Biblico.

4. Media via tutior, maximam partem eſſe incorruptum.

IV. Si noſtrarum eſſet partium judicium hìc noſtrum interponere, mediam viam tutiſſimam exiſtimaremus; facilèque in eorum iremus ſententiam, qui Hebraicos Libros, maxima ſaltem ex parte incorruptos, uti à Moyſe, & antiquis olim Prophetis conſcripti fuere, adhuc etiam exſtare putant; ac licèt tempore captivitatis Babylonicæ vaſtata civitate, Temploque (ubi ſacra volumina aſſervabantur) incenſo abſumptoque, publica hæc monumenta periiſſe dicantur, quæ verò apud privatos erant, magna ex parte credantur abolita fuiſſe: ab Eſdra tamen ea fuiſſe reſtaurata; non ita ut Spiritu ſancto iterum afflante, Eſdras quinque viris per quadraginta dies ſcribentibus dictaret, ut refertur lib. 4. cap. 14. Eſdræ (qui liber inter apocryphos cenſetur) ſed ut, quemadmodum innuitur cap. 8. lib. 2. ejuſdem Eſdræ (qui inter Canonicos eſt receptus) magna cura is ea ſcripta conquiſiverit, & in ordinem redacta, fortè & collatis Codicibus, propriaque induſtria, præeunte tamen Spiritu ſancto, emendata, cum populo communicaverit: ab illius deinde ſæculo ad noſtra uſque tempora, potuerint quidem menda aliqua in libros ſacros irrepere, & revera irrepſerint librariorum præſertim errore, aut incuria: at illa à Maſoretis non vulgari ſagacitate animadverſa correctaque; aut ſi quid eorum ſuperſit, non ita magni momenti credendum, ut ex eo detrahi ſua ſacro Textui autoritas debeat. Quamvis igitur non eò declinem, ut cum iis ſentiam qui Hebraico textui plus æquo tribuentes, omnia ad ejus fidem examinanda contendunt: in univerſum tamen illud Hieronymi amplectendum puto, quod B. Auguſtino perperam adſcribitur [c] ut veterum librorum fides (hoc eſt veteris Teſtamenti) de Hebræis voluminibus examinanda ſit.

c In Can. 6. diſt. 9.

5. Pars ſacræ veteris Scripturæ Chaldaicè ſcripta.

V. Chaldaica lingua ſacrorum Codicum nonnulli ſcripti ſunt, libri nempe Tobiæ ac Judith, & ex parte libri Eſdræ, ac Danielis, ut docet S. Hieronymus [d].

Syriaca lingua, quæ ex Hebræorum Babylone in captivitate degentium cum Chaldæis permixtione orta putatur, nullus extat ab autore ſuo ſcriptus veteris Teſtamenti liber; niſi fortè tertius Macchabæorum & Eccleſiaſticus; quorum utrumque ſe vidiſſe teſtatur B. Hieronymus [e]. Hebraica autem lingua vulgaris, diverſa à veteri ſic propriè dicta, eadem eſt cum Syriaca. Inter novi Teſtamenti libros Evangelium S. Matthæi, & Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, Syriacè ſcriptam eſſe efficaciſſimis argumentis probari videtur.

d In prologo Tobię aliorumque ſuprad. librorum.
e In Prologo Galeato, & in prologo Proverbiorum.

6. Samaritanus

VI. Textus Samaritanus duplex à Joanne Morino, nuper editus, & ma-

& magnorum Bibliorum Pariſienſium editioni fuit inſertus. Primus eſt Hebræo Samaritanus; hoc eſt Hebræo quidem ſermone, ſed Samaritanis characteribus: & hunc purum Moſis Pentateuchon cenſet eſſe idem Morinus in ſuis exercitationibus; quem refellunt ex D. Hieronymo præſertim Muiſius [f], atque ex profeſſo Valerianus Flavignius, de quo jam diximus [g]. Idque his præſertim argumentis, quòd paſſim interpolatus ſit ex editione Hebraica, vulgata verſione Latina, & Septuaginta Seniorum Græca interpretatione; multis etiam additis ab homine imperito non minùs quàm audace, uti planum facit Ottingerus Profeſſor Baſilienſis [h]. Secunda Samaritana editio, verſio quædam, ſeu potiùs Paraphraſis eſt Samaritano ſermone & charactere; ſed quam ſuo textu longè impuriorem eſſe, adeoque nullam fidem atque autoritatem mereri, probare nititur idem Ottingerus.

Pentateuchi Textus duplex.

f In ſuis aſſertionibus & cenſuris.

g In ſuis Epiſtolis & exercitat. Theolog.

h In ſuis exercitat. Antimorinianis, Baſileæ nuper editis.

VII. Quod ad characteres attinet, Samaritanis uſos initio Hebræos fuiſſe ex eo apparet, quòd Hieronymus [i] aſſerit Eſdram novas literas Hebraicas inveniſſe & Judæis tradidiſſe, antiquas reliquiſſe Samaritanis. Novas autem eas eſſe quibus etiam nunc utimur, inde probari videtur, quòd (ut idem Hieronymus [l] tradit) antiqui Hebræorum alphabeti poſtrema litera, Thau nimirum, ſimilis erat T Græcorum, & figuram Crucis referebat, quoniam ſcilicet finis legis Chriſtus eſt crucifixus. Nunc verò poſtrema Hebraici alphabeti litera ת eam Crucis figuram non ita retinet. Sed hanc Hieronymi conjecturam non admittunt qui ſciunt ex inſpectione characterum Samaritanorum, nobis nuper à Morino in magnis Bibliis Pariſienſibus exhibitorum, literam Thau Samaritanam, nullam habere cum litera T Græcorum ſimilitudinem. Videndus tamen Vvaltonus de Numiſmatibus Hebraicis.

7. De characteribus Hebraicis.

i In prologo Galeato.

l In cap. 9. Ezechielis.

CAPUT XX.

De Græcis Translationibus in genere.

I. GRÆCÆ Bibliorum editiones decem omnino circumferuntur, quas ferè recenſent Euſebius [a], Athanaſius [b], Epiphanius [c]; & quarum cum eodem Epiphanio [d] meminerunt etiam, B. Auguſtinus [e], & Hieronymus [f].

Prima omnium numeratur Septuaginta Interpretum Translatio.

Secunda Aquilæ Pontici ex Chriſtiano Judæi, anno Hadriani Imperatoris 12. Chriſti 124. conſcripta.

Tertia Theodotionis, ex Catholico, ac deinde Marcioniſta hæretico, proſelyti Judæorum, ſub Commodo circa annum Chriſti 180.

Quarta Symmachi, ex Samaritano aut hæretico Ebionita, in Judaiſmum regreſſi, ſub Severo circa annum 208.

Quinta, quæ à nonnullis Vulgata dicta eſt inter Græcas, anonymi autoris fuit, Hierichunte non procul Hieroſolymis in doliis quibuſdam inventa, anno 7. Antonini Caracallæ, Chriſti 117.

1. Editiones Græcæ decem.

a Lib. 6. hiſt.

b In Synopſi.

c Lib. de menſur. & ponder.

d Hæreſi 43.

e Lib. 18. de Civit. Dei.

f Præfat. in Job & Iſajam atque alibi.

Sexta Anonymi quoque, & dolio incluſa apud Nicopolim juxta Actium promontorium in Epiro, ſub Alexandro Mamææ, circa Chriſti annum 230. reperta.

Septima Origenis, qui circa annum 245. interpretationem Septuaginta Seniorum emendavit: ita ut multa ex Theodotione, fortè & aliis ex verſionibus, addiderit, alia reſecaverit: Et ea quidem quæ ſuppleverat, aſteriſco ſive ſigno ſtellæ radiantis indicavit; ſuperflua verò obelo, id eſt, veru transfixit. Quam editionem communem appellari ſolitam ſcribit Hieronymus. [g]

g Præfat. in Iſajam.

Octava editio eſt S. Luciani Antiocheni Presbyteri & martyris, tempore Diocletiani, circa annum 300. conſcripta, & in pariete ſub Conſtantino deinde inventa, quæ emendatio quoque fuit editionis Septuaginta Interpretum.

Nona Heſychii, qui eandem Septuaginta Seniorum verſionem adhuc correxit, atque Ægypti Eccleſiis tradidit. De poſterioribus his tribus editionibus, ſic Hieronymus loquitur [n]. *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat autorem; Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani martyris exemplaria laudat; mediæ inter has provinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgarunt.*

n In Præfat. in lib. Paralip.

Decima & poſtrema ſancti Hieronymi, niſi potius Sophronii fuit: nam B. Hieronymus, ut ipſe autor eſt [o], novum quidem Teſtamentum Græcæ fidei reddidit. Vetus autem ex Hebræo in Latinum tranſtulit, quod Græco idiomati ſtatim reddidit Sophronius. De hoc opere vide Auguſtinum [p].

o Apol. 2. cont. Rufin.
p Ep. 11. & lib. 4. de doctr. Chr. cap. 19. ac lib. 18. de Civ. Dei, c. 49.

2. *Origenis Hexapla, &c.*

II. Ex prioribus ſex editionibus, illas, quæ dicebantur Tetrapla, Hexapla, & Octapla Origenes concinnavit. Nam primò quidem ſingulas paginas diviſit in quatuor columnas, quarum ſingulæ ſingulas continebant Græcas verſiones, quatuor ſcilicet priores, ſibi invicem reſpondentes. Deinde paginas ſuas diſtinxit in columnas ſex; atque in prima columna deſcripſit Hebraicum textum characteribus Hebraicis; in II. eundem Hebraicum textum Græcis literis exaravit; in III. adjunxit Aquilæ interpretationem, in IV. translationem Symmachi, in V. Septuaginta Seniorum, in VI. Theodotionis. Atque hæc volumina propter ſex columnas Hexapla dicebantur, ut priora à quatuor columnis Tetrapla. His deinde duas addidit columnas, in quibus Quintam, & Sextam verſiones, Hierichuntinam & Nicopolitanam inſeruit: eaque volumina Octapla nominavit.

3. *De ejuſdem editione verſionis 70. cum Hebræo textu certis notis comparatæ.*

III. Sed cum ingentia illa volumina nonniſi magno pretio comparari poſſent, ſeparatim Septuaginta Interpretum Translationem ita edidit, ut ejus textui ſub aſteriſcis inſereret quæ textus Hebræus addebat; atque horum interpretationem è verſione Theodotionis mutuatus erat, quod ipſius ſtylus & verba ad verſionem Septuaginta, proximè accederent. Obelo autem ſeu veru notaverat quæ Septuaginta Interpretes textui Hebræo adiiciebant. Quod non ideo ab eo factum, quaſi illa deeſſe, hæc ſupereſſe arbitraretur: ſed ut oſtenderet, quid Judæi, cum quibus certandum erat, in Chriſtianorum textu deficere, aut abundare dicerent: uti ex ejus ad Jul. Africanum epiſtola refert B. Hieronymus [q]. Adhibuit etiam Origenes lemniſcos & hypolemniſcos, quorum uſum & formas tradit Epiphanius. [r] Vide Morinum l. 1. exercit. 4. c. 1. de Hebr. & Græcè text. ſincerit.

q In catalog. Scriptor. Eccleſ. & præfat. in Dan.
r De ponderib.

C-A-

CAPUT XXI.

De Septuaginta Interpretum Verſione.

I. QUONIAM celeberrima omnium habetur Septuaginta Seniorum Translatio, de ea paulò uberiùs, quàm de cæteris eſt diſſerendum. Eam conſcribi curavit ex communi ſententia Ptolemæus Philadelphus, II. gentis Macedonicæ Rex Ægyptiorum; qui cum ampliſſimam Bibliothecam Alexandriæ inſtruxiſſet, eique Demetrium Phalereum præfeciſſet; ab hoc monitus extare apud Judæos multa Hebraicè ſcripta volumina, quibus ejus populi leges atque inſtituta continerentur, quæ regia Bibliotheca, & cognitione digna eſſent. Inde eorum deſiderio accenſus Ptolemæus Eleazarum Hebræorum Pontificem ſcriptis literis rogaſſe dicitur, ut ea monumenta ex Hebræo in Græcum ſermonem transferri curaret. Hic autem ſenos per ſingulas tribus Seniores delegit, tum in Scripturarum interpretatione maximè verſatos, tum utriuſque linguæ peritos, & probitate conſpicuos; eoſque ad Ptolemæum miſit, ut apud eum huic operi incumberent.

1. Quomodo concinnata hæc interpretatio dicatur.

2. An ſeparatim incluſi interpretationem ſuã conſcripſerint.

II. Hos duos & ſeptuaginta legis peritos Ptolemæus benignè ſuſcepit; atque, ut teſtatur D. Auguſtinus [a], quò eorum fidem exploraret (ſuggerente divino Numine, ut majoris autoritatis eſſet omnique ſuſpicione careret eorum interpretatio) ſingulos ſingulis in cellulis apud Inſulam Pharon ſeorſim collocavit. Traditur porro tam ſtupendum planèque divinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, ut in nullo verbo, quod idem ſignificaret & tantumdem valeret, vel in verborum ordine quiſquam diſcreparet; ſed quaſi unus eſſet Interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, unum erat. Ejus rei meminerunt Juſtinus Martyr [b], Cyrillus [c], Clemens Alexandrinus [d], & quodammodo Theodoretus [e], ac Juſtinianus Imperator [f], qui unum in iis omnibus Septuaginta ſpiritum fuiſſet ait. Hujus quidem ſeparationis nec Joſephus [g] meminit, nec Ariſteas qui reliquam hiſtoriam tradidit [h]: imò Hieronymus [i], non ſolùm id in dubium revocat, ſed falſitatis & mendacii arguit [l]: & *neſcio*, inquit, *quis primus autor Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo conſtruxerit, cùm Ariſteas ejuſdem Ptolemæi* ὑπερασπιστὴς, *& multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerit; ſed in una Baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non propheta ſſe*. Verùm quia id omitti ab iis potuit, ne quid fortaſſe libris Hebraicis detrahi videretur; & non tantum alii Patres, ſed & ipſe Hieronymus, [m], agnoſcit Septuaginta Seniores Spiritu ſancto plenos, quæ vera fuerant tranſtuliſſe: non improbabilis ea omnis narratio videri poteſt. Hinc certè Interpretationem, tum antiquioribus, tum neotericis Judæis divinam prorſus haberi, atque ita cenſuiſſe Talmudicos demonſtrat Morinus [n].

a Lib. 18. de Civ. Dei cap. 19.
b In orat. exhortatoria
c Catecheſi 4.
d Lib. 5. ſtrom.
e Præfat. in Pſalm.
f Nov. 146.
g Lib. 12. Ant. cap. 2. & lib. 2. cont. Appionem.
h In hiſtoria de Septuag. Interpr.
i Sua in Pentateuch. præfat.
m Præfat. in lib. Paral p.
n Lib. 1. de Hebræi Græcique textus ſinceritate exercit. 8. cap. 1.

3. An totum Teſtamentum vetus interpretati fuerint.

III. Licèt autem ab eis Pentateuchum dumtaxat in Græcam linguam verſum innuere videatur idem Hieronymus [o]: tamen & ipſe locis ſupra indicatis, & Patres reliqui, ab iis veteris Teſtamenti libros omnes tranſlatos eſſe confirmant; idque fuſè probant Leo de Caſtro [p], ac Baronius Cardinalis [q], ex eo liquere quòd Apoſtoli & Evangeliſtæ Prophetarum teſtimonia ferè ſemper juxta eorumdem Septuaginta verſionem citaverint, eamque Eccleſiæ legendam tradiderint. Quamobrem, quamdiu ſincera reman-

o In cap. 2. Michææ.
p Diſp. de tranſlat. ſacræ Scrip. cap. 15. & 16.
q Tom. annal. 2. ad ann. Chriſti 131.

remanſit, communis inter Græcos eſt habita, tam Chriſtianos, quàm Judæos; qui & à Juſtiniano Imperatore conſtitutionem impetrarunt, qua eam in Synagogis ſuis, ut priùs factum fuerat, legi caveret, ab iis apud quos ſacræ literæ Græcè recitarentur. Sed quoniam, ſive fraude, ſive incuria librariorum, corrupta in multis ea editio progreſſu temporis fuit: ideo ſæpiùs expurgari debuit, ab Origene, Luciano, Heſychio, Hieronymo; ac tandem Gregorii XIII. & Sixti V. Pontificum juſſu: quorum hic vetuit ne quis impoſterum quicquam ex illa, vel addendo, vel demendo immutare auderet, quibus de rebus Spondanus quoque diſſerit [r].

r Ad ann. 60. nu. 19. atque ad ann. 183. nu. 5.

4. Tempus hujus interpretationis in qua cur omiſſa quædam dicantur à Septuaginta.

IV. Inſtituta eſt hæc Tranſlatio ex Epiphanio [ſ], anno Ptolemæi Philadelphi 17. qui eſt Olympiadis 128. ann. 1. ante Chriſtum natum circiter 265. Obſervat autem S. Hieronymus [t] nonnulla ad Trinitatis atque Incarnationis myſterium pertinentia, quæ Hebraico in Codice legebantur, partim ab iis prætermiſſa, partim ſub ænigmate tranſlata; ne ſcilicet Ptolemæus in eam adduceretur opinionem, quaſi plures Deos Hebræi colerent. Quod autem idem ſanctus vir ſacras Scripturas ex Hebreo in Latinum convertit, non, ut B. Auguſtinus ſuadebat [u], ex Græco Septuaginta Interpretum, id non eorum odio aut contemptu à ſe factum Hier. prædicat [x]; ſed quòd ea Verſio pura omnino non inveniretur. Ea editio Septuaginta dicitur Interpretum rotundioris numeri cauſa, cum ſexies duodeni, id eſt duo & ſeptuaginta Interpretes eſſent.

ſ In lib. de menſuris.

t Ante memorata præfat. in Pentateuch. aliiſque locis.

u Ep. 8.

x Præfat. in Pentateuch. & Paralip. itemque Apolog. 1. contra Ruffin.

5. In dubium à Scaligero vocatur tota hujus verſionis hiſtoria

V. Joſephus Scaliger [y] primus in dubium totam Septuaginta Interpretum hiſtoriam revocavit, contenditque confictam à Judæis qui Alexandriæ commorabantur, & quos Helleniſtas vulgo appellant, quoniam propter conſuetudinem Græcorum, Græcè ut plurimum loquebantur, & ſic Hebraicam linguam dediſcebant. Ab iis effectum putat, ut Lex in Græcum ſermonem converſa fuerit per viros doctos qui Alexandriæ degerent; atque ut autoritas Græcæ huic tranſlationi conciliaretur, eaque in Synagogas loco Hebraici textus inſinuaretur, conſcriptam ab iis Ariſteæ nomine fabuloſam epiſtolam, ex qua Joſephus, Philo, ac cæteri deinde falſam illam narrationem hauſerint. Id autem contigiſſe vult invitis Palæſtinis Judæis, qui Alexandrinos propter audax hoc facinus implacabili odio ſint proſecuti.

y In obſervat. Euſeb. & in duab. epiſt. quæ extant inter cæteras nuper editas.

6. Ejus rationes.

VI. Hujus opinionis præcipuæ rationes ex eo petuntur primò quòd Demetrium Phalereum, qui hujus Verſionis inſtigator fuiſſe fertur, ſcribit Diogenes Laertius non tantùm in flagrantiſſima apud Ptholomæum Philadelphum gratia non fuiſſe, ſed contrà ipſi exoſum, atque ab eo pulſum in exilium, cujus tædio mortem ſibi conſciverit. Deinde quòd non extarent ea ætate duodecim Tribus, ex quibus hi LXXII. Seniores delecti memorantur: cùm primò quidem decem Tribus, ac poſteà duæ reliquæ in Mediam & Babyloniam, diu ante illa tempora eſſent abductæ; earumque loco miſſi externæ gentis homines, qui eam regionem incolerent, quique Samaritani dicti ſunt: ut patet ex lib. 4. Regum cap. 17. & 18. Nec verò leguntur ex tribus præter Leviticam, Judaicam & Beniaminiticam rediiſſe in Paleſtinam, ſed earum ſedes à Samaritanis alienigenis ſemper occupatæ, uti videre eſt apud Joſephum [z].

z Lib. 11. orig. Judaic. c. 1. 4. 5. & 8.

Tertiò quòd diverſæ admodum ſint epiſtolæ, quæ tanquam à Ptolemæo ad Eleazarum Pontificem, & vice verſâ ab Eleazaro ad Ptolemæum, hinc apud Ariſteam, inde apud Epiphanium, hac de re ſcriptæ referuntur:

quæ

quæ diſcrepantia videtur univerſam narrationem falſi convincere.

Denique quòd Rabbinorum libri imprecationibus & maledictionibus pleni ſint adverſus Alexandrinos, tanquam ejus Verſionis autores; tantuſque hinc dolor à cæteris Judæis conceptus ſit, ut in eorum Calendario, Translationis ejus causâ, tanquam rei nefandæ ac lugendæ, jejunium celebrari quotannis jubeatur; idque die 8. menſis Thevet, qui reſpondet noſtro Decembri.

VII. Sed, quod ad primum attinet, reſponderi poteſt non deeſſe graves autores qui Translationem hanc factam referant ad tempus primi Ptolemæi, qui Lagi filius dicitur; cui haud dubiè in deliciis fuit Demetrius ille Phalereus. Ita ſanè cenſet D. Irenæus [a]: Clemens autem Alexandrinus [b], & Anatolius [c], ſub utroque Ptolemæo, filio nempe, in regni conſortium à patre adhuc ſuperſtite adſcito, id contigiſſe memorant. Præterea à probatis autoribus confirmatur Phalereum Philadelphi ipſius Bibliothecæ præpoſitum fuiſſe, in quibus ſunt Cicero [d], Ælianus [e [, Joſephus [f], Philo Judæus [g]. Imò Hermippus apud Suidam in voce Δημήτριος, ex quo præcipuum eruitur contrariæ ſententiæ adminiculum, non id præcisè refert, quod vertit Latinus Interpres, miſſum fuiſſe Demetrium in exilium; ſed ἀξιωθῆναι, dignum ſcilicet fuiſſe viſum, qui in exilium mitteretur; quia nimirum Ptolemæo patri autor fuerat, ut non Ptolemæum Philadelphum, ex Berenice genitum; ſed ex priore uxore Eurydice procreatos filios in regnum cooptaret. Potuit autem poſt mortem Ptolemæi patris, vel eo adhuc in vivis agente, virtutis ac literarum nomine conciliari Philadelpho Demetrius.

7. Scaligeri rationes diluuntur.

a Lib. 2. adverſ. hæreſ. c. 25.
b Lib. 1. ſtrom.
c In Canon. Paſchalibus.
d Lib. 5. de finibus.
e Lib. 3. variæ hiſtoriæ.
f Lib. 12. orig. Judaic. cap. 2.
g Lib. 2. de vita Moſis.

Ad ſecundum argumentum reponi poteſt non ſolùm cum decem Tribus abducerentur, remanſiſſe non paucos ex ignobilioribus Iſraelitis in Palæſtina, ut patet ex *libro 4. Regum*, *cap. 6.* & nonnullos ex Aſſyria progreſſu temporis in Palæſtinam migraſſe, commeatu inter utramque Provinciam libero, ut colligere eſt ex *Tobiæ cap.* 10. ſed & cum Eſdra rediiſſe aliarum tribuum, quàm ſupradictarum, Judæos, & cum aliis promiſcuè habitaſſe, ut perſpicuum fiet Joſephum legenti [h]. Quod etiam confirmatur ex *Luca cap.* 2. ubi notatur Anna Propheti ſſa fuiſſe ex Tribu Aſer; itemque ex Tertulliani Apologetico, Joanne Chryſoſtomo [i], aliiſque Patribus, qui Phariſæos exiſtimant Chriſti ævo ex omnibus tribubus fuiſſe. Quinetiam ſi hæc cuncta negarentur (quod gratis & nulla certa ratione fieret) potuit Eleazarus ex Aſſyria & Babylonia peritos legis accerſere, ex ſingulis decem tribubus, quos cum Palæſtinis conjunctos in Ægyptum mitteret.

h Lib. 11. Judaic. antiq. c. 5.
i Hom. 25. in Matthæum.

Tertium argumentum facilè confutabitur, ſi dicamus vel plures ſcriptas fuiſſe epiſtolas, tam à Ptolemæo quàm ab Eleazaro, quarum alias Ariſteas, alias Epiphanius referant; vel Ariſteam qui nunc extat ſuppoſititium eſſe, quod plerique exiſtimant; & ſic à vero diverſum quo uſus fuerit Epiphanius.

Quantum ad jejunium die VIII. menſis Thevet indictum, atque execrationes Judæorum; hæc aliis ex cauſis orto Palæſtinorum in Alexandrinos odio imputari poſſunt; cujus veſtigia in Actibus etiam Apoſtolorum reperiuntur: & illud jejunium inſtitutum à Rabbinis, præterquam quod univerſale non erat, ſed Orientalium Synagogarum proprium, &

nullibi

nullibi hodie à Judæis obſervatur, aut in eorum faſtis deprehenditur; poſt Chriſti tempora cœpit in uſu eſſe, non alia de cauſa, quàm quòd ad ejus fidem multi Judæi per Bibliorum Græcorum lectionem tranſire crederentur. Ut enim obſervat Genebrardus, Septuaginta Seniores à ſenſu Grammatico non rarò diſceſſerunt, quò allegoricum ſequerentur, & evidentiùs quæ de Chriſto erant pronunciata patefacerent. Et verò Scaliger [l] ipſe, & Buxtorfius [m], utrumque Talmud, ubi tractatus de illo jejunio continetur, pluribus poſt Chriſtum ſæculis emerſiſſe tradunt, quod & ab aliis demonſtratum eſt. Quin & Rabbi Azarias, qui ante octoginta aut nonaginta annos ſcripſit, incidiſſe ſe fatetur in manu ſcriptum ejus Tractatus Codicem, in quo nulla de hujuſmodi jejunio mentio fieret; exiſtimatque triduanas tenebras quæ in prædicto tractatu memorantur, nihil fuiſſe aliud, quàm voluntarias Judæorum afflictiones, quæ non hujus incœpti execratione ſuſceptæ fuerint, ſed ne infauſti quid ſelectis illis ſeptuaginta duobus Magiſtris contingeret; quæ vera ratio fuit indicendi jejunii, exemplo ejus quod tempore Eſther, in ſummo Judææ gentis periculo indictum fuerat, atque ejus quod celebratum eſt cùm à Judæis Alexandrinis Philo Romam ad Caligulam genti ſuæ placandum legaretur. De hoc jejunio vide Morinum [n], apud quem multi ſunt etiam inter Rabbinos qui Septuaginta Seniorum verſionem velut ſanctam commendant, atque omni veneratione proſequendam fatentur.

l Lib. 7. de emendatione temporum.
m In lib. de modo legendorum Rabbinorum.
n Lib. 1. exercit. 8. cap. 3.

8. *Sententia Vſſeri de duabus verſionibus LXX.*

VIII. Volebat Jacobus Uſſerus Armachanus duas fuiſſe Verſiones Septuaginta Interpretum, alteram veram & tempore Ptolemæi Philadelphi, alteram ſpuriam Alexandriæ elaboratam poſt annum 4. Ptolemæi Phyſconis. Diſſentit Valeſius noſter, pluribuſque eam ſententiam refellit [o].

o In diatr. ad calcem Euſeb. Hiſtor.

9. *An hæc verſio prima omnium fuerit.*

IX. Sunt nonnulli qui hanc Græcam Bibliorum Interpretationem exiſtiment non primam omnium fuiſſe: in his Clemens Alexandrinus [p], qui Pentateuchi ſaltem translationem ante Alexandrum Magnum, jam tempore Manaſſæ Regis Juda conſcriptam aſſeverat, ejuſque inde cognitionem ad Græcos ſapientes perveniſſe, Pythagoram, Platonem, & reliquos: unde à Numenio Pythagorico Plato dictus ſit Moſes Ἀττικίζων, Atticè loquens: Qua in ſententia ſunt Genebrardus [q], & Serarius [r]. Verior tamen videtur contraria opinio Baronii [ſ], & Vittakeri [t], ad Ptolemæi tempora primam in Græcum ſermonem verſionem referentium. Si enim ante Ptolemæum Philadelphum Græca extitiſſet eorum librorum verſio, nihil fuiſſet cauſæ, cur is tanta ſolicitudine de nova inſtituenda laboraret. Græci autem Philoſophi Moſaicam ſapientiam, non minùs ex colloquio cum eruditioribus Judæorum in Ægypto degentium, ac Græcæ linguæ peritorum, aut ex Hebraici ſermonis cognitione ab ipſis accepta, quàm ex aliqua Græca verſione haurire potuerunt.

p Lib. 1. ſtrom.
q Lib. 2. Chron.
r In prolog. Bibl. cap. 1.
ſ Tom. 2. Annal.
t Controverſ. 1. q. 2. c. 3.

10. *An ad nos pura pervenerit verſio LXX.*

X. Verùm hanc Translationem, quæ ſub nomine LXX. Interpretum ad nos pervenit, puram omnino non eſſe, ſed aliis permixtam, maximè Theodotionis, docent poſt D. Hieronymum [u], Bellarminus [x], Baronius [y], Serarius [z], & Joannes Mariana [a], qui rem exemplis confirmant, petitis ex *Pſalmo 44. verſ. 11. & Pſalm. 75. verſ. 9.* aliiſque locis permultis. Certe viciatam eſſe editionem, quam præ ma-

u Præfat. in lib. Paralip. & Eſdræ, atque alibi præſertim in ep. ad Suniam, ac lib. de optimo genere interpretandi.
x Lib. 2. de Verbo Dei c. 6.
y In Appatatu num. 99.
z q. 21. c. 18. Prolegom. Bibl.
a In Apolog. pro Vulg. edit. cap. 23.

nibus

nibus habemus, cùm alia multa ſuadent, tum illud Jonæ *cap. 3. verſ.* 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: in ea quippe verſione legitur *adhuc tres dies*, contra Hebraicam & Chaldaicam fidem, & contra autoritatem tum Latinæ editionis vulgatæ, tum etiam Juſtini martyris [b]. Et verò in emendatioribus Græcis Codicibus ſcriptum fuiſſe *adhuc quadraginta tres dies*; verùm errore librarii omiſſo numero quadragenario, ternarium tantùm appoſitum eſſe obſervat Theodoretus [c], itemque S. Auguſtinus [d]. Depravatos ſanè Codices Græcos eſſe Morinus oſtendit [e]; ſed cum variæ ſint editiones Translationis Septuaginta, earum proculdubio emendatiſſima eſt Romana, quam Sixtus V. curavit: uti demonſtrat idem Morinus [f]. De hac porrò verſione, præter jam laudatos ſcripſere Voſſius, & Seldenus.

b In Dialog. cont. Tryphon.
c In exam. hujus loci.
d Lib. 18. de Civ. Dei c. 44.
e Lib. 1. exercit. 2.
f Exercit. 9.

CAPUT XXII.

De Novi Teſtamenti Græco Textu, deque Scripturæ Latinis Editionibus in univerſum.

I. NOVUM Teſtamentum, licèt Græcè ferè ſcriptum ſit, agnoſcunt tamen Doctores, atque adductis aliquot exemplis probant Græcos Codices non eſſe uſquequaque incorruptos. Bellarminus [a] inter cætera exempla adducit illud *1. ad Corinth. cap. 15.* ubi legendum eſt proculdubio, quemadmodum fert Latina editio, *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis*; Græci tamen conſtanter legunt, Ὁ δεύτερος ἄνθρωπος Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Secundus homo Domini è cœlo*: quæ depravatio ex Marcionis corruptione remanſit, ut indicat Tertullianus [b].

1. Græci novi fœderis Codices alicubi depravati.
a Lib. 2. de Verbo Dei c. 7.
b Lib. 5. in Marcionem.

II. Latinas ſacræ Scripturæ editiones propè innumeras olim fuiſſe teſtantur B. Auguſtinus [c], & B. Hieronymus [d]. *Qui ex Hebræa lingua*, inquit ille, *ſacras Scripturas in Græcum verterunt, numerari poſſunt; Latini autem nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus, in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari*. Hujus autem hæc ſunt verba: *Apud Latinos tot ſunt exemplaria, quot Codices: cùm unuſquiſque pro arbitrio, vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt.*

2. Bibliorum verſiones Latinæ olim innumeræ.
c Lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 11.
d Præfat. in Joſue.

III. Attamen iidem Patres, tum Auguſtinus, tum Hieronymus [e], & cum illis Gregorius [f], docent *Vulgatam veterem*, quam *Italam* vocant, magis communem fuiſſe ac cæteris anteponendam; utpote quæ, ut loquitur Auguſtinus, *verborum tenacior ſit, cum perſpicuitate ſententiæ*. Vulgatam certè verſionem trecentis ferè in locis ex Evangeliorum & Actuum Apoſtolorum codice Græco admirandæ vetuſtatis confirmari oſtendit Joan. Morinus [g]. Quia tamen Librariorum errore, ac temeritate menda non pauca in eam irrepſerant, D. Hieronymus ei admovendam manum putavit. Et Novum quidem Teſtamentum ex Græco emendavit, ut ipſe profitetur [h]: Vetus autem Teſtamentum bis tranſtulit in Latinam linguam; primò ex Græca verſione Septuaginta; quem-

3. Præcipua Itala.
e In cap. 14. & 49 Iſaiæ.
f Præfat. in lib. Moral. cap. 5.
g Lib. 1. de Hebræi Græcique text. ſincer. exercit. 2. c. 3.
h Ep. 89. quæ eſt inter epiſtolas Auguſt. 7.

Digitized by Google

quemadmodum intelligi poteſt ex libro ejus contra Rufinum, & præfatione in Job atque ex Epiſtola 10. S. Auguſtini. Deinde iterum ex Hebræo, ut ipſemet teſtatur extremo de Viris illuſtribus libro, & in præfationibus ſuis ſingulorum librorum, quos Latinos fecit. Eaque interpretatio ſtudio Damaſi, ac ſequentium Pontificum, in Occidentali Eccleſia recepta eſt, & meritò reliquis antepoſita ex Iſidoro Hiſpalenſi [i]; qui jam ſuo tempore omnes Eccleſias ea verſione uſas eſſe teſtatur, quòd *veracior eſſet in ſententiis, & clarior in verbis*.

i Lib. 6. etymolog. cap. 3. & lib. 1. de off. Eccleſ. cap. 12.

CAPUT XXIII.

De Vulgata Editione ſpeciatim, ejuſque Autoritate.

1. Vulgatam magnam partem eſſe ex D. Hieronymi interpretatione.

a Seſſ. 4.

I. VULGATAM ſacræ Scripturæ Editionem, quam nunc habemus à ſancta Eccleſia Catholica approbatam, & quam Tridentina Synodus [a] authenticam pronunciavit, ex S. Hieronymi interpretatione maximam partem eſſe, Auguſtini Eugubini, Joannis Pici Mirandulani, Bellarmini, doctiſſimorumque aliorum virorum communis ſententia eſt. Eam tamen Sanctes Pagninus, aliique nonnulli ex priſca, & Hieronymiana mixtam contendunt.

2. Pſalterii verſio vulgata, eſt ab ignoto autore.

II. Pſalterium quidem Editionis Vulgatæ aliud eſt haud dubiè ab eo quod D. Hieronymus ex Hebræo tranſtulit, & quod inter ejus opera habetur; à vulgari non parùm diverſum, ſeu ſenſum ſpectes, ſeu verba; ſed illud eſſe putant quod ex Editione Græca S. Luciani martyris, verſum ab ignoto autore, Hieronymus emendavit. Hoc enim, ut Eccleſiaſticis viris jam familiare, & in ſacro officio, cantuque per Occidentis Eccleſias dudum receptum, retinere ſatius eſt viſum, ipſi etiam Hieronymo.

3. Sapientiæ & aliorum librorum verſionem ab Hieronymo eſſe probabile videtur.

b Lib. 2. de verbo Dei cap. 9.

c In prolog. Galeat. & præfat. lib. pro tub.

III. De Libris *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, & *Machabæorum* dubitant eruditi, an & ipſi ſint ex Hieronymi verſione, atque in his Bellarminus [b], duabus potiſſimum de cauſis; quòd ſcilicet ipſe Hieronymus [c] eos libros inter apocryphos ab Hebræis cenſeri fateatur; & quia præterea nullæ extant ipſius in hos libros præfatiunculæ, quales tamen in Epiſtola ad Auguſtinum ſingulis libris à ſe translatis ſe appoſuiſſe affirmat. Verùm dici poteſt, alios quoque rejectos ab Hebræis libros, ut Tobiæ, Eſther, Judith, ab Hieronymo verſos eſſe. Præfationes autem, iis duntaxat libris appoſitas, quos ex Hebræo tranſtulerit, non iis quos emendavit ex Græco; in quorum numero hi ſunt habendi. His ac ſimilibus rationibus permoti Liranus, Dionyſius Carthuſianus, Ximenius, Arias Montanus hos quoque libros ex Hieronymi interpretatione ad nos veniſſe exiſtimant.

4. Hujus editionis autoritas.

d De Eccleſiaſt. dogmat. lib. 2. cap. 1.

e In Dialog. Apologetici pro vulgata editione.

f In Concil. Trid. cap. 3.

g Lib. 2. de locis Theolog. cap. 15.

h Lib. 2. de verbo Dei cap. 10. & ſequent.

IV. Hujus autem *Vulgatæ* Editionis quanta ſit autoritas docent Joannes Driedo [d], Franciſcus Titelmanus [e], Andreas Vega [f], Melchior Canus [g], aliique, Bellarminus præſertim [h]: qui oſtendunt in ea nihil omnino fidei aut moribus Chriſtianis repugnans reperiri, omniaque ad ſalutem neceſſaria abundè tradi. Denique quoties illa ab Hebræa

bræa Græcave editionibus diſcedit, ita ut in concordiam cum iis adduci nequeat, illas plerumque ex hac potiùs corrigendas eſſe, quàm hanc ex illis.

Hæc quantùm ad Novum præſertim Teſtamentum plenè confirmat Joannes Morinus ſuperiori capite laudatus [i]. Porro admodum notatu dignum eſt quod advertit Vir. Cl. Claudius Capellanus Doctor ac Socius Sorbonicus, & nunc digniſſimus ſacrarum Literarum poſt Flavignium Profeſſor Regius [l], cauſam præcipuam cur Buxtorfius Ludovico Capello veterum diverſas ab hodierno textu Hebraico lectiones in ſacris Scripturis demonſtranti, Anticriticam ſuam oppoſuerit, hanc fuiſſe, quòd nihil ea demonſtratione validius eſſe pervideret ad aſſerendam atque omnino comprobandam Vulgatæ Verſionis autoritatem: perſuaſumque haberet, admiſſis Capelli argumentis nullum in poſterum ſupereſſe, Vulgatam noſtram (convincendis hæreticorum erroribus imprimis idoneam, atque ideo ſibi cæteriſque heterodoxis tantoperè exoſam) rejiciendi locum: ſed eam à cunctis pro Authentica, ſecundum Tridentinæ Synodi Decretum, prorſus eſſe admittendam. Ac ne quis de hac Buxtorfii confeſſione dubitare poſſit, proferuntur hic ipſa ejus verba eam in rem ſcripta; quæ ſanè valdè notanda ſunt. *Sed hoc obſervet Lector*, inquit Buxtorfius, *nullum unquam majorem patronum fuiſſe Vulgatæ Verſionis, & qui fortius argumentum ſuppeditaverit ad ejus authenticam aſtruendam, quàm malè ſanus iſte Criticus* (Capellum intelligit.) *Quod ſi enim ſemel admittatur, ubi Interpres ille aliter tulit quàm Hebræa ſonant, & aliqua mutatio, vel additio, vel detractio deprehenditur, neque librarii aliquod vitium intervenit, ibi non vitium eſſe ab interprete, ſed ex varia lectione Codicis Hebræi quo uſus eſt, ſpecioſus habetur prætextus omnes ejus errores non ſolum excuſandi, & Codici illi Hebraico imputandi; ſed & authenticos faciendi, utpote qui ex Codice Hebræo ſunt orti & profecti; & ſic vicerunt illi, qui ſtatuunt nullos eſſe in ea errores Interpretis. Qui de Tridentini Concilii autoritate pro ſtabilienda Authentia Vulgatæ Verſionis gloriantur, jactabunt ſe viciſſe; & non ſine cauſa hanc dignitatem illi attributam eſſe; quippe quæ accuratè ad Codicis Hebræi Archetypum, quo ſcilicet iſte Interpres uſus eſt, ſit confecta. Præferendum dicent Codicem illum Hebraicum quo uſus eſt vulgatus Interpres, Codicibus noſtris, qui Judaici, Rabbinici, Maſſoretici vulgò à Critico audiunt, hoc eſt corrupti, depravati, mutati, & mutilati fuerunt. Hactenus ex Pontificiis ipſis, qui ad Codicem noſtrum Hebræum exegerunt & exigendam judicarunt Vulgatam Verſionem, ſicubi ab eo deflexit; illi jam vel ſponte deſerent hanc ſententiam, & agnoſcent Hebræum textum æquè ex Vulgata Verſione, aut fortè multò magis, eſſe corrigendum, aut ni ultro id fecerint, ab aliis explodentur.*

Hæc Buxtorfio extorſit vis veritatis; ex quibus revera ipſorum adverſariorum judicio confici apparet, quod anteà indicavimus, Vulgatam reliquis editionibus ſaltem non eſſe inferiorem.

i Exerc. Biblic. lib. 1. exerc. 2. cap. 3.

l In mari Rabbinico parte 2. c. 1.

C A-

CAPUT XXIV.

De Recentiorum Verſionibus.

1. Enumerantur præcipuæ Verſiones ab orthodoxis compoſitæ.

I. RECENTIORES interpretationes Latinæ Catholicorum ex Hebræo plures ſunt: in iis eminent editiones Santis Pagnini, Benedicti Ariæ Montani, Franciſci Vatabli, Tigurina, & Iſidori Clari.

2. Santis Pagnini.

II. *Santes Pagninus* Lucenſis, Ordinis Predicatorum, Vetus Teſtamentum ex Hebræo, Novum ex Græco de verbo ad verbum tranſtulit, circa annum Chriſti 1530. & opus ſuum Clementi VII. Pontifici dicavit.

3. Ben. Ariæ Montani.

III. Verùm quoniam non omnia exactè ab eo translata videbantur, *Benedictus Arias Montanus* Hiſpalenſis, adhibitis variis ejus editionibus, partim ex ipſius Interpretatione, partim ex diligenti Hebraicæ locutionis obſervatione, novam quodammodo confecit, quæ Hebraicis Græciſque vocibus Latinas interlineares ſuperponit, & quæ ab ipſo immutata fuerant, ab iis quæ Pagnini erant, diverſo charactere diſtinguit.

4. Franciſci Vatabli.

IV. Alteram Interpretationem eodem ferè tempore Pariſiis edidit, vel dictavit potiùs, Regius Linguæ Sanctæ Profeſſor *Franciſcus Vatablus* ex Hebræo & Græco; quam & ſcholiis locupletavit, ex Rabbinorum maximè penu depromptis. Sed cùm ea non paucis erroribus à Roberto Stephano Typographo aſperſa diceretur, Catholicorum Theologorum diligentia & pietate, in Hiſpania purgata eſt, ac Salmanticæ anno 1584. correctius edita.

5. Tigurina.

V. Tigurina ſic dicta eſt quòd Clero Tigurino in Helvetia dicata fuerit, à Leone ejus urbis Præſule primùm ſuſcepta, deinde à Theodoro *Bibliandro* & Conrado *Pellicano*, quod attinet ad Vetus Teſtamentum; ab Eraſmo quantùm ad Novum, adjunctis ab eorum unoquoque annotationibus, perfecta.

6. Cholini & Galterii in vetus Teſtamentum.

VI. Novum deinde Teſtamentum Petrus *Cholinus*, & Robertus *Galterius* cum veritate Græca contulerunt, & mendis expurgarunt: ſed hæc Verſio, nonniſi editionis primæ, à Catholicis probatur; poſteriores ab hæreticis corruptæ ſunt.

7. Iſidori Clari.

VII. Iſidorus *Clarus* Brixienſis, ex Caſſinenſi Monacho Fulginenſis Epiſcopus, aliam adornavit, quæ cum ejuſdem annotationibus Venetiis apud Juntas prodiit, & à viris doctis plurimi fit.

8. Regula in his ſervanda.

VIII. Quantum ad has privatorum Translationes ſervanda eſt hæc Regula, ut admittantur ad majorem Vulgatæ Textuum Hebraici, & Græci, veterumque Verſionum dilucidationem, non ut quidquam ipſis detrahere poſſint.

9. Heterodoxorum verſiones.

IX. Heterodoxorum recentiorum Latinæ Verſiones multæ prodierunt: in pretio apud ſuos ſunt imprimis, tum quam Franciſcus Junius & Emmanuel Tremellius concinnarunt, tanquam quæ ad fidem textus Hebraici maximè accedant: tum quam elaboravit Caſtalio, tanquam puriſſimæ Latinitatis.

10. De Vulgaribus tenenda regula.

X. Nec minori numero ſunt quæ Vulgaribus Linguis circumferuntur, in quibus id à Catholicis Prælatis obſervari ſolet, ut earum Verſionum lectionem iis permittant, qui ex ea non damnum, ſed fidei ac pietatis

augmen-

augmentum capere poſſunt. Cur autem non omnibus paſſim ab Eccleſia Romana concedatur ipſarum uſus, cauſam non unam tradit Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei [i]. Inter Gallicas Lovanienſem probabant Patres noſtri: nunc elucubrata à Viro Cl. Iſaaco Magiſtro, aliàs de Saſſy, elegantiæ palmam haud dubiè apud eruditos feret.

i Cap. 15. & 16.

CAPUT XXV.

De Variis Veteris & Novi Teſtamenti Verſionibus & Paraphraſibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis.

1. Chaldaicas Paraphraſes ſeu Targumin qui ſcripſerint.

a In tractat. de Chaldaicis Script. paraphraſ.

I. UNiverſa Scriptura ſacra ex Hebræo ſermone in Chaldaicum Paraphraſticè verſa eſt, ut poſt alios fusè tradit Franciſcus Lucas Brugenſis [a]. Pentateuchum, itemque Prophetas priores, Joſue, Judicum, Regumque libros tranſtulit Rabbi Aquila, ſeu potiùs Onkelos, qui à Judæis vixiſſe dicitur paulò poſt Chriſtum. Poſteriores autem Prophetas Rabbi Jonathan filius Urielis, quem in Synagoga veteri ante Chriſtum natum floruiſſe volunt: Hagiographa, id eſt Pſalmos, Job, Ruth, Eſther, & Salomonis opera, vertit Joſephus cæcus, ex magis recepta opinione: Hiſtoricos Anonymus. Hæ Paraphraſticæ tranſlationes vulgo *Targumin*, id eſt *Interpretationes* dictæ; quia apud Hebræos magnæ ſunt autoritatis, & Judæis convincendis inſervire poſſunt; nobis quoque utiles ſunt. Cæterùm ab Eccleſia non tanti fiunt, ut ex iis irreſragabile aliquod argumentum inter Chriſtianos duci poſſit. Et ſanè ſi Pentateuchi Paraphraſin excipias, Judaicis fabulis, & Talmudiſtarum nugis pleræque aſperſæ, alicubi contrarium, ſæpè diverſum longè & ab Hebræo textu, & à Græcis Latiniſque Verſionibus ſenſum exhibent. Pentateuchi quidem plures extant hujuſmodi Paraphraſes etiam Jonathanis, & Hieroſolymitana: verùm ea prævalet quam *Onkelos* compoſuit, quæque abſolutè Paraphraſeos Chaldaicæ in Pentateuchum nomen meruit.

2. Hæ Paraphraſes poſt Chriſtum compoſitæ, & Talmude ac Miſna poſteriores.

b Lib. 2. exercit. 8. cap. 2.

c Exercit. 6. c. 2.

d Exercit. 8. c. 3.

e Cap. 5. exerc. 8. lib. 2.

II. Sed Jonathanis Paraphraſim in Legem æra Chriſtiana, & quidem plnribus ſeculis poſteriorem, vel ex eo imprimis demonſtrat Morinus [b], quòd *Miſnæ* meminerit, ſive *Miſnaioth*, libri nimirum in quo Judæorum omnes *Traditiones* continentur, & quem fatentur ipſi non niſi ducentis poſt Jeſum natum annis compoſitum; Morinus in Juſtiniani tempora rejicit [c]. Præterea Conſtantinopolim memorat, & Turcas, quæ nomina tardiùs, vel nata, vel cognita. Idem Morinus [d] novitatem Paraphraſeos Jonathanis in Prophetas priores & poſteriores, multis argumentis probat: & Paraphraſim Chaldaicam in Hagiographa recentiorem adhuc, & poſt Talmud natam demonſtrat [e]; utpote quæ ejus non ſemel meminerit.

3. Talmud quid & quotuplex.

III. Talmud autem Miſna recentius neceſſariò eſt; cùm nihil aliud ſit quàm gloſſa ampliſſima, ſive Commentarius in Miſnaioth, quod Judæorum jus univerſum, tam civile, quàm ſacrum, eorumque omnem Theologiam complectitur.

IV. Por-

4. Talmud. Babylonicum.

IV. Porro *Talmud* duplex eſt, Babylonicum & Hieroſolymitanum: illud anno circiter 420. aut etiam 240. ut volunt, inchoatum, atque ob Perſarum cum Arabibus bella interruptum, anno demum Chriſti 707. perfectum fuiſſe evidenter conficit Morinus ſæpiùs laudatus [f]. Ex ejus in publicum editione ortum ſchiſma Judæos in duas ſectas diviſit, *Rabaniſtarum* Talmudi, & *Karaitarum* Scripturæ inhærentium [g].

f Lib. 2. exercit. 6. c. 4. & 5.

g Lib. 2. exercit. 7. cap. 1.

5. Talmud Hieroſolymitanum.

V. Antiquius paulò fuit *Talmud Hieroſolymitanum* quod Rabbi Jochanan, dialecto ex diverſis linguis conflata, compoſuit circa annum Chriſti 370. ſi R. Seriræ, vel 372. ſi Moſis Ægyptii calculum ſequamur; non ante 600. ſi audiamus Morinum, id ex propriis locorum & nationum nominibus in eo memoratis conjicientem, Burgi nempe, Carthagenæ, Turcarum [h].

h Lib. 2. exerc. 7. cap. 1.

6. De Paraphraſi Chaldaica Onkelos.

VI. Quod attinet ad aliam Paraphraſim Chaldaicam, quæ autori Onkelos aſſignatur, quæque preſſiùs ſacrum textum, ſine fabularum admixta farragine, interpretatur; ejus Scriptori, quem proſelytum fuiſſe conſtat, miram nobilitatem affingunt Judæi, adeò ut Titi Imperatoris filium pronunciare non dubitent. Alii ſororis ejuſdem nepotem dicunt, quem & cum Aquila Pontico antiquiſſimo Interprete Græco confundunt. Reverà tamen longè diverſi, & tempore & lingua fuerunt: nec hujus Onkelos mentio, niſi apud Talmudiſtas, poſt Talmud ſcilicet Babylonicum, occurrit.

7. De Paraphraſi Hieroſolymitana.

VII. Paraphraſtes quoque Hieroſolymitanus (cujus & nomen & tempus ipſis Judæis incognita ſunt) certa Legis loca illuſtrare conatur. Is vix ante annum Chriſti 600. ſcripſiſſe videtur, cum non modò *Francorum*, ſed *Turcarum* quoque nominibus utatur, ut ratiocinatur Morinus [i] ſæpè dictus. Inter utrumque Targum diſcrimen non mediocre agnoſcit Elias Levita, quòd Hieroſolymitanum ex pluribus linguis, Babylonica, Græca, Romana & Perſica ſit compoſitum; quæ linguarum varietas non apparet in Targum Babylonico.

i Exercit. 8. c. 6.

8. De verſionibus Syriaca & Arabica.

VII. Syriaca verò totius ferè Veteris Teſtamenti Verſio, ut & Arabica, cum Latina Gabrielis Sionitæ tranſlatione, extat in magna Bibliorum editione Pariſienſi, quam Guido Michael le Jay maxima cura, & impenſa verè regia adornavit. Ejus Paraphraſis antiquitatem commendat idem Sionita in Epiſtola ad Lectorem præfixa libro Pſalmorum, hac lingua ab eo Pariſiis edito. Affirmat enim ex antiquiſſimo libro Soadedi Epiſcopi Habethenſis, veteri charactere, in membranis exarato, ſacrorum voluminum eam tranſlationem, quantùm ad Pentateuchum, Joſue, Judices, Ruth, Samuel, David, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, & Job, ſcriptam eſſe tempore Salomonis, precibus Hiram Regis Tyrii. Reliquos verò libros Veteris pariter ac Novi Teſtamenti tempore Abagari Regis Syriæ, cura Thadæi aliorumque Apoſtolorum, in Syriacum ſermonem tranſlatos. Qua de re, licèt dubitari jure poſſit, atque imprimis de priori parte, id tamen confirmare nititur ex eo quòd B. Paulus uſus videatur hac Syriaca verſione, cum Davidem Pſalmo 68. citans, ita ejus verba refert, *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* [l]. Nam is verſus in cæterarum linguarum editionibus, Hebræa ſcilicet, ac Latina, habet, *Accepiſti dona in hominibus*. Sola autem Syriaca verſio eum ſenſum exhibet, *Dediſti dona hominibus*. Verùm alii, nec ita forſan immeritò, eundem

l Ep. ad Epheſ. cap. 4.

ſenſum

ſenſum textui Hebraico tribuunt, ubi vertunt, *accepiſti dona pro hominibus*; non autem *accepiſti dona in hominibus*. Ut ut ſit, hæ Verſiones non exigui momenti ſunt habendæ, cum antiquas eſſe conſtet, nec rarò etiam Vulgatæ ſenſum exprimant, & ſic eam confirment.

CAPUT XXVI.

De Sacræ Scripturæ variis Senſibus, ejuſque interpretandæ Regulis.

I. SENSUS Scripturæ ſacræ ex communi Catholicorum ſententia duplex eſt in genere, *Literalis*, ſive hiſtoricus; & Spiritualis, ſive *myſticus*: qui duo ſenſus exprimi putantur per Librum ſcriptum intus & foris apud Ezechielem [a] & Joannem [b], ita ut exterior ſcriptura Literam indicet, interior Myſterium.

1. Senſus Scripturæ duplex in genere, Literalis & Myſticus.

a Ezechiel. c. 2.

b Apocal. c. 5.

II. Myſticum deinde Senſum triplicem adhuc faciunt B. Thomas [c], Nicolaus Liranus [d], ac reliqui Doctores, Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum. *Allegoricus* ad ea refertur, quæ in nova lege credenda proponuntur: à Græca voce ἀλληγορία, quæ *inverſionem* ſignificat, qua aliud verbis exprimitur, aliud ſenſu intelligitur. *Tropologicus* ſive *Moralis* (τρόπος enim Græcè *Mores* ſignificat) ad ea quæ ſunt agenda pertinet. *Anagogicus* verò refertur ad ea quæ ſperamus, ſeu ad æternam alterius vitæ felicitatem: deducto nomine à Græca etiam voce ἀναγωγὴ, quæ excelſam; ſive ſubtilem intelligentiam, & erectionem animi ad ſublimia denotat, atque apud priſcum ſub Dionyſii nomine Scriptorem, pro recondito oraculorum ſenſu accipitur, æquè ac θεωρία. Hi tres Senſus unà cum Literali hoc vulgari Diſticho indicantur:

2. Senſus Myſticus triplex, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus.

c 1. parte, q. 1.

d In proœmio poſtillæ.

Litera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

Exemplum Beda [e] profert in voce HIERUSALEM, quæ ad Literam ſignificat Judææ *Civitatem*, ſecundum Senſum Moralem ſumitur pro *Anima* fideli, ut apud Iſaiam [f], *Excutere de pulvere, conſurge, ſede Hieruſalem, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion:* In ſenſu Allegorico pro *Eccleſia* militante accipitur, ut apud Joannem [g], *Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*: ſecundum Analogiam pro *Eccleſia triumphante*. De hac ſanè ſic loquitur Paulus [h], *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.*

e Lib. de tropis ſacræ Script.

f Cap. 52.

g Apoc. c. 21.

h Cap. 4. ad Galat.

III. Beatus quidem Hieronymus [i] triplicem omnino facit ſenſum, *Hiſtoricum*, *Tropologicum*, *& Spiritualem*: ſed ex ejus mente *Spiritualis* allegoricum ſimul & anagogicum complectitur, à morali verò diſtinguitur.

3. Alia diviſio interpretationum ſive Senſuum.

i Epiſt. 150. ad Heliodor.

IV. Ita ſanctus quoque Auguſtinus [k], *Hiſtoriam*, *Allegoriam*, *Analogiam*, *& Æthiologiam* ponit pro variis Scripturæ interpretandæ modis. Verùm non re, ſed verbis tantùm à recentioribus diſcrepat. Allegoriæ quippe nomine ſenſus ſpiritualis tria genera comprehendit: Hiſto-

4. Alia ex Auguſtino.

k De Geneſi ad literam libr. imperf. aliàs de utilitate credendi c. 2.

riam, Æthiologiam, & Analogiam ad ſenſum Literalem refert, cujus Æthiologia cauſas exquirit (*αἰτία* enim cauſa eſt, ſive occaſio.) Analogia plura loca Scripturæ inter ſe comparat, atque ad concordiam reducit. Nam *ἀναλογία* ſimilitudo eſt, ſive proportio; & quam Stoici Analogiam, Cicero convenientiam appellat.

5. Aliàs diſtinguitur Senſus in principalem, & minus principalem.

V. Addunt nonnulli Senſum minus principalem: eumque *Accommodatitium* vocant, quo Scripturæ verba per quandam extenſionem ad rem aliam producuntur, & applicantur, quàm ſacer Scriptor, nec Hiſtorico, nec Allegorico ſenſu intellexiſſe videtur; ut cùm bella & perſecutiones populi Iſraelitici, & civitatis Hieroſolymitanæ, ac Templi vaſtationes trahuntur ad perſecutiones, quas ab hæreticis & tyrannis paſſa eſt Eccleſia; & quæ de Sapientia dicta ſunt in Libris Salomonis, B. Virgini accommodantur. Sed hic Senſus videtur ad Allegoricum referri poſſe.

6. Senſus literalis multiplex, & ſufficiens.

VI. Obſervandum autem eſt ex S. Auguſtino [l], & S. Thoma [m], aliiſque Doctoribus, multiplicem eſſe poſſe ſacræ Scripturæ ſenſum, etiam Literalem: exempli cauſa, illud Pſalmi 2. *Ego hodie genui te;* quanquàm intelligitur plerumque de eterna Verbi divini generatione, explicatur tamen à S. Paulo [n] de Chriſti Domini reſurrectione.

l Lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 37.
m Parte 1, q. 1. art. 10.
n Epiſt. ad Heb. cap. 1.

7. Ad eum refertur Parabolicus.

VII. Ad Literalem refertur etiam à ſancto Thoma paulò ante citato *Parabolicus*, quo aliud dicitur, aliud per comparationem quandam intelligitur, ut cùm brachium Dei pro ipſius poteſtate uſurpatur. Verùm, ſive unus ſit, ſive multiplex Literalis ſenſus, certum eſt eum ad explicandum divinum ſermonem, atque ad dogmata fidei confirmanda ſufficere, Nam, ut Hieronymus advertit [o], nunquam Parabolæ & oſcura ænigmatum intelligentia ad probationem dogmatum proficere poteſt.

o In c. 3. Matth.

8. Quomodo litera occidere dicatur.

VIII. Quod verò dicitur ab Apoſtolo [p], *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*, quo impii abutuntur ut verbum omne ſcriptum, tanquam mortis cauſam reſpuendum eſſe concludant; idque ſolum pro verbo Dei habendum, quod Spiritus ſanctus in corde cujuſque loquitur: id variè exponitur à Patribus: & ſiquidem per Literam intelligatur Scriptura, Literæ appellatio de iis tantùm ſumi debet, quæ figuratè dicta ſunt, quæque ſecundum propriam verborum ſignificationem accipi non poſſunt. Sed quoniam non ea de re agere videtur eo loco Apoſtolus; ſatius erit, ſi ex mente ſancti Joannis Chryſoſtomi, Theodoreti, & aliorum, de Lege Veteri id interpretemur, quæ non gravia modò, ſed & ſæpè levia capitali ſupplicio puniret; verbi gratia, ſi quis ſabbato ligna collegiſſet [q]; cum gratia, quæ ibi ſpiritus nomine eo caſu intelligenda erit, etiam ſceleratiſſimos quoſque per Lavacrum Regenerationis, aut per verbum Reconciliationis abſolvat. Vel dicendum potiùs erit cum S. Auguſtino [r], accipi Literæ vocabulum pro Lege ipſa, quæ ſine gratia impleri non poteſt, & prohibitione concupiſcentiam auget, ut teſtatur idem Paulus [ſ].

p 2. ad Cor. 3.
q Num. 15.
r De ſpiritu & litera c. 4.
ſ Ep. ad Rom. c. 4. & 7.

9. Explicandarum Scripturæ difficultatum, Regulæ à quibus præſertim collectæ.

IX. Ad ſuperandas quæ in legendis Scripturis occurrunt difficultates, certæ regulæ traduntur, collectæ partim à ſanctis Patribus, ut à B. Auguſtino [t], & Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo [u]; partim à recentioribus, in quibus præcipui Franciſcus Ruiſius Hiſpanus Monachus, Santes Pagninus Lucenſis Ordinis Prædicatorum [x], Benedictus Arias Montanus [y], & Martinus Martinez [z].

t Septem lib. locution. SS.
u Lib. de ſpiritual. formulis.
x In Iſagoge ad ſacr. Litt.
y In Apparatu ad ſacra Biblia Regia.
z In lib. Hypotopoſeon Theol.

X. Hac

X. Hac in re præter virtutum Chriſtianarum fundamenta, vimque enixæ ac frequentis ad Deum orationis, qua una creditur S. Thomas ad ſacræ ſcientiæ culmen evectus: Hæ ſunt præcipuæ regulæ obſervandæ.

1. Non omnes illi quatuor Senſus, de quibus locuti ſumus, in ſingulis Scripturæ locis inveſtigandi ſunt; ſed in multis Literalis dumtaxat inſpiciendus, quod obſervarunt SS. Auguſtinus [a], Thomas [b], aliique. Plurima enim loca occurrunt quæ myſticè explicari non debent, ut Præcepta charitatis, Juris Naturalis principia, adhortationes ad virtutem, in quibus ſpiritualis ſenſus ab Hiſtorico non differt.

10. Indicantur Senſus maximè generales.

a 17. de Civit. Dei.

b Quodlibet. 7.

Deinde perpendendum eſt an voces, quas legimus, & de quibus dubitatio incidit, ſumi poſſint ac debeant in propria ſignificatione, an ſecundum metaphoricam & figuratam locutionem. Licèt enim quantùm fieri poteſt, propria ſignificatio ſervanda ſit, & ex ſententia B. Baſilii [c], quoties fœnum audimus, fœnum ſit intelligendum: ſæpè tamen is ſenſus eſt, quem figurata ſignificatio oſtendit. Unde quæ figuratè dicuntur, non prout verba ſonant, accipienda ſunt, & ſecundum Literam: ſed eo ſenſu quem in illa figurata locutione reddunt. Quemadmodum ergo ubicumque congruus ſenſus ex proprietate verborum elici poteſt, eum ſequi oportet: ità cavendum eſt ne, quod figuratè in Scriptura dicitur, juxta literæ proprietatem, perperam ſumatur. Quapropter Origenes haud dubiè lapſus eſt, cùm quæ de Paradiſo ſecundum literam propriè dicuntur, ad myſticos ſenſus detorſit; & Lactantius aliique cum annos quibus regnaturi cum Chriſto Sancti dicuntur ſuper terram, quod figuratè accipiendum eſt, ſecundum literam interpretatur. Figurata autem ſignificatio, in viſionibus Danielis maximè, cæterorumque Prophetarum, in Parabolis Salomonis, in Cantico Canticorum, in Libro Apocalypſis, ut plurimùm accipi debet: imò & alibi non rarò: exempli cauſa, ubicumque Deo membra & affectus humani tribuuntur; & ubicumque ex propria ſignificatione apertè falſum quid, aut abſurdum, rationive contrarium ſequitur; ut in illis verbis Chriſti de Joanne Baptiſta [d], Ipſe eſt Elias. Inde S. Auguſtinus [e] ſic concludit; *Quicquid in ſermone divino neque ad modum honeſtum, id eſt, ad diligendum Deum, vel proximum, neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuras eſſe cognoſces. Quod ſi perſpicuè dicitur, non eſt ad aliud referendum, quaſi figuratè dictum.* Obſervanda igitur ſunt ſchemata, ſeu figuratæ, ac tropicæ loquendi formæ, quia ut obſervat, ſive Beda, ſive Caſſiodorus [f], *in Scripturis ſacris cauſa decoris, aliter quàm vulgaris via docendi habet, figuratus ordo verborum ſolet inveniri.*

c In Hexamer. homil. 9.

d Matth. 11.

e Lib. 3. de doct. Chriſt. c. 3.

f In præf. de tropis SS.

Illud imprimis omnino tenendum, ut quoties de iis agitur quæ ad fidem ſpectant, id in ſacris Literis interpretandis ſequamur, quod ab Apoſtolis traditum Catholica à primis uſque ſeculis Eccleſia docuit. Inhærere quippe Apoſtoli doctrinæ oportet quotquot Chriſti nomine gloriamur, & ex ejus mente, *in captivitatem redigere intellectum in obſequium Chriſti* [g], tunc etiam cùm ejuſmodi proponuntur articuli, qui rationi repugnare videntur, & à naturæ ordine omninò recedunt: ſed à Deo cui nihil impoſſibile, revelata pro certiſſimis habenda ſunt. Qua in re excuſationem non merentur qui verba Chriſti Euchariſtiæ Sacramentum inſtituentis, pro modulo mentis humanæ metiuntur, & per metaphoram dicta

g 2. ad Cor. 10. 5.

Digitized by Google

volunt, quæ prout ſonant, accipi debent; figuram tantùm corporis & ſanguinis Domini pro vero corpore & ſanguine, contra indubitatam & ab Apoſtolorum temporibus per undecim fermè ſecula ubique ſine controverſia receptam Eccleſiæ fidem, obtrudentes: quorum ſi futiles rationes valerent, ex conſequentibus ductæ quæ ipſi abſurda putant, iiſdem aut non diſparibus argumentis æquè ſubverti poſſent Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis myſteria.

Tertiò advertendum eſt Scriptores ſacros, ac præſertim Prophetas, ſæpè uti mutatione temporum, perſonarum, numeri, affectuum: quoniam Spiritu ſancto afflati, modò animum convertebant ad præterita, modò ad futura aut præſentia, modò ad Deum, modò ad creaturas, eaſque diverſas. Quamobrem ad percipiendam eorum mentem, non ſemper, etiam in eodem capite, aut Pſalmo, ad eaſdem res ac perſonas, aut ad eadem tempora cogitatio dirigenda eſt.

Quartò diligenter prætereà notandæ ſunt phraſes ſeu idiotiſmi Hebrææ linguæ, qua ſcripta eſt veteris Teſtamenti pars longè maxima: itemque manifeſta Hebraici ſermonis etiam in Græco novi Fœderis textu veſtigia. Etenim teſte Auguſtino [h], *Habet omnis lingua ſua propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda*. Sic Hebræi loquendi formas à noſtris alienas uſurpant.

h De vera Relig. c. 54.

1. Sæpe cùm duo Subſtantiva conjunctim ponuntur, alterum vim habet Adjectivi, ut *ignis & ſulfur*, pro igne ſulfureo; *facite juſtitiam & judicium*, id eſt, juſtum judicium.

2. Idem accidit cùm duorum Subſtantivorum unum in recto ſeu nominandi caſu, alterum in obliquo ponitur, ſive in generandi caſu ſine propoſitione, ſive adjecta præpoſitione. Ita *Vir deſideriorum*, eſt homo admodum deſideratus, vel plenus deſideriis; *Urbs ſanctitatis*, eſt urbs ſancta, nempe Hieruſalem: *Spiritus ſanctificationis*, ſimiliter pro Spiritu ſanctificante ſumitur; *Deus juſtitiæ meæ*, idem aliis eſt ac noſtro loquendi more, Deus meus juſtus. Dicunt & *beatitudines viri*, pro viro beato: ſic *homo pacis meæ*, idem eſt ac homo qui mecum pacificè vivit, aut aliàs vivebat: *Honor Regis*, pro Rege honorato: & apud Paulum *datur ſermo ſapientiæ*, id eſt ſermo ſapiens: & *Spiritus promiſſionis* pro Spiritu promiſſo. Idem *liberari cupit à corpore mortis hujus*, id eſt ab hoc corpore mortali. Quin & *Circumciſionis* nomine Judæos, nomine præputii Gentiles deſignat. In hanc quoque ſententiam dicitur *filius doloris*, *vel lacrymarum* pro ſummoperè mœſto ac lugente; *filius perditionis* pro homine valdè perdito, vel ad perdendos alios nato. Cum præpoſitione autem Subſtantivum pro Adjectivo eſt, in his loquendi formis, *cuſtodia in nocte* pro cuſtodia nocturna; *aper de ſylva* pro apro ſylveſtri. Nomen quoque Subſtantivum cum præpoſitione, pro adverbio uſurpant: *in latitudine*, id eſt latè, largiter, amplè: *in feſtinatione*, id eſt feſtinanter, properè, quod nos quoque dixerimus *cum feſtinatione*. Præterea, cum comparativo, & ſuperlativo gradu careat Hebraicus ſermo, pluribus modis excellentiam rerum & præſtantiam ſignificant. Comparationem exprimunt per Poſitivum, vel interjecta præpoſitione, *ſuper*, ut *bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti*: vel ſine præpoſitione ſubjecta particula *quàm*, ut *bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine*: & apud Matthæum, *bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam*

vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam. Superlativum ſupplet nominis ejuſdem repetitio in genitivo, ut *cælum cæli*, vel *cæli cælorum* pro ſummo cœlo, quale creditur Empyreum; *Canticum Canticorum* pro excellenti Cantico, ſive poemate; niſi velis plurium Canticorum ſyntagma denotari. Eodem pertinet quòd ſublimia quæque Deo attribuuntur, ut cum dicunt *montes Dei, & cedros Dei*, pro celſiſſimis montibus, aut arboribus: *Primogenitum* quoque appellant quidquid in ſuo genere excellit; ut *primogenitum ponam illum*, quæ verba explicantur per ſequentia illa, *excelſum præ Regibus terræ*. Sed & in malam partem ſumitur nonnunquam *Primogenitum*, pro eo quod eſt in ſuo genere peſſimum. *Adipem* quoque & pinguedinem deſignandæ bonitati atque excellentiæ adhibent, ut quid pro optimo commendent: Sic *pinguedinem terræ* dicunt, ut in illo pſalmographi, *ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Deinde, quia neutro genere carent Hebræi, fœmininum ejus loco in uſu habent: ut, *unam petii à Domino hanc requiram*, id eſt, unum ſive rem unam petii: item *hæc facta eſt mihi*, pro hoc mihi contigit. Illud quoque non omittendum multa nomina extra proprium ſenſum ad nobis incognitos uſus ſæpenumerò trahi. V. g. דבר *Davar*, hoc eſt *Verbum*, non tantùm pro ſermone dicitur, ſed etiam pro re, negotio, facto, caſu; ut *verba delictorum meorum*, hoc eſt res in quibus deliqui; *verba dierum* pro Chronicis quibus continetur narratio rerum geſtarum: *donec veniret verbum ejus* (Joſephi) id eſt, quod ipſi deſtinatum erat: & in Evangelio, *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, id eſt, nihil Deo eſt impoſſibile. Ita *Porta* pro judicio, & alia hujuſmodi ſexcenta. Præterea in verbis tempus unum pro alio frequenter uſurpant, futurum imprimis loco præſentis, quo carent; ut *aures habent & non audient*, id eſt, non audiunt: *& cum hominibus non flagellabuntur*; hoc eſt, non affliguntur ſicut cæteri homines. Quin & modus alius pro alio apud eos in uſu eſt, verbi gratia Imperativus pro futuro Indicativi: hoc fac & *vive*, id eſt *vives*.
Diverſum etiam à nobis uſurpant verborum regimen: atque ut Arabes plerumque & poſt eos Hiſpani, cumque his Vaſcones, dandi caſum Activis attribuunt, qui apud Latinos accuſativum poſtulant: ut apud Pſalmographum *in tribulatione dilataſti mihi*, pro ex anguſtia in laxitatem ſive in libertatem eduxiſti me. Item *judicare pupillo & inopi*, pro pupillum & inopem judicare; quæ loquendi forma priſcis Latinis non incognita fuit: Gallicè non malè reddideris, *faire ou rendre juſtice au pupille*. Contrà invenies *nocentes me*, pro eo quod nobis eſſet *nocentes mihi*. Dicunt iidem *animam habere in manibus*, pro eo quod eſt verſari in vitæ diſcrimine; & *ædificare domum*, pro nuptias contrahere, ac rem familiarem augere: Sic etiam *loqui ad cor* pro conſolari. Sunt & aliæ loquendi formæ circa hominum actiones, habitus, ſitus, geſtus, & affectus corporum atque animorum, quæ proprias ſignificationes habent, & quibus quaſi ſymbolis utuntur, ut ſunt *operire caput*, quod caput erat damnatorum indicium; *demittere aut tollere caput*, quorum illud eſt mœſtitiæ, hoc lætitiæ & gaudii ſignum. Denique non pauca ex Orientalium moribus interpretari oportet, qui alii ab Occidentalium uſu. Sic illa Iſaiæ *butyrum & mel comedet*, in literali ſenſu ſignificant perventurum ad annos maturi judicii, quo quis diſcernere incipit bonum

 à malo;

à malo: quia non niſi grandioribus jam pueris edendum mel cum butyro porrigitur. Illud præſertim notandum particulam כי *Ki*, Latinè *quia*, in ſacris Codicibus non modò reddendæ dictorum rationis cauſa non ſemper adhiberi; non modò ſumi pro particula merè enunciativa, quæ Græcis ὅτι Latinis *quòd*: ſed etiam non raró vacare omnino; niſi quòd aliquam dictis Emphaſin addit, ita ut aliquatenus accedat ad vim vocabuli *utique*, ad Græcorum ἄν Italorum *purè*; eandemque fermè vim habeat cum uſitata Occitanis noſtris, viciniſque Vaſconibus particula *que*; cui & quaſi euphoniæ cauſa præponitur nonnunquam vocula *pu*, ex Italico, ut videtur, derivata. Sed de locutionibus Scripturæ, V. Auguſtinum.

De his omnibus ad Scripturæ ſacræ criticam ſpectantibus plura dabunt præter memoratos, Salomon Glaſſius in Philologia ſacra, & Brianus Vvaltonus in ſuo Apparatu Biblico: ſed ambo à Catholica communione ac fide alieni, atque ideò cautè legendi.

Idiotiſmos & proprietates Linguæ Hebraicæ & Græcæ, quæ ſæpiùs in Scripturis occurrunt, fuſiùs notavit atque explicuit Jacobus Tirinus è Societate Jeſu, in Prolegomenis ſui ad vetus & novum Teſtamentum Commentarii.

CAPUT XXVII.

De Librorum Canonicorum Diviſionibus in Capita & Verſus, aliaſve Sectiones apud Hebræos, Græcos, & Latinos.

1. Libri ſacri & alii uno ductu olim ſcripti.

I. Ut profani Autores, ita & ſacri, ſua ſcripta uno ferè ductu, & ſine Capitum Verſuumque, imò plerique ſine Librorum diſtinctione exarabant. Id de Pentateucho affirmant Cabaliſtæ apud Eliam Levitam, totam nempe Legem fuiſſe tanquam vocem unam, præter nomina Dei.

2. Videtur tamen Scriptura non caruiſſe aliqua rerum diſtinctione.

II. Sed quamquam Moſes opus ſuum non diviſerit; tamen credibile admodum eſt, eum Generationum ac Rerum geſtarum narrationes poſteriores, à prioribus, interpoſito aliquo Scripturæ intervallo, adjectavè alia nota, ſic ſeparaſſe, ut inde occaſionem habuerint Judæi totum opus in Quinque Libros, fortè & in Sectiones quaſdam, diſtinguendi. In Prophetarum quoque ſcriptis ipſa rerum diverſarum argumenta, & variæ Viſiones, variiſque temporibus à Deo infuſa ideoque neceſſariò diſtinguenda Vaticinia, Sectiones in certa Capita, certoſve articulos haud dubiè induxerunt. Notat certè

Chry-

Chryſoſtomus [a] Prophetas omnia ſua oracula uno eodemque tempore non edidiſſe, ſed variis à Spiritu divino afflatos temporibus, Sectiones quaſdam enunciaſſe, quæ in unum poſteà volumen redactæ, integrum compoſuerint Librum. Obſervat idem ſanctus Antiſtes [b] Chriſti Genealogiam apud Matthæum à reliquo Evangelio eſſe diſtinctam.

a Enarrat. in cap. 2. Eſaiæ.

b Hom. 2. in Matth.

III. Verùm hæ ſacrorum utriuſque fœderis Librorum Diſtinctiones, non ſtatim, eadem ubique ratione, ſed paulatim introductæ, & progreſſu temporis apertiùs certiùſque inſtitutæ ac receptæ fuerunt. Et quod ad Legem Moſis cæteraque attinet veteris Teſtamenti volumina, tradunt Joannes Croius [c], & Joſephus de Voiſin [d], poſt Buxtorfium [e], tria fuiſſe Sectionum genera, quibus variè diſtinguebantur. Sectio ejuſmodi פרשה *Paraſcia* dicitur à Judæis, hoc eſt *Expoſitio*, quia ſolebant ſingulæ à Sacerdotibus aut Senioribus in Synagogis explanari. Harum aliæ majores ſunt, aliæ minores quædam mediæ. *Majores* dicuntur in quas ita diviſi ſunt Libri Moſis, ut earum una ſingulis Sabbatis, ex Moſis ipſius inſtituto per Eſdram inſtaurato, legatur, teſte Philone apud Euſebium [f] & Joſepho [g]. Idque eo conſilio, ut Judæorum nemo præceptorum legis ignorantiam prætexere poſſet. Cujus quidem uſus meminit Paulus in Actibus Apoſtolorum. Quare Pentateuchum diviſerant in tot hujus generis Sectiones, quot erant in anno ſabbata. Sed quia ultimo ſabbato legebatur cum poſtrema Deuteronomii Sectione, prima etiam Geneſeos; quatuor & quinquaginta numerabantur. *Minores* Sectiones à Moſe ipſo inſtitutas fuiſſe Judæi credunt; ideoque eas in Libro Legis, quo utuntur in Synagogis, religioſè notant, atque obſervant: eaſque diſtinguunt in *Apertas*, & *Clauſas*. Primum Libri Geneſeos caput ſex complectitur Sectiones *Apertas*: Prior includit quinque priores verſus; altera tres; tertia quatuor; quarta ſex; quinta quatuor; ſexta verò octo. Prior Sectio *Clauſa* complectitur verſus ſeptem & viginti, à verſu IV. capitis II. ad verſum XVI. capitis III. Altera complectitur verſus 16. Tertia verò verſus 4. ſequentes. Moſes Maimonides [h] has omnes Sectiones recenſet. Geneſis habet Sectiones Apertas 43. Clauſas verò 48. Denique quinque Legis Libri habent Sectiones *Apertas* 290. *Clauſas* 369. Hæ Sectiones in *Periodos* quoque dividuntur ex inſtituto etiam Moſis, ut putant, quales à Maſorethis in tota Lege numerantur 845. Sectiones aliæ *Medii generis* dici poſſunt. Nam Medium quaſi locum tenent inter utraſque jam indicatas: ſunt enim breviores prioribus, poſterioribus longiores; quales in Geneſi quinquaginta numerantur; atque hæ magis reſpondent noſtræ in Capita diviſioni.

3. Legis Moſaicæ diſtinctiones ſecundum Hebræos.

c Sacræ in nov. fœd. obſervat. cap. 2.

d Lib. de lege divin. cap. 26. & ſeqq.

e De abbreviat. & commentar. Maſorethico.

f Lib. 8. de præpar. Evangel. cap. 7.

g Lib. 2. antiq. Judaic.

h Tract. de Phylacteriis & libro Legis, c. 8.

IV. Maſorethæ prætereà Legem diſtinguunt in alia Capita quæ *Sedarim* vocant, ſive Diſtinctiones ſtrictiùs ſumptas, & quaſi ordines, quarum Geneſis 42. continet; tota verò Lex 153. Hæc Diviſio in eorum uſum inſtituta videtur, qui totam Legem nonniſi intra triennium legebant. *Peſuchim* ſeu verſus numerant in Pentateucho 5830.

4. Alia Diviſio ex Maſorethærum inſtituto.

V. *Maſorethæ* autem dicuntur Doctores Hebræi, qui quinto ferè poſt Chriſtum ſeculo *Maſoram* compoſuerunt, opus ex traditione

5. Maſorethæ qui.

Digitized by Google

compoſitum, ut indicat origo; eſt enim מסר *Maſſar* Hebraicè, idem quod *Tradidit*. Ab his inventa ratio Punctorum, quibus nunc vocales ſignificantur, aliaque ad Grammaticam & ſcrupuloſas vocum, quæ in ſacris Literis habentur, obſervationes pertinentia.

6. Sacrorum Librorum diſtinctiones apud Græcos.

VI. Græcum vetus Teſtamentum magna ſaltem ex parte Judæi Alexandriæ in Ægypto, atque in aliis civitatibus Græcis agentes diviſum in Sectiones quaſdam exemplo Hebræorum haud dubiè habuerunt, cùm ſingulis ſabbatis legem Moſaicam in Synagogis ſuis legerent.

Priſci verò Eccleſiæ Patres Græci ſacros Codices jam olim in Sectiones diviſos habebant, quas vocabant περικοπάς; quod ideo inſtitutum videtur, ut haberet lector ubi quieſceret ſubinde, & repreſſo nimio legendi ardore ſubſiſteret, atque ex iis quæ legerat attenta meditatione apud ſe repetitis, dignum colligeret ſanctæ lectionis fructum. Harum περικοπῶν ſeu Sectionum meminere Clemens Alexandrinus [i], Baſilius [l], Athanaſius [m], Chryſoſtomus [n], aliique: Hieronymus [o] etiam, qui Paralipomenon libros à ſe in verſuum cola digeſtos, & Ezechielis tranſlationem ſuam per *Cola* & *Commata* ſcriptam teſtatur. Origenes [p] ἀνάγνωσμα, id eſt Lectionem dixit pro Sectione. Uſi quoque ſunt Græci perinde ac Judæi variis Sectionum ſeu diſtinctionum generibus, tùm majoribus, tùm minoribus. Pericopæ majores Tituli nomine notabantur, quorum partes Capitula, horum vero particulæ Verſus dicebantur. Notat Suidas [q] Titulum à Capitulo differre, Τίτλος διαφέρει κεφαλαίου: atque apud eum Matthæus habet Titulos 68. Capitula verò 355. Marcus Titulos 48. Capitula 236. (ſic enim legendum.) Lucas Titulos 83. Capitula 348. Joannes Titulos 18. Capitula 232.

i 7. Stromatum.
l Lib. 2. de Baptiſmo quæſt. 4.
m Orat. 3. contra Arian.
n Concione 3. de Lazaro.
o Lib. 2. adverſus Jovin.
p Lib. 3. contra Celſum.
q In voce τίτλος.

7. Codicum ſacrorum diviſio non diſpar apud Latinos.

VII. Conſtat itaque ex dictis à priorum ſeculorum Patribus, exemplo librorum Veteris Teſtamenti, introductam fuiſſe in libris quoque Novi Fœderis, Capitum diſtinctionem; tum eam ob cauſam quam paulò antè indicavimus, tum ut lectorum memoria juvaretur, atque ut Scripturæ loca faciliùs laudare & commodiùs interpretari liceret. Non abſimilem itaque diſtinctionum rationem Latini ſecuti ſunt: nec in *Capita* modò diviſerunt utriuſque ſacræ Scripturæ volumina; ſed Capita ipſa in *Commata*, quæ ſunt partes Capitum minores, ſive ſententiæ quibus plures verſus continentur; itemque in *Cola* ſive membra, quæ alio nomine στίχοι Græcis, Latinis *Verſus*, ſeu verſiculi vocantur quamquam hæc vocabula ſæpenumerò promiſcuè accipiuntur. Et στίχων quidem meminerunt inter cæteros Athanaſius [r], & Gregorius Nyſſenus [ſ], dum locos ex Pſalterio allegant. Verſus quoque & verſiculos memorat imprimis B. Hieronymus [t] non uno loco, qui & *Inciſi* & aliis nominibus has breviores Sectiones deſignat. Atque harum obſervationum adeo ſtudioſi fuere primis ſeculis Chriſtiani, ut, ſi non ſyllabarum & elementorum, ut Maſorethæ, ſaltem Verſuum cujuſque libri numerum inirent, atque in fine ſacrorum Codicum annotarent.

r Ut in cap. 9. Eſaiæ.
ſ De Theodoro martyre.
t Ut in cap. 9. Eſaiæ.

Stichometria quid.

Hi Catalogi *Stichometriæ* dicebantur: quarum exempla extant complura. Græcum è Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani Chronographia, deſcripſit Anaſtaſius [u] Bibliothecarius, ubi numerus, ordo, & verſus libro-

u Poſt Syncellum in editione Regia.

librorum utriuſque Teſtamenti recenſentur: nec eorum modò qui in recepto ubique ſacræ Scripturæ Canone numerantur, ſed & quorumdam etiam qui communi Eccleſiæ judicio expuncti jam tum ex eo numero erant: Latinum à Morino [x] refertur ex antiquiſſimo Apoſtolicarum B. Pauli Epiſtolarum Codice, qui fuit apud clariſſimos viros Puteanos fratres. Hunc Catalogum, perinde ac Græcum illum, ante mille ac centum annos ſcriptum fuiſſe ex eo conjicitur, quòd in eo quoque cum Libris Canonicis numerantur nonnulli, qui jam eo tempore nullibi in Eccleſia Latina pro authenticis habebantur: contrà verò quidam ex iis qui pro Canonicis jam tùm probati erant, omittuntur. Huic non abſimilem Stichometriam edidit ex cod. M.S. Regiæ Bibliothecæ V. Cl. & eruditiſſimus Joannes Baptiſta Cotellerius [y], Doctor Sorbonicus, & noſter ex Regia Profeſſione Collega digniſſimus. Morinianum, collatis cum Nicephoriano numeris, qui admodum diverſi reperiuntur, hoc loco lectorum oculis ſubjicere, operæ pretium duxi. Differunt & in ordine, ac numero Librorum hi duo Catalogi.

x De Hebr. & Græc. text. ſincerit. lib. 2. exercit. 17. cap. 1.

y In notis ad ep. S. Barnabæ.

VER-

VERSUS SCRIPTURARUM SANCTARUM

EX STICHOMETRIIS DUABUS.

Latina apud Morinum.		*Græca apud Anaſtaſium.*
Geneſis	4500.	MCCC.
Exodus	3700.	MMDCCC.
Leviticum	2800.	MMDCC.
Numeri	3650.	MDXXX.
Deuteronomium	3300.	MMMC.
Jeſu Nave	2000.	MMC.
Judicum	2000.	MMCCCCL.
Ruth	250.	
Regnorum		
Primus Liber	2500.	MCCXL.
Secundus Liber	2000.	
Tertius Liber	2600.	MMLIX.
Quartus Liber	2400.	

Excidiſſe hic videntur Libri Paralipomenon ſeu Chronicorum, quibus aſſignantur à Nicephoro verſus VMD.

Pſalmi Davidici	5000.	VMC.
Proverbia	1600.	MDCC.
Eccleſiaſtes	600.	MMD.
Cantica Canticorum.	300.	CCLXXX.
Sapientia (*Salomonis*)	1000.	MC.
Sapientia Jeſu (*Eccleſiaſticus)*	2500.	MMDCCC.
Duodecim Prophetæ	3010.	MMM.
Oſee	530.	
Amos.	410.	
Michæas	310.	
Joel	90.	
Abdias	70.	
Jonas	150.	
Naum	140.	
Abacum	160.	
Sophonias	160.	
Aggæus	110.	
Zacharias	160.	
Malachias	200.	
Iſajas	3600.	MMMDCCC.
Jeremias	4700.	MMMM.
Ezechiel	3600.	MMMM.
Daniel	1600.	MM.

Macha-

Digitized by Google

Machabæorum.

Liber Primus	2300.	tres. MMCCC.
Liber Secundus	2300.	
Liber Quartus	1000.	
Judith	1300.	MDCC.
Eſdras I. & II.	1500.	VMD.
Eſther	1000.	MMMM.
Job	1600.	MDCCC.
Tobias	1000.	VMC.

Evangelia quatuor.

Matthæus	2600.	MMD.
Joannes	2000.	MMCCC.
Marcus	1600.	MM.
Lucas	2900.	MMDC.

Epiſtolæ Pauli — *Quatuordecim.* VMCCC.

Ad Romanos	1040.	
Ad Corinthios 1.	1060.	
Ad Corinthios 2.	70.	Numerus mancus, fortè 770.
Ad Galatas	350.	
Ad Epheſios	375.	
Ad Timotheum 1.	208.	
Ad Timotheum 2.	288.	
Ad Titum	140.	
A Coloſſenſes	251.	
Ad Philemonem	50.	

Omiſſæ ſunt ex Scriptoris ſine dubio incogitantia Epiſtolæ duæ ad Theſſalonicenſes, Epiſtola ad Philippenſes, & Epiſtola ad Hebræos.

Ad Petrum 1.	200.	7. Epiſt. Cathol. Duæ Petri.
Ad Petrum 2.	140.	
Jacobi	220.	Una Jacobi.
Joannis Epiſtola 1.	220.	Tres Joannis.
Joannis Epiſtola 2.	20.	
Joannis Epiſtola 3.	20.	
Judæ Epiſtola	70.	Una Judæ.
Barnabæ Epiſtola	950.	
Joannis Revelatio	1200.	
Actus Apoſtolorum	1600.	MMDCCC.
Paſtoris	4000.	
Actus Pauli	3509.	
Revelatio Petri	270.	

VIII.

Digitized by Google

8. Ab his diverſa Maſorethariū diſtinctio.

VIII. Hæc utraque verſuum diſtinctio admodum diverſa eſt à Maſorethica. Juxta Latinam ſunt in Pentateucho verſus 17950. ſecundum Græcam 9530. at ex Maſoretharum computatione non numerantur niſi 5248. In Pſalterio numerant Maſorethæ 2527. verſus, Catalogus Græcus 5100. Latinus 5000. In reliquis libris ſimilis occurrit differentia.

9. Quid ſint verſus apud Veteres in Libris ſacris.

z Sacrarum obſervat. cap. 11.

IX. Ex hac numerorum diverſitate ambiguum fit quid *Verſuum* nomine ſignificent Veteres, utrùm verſiculum & comma ſive inciſum textus librorum utriuſque Fœderis; an potius lineas, quæ pro modo foliorum, vel majorum vel minorum, in quibus ſcripti ſunt Codices, poſſint vel longiores eſſe, vel breviores. Hoc dubium ſolvit Crojus [z]. Obſervat enim ſacrum Textum olim à librariis duobus maximè modis deſcribi ſolitum: ab aliis continua ſerie, & ſine interductu; ab aliis verò per quamdam partium, aut etiam particularum diſtinctionem. Priores ſolebant majuſculis, vel miniatis aut cæruleis literis verſus, eorumque cola ſive membra diſtinguere: poſteriores autem interjecto quodam ſpatio ac tenui diſcrimine, verſus ſeparabant. Cæterùm utrique verſus non ex periodorum longitudine aut brevitate, neque ex integris ſententiis metiebantur; ſed ratione ſenſus variè, pro commatum aut membrorum numero, dividebant: ut totidem in ſingulis periodis verſus diſtinguerent, quot erant earum membra. Exemplum eſto in illis *Jobi* cap. 3. verſu 3. *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo.* Ea unico verſu continentur apud Hebræos, ut & in Vulgata editione; eadem à Græcis veteribus in duos verſus dividebantur, ut patet ex Codice Libri Job, qui ſanctæ Theclæ manu exaratus creditur, & quem Patricius Junius edidit. In eodem Codice verſus nobis ſextus ejuſdem Capitis in tria membra diſtinguitur. Jam in eodem Libro Job Capitis quinti verſus qui nobis tertius eſt, apud Hebræos dividitur in octo commata. Pari ratione variatum eſt in ſcribendis Novi Teſtamenti libris: Verbi gratia, illa apud Matthæum, *Et mittens illos in Bethleem dixit, Ite & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum*: quæ verba unicum apud nos verſum conſtituunt, octavum ſcilicet Capitis 2. à librariis olim in quatuor verſiculos ſic dividebatur: *Et mittens illos in Bethleem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero. Et cum inveneritis, renunciate mihi, Ut & ego veniens adorem eum.* Hinc etiam fit ut Caput primum Evangelii ſecundum Joannem, quod hodie verſibus tantùm quinquaginta & uno conſtat, in verſiculos ſive commata novem & octoginta diſtinctum inveniatur in quibuſdam antiquis Codicibus; qualem ſe literis majuſculis, partim minio, partim cæruleo colore ſingulos verſiculos notantem ac dividentem, ſe habuiſſe idem Crojus teſtatur. Quæ cum ita ſint, mirum videri non debet, ſi tanta ſit τῶν στιχομετριῶν varietas. Veteres quippe, ac præſertim Græci, periodos in plures στίχους ſive minores ſectiones & membra dividebant; quæ modò majora, modò minora conſtituebant, ſive pro rei argumento, ſive pro ſcribentis ferè arbitrio. Hieronymus, cum librum Paralipomenon, & Eſajæ Prophetæ oracula, novo ſcribendi genere deſcripſit, atque in verſuum cola diſtinxit, an Hebræis Codicibus in ſua diſtinctione adhæſerit, an Græcorum morem in dividendis ſententiis & periodis ſecutus fuerit, minùs certum videtur.

X. Con-

X. Coniicit idem Crojus ab eo Verſus tenuibus intervallis diſtinctos, & vix diverſos fuiſſe ab iis quibus nunc utimur. Eam in rem adducit Pericopen illam Capitis 3. Epiſtolæ ad Rom. in qua Apoſtolus pluribus ſacræ Scripturæ teſtimoniis Judæos & Græcos peccato obnoxios eſſe probat. Illa autem Pericope eodem ferè verſiculorum numero hodiè apud nos conſtat illis qui à B. Hieronymo [a] indicantur. Loquitur Hieronymus de octo verſibus, qui in Eccleſiis leguntur ex Pſalmo 13. & in Hebraico non habentur, ab Apoſtolo uſurpatis. Hi verſus in Vulgata Latina, ſecundum Vulgatam Græcorum, que κοινὴ dicebatur, ſic exprimuntur: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum. Linguis ſuis dolosè agebant. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio, & infelicitas in viis eorum. Et viam pacis non cognoverunt. Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Subjungit deinde ſe animadvertiſſe, *Sicut omnis penè ad Romanos Epiſtola de veteri ſtructa eſt inſtrumento, ita hoc teſtimonium de Pſalmis & Eſaja eſſe contextum. Nam duo primi verſus,* SEPULCHRUM PATENS EST GUT- 1.
TUR EORUM. LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT, *quinti* 2.
Pſalmi ſunt. Illud autem, quod ſequitur, VENENUM ASPIDUM SUB
LABIIS EORUM, *centeſimi triceſimi noni Pſalmi eſt. Rurſumque quod* 3.
dicitur, QUORUM OS MALEDICTIONE ET AMARITUDINE 4.
PLENUM EST, *de nono Pſalmo ſumptum eſt. Tres autem verſiculi qui ſe-* 5.
quuntur, VELOCES PEDES EORUM AD EFFUNDENDUM SAN- 6.
GUINEM, CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM, 7.
ET VIAM PACIS NON COGNOVERUNT, *in Eſaja * Propheta re-* * Iſa.59.v.7.
peri, quos in decimo ſexto explanationis ejus Libro, quem nunc dictare cupio, & 8.
expoſiturus ſum. Ultimus autem verſus, id eſt, octavus, NON EST TIMOR
DEI ANTE OCULOS EORUM, *in triceſimi quinti Pſalmi principio eſt.* 8.

Per hæc & confirmatur autoritas verborum quæ ex communi Græcorum editione habentur in Vulgata Latina, verſu 3. Pſalmi 13. & facilè colligitur exiguum in pleriſque eſſe diſcrimen inter verſus quos Hieronymus in Codicibus ſacris annotatos habuit, & eos, quibus hodie utimur. Inde quoque patet id quod contendimus, in στιχομετρίᾳ Græca & Latina, *Verſus*, non de Lineis, ſed de Verſiculis, ſive Membris, aut Inciſis Orationis & Periodorum eſſe intelligendos.

XI. Illud quoque obſervandum eſt, antiquitùs, tam apud Græcos, quàm apud Latinos variaſſe admodum diviſiones utriuſque Teſtamenti Librorum. Et plerumque Latini in principio cujuſque Libri titulos ipſius & titulorum Breviaria deſcribebant, ut Hieronymi [b], Caſſiodori [c], & Iſidori [d] autoritate demonſtrari poteſt. Non pauci uno ductu, omiſſis fortè per incuriam diſtinctionibus, Libros aut certè Capita tota exarabant.

XII. Tandem verò Sacrorum Librorum in Capita & Verſus diſtinctionem quæ nunc apud Latinos ubique recepta eſt, inſtituit *Hugo à Sancto Caro*, gente Burgundus, ex Dominicanorum familia, qui primus ex ejus Ordinis fratribus Cardinalis dignitate ornatus eſt, idque ab Innocentio IV. anno Chriſti 1244. ut ex Antonino referunt Sixtus Senenſis [e] & Genebrardus [f]. Atque hæc diverſitas primas utriuſque Fœderis Editiones, Græcas, & Latinas, typis etiam in eadem officina exaratas, inter ſe comparantibus apparebit; aliæ quippè ab Eraſmo eodem, & ab eodem Aldo Manucio, iiſdem-

10. Hieronymiani verſus parum à noſtris diverſi.

a Præfat. in lib. 16. Commentar. in Eſa.

11. Varia apud Veteres diviſionis forma: aliquando nulla diviſio.

b Ep. ad Damaſum & init. Comment. in Evang.

c Divinar. lect. c. 1. 2. & 5.

d 6. Orig. c. 14.

12. Autor hodiernæ Librorum ſacrorum diviſionis.

e Biblioth. l. 3.

f Ad annum Chriſti 1244.

iiſdemque Roberto & Henrico Stephanis editæ, diſtinctionibus carent; aliæ Capitum, pleræque verſuum: aliæ ad marginem adſcriptis, vel adjectis textui titulis capitum, diſtinctiones habent. Cæterùm Numeros ſingulis verſiculis vix ante hoc ſeculum additos reperio.

CAPUT XXVIII.

De præcipuis ſacræ Scripturæ Interpretibus.

1. Sacri textus Interpretum varia inſpectiones.

I. QUi ſacras Scripturas expoſuerunt, ratione temporum in tres ferè claſſes dividi poſſunt. Ad primam referuntur ſancti Eccleſiæ Patres: ad ſecundam medii ævi Scriptores Eccleſiaſtici, qui explicandis utriuſque Fœderis libris operam dederunt: ad tertiam qui proximo & currente ſeculo eam ſibi provinciam ſumpſere. Præterea horum Interpretum alii ſenſum Hiſtoricum & Literalem, Myſticum alii indagarunt, Morali quidam inhæſerunt. Nec pauci non uno genere contenti, eos ſæpè miſcuerunt; & hæc ab illis omnia non uno, ſed pluribus modis tractata ſunt.

2. De ſanctis Patribus dicetur in 3. lib. 2. parte.

II. Infiniti, ac propè dicam, ſupervacui operis eſſet, Eccleſiaſticorum Scriptorum qui in enarrandis ſacris Scripturis operam poſuerunt, nomina & lucubrationes recenſere. Patres imprimis, tum Græci, tum Latini, eo in argumento plerique tantò ſtudio verſati ſunt, ut vix ullus ſit qui non aut complures, aut aliquos ſaltem ſacrorum Codicum, doctrina ſua illuſtrarit. Noverant enim in hiſce Libris rectè intelligendis poſita eſſe Chriſtianæ fidei & vitæ fundamenta. Quamobrem eos alii per Homilias & Conciones populo exponebant: alii per Quæſtiones aut Tractatus, vel juſtis Commentariis, quæ in illis difficilia occurrunt, dilucidata nobis reliquerunt. Sed eorum & nota ferè ſunt opera, & ea quæ ad noſtrum Pontificii juris enucleandi inſtitutum pertinent, ſequenti volumine diſcutiemus.

3. Poſteriorum paucos indicare ſat erit.

III. Quantùm ad eos qui poſterioribus temporibus ad hoc uſque ſeculum, in eadem interpretatione deſudarunt, ſufficiet paucos illorum & præcipuos indicaſſe, qui vel in univerſum Vetus Novumque Inſtrumentum, aut in magnam ipſorum partem ſcripſere, vel utilia ad ſacrarum Literarum intelligentiam adminicula contulerunt.

4. Medii ævi Commentatores.

IV. Totam, aut ferè totam Scripturam expoſuerunt ex Latinis, poſt venerabilem Bedam, *Rabanus Maurus* Abbas primùm Fuldenſis in Germania, deinde Archiepiſcopus Moguntinus, qui temporibus Ludovici Pii ejuſque ſucceſſorum floruit, & in omnes utriuſque fœderis Libros commentaria dedit: obiit anno 856. Ejus alia extant opera, unde & ſequenti libro pleniùs de illo dicendum erit.

Poſt eum *Strabus* ejuſdem Abbatiæ Fuldenſis Monachus, ex ipſius Rabani operibus Librorum ſacrorum expoſitiones decerpſit, atque ex illis circa annum 840. *Gloſſam* compoſuit quæ *Ordinaria* dicitur & *Magiſtralis*: quæ à poſterioribus deinde, verè aucta ornataque eſt.

Anſelmus Laudunenſis in Gallia Scholaſticus, circa annum 1077. *Gloſſæ Interlinearis* & *Marginalis* autor fuit, quæ cum Gloſſa Ordinaria jungi ſolet.

Hugo à ſancto Caro, Burgundus, ex Ordine Dominicanorum, brevia in univerſam Scripturam commentaria compoſuit, & *Concordantiarum Biblicarum* opus admodum laborioſum, per delectos ad id homines confecit; cui poſteà non pauca poſteri adjecerunt. Primus hic Hugo ex Ordine Prædicatorum, dignitate Cardinalis donatus eſt ab Innocentio IV. anno Chriſti 1224.

Petrus de Verberia, Aureolus dictus, ex Ordine Minorum, Doctor Pariſienſis, dein Archiepiſcopus Aquenſis, & Cardinalis, circa annum 1310. ſcripſit Breviarium totius Scripturæ.

Nicolaus Liranus, ſive *de Lira*, ex Judæo Chriſtianus, & B. Franciſci regulam profeſſus apud Vernolium oppidum in finibus Normanniæ, circa annum 1320. ſcripſit Commentarium in univerſam Scripturam, qui vulgo dicitur *Poſtilla*: quòd ejus Interpretationes poſt Strabi, & Anſelmi Gloſſas ponantur, & ſuis locis ſubiiciantur.

Paulus abdicato Judaiſmo Chriſtianus, & *Burgenſis* in Hiſpania Epiſcopus, ad Lirani annotationes, quæ Poſtillæ nomen acceperunt, *Additiones* Notarum in Sacram Scripturam compoſuit, quæ & ipſæ cum Gloſſa Ordinaria eduntur. Vixit circa annum 1430.

Alfonſus Toſtatus, Abulenſis in Hiſpania Epiſcopus, etſi non omnes utriuſque teſtamenti libros commentariis ſuis enarraverit; tamen magnam utriuſque partem ita expoſuit, ut innumeras quæſtiones ad ſingula capita propoſitas, pleniſſimè tractaverit, atque diſſolverit; qua de cauſa de eo dictum ſcriptumque eſt:

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Scripſit & alia non pauca, licèt intra breviſſimum tempus; cum non ultra annum ætatis quadrageſimum vitam produxerit, medio ſeculo decimo quinto.

Dionyſius Carthuſianus, natione Belga, circa annum 1450, & alia, & Commentaria compoſuit in omnes ſacræ Scripturæ Libros.

Thomas de Vio, *Cajetanus* ex patria dictus, Generalis Prior Ordinis Prædicatorum, ac deinde à Leone X. Cardinalis creatus; præter minora opuſcula, ſcripſit Commentaria in univerſam Scripturam ſacram, exceptis Prophetis, & Apocalypſi; obiit anno Chriſti 1534.

Franciſcus Vatablus, Ambianus, Regius Linguæ Hebraicæ Pariſiis Profeſſor, Biblia ſacra luculenter enarravit omnia, tum nova ſecundum Hebraicam literam Verſione, tum brevibus ſed doctis Scholiis, quæ dictantis ab ore auditores exceperunt: repurgata Salmanticæ Hiſpani Doctores iterum ediderunt; obiit anno 1547.

His acceſſere hoc ſeculo *Nicolaus Serarius* Lotharingus, è Societate Jeſu, cujus extant in complures, tam Novi, quàm Veteris Teſtamenti Libros, erudita Commentaria.

Cornelius à Lapide Belga, qui multa edidit ingentia volumina, in Veteris ac Novi Teſtamenti omnes ferè libros.

Eodem fermè tempore *Guillelmus Eſtius*, Doctor Duacenſis.

Emanuel Sa,

Joannes Menochius, }

Et

Et *Jacobus Tirinus* ex Societate Jeſu, utrumque Teſtamentum Notis ſuis dilucidarunt.

Ex horum quatuor in totam Scripturam, & *Joannis Gagnæi* Doctoris Sorbonici in Epiſtolas B. Pauli Annotationibus, *Biblia Magna* compoſuit *Jacobus de la Haye* Minorita Gallus, anno 1647. Tomis quinque edita: quæ poſt decennium additis variarum editionum Verſionibus, in novem decim volumina ſecreverunt quæ Biblia maxima vocantur.

5. Catena Patrum præcipua. V. Hæ Literalium Interpretationum aptatæ ad utriuſque Teſtamenti verſus collationes, inſtitutæ videri poſſunt exemplo eorum Commentariorum, qui ex diverſorum Patrum ſeu Græcorum ſeu Latinorum ſcriptis à pluribus autoribus excerpti ſunt ſub *Catenæ* nomine: qualis eſt quam S. Thomas Aquinas *Catenam auream* in quatuor Evangelia vocavit. Non pauca extant hujus generis opera, ab Eccleſiaſticis medii ævi Scriptoribus elaborata; ut *Catenæ* ex Patribus Græcis à *Niceta* Serrarum, aliàs Heracleæ Epiſcopo, ab *Oecumenio* ab *Olympiodoro* Eccleſiæ Alexandrinæ Diacono, aliiſque collectæ, in *Geneſim*, *Exodum*, totumque *Pentateuchum* plures, in *Job* atque in *Pſalmos*, in *Cantica* quoque Canticorum, in *Proverbia* & *Eccleſiaſten*, tum etiam in *Evangelia* atque in *Acta*, & in Apoſtolicas aliquot *Epiſtolas*; quas cum Latina interpretatione vulgarunt partim Aloyſius *Lippomanus* Patricius Venetus, Epiſcopus Bergomenſis; Daniel *Barbarus* Aquilejenſis Patriarcha; Franciſcus *Zephyrinus*, ac Bernardus *Felicianus*; partim tres ex Societate Jeſu Patres, Paulus *Comitolus* Peruſinus, Balthaſar *Corderius* Belga, & Petrus *Poſſinus* Gallus. Extat & *Catena* ex Patribus Latinis *ſuper Pſalmos* per Franciſcum *de Puteo* Lugdunenſem, qui Carthuſiani Ordinis Præpoſitus Generalis fuit; itemque in Epiſtolam *ad Romanos* ex Auguſtino & aliis: præter Catenam ex interpretibus ineditis in *Pentateuchum*, *Judices* & *Paralipomena*, aliaſque.

6. Egregii ex Neotericis Librorum ſelectorum enarratores. VI. Neque verò hîc prætermittendi aliquot eximii hujus noſtræ, aut proximæ ætatis Commentatores, qui pauca quidem ſacrarum Scripturarum, ſed maximè difficilia, cum laude interpretati ſunt: *Pſalmos* quidem ex Hebraico textu *Gilbertus Genebrardus* Regius ejus Linguæ Profeſſor, ac deinde Aquenſis Archiepiſcopus; *Robertus Bellarminus* Cardinalis, & *Simeon Muiſius* ſacrarum quoque literarum Regius Profeſſor: deinde *majores Prophetas* & *Evangelia Joannes Maldonatus* è Societate Jeſu. Denique *Jobum*, *Eſajam* & *Eccleſiaſten* Philippus Codurcus Nemauſenſis, Doctor primùm Calviniani dogmatis, ſed tandem agnita veritate orthodoxus.

Memoretur & è numero Heterodoxorum unus, *Hugo Grotius* doctrinæ præſtantia omnibus notus, qui eruditis admodum Commentariis omnes utriuſque inſtrumenti Libros ita enarravit, ut neutrarum propemodum partium videri poſſit.

7. De Concordia Evangeliorum. VII. Addantur & qui Jeſu Chriſti Domini noſtri hiſtoriam ex quatuor Evangeliis in unam ſeriem ſive *Harmoniam* & Concordiam redegerunt; in iis, præter S. Auguſtinum *de conſenſu Evangeliſtarum*, Cornelius *Janſenius Gandavenſis* Epiſcopus ſub finem proximi ſeculi, præter alia præclara in varias Scripturæ partes Commentaria, etiam Harmo-

Harmoniam Evangelicam magnæ molis, ejuſque Epitomen conſcripſit. Eodem fermè tempore *Adrianus Crommius* Belga, Societatis Jeſu, Concordiam Evangelicam ordine hiſtorico protulit: ac poſt eos Anonymi ejus generis opus cum accurata *Chronologia* ſacra, & Nicolai Sanſonis ſacra *Geographia* adjecerunt, ad Biblia vulgatæ Editionis Sixti V. & Clementis VIII. Pontificum autoritate recognita; in editione quam Antonius Vitre anno 1662. elegantibus typis edidit auſpiciis Illuſtriſſimi Viri Dionyſii Talon, Generalis in ſuprema Curia Pariſienſi Advocati.

VIII. Extant prætereà utiles ſtudioſis Bibliorum *Concordantiæ*, quibus omnia utriuſque Teſtamenti vocabula, non modò Latinæ editionis Vulgatæ ex inſtituto Hugonis Cardinalis & Franciſci Lucæ Brugenſis; ſed etiam *Hebraici* textus, R. *Mardochæi* Nathanis ſtudio collectæ, & per A. Reuchlinum in Latinam linguam translatæ quas Frobenii typographia protulit; atque his non abſimiles Græcæ, quas primus compoſuit Henricus Stephanus. *8. De Concordantiis Bibliorum.*

IX. Sacræ Scripturæ *Ἀντιλογία*, ſeu Contradictiones apparentes è diverſis autoribus collectas, brevi libello complexus eſt P. Dominicus Magrius Melitenſis, Congregationis Oratorii Sacerdos ac Theologus. *9. De Conciliatione Scripturarum.*

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

LIBER SECUNDUS.

1. Hujus Libri Partes Quatuor.

I. QUatuor ſunt hujus libri II. Partes quæ ad Materiam referuntur, ex qua conflatum eſt univerſum Juris Pontificii corpus. Nam præter Canonicos ſacrarum Scripturarum Libros, qui baſin, ut ita dicam, Juris Sacri conſtituunt, & quibus reliqua ejus velut columnæ nituntur, coaluit ejus ſyſtema, vel ex Conciliorum Canonibus, vel ex Decretis, Decretalibus Epiſtolis, aliiſque Conſtitutionibus Pontificum, Romanorum præſertim; vel ex ſanctorum Patrum Græcorum & Latinorum ſcriptis, aliiſve ſine autorum nomine operibus Eccleſiaſticis; vel denique ex Principum tùm Romanorum tum Francorum placitis. Erunt ita-

que

Digitized by Google

que nobis quatuor hæc genera ad examen revocanda, ut puris ac limpidis è fontibus Canonica nobis diſciplina hauriatur. Incipiamus à Conciliis.

2. De Conciliis primò dicendum. Eorum inſpectio generalis.

II. Conciliorum ſive Synodorum, de quibus hoc Libro diſſerendum, duplex inſpectio eſt, generalis & ſpecialis. Illa in duo Capita diducitur. Videndum enim in genere eſt quid & quotuplex Concilium, quale cujuſque ſubjectum, quæ forma, ſive quis ordo, quæ vis; & quid à veris Conciliis diſtent Conciliabula ſive Pſeudo-ſynodi. Deinde, ut Epiſcoporum per quos celebrantur Concilia, ipſorumque Conciliorum Autoritas pleniùs eluceſcat, & confirmetur, operæ pretium erit nonnihil de Eccleſiæ Juriſdictione adjicere. Etenim vel ipſum Juris Pontificii nomen, ejus condendi, ac ſanciendi poteſtatem in iis qui Autores ipſius ſint, deſiderare videtur. Unde fruſtra de Jure Canonico diſſeruerimus, niſi ejus conſtituendi atque adhuc exercendi autoritatem in Eccleſia fuiſſe, atque adhuc eſſe demonſtraverimus.

3. Quid nobis in unoquoque Concilio ſpeciatim enucleandum.

III. In ſpecie verò, indicanda erunt Concilii cujuſque, quoad fieri poterit, adjuncta; Cauſa nempe ſive occaſio, Tempus, Locus, Qualitas, Actorum ſynopſis, cum Numero Patrum qui eis interfuere, & Canonum ab illis conditorum.

CAPUT I.

De Conciliis in genere.

1. Concilii etymon.
a Can. 1. verſu unde & Concilium, diſt. 11.
b Lib. 5. de ling. lat.
c Lib. 15. noct. Attic. c. 27.

I. CONCILIUM non tam à *conſidendo* aut à *con* & *cilio*, ut putavit Iſidorus Hiſpalenſis [a]; quàm, ut Varroni viſum [b], à *concalando* dictum, id eſt convocando ſeu conciendo. Verùm illud derivatur à Græco καλεῖν, quod eſt *vocare*, ſive συγκαλεῖν, id eſt *convocare*, *congregare*: unde Latinorum *Calare*, *Kalendæ*, & *Calata comitia*. Eſtque diſcrimen inter Comitia & Concilium propriè dictum, quemadmodum Cælius Felix apud Gellium obſervabat [c]; quòd Comitia conventum totius populi ſignificant ferendorum ſuffragiorum cauſa inſtitutum: *Concilium* verò ſit cum pars aliqua populi congregatur: non ſecùs ac apud Græcos Ἐκκλησία populi concio dicebatur; συγκλησία verò Concilium Senatorum. Celebriores autem conventus συνόδους vocabant iidem, quòd è diverſis locis in eandem viam locumque homines coeant. Sic etiam *cœtus* appellatur apud Latinos, à coeundo; ut *conventus* à conveniendo. Nec malè Synodum Iſidorus [d] comitatum interpretatur, ſi utriuſque vocis originem ſpectemus. Quapropter apud Eccleſiaſticos Scriptores Concilii & Synodi vocabula promiſcuè ſumuntur.

d d. Can. 1. verſu Synodus autem diſt. 15.

2. Concilii definitio.

II. Eccleſiaſtica porrò Concilia, de quibus inſtituendus nobis eſt ſermo, ſunt congregationes ſive comitia fidelium, Conventus nempe Catholicorum Antiſtitum, Eccleſiaſticis de cauſis convocatorum.

3. Conciliorum diviſio, 1. in universalia & localia.
e §. porrò Canonum poſt can. regula, 2. diſt. 3. can. 2. & ſeqq. diſt. 18. can. 5. diſt. 17.

III. Eorum ſpecies ſunt primò duæ. Alia quippe *Univerſalia* ſunt, alia *Particularia* & localia, quæ Græcis τοπικὰ ſeu μερικὰ dicuntur [e].

4. Plures Conciliorum particularium ſpecies.

IV. Hæc autem triplicis ſunt generis; vel enim *Nationalia* ſunt, vel *Provincialia* propriè dicta, vel *Epiſcopalia* ſtrictiùs ſumpta, quæ & Diœceſana. His addenda quæ pluribus ex Provinciis, pluribuſve nationibus coadunantur, in quibus *Patriarchalia* œcumenicis minora, cæteris verò localibus majora.

5. Concilia univerſalia ſunt vocatis ex toto orbe Epiſcopis.
f Can. 1. diſt. 15. verſu inter cæt.

V. UNIVERSALIA, quæ & *Generalia* vocantur, ea ſunt, ad quæ omnes totius orbis Chriſtiani Epiſcopi orthodoxi convocantur: unde à S. Auguſtino *Plenaria* Concilia ex orbe univerſo dicuntur; à Græcis appellantur οἰκουμενικαὶ Σύνοδοι, id eſt, ἐκ τῆς οἰκουμένης, ex terra quæ habitatur, quacumque Chriſtiana religio viget: In his quippe univerſa Eccleſia per Epiſcopos repræſentatur. Ea Iſidorus jam laudatus ſic deſcribit [f]: *quæ ſancti Patres de omni terrarum orbe convenientes juxta fidem Evangelicam & Apoſtolicam celebrant*. Neque tamen opus eſt omnes univerſi orbis Epiſcopos Concilio intereſſe, ut Generale habeatur: ſufficit enim ſi omnes advocentur miſſis ad Metropolitanos, per quos reliqui moneantur, epiſtolis, quas Encyclicas, ſive Circulares vocant. Illud imprimis agendum, ut quoad fieri poteſt, omnes majorum gentium Patriarchæ Orthodoxi cum Romano, Conſtanopolitanus nempe, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus, vel per ſe, vel per legatos ſuos, aut ſaltem per Epiſtolas adſint.

6. Congregan-

VI. Horum definita non ſunt tempora, ut provincialium: ſed emergenti-

gentibus præſertim novis hæreſibus congregari ſolent. Eorumdem indicendorum jus penes Principes initio fuit; jamdiu tamen invaluit ut à Summo Pontefice convocentur: qui & eis, ratione Sedis ſuæ, per ſe, vel per [g] Legatos, præeſt. Abſque illo habita, legitima non cenſeri traditur tota Diſt. XVI. quæ ad jus commune atque ordinarium eſt referenda: ut & vetus Canon Eccleſiaſticus, à Socrate & Sozomeno memoratus: quorum ille [h] Synodum Antiochenam promoventi Euſebio, id inter alia vitio vertit, quòd ei Julius Romanæ urbis Epiſcopus non interfuerit, nec quemquam loco ſui miſerit: cum tamen Regula Eccleſiaſtica vetet abſque conſenſu Epiſcopi Romani quicquam in Eccleſiis decerni, Κανόνος Ἐκκλησιαστικοῦ, inquit, κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Ῥώμης, τὰς Ἐκκλησίας κανονίζειν. Sozomenus verò ait [i], εἶναι νόμον Ἱερατικὸν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων Ἐπισκόπου. Legem enim Pontificiam ſive Hierarchicam eſſe, ut pro irritis habeantur, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani geſta fuerint. Idque etiam jam olim agnoverat Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus [l], *Non neceſſe*, inquir, eſſe, *ut illis* (ſacris Conventibus) *alii ſubſcribant quàm qui interfuerint: ſufficere enim judicatur, ad plenam ſignificationem, ſi perducta in notitiam totius Eccleſiæ, nullum offendiculum moveant, vel ſcandalum fratribus; ſed Catholicæ fidei convenire ut firmentur, Apoſtolicæ Sedis roboratæ conſenſu.*

tur auctoritate Romani Pontificis, interventu majorum Patriarcharum.

g In ſumma ſive princ. & can. 1. 2.5. diſtin. 17.

h Socrat lib. 2. hiſt. Eccl. c. 8.

i Sozom. lib. 3. c. 10.

l In epiſt. ad Anatolium.

VII. Requiritur præterea conſenſus atque interventus Principum, olim quidem Imperatorum Romanorum ſtante Imperio: nunc verò Imperatoris Germanici ac Regis Francorum Chriſtianiſſimi (quorum utriuſque nominatim fieri ſolita mentio in literis, quibus poſteriorum temporum Generalia Concilia indicta ſunt) & cæterorum Principum quibus competunt Majeſtatis jura. Cum enim duo ſint, quæ in conventibus hiſce ſacris tractari ac definiri ſolent, dogmata nimirum *Fidei*, ac *diſciplinæ* Canones; quamvis in iis quæ fidei ſunt atque doctrinæ, plena ſit Epiſcoporum in ejuſmodi Synodis poteſtas: nihilominus & his faciliùs ad exitum perducendis, utilem admodum; & cæteris quæ ad publicos mores ſpectant firmiùs ſtabiliendis, neceſſariam imperantium autoritatem eſſe, tum res ipſa docet, tum vetera Conſtantini, Theodoſii, Martiani, aliorumque piorum Principum in Nicæno 1. Conſtantinopolitano 1. Chalcedonenſi Conciliis intervenientium exempla teſtantur, & fatentur ipſi Pontifices. Sanctus Leo imprimis [m], *Res humanas aliter tutas eſſe non poſſe* affirmat, *niſi quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & regia & ſacerdotalis defendat autoritas* [n]. Ei conſonat Joannes VIII. [o] *Adminiſtratores*, inquit, *ſecularium dignitatum ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum & viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem conſtituti eſſe proculdubio debent*. Id adhuc expreſſiùs confirmat Iſidorus [p]: *Principes ſeculi*, ait, *nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant*.

7. Requiritur in his conſenſus & interventus Principum Chriſtianorum.

m Epiſt. 29. ad Pulcheriam Aug.

n Can. res 21. XXIII. quæſt 5.

o Can. adminiſtrat. 26. XXIII. q. 5. adde & can. 34. & 35. ibid.

p Lib. 3. ſent. de ſum. bono, can. principes 20. eod. cau. & quæſt.

VIII. Duo ſunt Conciliorum Generalium officia præcipua δογματίζειν καὶ κανονίζειν, ſive Dogmata, & Canones conſtituere, ut ex ep. Nicænorum Patrum ad Ægyptios, & ex actis ejus Concilii apud Gelaſium Cyzicenum collegit amicus quondam noſter, & in Anteceſſorio munere deceſſor Fr. Florens [q]: Prius ad res Fidei, poſterius ad res Morum pertinet, circa quæ duo, tanquam circa ſubjectam materiam Concilia verſantur.

8. Officium, & cauſa Conciliorum generalium.

q De orig. arte, & autor. Jur. Can. *Prænot. Canonic. Doujat.*

Digeruntur & formantur *Dogmata* per eas quas Græci vocant διατυπώσεις; ſive deſcriptiones; exponuntur ſymbolis ſeu formulis fidei, & ſynodicis epiſtolis, aut etiam decretis & anathematiſmis adverſus hæreticos. Quæ verò ad *Mores* ac *Diſciplinam* Eccleſiaſticam, Græcè πολιτείαν, referuntur, ea Canonibus explicari ſolent. Synodus tamen Tridentina Canonum nomine in decidendis doctrinæ ac fidei articulis uſa eſt. Cæterùm ſunt qui adhuc Canones in duo genera diſtinguant majoris perſpicuitatis gratia, nempè in eos qui definiunt quæ ſunt ſacræ ac publicæ diſciplinæ, & eos qui publicos privatoſque mores componunt. Verùm utrumque genus permixtim ferè in Conciliis tractari conſuevit. Porrò ex hac Dogmatum à Canonibus diſtinctione patet, cur Nicænæ Synodi Canones, cum de moribus agant, Arii non meminerint, cujus hæreſis ſeu error in fide ſeorſim damnatus fuit. Hinc etiam factum eſt, ut, cum Quinta & Sexta Generales Synodi hæreſes tantùm damnaſſent, intactis iis quæ ad diſciplinam ſpectabant, Trullana, condendorum Canonum cauſa poſt eas habita, Quini-ſexta dicta fuerit, quaſi aut illæ imperfectæ & quaſi mutilæ eſſent, aut hæc ab illis non omninò diverſa, ſed quod iis deerat ſuppleret.

Cur autem illa duo ſeparatim diſceptari oporteat, hæc cauſa eſt, quòd alia ſit ratio rerum Fidei atque Doctrinæ Morum, alia eorum quæ meræ ſunt diſciplinæ. In illis cunctas Eccleſias ſynodoſque convenire neceſſe eſt: quandoquidem *regula fidei una omnino eſt, ſola, immobilis & irreformabilis: huic nihil addi, nihil detrahi poteſt*, ut Tertullianus [r] ait. At quæ ad Ritus ac diſciplinam pertinent, ea & *per loca terrarum* D. Auguſtino teſte [ſ] *variantur*; & in iiſdem etiam Eccleſiis mutationem [t] ſæpè, nonnunquam diſpenſationem recipiunt Præſulum autoritate [u].

r De Velandis Virginibus.
ſ Can. illa. & Can. ſeq. diſt. 12
t Can. 14 & 15. 1. quæſt. 7.
u Can. 16. & ſeqq. ead. Cau. & quæſt.

9. *Eorum celebrandorum forma.*

IX. Modum ac rationem celebrandi generalia Concilia autores complures ex profeſſo deſcripſerunt. Videndus imprimis Guilielmus Durantes ſive Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui peculiarem ea de re tractatum mandato Clementis V. conſcripſit. Addi poſſunt tractatus alii, quos in unum volumen collectos habemus ſub Apparatus nomine in Pariſienſi Conciliorum editione anni 1672. Dominici nempe Jacobatii Cardinalis, Joannis Antonii Delphini, Marci Mantuæ Bonaviti, & aliorum, qui de Conciliorum poteſtate ex Italorum ſententia ſcripſere, magis quàm Gallorum.

10. *Notanda duo circa ritus celebrandorum Conciliorum.*

X. Hac in re duo obſervatu non indigna. Primum in medio conſeſſus proponi ſolitos atque in throno collocari Codices duos, Evangeliorum & Canonum: ut ad eos veluti ad Lydios lapides in explorandis hinc Fidei dogmatibus, inde Morum præceptis, quoties opus eſſet, recurreretur: ex illorum autoritate definiri poſſent utriuſque generis cauſæ, tam Evangelicæ quàm Canonicæ, quarum cauſa haberi Concilia ſcriptum eſt Nicenæ 2. *Synodi can. 6.* Alterum, quod hoc loco annotaſſe non videtur ab inſtituto noſtro alienum, eſt quoniam fieri non poteſt, ut uno conventu unove die abſolvantur cauſæ aut negotia in Concilio unoquoque tractanda vel definienda: ideo diſtingui conſueviſſe ſingulorum conventuum acta, & in ſua tempora digeri. Atque hinc oritur geſtorum diviſio in Actiones, vel Seſſiones, ut poſteriores loqui amant.

11. *Horum Conciliorũ autoritas.*

XI. Horum Conciliorum Autoritatem teſtatur Ferrandus ſuprà laudatus, *Univerſalia*, inquit, *Concilia, præcipuè illa, quibus Eccleſiæ Romanæ con-*

conſenſus accedit, ſecundæ auctoritatis locum poſt Canonicos Libros tenent. Illorum ſanè decreta nomen Canonum ſibi ſpecialiùs vendicant. In his, quatuor prima, *Nicenum*, *Conſtantinopolitanum*, *Epheſinum*, *& Chalcedonenſe*, cæteris celebriora ſunt, tantæque in Eccleſia Catholica dignitatis, ut ſacroſanctis quatuor Evangeliis comparentur à D. Gregorio Magno [x], eorumque Dogmata Juſtinianus Imperator [y] ſicut ſanctas Scripturas accipi, & Regulas pro legibus obſervari voluerit: *In his enim*, ut loquitur ante dictus B. Gregorius, *velut in quadrato lapide, ſanctæ Fidei ſtructura conſurgit: & cujuslibet vitæ atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet.* Sed & quatuor ſequentia, imò & reliqua Concilia Univerſalia, legitimè congregata & celebrata, in iis præſertim quæ ad res ac dogmata fidei pertinent, parem his primis vim habent ac poteſtatem [z], nec minùs recipienda & cuſtodienda ſunt ab omnibus Chriſtianis.

x Lib. 1. Regeſti, relato in Can. ſicut. 2. diſt. 15.

y Nov. 131. in princ.

z Dicto Can. 2. verſu 5. Can. ſancta Romana 3. in princ. ead. diſt. Can. ſancta octo diſt. 16.

12. De Conciliis Localibus qualia primò Patriarchalia.

XII. Jam *Patriarchalia* dicuntur Concilia, quæ ab uno aliquo è majoribus Patriarchis ex omnibus eidem ſubjectis nationibus & Provinciis coacta ſunt; eorum conſtitutiones per totum Patriarchatum valent. Verùm hæ Patriarchicæ Synodi ad Nationales fermè referri poſſunt. Raro quippe leguntur Patriarchæ aliunde quàm ex natione propria Epiſcopos ad Concilia convocaſſe: Alexandrini ex Ægyptiaca, Antiocheni ex Orientali, Conſtantinopolitani ex Thracica diœceſi, ipſique Romani Pontifices ex Italia.

13. Deinde Nationalia.

XIII. *Nationalia* verò Concilia, quæ aliquando *Univerſalia* quoque, aut etiam *Plena* vel Plenaria dicuntur (ut Africana quædam à S. Auguſtino) reſpectu ſcilicet Provincialium, ſic propriè dictorum, ea ſunt quæ Epiſcopi totius Nationis alicujus, omnibus ejus gentis vel regni provinciis à Primate ferè ſive Exarcho acciti celebrant: qualia ſunt Carthaginenſia aliquot in Africa; Aurelianenſe 1. aliaque in Gallia; Toletana pleraque in Hiſpania; & Romana multa in Italia. Eadem vocantur aliquando *Diœceſana*, Diœceſeos nomine pro complurium ejuſdem gentis provinciarum adminiſtratione accepto, ex uſu veterum Romanorum poſt diviſum Imperium: ut cum diœceſin Galliarum, diœceſin Africæ, diœceſin Orientis dicunt.

14. Plurium Nationum, plurimæve Provinciarum.

XIV. Quædam præterea ſunt *Plurium Nationum* Concilia, qualia Arelatenſe 1. ſub Silveſtro, Sardicenſe ſub Julio, Turonenſe 3. ſub Alexandro III. Ad ea enim, aliaque nonnulla ex totius Occidentis Provinciis Epiſcopos concurriſſe conſtat, & communi conſenſu Canones condidiſſe: unde Generalium nomine nonnunquam decorantur. Quædam etiam ſunt plurium ejuſdem Nationis Provinciarum, ut Antiochenum aliaque vetera Orientis; & plurima, regnantibus præſertim Carolidis, per Gallias habita: ſed hæc communi Provincialium appellatione plerumque comprehenduntur.

15. Provincialia propriè dicta.

XV. *Provincialia* ſtrictè loquendo, Græcis ἐπαρχικά, ſunt, quæ Metropolitano Epiſcopo omnes provinciæ ſuæ Epiſcopos convocante, Eccleſiaſticis de cauſis inſtituuntur, convocatis & aliis Provinciæ Clericis. Et olim quidem ea bis ſingulis annis haberi debebant ex Apoſtolorum [a], ut creditur, inſtituto, quod ſæpiùs renovatum. Nam ex Concilii Niceni 1. Can. 5. ante jejunium Quadrageſimæ, atque Autumno congregari ſinguli cujuſque Provinciæ Epiſcopi jubebantur, de Eccleſiaſticis

a Can. Apoſtolorum 38.

cauſis, ſeu litibus cogniturі [b]: ex Antiocheni verò Can. 20. ſtatim poſt Paſcha, & deinde Autumno medio menſe hyperberetæo, id eſt circa idus Octobris [c]: id deinceps ſervari juſſit tum Synodus Chalcedonenſis [d], tum ſanctus Leo Pontifex Maximus [e]: ſed Quiniſexta in Trullo Synodus propter Barbarorum incurſiones aliaſque incidentes cauſas, ſemel quotannis habenda hæc Concilia cenſuit; quod ſecuta quoque eſt Synodus Nicena 2. Oecumenica ſeptima [f]: idque ob itinerum, & frequentis Epiſcoporum ab ſedibus ſuis abſentiæ incommoda: ſed & in Concilio Later. 4. videtur annua horum Conciliorum celebratio indicta [g]. Nunc autem ex Tridentini Concilii [h] præſcripto, (quemadmodum antea Concilii Matiſconenſis Can. ult. decretum fuiſſe videtur) quolibet ſaltem triennio cogi debent ab Archiepiſcopo, aut eo legitimè impedito per antiquiorem Coepiſcopum. Convocatos autem provinciales Epiſcopos convenire ad Synodum oportet, aut legitimam excuſationem, ſi quam habent, per Literas Metropolitano ſignificare [i], ac pro ſe legatum mittere; aut ſi ne probabili ſeu juſto impedimento recuſantes à fratribus corripi, imò & eorum communione arceri debent [l]; idque ex parte confirmatur Concilii quoque Tridentini decreto [m].

Horum Conciliorum decreta ſive ſtatuta generaliter intra Provinciam ab Epiſcopis, à Sacerdotibus aliiſque Clericis obſervanda ſunt [n]; imò & à Chriſtianis omnibus, quoties aut Generalis Concilii aut Pontificia autoritate confirmata eo animo ſunt, aut in corpus Canonum relata, ut Ancyranum, aliaque Aſiana quarto ſeculo habita, paulò ante vel poſt Nicenum. Licèt enim vim Conſtitutionis non habere hæc Concilia dicantur à Gratiano [o], ſed autoritatem tantùm indicendi & imponendi quod aliàs ſtatutum eſt, & generaliter ſeu ſpecialiter obſervari præceptum, ut loquitur idem Gratianus: tamen, ut ipſe etiam agnoſcit, depravata corrigere poſſunt, & de criminibus Eccleſiaſticis inquirendi judicandique poteſtatem habent: ita ut de gravioribus rebus, ſi diſcordia naſcatur, recurrendum ſit ad Primatem [q] ac deinde ad Patriarcham [r], aut etiam quandoque ad vicinæ Provinciæ Metropolitanum, eique ſubjectos Epiſcopos ex Sardicenſis Concilii placito [ſ]: indeque ad Romanum Pontificem appellatio deferenda [t].

XVI. Concilia *Epiſcopalia*, ſeu *Diœceſana*, ut nunc loquimur, quæ & propriè *Synodi* hodie appellantur, ſunt quæ ab unoquoque Epiſcopo, congregatis Abbatibus ac Presbyteris ſuis, cæteriſque Clericis, quotannis celebrari ſolent ac debent [u]. Quanquàm enim id olim prohibitum aliquatenus videatur [x], quo ſcilicet tempore totius Provinciæ Clerici ad Provincialem Synodum ſolebant accedere; id tamen inde receptum eſt propter cauſam fortè in Toletano XVI. Concilio allatam [y], ut nempe ſinguli Epiſcopi provincialis Synodi conſtituta Clericis ſuis, atque univerſo populo ſibi commiſſo nota faciant: quemadmodùm ſignificare quoque plebi ſuæ debent, quæ propriis Diœceſanis Synodis conſtituta ſunt; aliàs illorum ignari ad ea ſervanda non tenentur. Intereſſe verò his Conciliis jubentur cum Sacerdotibus Abbates Epiſcopo ſubjecti lege Diœceſana [z]; imò ex Tridentini Concilii placito, exempti etiam quicumque, ſi nulla iis eſſet conceſſa exemptio, intereſſe tenerentur; præterquam ſi Generalibus Capitulis ſubditi ſint. Cæterùm harum Synodorum, quæ ab uno Epiſcopo cum Presbyteris ſubjectis habentur, una, ni fallor, Antiſſiodorenſis

b Can. habeatur 3. diſt. 18.
c Can. propter 4. ead. diſt.
d Can. pervenit 6. diſt. 18.
e Can. de Conciliis 2. ibid.
f Can. quoniam quidem. 7. diſt. præd.
g Cap. ſicut olim 25. de accuſ.
h Seſſ. 24. c. 2. de reformat.
i Can. iiſdem & Can. 5. 9. 10. 12. & ſeq. diſt. 18
l Can. placuit 10. aliiſque laudatis.
m d. Seſſ. 24. cap. 4. de refor.
n Can. Epiſcopus 9. & aliis citatis diſt. 18.
o In ſumma diſt. 18.
p d. Can. de Conciliis & ſeqq. diſt. 18.
q Conc. Chalced. Can. 9.
r Can. 14. ex quo deſumptus eſt 1 can. v1. quæſt. 4.
ſ Can. 1. ead. c. & q.
t Can. annis ſingulis 16. & can. 11. diſt. 18. cap. ſicut olim 25. extra de accuſat. & Trid. Conc. ſeſſ. 24. c. 2. de refor. §. fin. 16. *Epiſcopales, ſive Diœceſeos unius Synodi*.
u Can. propter inf. diſt. 18.
x Can. ult. diſt. 18.
y Cap. quod ſuper his 9. extra de majorit. & obed. cap. ult. de cauſ. poſſeſſ. & propr.
z d. cap. 2. ſeſſ. ſuprà laudatæ, §. ult.

renſis locum invenit in collectionibus Canonum: & hæ vix in Conciliorum numerum referuntur.

XVII. Jure divino Conciliorum autoritatem atque inſtitutionem niti probant Doctores, tum ex illo Chriſti [a], *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*; aliiſque locis; tum exemplo Apoſtolorum [b] uti cap. proximo fuſiùs oſtendemus.

17. Quo jure nitantur Concilia.

a Matth. 18.

b Cap. 1. 6. 15. 20. & 21. act.

XVIII. Vocandos autem neceſſariò & jure ſuo ſolos Epiſcopos ad Concilia tam Univerſalia, quam Provincialia, & uſu ipſo priſcorum Conciliorum oſtendi poteſt, Epheſini maximè & Chalcedonenſis; & autoritate Patrum, Cypriani imprimis [c], Hilarii [d], Ambroſii [e], Hieronymi [f], Auguſtini [g], Euſebii [h]; *Concilium* enim *Epiſcoporum eſt*, ut Patres Synodi Chalcedonenſis proteſtantur: quibus verbis ſignificatur ad eos tantùm pertinere jus definiendi controverſias Fidei, & Cauſas Eccleſiaſticas judicandi. Nam in conſilium Abbates atque Doctores adhiberi nihil vetat. Atque ita accipienda ſunt quæ de Presbyterorum & Clericorum, in priſcis, Abbatum ac Religioſorum virorum, in Lateranenſibus aliiſque generalibus Conciliis, interventu leguntur. Igitur hi vocem conſultivam (ut loquuntur) in Conciliis habere poſſunt, deciſivam Epiſcopi tantùm; quibus ex uſu poſteriorum temporum adjunguntur Eccleſiæ Romanæ Presbyteri & Diaconi Cardinales ob eminentiam ejus Eccleſiæ.

18. Ad quos pertineat jus definiendi res dubias in Conciliis.

c Epiſt. ad Jubaianum.

d Lib. de Synodis.

e Epiſt. 31.

f Apolog. 2. in Rufinum.

g Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

h Lib. 3. hiſt. cap. 15.

XIX. Præter ſuprà allatas Conciliorum inſpectiones, dividuntur etiam in *Approbata* ab univerſa Eccleſia, & in *Reprobata*; aut partim approbata, partim damnata; & nec reprobata, nec palam approbata. Primi generis Concilia recepta ubique ſunt: ſecundi generis quia non ritè coacta, juſtiſve aliis de cauſis à legitimis poſteà Conciliis ſummiſve Pontificibus communi Eccleſiæ conſenſu damnata ſunt, à Catholicis omnino reſpuuntur, qualia Epheſinum 2. Ariminenſe aliaque. Concilia verò tertii generis, quod attinet ad ea quæ autoritatem Pontificiam habent adjunctam, ſine dubio ab omnibus ſunt admittenda: quantùm ad reliqua, eorum apud Romanos & pleroſque Catholicos vacillat autoritas: Conſtantienſe tamen & Baſileenſe in Gallia omnino recipiuntur. Atque hæc tria genera univerſalium maximè Conciliorum ſpecies ſunt. Quod verò ad Provincialia ſpectat; ea, ut jam indicatum eſt, in ſuis provinciis generatim obtinent: niſi quatenùs aut in deſuetudinem abierunt, aut contrariis Oecumenicorum ſcitis tacitè ſunt revocata.

19. Quædam aliæ Conciliorum diviſiones.

CAPUT II.

De Juriſdictione Eccleſiaſtica.

I. CUNCTAS apud gentes Sacra certo jure conſtituta fuerunt, & venerabile ſemper fuit Pontificum nomen: apud pleraſque jus etiam dixere Sacerdotes.

1. Autoritas Pontificum apud omnes gentes.

II. Divinus Hebræorum Legiſlator & Princeps Moſes, ex ſtirpe Levitica prognatus (quæ ſola Sacerdotalis habebatur) jus initio

2. Apud Hebræos.

ſolus

ſolus dicebat: poſteà tamen Jethro ſoceri ſui conſilio Judices ſub ſe conſtituit, qui minora deciderent, majoris momenti negotia ad ſe referrent [a]; quæ origo prima fuit magni LXX. virorum Senatus; quem Judæi Hellenistæ *Sanhedrin*, ex Græca dictione συνέδριον appellarunt, à verbo συνεδρεύω, quod eſt *conſideo*. Eum porrò in cœtum allecti Sacerdotes ut plurimùm fuere, & in his primas ferè tenuit Pontifex Maximus. Poſt templi autem, urbiſque à Babyloniis everſæ inſtaurationem, Perſis dominantibus factam, Pontifices rebus gerendis, ac ſummæ Reipublicæ præfuerunt, nullo principis aut regis nomine aſſumpto [b]. Qui mos ortus, ni fallor, ex poteſtate Eſdræ conceſſa ab Artaxerxe [c]. Id immutatum ſub Haſamonæis, qui poſt Machabæos fratres, ex ipſorum, Sacerdotali quidem, non tamen Pontificia familia oriundi Principatum cum Pontificatu ferè adminiſtrarunt.

a Exod. 18.

b V. Cunæus de rep. Hebr. li. 1. c. 12. & l. 2. c. 1.

c 1. Eſdr. 25.

3. *Apud Gallos & Germanos.*

III. Sic apud Gallos olim, *Druides, qui rebus divinis præerant, ſacrificia publica & privata procurabant, Religiones interpretabantur: iidem ferè de omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituebant; &, ſi quod eſſet admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, ſi de finibus controverſia eſſet, decernebant; præmia, pænaſque conſtituebant* [d]. Quod apud Suevos etiam, cæteroſque Germanos uſurpatum, apud quos *nulli verberare aut vincire quemquam, aut animadvertere licebat præterquàm Sacerdoti* [e].

d Cæſ. de bello Gall. lib. 6.

e Tacit. de morib. German.

4. *Apud Ægyptios & Tyrios.*

IV. Apud Ægyptios, Tyrioſque ſecundi à Rege Pontifices habebantur; atque apud illos aliquando ex Philoſophis Sacerdotes, ex Sacerdotibus Reges electos legimus: unde Mercurius Triſmegiſti, ſive ter maximi nomen tulit, quòd Philoſophus, Sacerdos, & Rex maximus fuerit [f].

f Diodor. Sic.

5. *Apud Spartanos.*

V. Spartanorum quoque Reges, cùm primùm ad eam dignitatem inaugurati erant, Jovis cœleſtis Sacerdotio fungebantur, velut honore præcipuo; iiſque idcirco ex omni ſcrofarum fœtu ſuculus unus debebatur, ne immolare volentibus victima unquam deeſſet [g].

g Alex. ab Alex.

6. *Apud Athenienſes.*

VI. Apud Athenienſes ex Theſei inſtituto [h] Patriciis tributum erat, ut ſoli ſacra curarent, magiſtratus ac dignitates caperent, leges interpretarentur, in his quæ ad religionem pertinebant quod fas eſſet dijudicarent; & ſub Archontibus poſteà, qui numero novem fuere, tres eorum præcipui, Archon nimirum abſolutè dictus, Rex, & Polemarchus [i], ſacrorum quiſque ſuorum curam ſimul gerebant, ſimul de commiſſis unicuique negotiorum generibus jus dicebant.

h Plut. in Theſ. Sigon. de rep. Athen.

i Suidas, Sigon. de rep. Athen.

7. *Apud Romanos.*

VII. Romæ plurima ſacra Reges ipſi obibant [l], atque inter eximia ipſorum munia illud jam tum Romuli tempore primum fuiſſe memoratur, ut ſacra & ſacrificia curarent, ac per eos gereretur, quidquid ad placandos Deos attinet. In Republica deinde, Pontificum partes fuere non modò religiones & cærimonias publicas privataſque, ac res omnes divinas tueri, moderari & interpretari; non modo de funeribus, placandiſque manibus & ſepulchrorum jure, deque votis ritè exſolvendis cognoſcere: ſed etiam de feriis indicendis, de habendis comitiis, deque fide & jurejurando conſtituere, quid ſacrum Religioſumve, quid profanum eſſet pronunciare; quid quaque die operis fieri vel non fieri conveniret, edocere. Imò quod magis ad rem pertinet, Legum interpretandarum ſcientia, & actiones apud Collegium Pontificum erant, qui

l Liv. 1. 20. & 2. 2. Dionyſ. Halic. lib. 1.

Digitized by Google

qui ex numero ſuo conſtituebant, quis quoque anno præeſſet privatis, ut loquitur Pomponius [m]. Quippe Jus Civile inter ſacra & cærimonias multos per annos abditum, ſolis Pontificibus patebat: unuſque ab iis deligebatur quotannis, cujus hoc erat Pontificium, ſive hæc cura, ut jura interpretaretur; atque an poſſet lege agi, quæque competeret actio in judiciis, declararet. Tempore Ciceronis non exigua adhuc in rebus etiam judicandis Pontificum autoritas fuit [n]: quam in rem hæc ejus ad illos notatu digna ſunt verba: *Cùm multa divinitùs, Pontifices, à majoribus noſtris inventa atque inſtituta ſunt; tum nihil præclarius, quàm quòd vos eoſdem & religionibus Deorum immortalium & ſummæ reip. præeſſe voluerunt*. Inter hos is, apud quem ſumma erat ſacrorum præfectura, modò ſummus Pontifex, ſæpiùs Pontifex Maximus dictus, & maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinebant, judex erat; & vindex contumaciæ, tam privatorum quàm magiſtratuum [o]. Idcircò hunc titulum priſci Cæſares affectaſſe leguntur [p]; ſive, ut religionis ſpecie tutiores eſſent, qua de cauſa Tribunos quoque plebis ſe ferebant; ſive quò auguſtiores haberentur. Idemque nomen à veteribus Romanis principibus velut per manus acceptum Imperatores quoque Chriſtiani retinuerunt ad Gratiani tempora, qui [q] ſe Pontificem maximum vetuit appellari. Hinc ad Romanos Epiſcopos translatus hic titulus eſt.

m Lege 2. Dig. de orig. jur.

n Cic. pro domo ſua, in princ.

o Dionyſ. Halicarn. lib. 2.

p Suet. in Auguſto.

q Zoſimus.

VIII. Sed Chriſtianorum Pontificum ſive Epiſcoporum juriſdictio, an à divina lege fluat, an hominum inſtituto nitatur, vel Pontificum ipſorum conſtitutione uſuve introducta, an Principum conſenſu admiſſa, certant inter ſe variarum ſcientiarum Doctores.

8. Pontificum Chriſtianorum Juriſdictio quo jure nitatur.

IX. Sacris quidem in rebus conceſſam à Chriſto, tum B. Petro, tum reliquis Apoſtolis poteſtatem aliquam, inficiari nemo poteſt, qui vel primoribus labris Evangelicam hiſtoriam attigerit. Petro quippe promiſſas primùm fuiſſe conſtat Claves Regni cœlorum [r], *Ut quodcumque ligaret ſuper terram, eſſet ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveret ſuper terram, eſſet ſolutum & in cœlis*. Cæteros deinde diſcipulos in partem ejus juris vocatos legimus: idque tum antequàm Chriſtus pateretur, cum eodem ferè ſermone erga eos uſus eſt in Evangelio [ſ]; tum poſt reſurrectionem, cum Diſcipulos divino halitu afflatos his verbis eſt allocutus [t]: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*.

9. Sacra Juriſdictio à jure divino.

r Matth. 16.

ſ Matt. 18.

t Joan. 20.

X. Hæc quidem verba ad Peccatorum per Pœnitentiæ Sacramentum remiſſionem, atque ad forum interius ſpectant potiùs, quàm ad externum aliquod judicium, niſi quatenus ex eo capite crimina publica Excommunicationis pœna caſtigantur: ut paulò poſt exponitur §. XI. Verùm hujus quoque judiciariæ poteſtatis nonnihil iis conceſſum videri poteſt eo Chriſti Domini præcepto, quo ſi quis in alium peccaverit, nec læſo ſatisfecerit, amboſque reconciliare ſtudentium juſta monita contempſerit, jubetur qui accepit injuriam rem totam ad Eccleſiam deferre [u], cujus judicio ſi reus ſtare recuſaverit, tum verò pro Ethnico & Publicano habendus pronunciatur.

10. Eccleſiæ poteſtas in rebus civilibus aliquatenus à Chriſto conſtituta.

u Matth. 18.

XI. Nec verò credendum eſt hac loquendi formula poteſtatem dumtaxat monendi hortandique aut objurgandi eſſe attributam; ſed ſacri etiam interdicti ſive anathematis pœnam contineri, qua nulla eſt gravior

11. Jus coercendi contumaces anathemate.

vior in Eccleſia coercitio. Sanè hanc pœnam his verbis intelligi, præterquàm quòd ſentiunt Patres atque Interpretes omnes, ex more etiam Judæorum patet, qui ab externæ gentis ac religionis hominum conſortio penitùs abſtinebant ex divino præcepto [x]: quod religioſè adeò ſervabant, ut cæteras nationes execrarentur, atque idcirco ipſis viciſſim odio & execrationi eſſent. Id præ cæteris obſervavit Tacitus [y], *Apud ipſos*, inquit, *fides obſtinata, miſericordia in promptu, ſed adverſus omnes alios odium; ſeparati epulis, diſcreti cubilibus; projectiſſima ad libidinem gens aliorum concubitu abſtinent*. Nec verò minùs eos Judæi deteſtabantur, qui cùm eſſent Judaicæ nationis, vectigalia publica redimerent; ſive quòd hi lucri undequaque faciendi aviditate uſuris fratres vexarent, ſive quòd externis gentibus tributa libero populo imponentibus obſecundarent: utrumque contra legis præceptum [z]. Ea certè poteſtate Gallorum olim Druides uſos memorat Cæſar [a], ſive quis alius eſt belli Gallici ſcriptor: *Si quis*, inquit, *aut privatus aut publicus eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita interdictum eſt, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur: iis omnes decedunt: aditum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur; neque honos ullus communicatur*.

x Exod. 26.

y Tacit. lib. 5. Hiſtor.

z Deuter. 6.

a Cæſar de bello Gall. lib. 6.

XII. Ex illo Chriſti mandato intelligi poteſt quantam vim habeat illud ejuſdem Domini ad Apoſtolos & Diſcipulos verbum, cujus meminerunt Evangeliſtæ [b]: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*. Audire enim Latinè apud Tullium, Quintilianum, Alfenum Juriſconſultum [c], ut & Græcè ἀκούειν, ſive ἐπακούειν, & Hebraicè שמע *ſciamah*, pro eo ſumitur quod eſt obtemperare ac præcipienti parere: itaque in ipſum Jeſum contumax habendus quiſquis Eccleſiæ juſſa obſervare detrectaverit.

12. *Eccleſiæ juſſis obediendi mandatum.*

b Luc. 10. Joan. 13.

c L. arbiter. ex compromiſſo, Dig. de recept. arbit.

XIII. Licèt autem eam poteſtatem ad univerſum Chriſtianorum cœtum trahere nonnulli conentur; ad maximè contemptibiles Eccleſiæ delegare videatur ipſe Paulus [d]: nihilominus & Apoſtolus id ſe ad verecundiam eorum, vilibus de cauſis inter ſe litigantium, dixiſſe teſtatur, & ſapientioribus tantùm arbitrium ejuſmodi tribuit [e]. Arbitrium dico, quod voluntarium eſt; non juriſdictionem, quæ neceſſaria. Nam rerum caducarum controverſias ac publicorum criminum judicia magiſtratibus haud dubiè relinquenda cenſet: quos poteſtatem à Deo habere, ideoque non ſine cauſa gladium portare, alibi agnoſcit. Quod autem attinet ad res Fidei ac diſciplinæ, damnataque ſacris legibus, atque ad publicum fidelium ſcandalum ſpectantia crimina; eorum cognitionem & executionem Paulus idem ac cæteri Apoſtoli pleno jure ſibi vindicare non dubitarunt.

13. *Hæc ex Scriptura poteſtas ad Laicos non trahenda.*

d 1. ad Cor. 6. 4.

e 1. ad Cor. 5. 3. & ſeqq.

XIV. De his certè rebus quæ ad religionem & politiam Eccleſiæ pertinerent, leges ab Apoſtolis, tum ſingulis, tum communi conſilio conſtitutas, tota penè ſacræ Hiſtoriæ ſeries evincit; quæ quidem conſtitutiones partim ſcriptæ, partim non ſcriptæ fuerunt. Et primò quidem de ſubrogando in locum Judæ proditoris Apoſtolo, tum de cura viduarum & miniſtrorum electione in commune contuliſſe leguntur convocatis diſcipulis Apoſtoli, eamque in rem Diaconos inſtituiſſe [f]. Poſt hæc quis neſcit inſigem illam de Circumciſione & Moſaica lege una cum

14. *Ab Apoſtolis uſurpata in rebus ad religionem ſpectantibus auctoritas.*

f Act. 1. & 6.

cum Evangelio à gentilibus ad Chriſti fidem converſis obſervanda; ortam inter diſcipulos controverſiam. Hoc ſanè diſſidium cauſam præbuit antiquiſſimo & maximè ſolenni, ut illis temporibus, Concilio, quod anno à natali Domini 51. in urbe Hieroſolymitana ab Apoſtolis habitum eſt. Ibi re accuratè diſceptata, tandem placuit legis illius jugum nemini eſſe imponendum, paucis quibuſdam articulis, & pleriſque ad tempus, exceptis: quemadmodum à B. Luca narratur in Actis Apoſtolorum [g]. In his prætereà memoratur S. Paulus Syriam & Ciliciam perambulaſſe, *Confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum*: τὰς διατάξεις, id eſt, conſtitutiones. Accedit quod poſteà ſubjungitur de eodem gentium Apoſtolo & Timotheo: *Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Hieroſolymis* [h]. Ubi Gloſſographus poſt veteres omnes Eccleſiæ utriuſque Doctores *dogmata* rectè interpretatur *ſtatuta*.

XV. Præceptis deinde circa mores, tum publicos, tum privatos, de rebus quamplurimis ad Eccleſiaſticam diſciplinam & Chriſtianorum inter ſe officia ſpectantibus refertæ ſunt Pauli ac reliquorum Apoſtolorum epiſtolæ. Hujus generis ſunt quæ variis in locis traduntur de fidelium Concordia & Charitate mutua [i], (quam inculcare nunquam deſinebat Chriſto præ cæteris dilectus Apoſtolus [l]) tum de Virginitate & Conjugio, conjugumque inter ſe officiis [m]: de obedientia Subjectorum [n]: de officiis quoque Patrum & Matrum familias, imò Chriſtianorum omnium in genere [o]: de Patientia deinde & Jejunio [p]: de Oratione privata [q]: de Pſalmodia & canendis publicè Dei laudibus [r]: de Liturgia & Sacrificio [ſ]: de modeſtia fidelium convenientium ad Dominicam Cœnam, deque velandis mulieribus & earum in Eccleſia ſilentio [t]: de Pauperum prætereà cura; de Eleemoſyna & Collectis [u]: de ſacrorum Miniſtrorum virtutibus [x], deque neceſſariis ad victum ordini eorum præſtandis [y].

Præter has ſcriptis mandatas leges, alias quoque viva voce ab Apoſtolis editas probant evidenter hæc D. Pauli verba [z]: *State & tenete Traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive epiſtolam*. Hæ traditiones in Græco textu vocantur παραδόσεις, id eſt, *præcepta*. Neque omnia quæ autore Spiritu ſancto ſervari juſſerunt Apoſtoli ſacris Literis contineri, non modò unanimis Patrum conſenſus docet: ſed perſpicuè ſatis indicat B. ipſe Paulus, cum ſcribit ſe, ut ad Corinthios venerit, *cætera* (ad diſciplinam Eccleſiæ pertinentia) *diſpoſiturum*. In Græco eſt διατάξομαι, ſive conſtituam [a]; quod non ſcriptas conſtitutiones procul dubio demonſtrat, atque adeo verbo tenus præcipiendi poteſtatem: quales Lycurgi apud Lacedæmonios leges ῥῆτραι peculiari vocabulo appellatæ, quaſi dicta ſeu dictata ac velut quædam oracula. Ex hujus generis præceptis manarunt receptæ ab univerſa Eccleſia Traditiones, quarum vim atque autoritatem cuncti aſtruunt & commendant ſacri Scriptores: Baſilius [b] imprimis inter Græcos, inter Latinos Auguſtinus [c]: adde quæ à nobis jam dicta ſunt Libri 1. cap. 4.

XVI. Nec verò imperando tantùm, verùm & contumaces coercendo ſacram juriſdictionem iidem Apoſtoli exercuerunt. Pullulantibus quippe ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio Schiſmatibus atque Hære-

g Act. 15.

h Act. 16. 4.

15. Præcepta Morum ab Apoſtolis ſcripto, & verbo tradita.

i Epheſ. 5. ad Rom. 12. 15. tum 1. Cor. 6. & 2. ad eoſdem.

l 1. Joan. 2. 3. 4.

m 1. ad Cor. 7.

n 1. ad Timot. 2. & 6. ad Rom. 13. Eph. 5. & 6.

o 1. Petri 2. & 3. ad Rom. 2. & 3.

p 2. ad Cor. 6. ad Rom. 13.

q 1. ad Cor. 14. ad Rom. 8.

r Eph. 3. 5. Coloſſ. 3.

ſ 1. Cor. 10. & 11.

t 1. ad Tim. 3. & ſeqq. ad Tit. 1.

u 1. ad Cor. 16. 2. ad eoſdem 8. & 9.

x 1. Cor. 14.

y 1. Cor. 16. 2. ad eoſdem 8. & 9.

z 2. ad Theſſ. 2.

a 1. ad Cor. 11. in fin.

b Epiſt. de Spir. ſancto 27.

c Epiſt. 118. ad Januar. c. 1. & 2.

16. Iidem Apoſtoli animadverſione in contumaces uſi.

Hæreſibus, contumaces aut atrociorum criminum reos ab eis tum correptos, tum etiam Chriſtianorum conſortio eliminatos videmus. Etenim præterquàm quòd Petrus Simonem Magum graviſſimè increpitum
d Act. 8. ad pœnitentiam hortatus eſt [d]: Paulus Hymenæum atque Alexandrum in fide naufragos *Satanæ ſe tradidiſſe ſcribit, ut diſcerent non blaſphemare* [e]. Et, quod eodem recidit, *Alexandrum verbis ſuis reſiſtentem vitari* juſſit [f]. Idem Corinthium inceſtus in novercam reum *abſens quidem corpore, præſens autem ſpiritu, judicavit in nomine Domini tradendum Satanæ* [g]: quæ loquendi figura de anathemate à ſanctis Patribus vulgò explicatur: & ne ſola ſeveritate jus ſacræ poteſtatis uſurparet, eumdem Corinthium poſteà reſipiſcentem recepit in gratiam, atque Eccleſiaſticæ communioni reſtituit [h]. Plurima ſunt alia juriſdictionis Eccleſiaſticæ ab Apoſtolis in uſum adhibitæ argumenta per Libros novi fœderis ſparſa.

e 1. Tim. in fine. *f* 2. Tim. 4. *g* 1. Cor. 5. *h* 2. Cor. 2.

17. Idem ſequentium Pontificum in hæc ujus.

XVII. Sequentibus temporibus plura ſanctorum Pontificum de variis rebus ad Religionem ac Diſciplinam ſpectantibus decreta edita ſunt. Neque ea Conſtantino tantùm Imperatore, & quarto poſt Chriſtum natum ſeculo edi cœperunt, quo tempore Chriſtianis plena cultus ſui libertate conceſſa, Nicænum aliaque Concilia celebrata nemo neſcit: ſed & prioribus quoque ſeculis. Nam præter cærimonias ac ritus Eccleſiaſticos pleroſque hoc temporis intervallo inſtitutos à Romanis maximè Pontificibus, legimus prætereà apud Euſebium [i] à Victore ſummo Pontifice ſub finem ſecundi ſeculi Theodorum Byzantinum Coriarium, de Chriſto pravè ſentientem, ejectum ex Eccleſia; ortamque priùs de tempore celebrandi Paſchatis controverſiam indictis, tum Romæ, tum alibi Synodis, compoſitam ab eodem; qui mox Aſianos Judaico more, ipſa Luna decima quarta celebrare id feſtum perſeverantes, à communione ſegregavit. Habita deinde videmus non pauca adverſus hæreticos Concilia, in quibus ſeculo tertio Antiochena contra Paulum Samoſatenum, Africana etiam plura variis de cauſis, ac ſequentis initio ſeculi Eliberitanum in Hiſpania.

i Lib. 5. c. 27. & 24.

18. Neceſſitas Juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

XVIII. Id autem neceſſariò ſic conſtituendum fuiſſe res ipſa per ſe ſatis clamat. Nulla enim humana ſocietas, ne ſceleratorum quidem, ſine legibus ſtare poteſt: nec res ſacras attingere niſi ſacris addicti debent. Id & in lege Moſaica Deus vetuit [l]: ac miraculo virgæ florentis [m]; imò pœnis quoque confirmavit cœlitùs inflictis Core, Dathan, Abiron, cunctiſque illorum affectis [n], aliiſque. In Evangelica verò lege, præter loca jam anteà illata, quibus ſolis Apoſtolis & Presbyteris in rebus fidei ac diſciplinæ ſacræ, poteſtas data memoratur; uſus quoque Eccleſiæ perpetuus id evincit, ab ipſorum Apoſtolorum inſtituto derivatus.

l Numer. 1. *m* Ejuſd. lib. c. 7. *n* Num. c. 16.

19. Eccleſiæ poteſtas à Principibus agnita.

XIX. Quòd autem Principes etiam Catholici de Fidei dogmatibus, aliiſque ad Mores Chriſtianos pertinentibus Conſtitutiones ediderunt, tum Romani Imperatores poſt Conſtantinum, ut patet ex primis Codicis titulis, ac pluribus Juſtiniani, aliorumque novellis Conſtitutionibus; tum Reges Francorum, quemadmodum eorum ex Capitularibus liquet: id ſanè declarandi potiùs ac confirmandi, quàm ſtatuendi Juris Eccleſiaſtici gratia factum eſſe apparet. Etenim Poteſtas Eccleſiæ, Civilis poteſtatis auxilio indiget; ideoque Canonum de rebus ad publicam pertinentibus

tibus Eccleſiæ diſciplinam promulgatorum, receptorumque tuitio haud dubiè Principibus Chriſtianis incumbit, uti egregiè probat eruditione ac pietate ſimul illuſtris Archiepiſcopus noſter Toloſanus, ac tandem Pariſienſis, Petrus de Marca [o]: fruſtra quippe Pontifices quid jubeant, niſi & Principes (quorum in manu publica autoritas, & corporalis, pecuniariæque pœnæ irrogatio eſt) partes ipſi etiam ſuas interponant. Qua de re Iſidorus Hiſpalenſis [p], & ſummus Pontifex Nicolaus [q];

Alterius ſic

Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Atque id Principes ipſi ultrò profeſſi ſunt, Conſtantinus in Nicæna Synodo Epiſcoporum libellos comburens, Theodoſius ad Synodum Epheſinam ſcribens [r], Marcianus Chalcedonenſes alloquens Præſules, & Valentinianus Orientalibus Epiſcopis reſpondens apud Sozomenum [ſ].

XX. De rebus quoque privatis, quæ temporales & pecuniariæ ſunt judicaſſe videntur in veteri lege Sacerdotes [t], qua, ſi quid ambiguum incideret, ad eos recurri præcipitur, ut rem unà cum judice definiant. De ejuſmodi certè rebus aliàs cognoſcere inter laicos Epiſcopi potuerunt, conſentientibus ſaltem partibus. Atque hanc Epiſcoporum poteſtatem inoleviſſe ex ſancti Pauli mente loco ſuprà allato [u] oſtendit B. Auguſtinus [x], ubi ſe hoc judicandi munere ſæpè fungi coactum eſſe conqueritur, tanquam neceſſario Epiſcopi officio, cui ſe ideo addictum agnoſcebat: *Conſtituit enim*, inquit, *talibus cauſis* (ſecularibus fidelium) *Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores in foro prohibens jurgare Chriſtianos*. Quod alibi quoque teſtatur [y]. Hac de cauſa Imperatores ordinis ſacri in profanis quoque negotiis componendis ac definiendis autoritatem legibus ſuis firmarunt. Extat imprimis eam in rem conſtitutio in calce Codicis Theodoſiani [z], nomen præferens magni Conſtantini, qua priorem hac de re legem ſuam renovans atque amplificans, ſtatuit, ut ſi alter litigantium in quocumque cauſæ ſtatu, *judicium eligat ſacroſanctæ legis antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur*: & paulò poſt ſic concludit: *Omnes itaque cauſæ quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur; nec liceat ulteriùs retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.* Hanc quidem legem non deſunt qui ſuppoſititiam eſſe contendant. Verùm iidem, atque in his Jacobus ipſe Gothofredus, fateri coguntur rem ipſam, jus nempe & autoritatem civiles cauſas privatorum, ſaltem conſentientium, diſceptandi Epiſcopis à Conſtantino & inſequutis Principibus eſſe attributam. Et ſanè ipſius Conſtantini ea de re legem memorat Euſebius [a]: ait enim ſententias Epiſcoporum inter litigantes prolatas eum autoritate ſua roboraſſe, ita ut quæ ab iis decreta eſſent reſcindere judicibus non liceret. Quamvis enim verba illa τοὺς τῶν Ἐπισκόπων δὲ ὅρους τοὺς ἐν Συνόδοις ἀποφανθέντας, ſi quis argutari velit, ad Canones in Conciliis decretos trahi poſſe videantur: attamen συνόδον pro conſeſſu & judicio Eccleſiaſtico Epiſcopi & Presbyterorum, & ὅρους pro ſententiis, quibus quid definitur ac deciditur, ſumi hoc loco facilè concedet, qui Sozomenum, peritiſſimum juris hominem, de hac eadem Conſtantini lege [b] differentem legerit. Sic enim ſcribit de Conſtanti-

o De Concord. ſacerdotii & imperii lib. 2. c. 10. ac lib. 4. c. & 7.

p Can. Principes 20. XXX. quæſt. 5.

q Can. quoniam 8. diſt. 10.

r In epiſt. quæ habetur in actis ejus Synodi c. 25.

ſ Lib. 6. c. 7.

20. *De rebus privatis ac temporalibus inter Laicos Epiſcopi quomodo cognoverint.*

t Ex Deut. c. 17.

u 1. ad Cor. 6.

x In Pſ. 118.

y Ut epiſt. 147. ad Procul. Donatiſtam.

z Poſt lib. 16. quaſi poſtremus ejus titulus de Epiſcopali judicio.

a Lib. 4. de vit. Conſtantini c. 27. ubi vid. Henr. Valeſ.

b Lib. 1. c. 9.

ſtantino agens, τῶν δ' Ἐπισκόπων ἐπικαλεῖσθαι τὴν κρίσιν ἐπέτρεψε τοῖς δικαζομένοις, ἢν βούλωνται τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας παραιτεῖσθαι· κυρίαν δ' εἶναι τὴν αὐτῶν ψῆφον, καὶ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν, ὡσανεὶ παρὰ τοῦ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν. Εἰς ἔργον δ' τὰ κρινόμενα ἄγειν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας. Ἀμετατρέπτους τε εἶναι τῶν Συνόδων τοὺς ὅρους: hoc eſt, ut Valeſius interpretatur: *Epiſcopale judicium eligere litigantibus permiſit, ſi ſeculares Judices recuſare vellent: juſſitque ut Epiſcoporum ſententia rata eßet, non ſecùs ac ſi ab ipſo Imperatore fuißet prolata: utque Rectores provinciarum, eorumque Officiales, ſententias ab Epiſcopis prolatas executioni mandarent: ut denique inconcuſſa eſſent & inviolata Eccleſiaſticorum conſeſſuum judicia*. Atque hæc ita eſſe accipienda probari poteſt ex *l. ſancimus ut nemo 29. Cod. de Epiſcopali audientia*: ubi Clerici accuſatio Epiſcopo civitatis primùm delata, jubetur, eo ſuſpecto, ad Metropolitanum, aut ad Synodum provinciæ convenientibus cum Metropolitano Epiſcopis tribus antiquioribus, inde ad Patriarcham devolvi. Idem confirmatur *Novella 123. cap. 10. & 22.* unde evincitur Epiſcopalia judicia de cauſis etiam privatorum in Synodo exerceri plerumque ſolita; eorumque ſententias à publicis Magiſtratibus ex Imperatorum legibus executioni fuiſſe mandatas. His non multùm abſimilia circa Epiſcoporum in judicando poteſtatem, poſtea conſtituerunt Arcadius & Honorius, qui legibus duabus, inter privatos, ſaltem conſentientes, ſacræ legis Antiſtitis tanquam arbitri judicium valere ſanxerunt. Jacobus quidem Gothofredus legem priorem [c], quæ habetur in Codice Juſtiniani, tranſlatam cenſet ex Codice [d] Theodoſiano, ubi conſtitutio extat, quam, quia Conſtantinopoli data legitur, Arcadio aſſignat, & qua in gratiam Judæorum cavetur, ut, ſi velint, in civili negotio apud Patriarchas ſuos litigent, quorum ſententias publici Judices exequantur. In ea verò quæ refertur apud Juſtinianum anno eodem notata, qua apud Epiſcopos litigandi jus Chriſtianis tribuitur, manum Triboniani (Juri enucleando ab hoc Imperatore præpoſiti) ſuſpicatur; quaſi ea lex nunquam ab illis Principibus condita fuerit. Verùm cui non veriſimillimum videatur, vel ab ambobus fratribus, vel certè (quod ſuadet locus legi adſcriptus, nempe Mediolanum) ab Honorio Imperatore Occidentis, & ab ipſo primitùs Conſtantino Religioſiſſimo Principe, plus aliquid Chriſtianis, quàm Judæis eſſe indultum; ut ſcilicet etiam invitum adverſarium trahere poſſent ad Epiſcopale Judicium: præſertim cum Honorius idem, decennio poſt, idipſam ſanciens [e], conſenſus mutui & arbitrii non meminerit. Ea ſanè Conſtantini lex è Codice Theodoſiano à priſcis Francorum Regibus libris Capitularium [f] inſerta eſt, ubi Theodoſio adſcribitur. Extat eadem apud Ivonem Carnotenſem, & apud Gratianum. [g] Hac de re Diatriben religione ſua dignam edidit adverſus Jacobum Gothofredum, Antonius Dadinus Altaſerra [h] Toloſanus Anteceſſor. Et hæc de Laicorum cauſis Judicio Epiſcoporum ſubjiciendis.

c L.7. Cod. de Epiſcopali audientia.

d L. 10. Cod. Theodoſ. de Juriſdict.

e L. 8. Cod. Juſtin. de Epiſcopa. audien.

f Capitular. lib. 6. cap. 281. unde eſt Canon *volumus* 37. xi q. 1.

g Can. quicumque 35. & Can. ſeq. ead. Can. & quæſt.

h In epiſt. anno 1676. Lud Nublæo J C. miſſa

21\. *Iure Civili cauſæ Clericorum pleræque ad forum Eccleſiaſticum deferendæ.*

XXI. Jam Clericorum negotia profana, ſeu temporalia, ut vocant, ſi jus Cæſareum vetus inſpiciamus, vel apud Epiſcopum vel apud Magiſtratum Civilem pro actoris arbitrio agitari poterant ex Marciani conſtitutione. Sed ſi de cauſa aut crimine Eccleſiaſtico, hoc eſt ad res ſacras officiumve Clericorum ſpectante, agatur; dubium non eſt eam cognitio-

gnitionem fori Eccleſiaſtici eſſe: quod non modò Concilia ac Decreta Pontificum, ſed & Principum leges ſanxerunt. Huc pertinent Canones, Concilii Chalcedonenſis quartus; Concilii Sardicenſis tertius, ſeptimus, aliique; Concilii Antiocheni undecimus ac duodecimus; Concilii Carthaginenſis tertii Canones nonus & decimus; quorum, aliorumque ſimilium ſumma eò redit ut debeant Clericorum reorum cauſæ hujuſmodi apud Epiſcopum ventilari, Epiſcoporum apud Synodum Provinciæ, Metropolitanorum apud Primatem aut Patriarcham, ita ut omnium tandem appellatio ad Romanum Pontificem devolvatur. His conſonat Juſtinianus dicta *lege* 29. *Cod. de Epiſcopali audientia*, *& Novella* 123. *cap.* 21. *in fine*. Sed ea res diſtinctionem aliquam accepit Jure Civili Novella quidem 83. itemque dicta Nov. 123. *cap.* 21. & 22. Epiſcopi Clericis pro pecuniariis cauſis & delictis Eccleſiaſticis alibi quàm coram Eccleſiaſticis Judicibus pulſari ſive conveniri prohibentur, niſi fortè de negotiis Clericorum pronunciare Epiſcopi ipſi noluerunt. Sed in cauſis pecuniariis Clericorum ab Epiſcopo ad civilem Magiſtratum provocatio conceditur; criminis autem publici accuſatio, vel coram Epiſcopo, vel coram civili Judice inferri Clerico poteſt: & priori cauſu Epiſcopus reum flagitii gravioris Clericum, gradu dejectum competenti Magiſtratui publico puniendum tradere jubetur: poſteriori caſu licebit Epiſcopo, ſi geſta in Clericum damnatum non jure confecta exiſtimaverit à publico judice, honoris ademptionem differre, donec princeps actis ab utroque tranſmiſſis, quod juſtum videbitur conſtituat. *d. Nov.* 23. *cap.* 21. §. 1.

XXII. Secundum jus Canonicum, in Italia, Hiſpania, & alibi receptum, tam Civiles, quàm Criminales Clericorum cauſæ ad Eccleſiaſticum forum omninò pertinent [i], niſi cauſa feudalis [l] ſit. Rei tamen atrocium criminum Clerici, ubi ab Epiſcopo ſuo damnati, ac depoſiti fuere, ſi in criminibus perſeveraverint ſine ulla emendationis ſpe, tunc verò coercendi legitimis pœnis quas Eccleſiæ manſuetudo non admittit, ſeculari Judici traduntur: ſed priùs honore Clericatus exuendi ſunt [m].

22. Iure Canonico Clericorum negotia fori Eccleſiaſtici ſunt ſine exceptione.

i Cap. 4. 8. 17. ex. de judiciis, & toto tit. de foro compet.

l Cap. 6. de foro compet. ex.

m Cap. 10. de Judic.

XXIII. In Gallia nunc eo jure utimur ex Franciſci I. & ſequentium Regum Conſtitutionibus, quibus latiùs patens Eccleſiaſtica Juriſdictio paulò anguſtioribus finibus concluſa eſt, ut perſonalibus quidem actionibus coram Eccleſiaſticis Judicibus Clerici conveniantur, ex vulgata Juris regula, qua actor ſequi debet forum rei. Niſi fortè de majori crimine agatur (caſum privilegiatum practici noſtri vocant, fortè per antiphraſin) quo caſu Regii quoque Judices conjunctim litem ordinant cum Eccleſiaſticis, & capitalem ſententiam (ſi ea pœna dignus videatur reus) ſoli pronunciant atque exequuntur: non multùm abludente forma à præſcripto dictæ Novellæ 123. De petitionibus autem, ſive actionibus in rem, minimè cognoſcit Eccleſiaſticus Judex, etiam inter Clericos, ſi res ſit temporalis; ſi verò ſpiritualis omnino ſit, tùm de ea etiam inter laicos cognoſcit, veluti de matrimonii fœdere, aliiſque Sacramentis. Rerum autem quæ mixti quodammodo juris cenſentur, veluti beneficia, decimæ, aliaque id genus; quod ad petitorium attinet, cognitio ad forum Eccleſiaſticum ſpectare dicitur; poſſeſſorium ſibi vindicant Regii Judices, eò quòd Regis ſit unumquemque in poſſeſſione

23. Iure Gallico hodierno de quibus Epiſcopi cognoſcant.

rei ſuæ tueri. Sed de his, ut & de perſonarum, ac rerum Eccleſiaſticarum immunitate, nos alibi pleniùs. Illud memoria tenendum, quod jam indicavi [n], cum, ut ait Juſtinianus [o], *Maxima duo ſint dona hominibus à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: & illud quidem divinis miniſtrans; hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibens: & ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornent vitam*: idcirco Principes oportet *maximam habere ſollicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honeſtatem*, eamque in rem curare ut *Sacrorum Canonum obſervatio cuſtodiatur*. Imprimis autem & Clericorum, & Eccleſiarum, ac per hæc totius Canonicæ diſciplinæ providentia & protectio Regi Chriſtianiſſimo, Primogenito Eccleſiæ filio, ex ſacra cœleſti unctione, ac jurejurando in id, tempore inaugurationis, præſtito ſpecialiùs incumbit & competit.

[n] Suprà hoc cap. §. 19.
[o] Nov. 6. in princip.

CAPUT III.

De primis quatuor Conciliis Oecumenicis, & primùm de Nicæno I.

1. Hujus tractationis propoſitum.

I. BREVEM aggredior Hiſtoriam, non omnium Conciliorum, quod longioris eſſet operæ, ſed eorum duntaxat quorum in Canonico ac Theologico ſtudio præcipuus eſt uſus; & quorum Canones ac Decreta, ſive à noſtris autoribus in Decreto, aut Decretalibus; ſive à Petro Lombardo in quatuor Sententiarum Libris, aut à S. Thoma in tribus Summæ ſuæ partibus laudantur; adjectis paucis Oecumenicis quæ poſtremis habita ſeculis fuerunt.

2. Ordo.

II. Ea in re hanc methodum ſequendam putavi, ut primò quidem Univerſalia præmitterem omnia, non omiſſis ejus generis Pſeudo-ſynodis. Deinde Localia ſive Particularia adjungerem, quæ quidem alicujus ſunt nominis, atque ad annum à Chriſto nato 1200. celebrata fuerunt. Græca itaque, Africana, Gallica, Hiſpanica, Italica, ad Caroli uſque Magni tempora, ſervato in unaquaque claſſe ac natione temporis ordine, referam; niſi quòd plura ejuſdem loci ſimul conjungenda viſa ſunt, exemplo veterum Codicum, & maximè Iſidori; quòd ea res non parum lucis afferat ad alterum ab altero ſecernendum. Quæ deinceps ſequuta ſunt, nec in veteribus Canonum Codicibus habentur, ea juxta ſeriem temporis, ſervato quoque nationum locorumque diſcrimine, ſubjiciam.

Denique indicandum erit quæ vel communi totius Eccleſiæ conſenſu, vel Romanæ Sedis judicio in Codicem Canonum relata firmataque ſint, & quæ ſive ex parte, ſive in totum rejecta Romæ, aut ubique: cætera nec probata, nec improbata ab Eccleſia cenſenda erunt: quæ cuncta ad cognoſcendam cujuſque vim ac robur ſine dubio conducent.

3. De primis

III. Celeberrima ſunt quatuor illa prima Concilia in Oriente celebrata,

lebrata, quæ à Gregorio magno & Iſidoro cum quatuor Evangeliorum libris; ab hoc [a] etiam cum quatuor Paradiſi fluminibus comparantur. His aliiſque illorum temporum Conciliis per ea comprobatis legum vim attribuit Juſtinianus [b]: *Sancimus*, inquit, *vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas Regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt, aut firmatæ, hoc eſt in* NICÆNA *trecentorum decem & octo, & in* CONSTANTINOPOLITANA *ſanctorum centum quinquaginta Patrum, & in* EPHESINA *prima in qua Neſtorius eſt damnatus, & in* CHALCEDONIA, *in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas Scripturas accipimus, & Regulas* (Canones) *ſicut leges obſervamus.*

quatuor Conciliis generalibus.
a Can. 1. & 2. diſt. 15.
b Nov. 131. §. 1.

IV. Inter omnia Concilia eminet Nicænum I. Nicææ habitum, quæ civitas eſt Bithyniæ in Diœceſi Pontica, & adhuc Græcis Νίκαια, Turcis *Iſnich* nuncupatur. Celebratum autem eſt hoc Concilium An. Fauſt. Paulino & Ceion. Juliano Conſulibus, id eſt anno Chriſti 325. Conſtantini vigeſimo, Silveſtri Pontificis duodecimo, cyclo ſolis 26. lunæ 3. indictione 13. Beda quidem & alii ad tempora Julii Papæ referunt: ſed contra fidem antiquiorum, in quibus Socrates [c] & Concilium Chalcedonenſe [d], Concilio Nicæno Paulinum & Julianum Conſules aſſignant: cum Julius Feliciano & Titiano Maximo Coſſ. id eſt anno Chriſti 337. aut certè exeunte anno ſuperiore, Nepotiano & Facundo Coſſ. ſedere cœperit. Orientales huic Synodo plures annos aſſignant. Sed vix ultra duos menſes protractum ab VIII. Kal. Julias ad VIII. Kal. Septembres, probatur ex Creſconiana Canonum collectione, & Chalcedonenſis Concilii actione 2. Poſt hæc Conſtantinus Vicennalia ſua Nicomediæ ac Nicææ celebravit, antequam Epiſcopi ad ſua rediiſſent: quamquam Romæ nonniſi anno ſequenti celebratum eſt id ſolenne ante Kalendas Auguſti, quo vigeſimus exiit Conſtantini annus.

4. Concilii Nicæni 1. locus ac tempus.
c Lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 6.
d Act. 2.

V. Etſi à Conſtantino indictum hocce Concilium ſcribatur ab eorum temporum Autoribus Eccleſiaſticis: non deſunt tamen qui Silveſtri Romani Pontificis autoritatem in eo convocando interveniſſe ex Rufino [e] colligant. Ille quidem à Conſtantino indictum fuiſſe tradit ex Epiſcoporum conſilio, quos inter Epiſcopo Romano primum deberi locum non ambigitur, ſine cujus conſenſu generalia in Eccleſiis decreta fieri vetat antiqua Eccleſiaſtica Regula, ut ex Socrate & Sozomeno jam obſervatum eſt: quod & ſextæ Synodi teſtimonio [f] non ſemel in ipſius etiam Silveſtri perſona probatur.

5. Quis ejus convocandi autor.
e Lib. 10. hiſt. Eccl. 1.
f Act. 18.

VI. Numerus Patrum qui huic Synodo interfuerunt variè traditur; ſed proculdubio trecentorum decem & octo fuit. Euſebius [g] numerum non definit, ſed plures fuiſſe ait ducentis & quinquaginta: at Euthymius Alexandrinus Patriarcha bis mille quadraginta octo Epiſcopos tum Nicææ conveniſſe ſcribit [h]. Cui ſuffragari Orientales Concilii hujus editiones teſtatur Abraham Ecchellenſis. Inhærendum tamen receptæ opinioni trecentos atque octodecim, ut dixi, Antiſtites numeranti: quem numerum poſt Athanaſium [i], qui ei Synodo interfuit, ſequuntur Epiphanius [l], Theodoretus [m], Hilarius [n], Ambroſius [o]. Nam & errorem in Euſebii numerum irrepſiſſe facilè ſuadent, tum Socrates [p], qui citato Euſebio, Epiſcopos adfuiſſe memorat trecentos & amplius: tum Gelaſius, Cyzicenus, qui trecentos & quinquaginta

6. Numerus Patrum.
g De vita Conſtantini lib. 3. c. 9.
h Annal. tomo 1.
i In epiſt. ad Jovinianum Imp.
l Hæreſi 69.
m Lib. 1. cap. 7. hiſt.
n Contra Conſtantium.
o Lib. 1. de fide, ad Gratian. cap. 9.
p Lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 8.

 legit;

legit; ex quo numero, rejectis fortè ob ſuſpectam fidem duobus ac triginta, ſuperfuerint trecenti decem & octo duntaxat. Quod autem tantò majorem numerum Eutychius & reliqui Orientales agnoſcunt, hunc habere poteſt intellectum: ut ultra Epiſcopos 350. Sacerdotes partim, partim Clerici alii, Epiſcopos ſequuti, aut tantùm Synodi videndæ deſiderio accenſi, ex diſcrepantium dogmatum (ut ibi notatur) religionibus ad 730. accurriſſe dicantur. Et verò apud Socratem paulò ante laudatum legimus vix iniri poſſe numerum Presbyterorum, qui Epiſcopos comitati ſunt, Diaconorum, Acolythorum, aliorumque complurium.

7. Cauſa Synodi convocandæ.

VII. Cauſa præcipua ejus congregandæ fuit Arii Presbyteri Alexandrini perverſum dogma de Verbo Divino, ſeu Deo Filio, quem aliquando non fuiſſe, & in tempore creatum, nec ex Patris ſubſtantia natum, nec Patri ſimilem eſſe docebat: qua hæreſi ſecundum Synodos duas eas de re priùs in Ægypto habitas, anathemate notata, ὁμούσιον, id eſt *conſubſtantialem* Deo Patri, Deum Filium eadem Synodus per ſymbolum definivit. Additum etiam eſt Decretum de Paſchate, non more Judæorum ipſa die XIV. creſcentis ſub æquinoctium vernum Lunæ, ſed die Dominica inſequenti celebrando, contra Quartadecimanos ſive τεσσαρεσκαιδεκατίτας.

8. Ejus præſides.

VIII. Ei per Legatos præfuiſſe Silveſtrum qui propter ingraveſcentem ætatem longinquum iter ſuſcipere non potuerit, fatentur cum omnibus qui ejus Concilii res attigerunt, ipſiuſque ſubſcriptionibus, ſchiſmatici quoque Græci, Photius [q] & Cedrenus [r]. Hi fuere Oſius Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, Vitus aliàs Victor, & Vincentius Romani Presbyteri, qui ante Patriarchas ſediſſe feruntur. Oſius ſanè in Orientem anteà miſſus, non alio quàm legati Apoſtolici titulo præeſſe Concilio potuit.

q De ſeptem Synodis.
r In Hiſtoria.

9. Numerus Canonum.

IX. Ab hac Synodo, opera præſertim Alexandri Patriarchæ Alexandrini, Canones XX. tantùm editi apud Græcos & Latinos habentur: qui numerus jam olim receptus, ut ex actis Concilii Carthaginenſis ſive ſexti, ſive quinti, colligi facilè patet. Cum enim Zoſimus Papa commonitorio ſuo ab Africanis poſtulaſſet admitti appellationes Epiſcoporum ad Sedem Romanam, cui hoc jus competere ex Nicænæ Synodi decretis contendebat; miſſi ex Africa in Orientem legati, exempla Canonum Nicænorum ab Attico Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino Patriarchis retulerunt, in quibus non plures apud Græcos quàm apud Latinos Canones continebantur, nempe viginti tantummodo: qua de re nos pleniùs ſuo loco.

10. Majoris numeri argumenta.

X. Ad majorem Canonum Nicænorum numerum aſtruendum quædam afferuntur, quæ prima facie alicujus momenti videri poſſunt: 1. Athanaſii & cæterorum Ægyptiorum Epiſcoporum epiſtola ad Marcum Papam, qua teſtantur incenſam ab Arianis fuiſſe ſupellectilem Eccleſiæ Alexandrinæ, atque imprimis Libros, in quibus etiam Synodus erat Nicæna: cujus exemplaria ad ſe tranſmitti poſtulant. Nomine autem Athanaſii hæc adducuntur: *Præſentibus nobis octoginta capitula in memorata Synodo tractata ſunt: quadraginta à Græcis, Græca edita lingua; & quadraginta à Latinis ſimiliter Latina edita lingua. Sed viſum eſt* CCCXVIII. *Epiſcopis Spiritu ſancto repletis, & maximè jam dicto Alexandro* (Patriarchæ Alexandrino) *& Apoſtolicæ Sedis Apocriſariis, ut decem capitu-*

la

la adunarentur aliis, atque congruis locis infererentur, & ad formam ſeptuaginta Diſcipulorum, vel totius orbis terræ linguarum, ſeptuaginta tanti & tam excellentis Concilii fierent Capitula, &c. Quæ narratio Marci reſcripto confirmatur, apud Gratianum [ſ].

Deinde Julius Pontifex [t] quatuor & viginti Concilii Nicæni Canones refert à vicenis, qui vulgo circumferuntur, diverſos, ut Contius notat [u]: imò tres ſupra triginta, ſi bene numeravi, habentur in ipſa epiſtola quæ Julio adſcribitur. Quin & in epiſtola 1. Felicis II. ad eumdem Athanaſium & Synodum Alexandrinam, capita viginti & unum inveniuntur, ab antedictis aliquatenus diſcrepantia.

ſ Can. Septuaginta 12. diſt. 16.

t In 2. ad Orientales epiſtola.

u Ad d. can. Septuaginta.

Addit tertiò Contius multa ſe obſervaſſe in Scriptoribus Eccleſiaſticis velut ex Concilio Nicæno recitari, quæ inter ea capitula non extant: quale eſt Decretum, quod plures memorant, ut Paſcha die Dominica & Luna 14. poſt æquinoctium vernum (Dominicam dicere voluit proximè ſequentem poſt Lunam 14.) celebretur. Item Canonicarum Scripturarum in Eccleſia legendarum Canonem, in quo hiſtoria Judith numerabatur, apud Hieronymum in prologo illius libri. Præterea præceptum & forma Epiſtolarum Formatarum [x], diverſique alii Canones commemorati canone 3. Synodi Conſtantinopolitanæ 1. & can. 61. diſt. 50. & can. 15. diſt. 34.

x De quibus epigraphe can. 1. & 2. diſt. 73.

Quartum argumentum ſuppeditare poteſt commonitorium Zoſimi Pontificis, datum Romanæ Eccleſiæ Legatis in Africam miſſis, quo Appellationes ad Apoſtolicam Sedem Nicænorum autoritate Canonum fulciuntur; cujuſmodi tamen nullus Canon inter vulgatos viginti reperitur: ut fatendum ſit plures hujus Synodi Canones eo tempore extitiſſe, niſi fidem Zoſimi, ejuſque ſucceſſoris Bonifacii eodem argumento utentis, in dubium revocare velimus.

Quintò ex Arabicis Canonum collectionibus (quarum exemplum à Veneto quodam ex Oriente in Europam advectum dicitur) Alfonſus Piſanus octoginta Nicænos Canones deſcripſit; Latinè verſos recognovit Franc. Turrianus, ambo è Societate Jeſu: quin & linguæ Arabicæ ac Syriacæ Regius apud nos Profeſſor Abrahamus Ecchellenſis quatuor ſupra octoginta ſummulis indicavit primùm, deinde expanſos dedit, cujus verſio inſerta eſt Editioni Conciliorum Pariſienſi anni 1671. Ex quo ſequitur omnes ejus Synodi Canones vicenario numero non comprehendi.

XI. Verùm quantùm ad primum argumentum, epiſtolam illam in qua de combuſtis Alexandriæ libris agitur, falsò B. Athanaſio adſcribi tanquam ex Ægypto miſſam, ac proinde falsò quoque Marco Pontifici Romano tribui reſponſum vel inde conſtare videtur, quòd Marco Pontifice, anno ſcilicet 336. Athanaſius in Gallia exulabat, incendiumque illud Alexandrinum annis circiter viginti poſt Marci obitum contigit, intruſo in locum pulſi per vim Athanaſii Georgio Cappadoce, & graſſantibus in Alexandrinos orthodoxos Arianis, ut teſtatur ipſe Athanaſius [y]. Alia falſitatis argumenta Baronius, & Bellarminus non uno loco adducunt, quæ alibi proſequemur, ubi de Marco Papa dicendum erit. Advertendum præterea cum Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo [z], ſi numerentur capitula quæ ſub Nicænæ Synodi nomine in Epiſtola Julii adducuntur, cum iis quæ deſignata prætermittuntur, cumque iis quæ leguntur in Epiſto-

11. Refelluntur ſuperiores rationes.

y In Libris Apologeticis.

z Adverſ. Hincmar. Laudunenſem c. 20.

Epiſtola Felicis II. fore ut plura quàm ſeptuaginta, eaque inter ſe diverſa inveniantur: cum tamen minimè connumerentur illa capitula, quæ ex Nicæno Concilio ſervavit antiquitas.

Nec minùs laborare fidem Epiſtolarum quæ opponuntur ſub Julii ac Felicis Junioris titulo, ſuis locis demonſtrabimus.

Jam quæ tertio loco à Contio proferuntur, non unius ſunt generis. De tempore celebrandi Paſchatis (quam quæſtionem in hac Synodo tractatam, ex Athanaſio atque ex omnibus ferè Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illorum temporum Scriptoribus liquet) Decretum quidem fieri vel potiùs renovari placuit, non tamen inter Canones, qui de cauſis ad morum diſciplinam ſpectantibus, necdum planè deciſis, condebantur, quicquam referri; vel quòd res eſſet tum antiquiſſimo totius Occidentis, Ægyptiarumque & aliarum etiam Orientis Eccleſiarum uſu recepta, tum à pluribus Orientalibus quoque Conciliis tempore præſertim Victoris Pontificis celebratis planè firmata; vel quòd ad Fidei magis dogmata, quàm ad Mores ea res pertinere videretur. Quæ ratio in Catalogo quoque divinarum Scripturarum hiſce Canonibus minimè inſerendo valere potuit. Poſteà tamen in
a Can. 1. Concilio Antiocheno [a] ea Paſchatis obſervatio, non ſimpliciter, utpote jam ſtabilita, ſed quaſi à Canonum materia non prorſus abhorrens, ſub anathematis periculo ſancita eſt, ne cui ejus decreti (quod fortè apud Orientales nondum ubique ſervabatur) ignorationem prætexere liceret. Literarum autem Canonicarum, quæ Formatæ dicuntur, neceſſitas in vulgatis hujus Concilii Canonibus 15. & 16. ſatis perſpicuè imponitur, cum in illo ad vitandos tumultus & ſeditiones diſtrictè vetatur ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus de civitate ad civitatem præter regulam tranſeant: in hoc verò Clerici, qui Regulam Eccleſiaſticam non agnoſcentes ab Eccleſia ſua receſſerunt, prohibentur in alia ſuſcipi. Regula, cujus hi Canones meminerunt, priſcum, certumque uſum aliquem ſignificat: ex cujus obſervatione natus haud dubiè Canon Apoſtolorum 13. *Ut nullus fidelium præter commendatitias literas ſuſciperetur*. Eodem pertinet & Canon
b 34. relato apud Gratianam Can. 60. diſt. 50. 5. Nicænus. Sic etiam quòd in Innocentii I. Papæ decreto [b] dicuntur Canones apud Nicæam conſtituti, Pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludere; referri poteſt ad Nicænum Canonem 2. quo à Clero abſtinere jubetur qui criminis alicujus reus probatur: & de Clericatus honore periclitari qui contrà Concilii placitum fecerit, ſive in promovendo Neophyto ſtatim à Baptiſmo (qua de re initio Canonis agitur) ſive in admittendo eo qui poſt Baptiſmum grave aliquod delictum, Pœnitentia ſcilicet dignum, commiſit. De eo qui alteram uxorem duxit B. Am-
c Can. 14. diſt. 34. broſius [c] ait, quòd Apoſtolus ſtatuerat, ne is Epiſcopus aut Presbyter crearetur, Patres in Concilii Nicæni tractatu addidiſſe, neque Clericum eſſe debere; id autem licèt in receptis hujus Synodi Canonibus nullibi reperiatur, potuit tamen hæc quæſtio ita in Concilio Nicæno tractari, ut pro indubitata haberetur, nec viſa fuerit novo Canone indigere, præſertim cum Canone 17. Apoſtolorum definita jam eſſet.

Quartò, quod attinet ad Zoſimi commonitorium, nec is, ejuſve ad Afros Legati aut ſucceſſores mendacii argui debent: nec tamen reverà ad Nicænos Canones referendum jus Appellationum; ſed ad Sardicenſes, ex quibus tertius, quartus & ſeptimus, ad eas pertinent. Erroris autem cauſa ex eo manavit, quòd cum Synodus Sardicenſis, Nicænæ

velut

Digitized by Google

velut Appendix habita fuerit, ejus Canones ſtatim, & ſine ulla diſtinctione, Canonibus Nicænis in pluribus priſcis Codicibus deſcriberentur: quales hodieque extant, à me quoque viſi, tum in Bibliotheca Thuana, tum in Codice MS. Clar. Viri Claudii Hardy in Pariſienſi Præfectura Regii nuper Conſiliarii, cujus mihi copiam fecerunt Religioſi & eruditi Societatis Jeſu Presbyteri Philippus Labbæus & Gabriel Coſſartius: unde nihil mirum ſi Nicænæ Synodo aſſignarentur bona fide Sardicenſia ſtatuta. Interim hæc inter Romanam & Africanam Eccleſiam de veris Nicænæ Synodi Canonibus controverſia, eorum verum numerum, inquiſitione apud Patriarchas facta, certò aperuit atque firmavit.

Quintò, quod ſpectat ad Codices Arabicos, præterquam quòd apud peritos non ita magno in pretio ſunt, neque eorum fidem valdè adſtruunt, quæ ex illis à Joanne Beveregio Anglo in Synodico, ſive Pandectis Canonicis proferuntur: fecit excellens Concilii Nicæni fama atque autoritas, ut aliorum non ſolùm Conciliorum, ſed & Patriarcharum Decreta ejus nomine decorata fuerint, quò major eis reverentia conciliaretur. Turriano & Ecchellenſi adſtipulatur amicus & collega noſter jam antè laudatus V. Cl. Claudius Capellanus, qui Doctoris ac Socii Sorbonici titulis, titulum Regii Hebraicarum Literarum Profeſſoris ſuo merito adjecit. Illos enim Canones Arabicos arbitratur Nicænæ Synodo non eſſe abjudicandos, quòd non niſi ad Concilium aliquod antiquiſſimum, generale, & orthodoxum referri poſſe videantur; quæ omnia ſoli Nicæno conveniunt. Si enim Generale non eſſet Concilium ex quo hi Canones prodierunt, non potuiſſet Patriarcharum atque aliorum quorumdam Epiſcoporum, qui non niſi in generalibus ejuſmodi Conciliis ſimul conveniunt, ordinem inter ſe ac ſeſſionem conſtituere, ut hîc fit: Orthodoxum deinde fuerit oportet; cum Romano Patriarchæ primas partes & parem in alios poteſtatem aſſignet ei quam ipſi Patriarchæ in inferiores habent. Antiquitas ex eo quoque patet, quòd prius neceſſariò fuerit omnibus Orientalium in varias ſectas quinto ferè ſeculo diviſorum ſchiſmatibus, Neſtorianorum puta, Jacobitarum, Melchitarum, & Maronitarum. Alioqui ſi hi Canones ab univerſali Eccleſia ante illa ſchiſmata conditi non eſſent, apparerent in illis veſtigia quædam hujus vel illius ſectæ, à qua nimirum eſſent conſtituti, eaque adverſariis nequaquam probarentur: cum tamen omnes Orientis Chriſtiani cujuſcumque ſectæ, & cum antè memoratis, Copti, Æthiopes, Armeni, ut Ecchellenſis teſtatur, hoſce Canones æquè admittant. Quæ ratiocinatio hinc confirmari poteſt, quòd hi nec Epheſini Concilii Canones, nec Chalcedonenſis, in ſuis Codicibus habent, quia in illis Conciliis damnati ſunt earum ſectarum autores: quorum tamen Conciliorum decreta in Melchitarum libris habentur. Ex his apparet octoginta illos Canones Arabicos in quibus Orientales cuncti conveniunt, nec ad Epheſinum, nec ad Chalcedonenſe Concilium pertinere. Sed nec ad Conſtantinopolitanum referri poſſunt, quod nullibi ſeptenarium Canonum numerum egreditur. Unde conſequens videtur eos Nicænæ Synodo, cujus titulum præferunt, aſſignandos eſſe. Verùm ad hæc reſponderi poteſt, ſi quæ in Arabicis collectionibus Concilio Nicæno adſcribuntur, ex eo reverà quoquo modo manarunt, non idcircò ea omnia

in Canonum numerum eſſe referenda. Fieri enim poſſet ut ex actis Nicæni Concilii quæ interciderunt, excerptæ fuerint Diatypoſes, ſive complures Epiſcoporum ſententiæ, definitionum inſtar propoſitæ, nec tamen communi conſenſu in Canones digeſtæ, nec Canonum loco ſtatim habitæ, quæ poſtea in Oriente præſertim receptæ, aut venditatæ ſint. Stet itaque non niſi viginti Canones propriè dictos à Concilio Nicæno conditos. Id certè in antiquis collectionibus ab illa Synodo incipientium & per reliquas ambulantium numerorum conſequentia manifeſtè evincit, & Gelaſius Cyzicenus [d] tradit, itemque Theodoritus & Joannes Antiochenus. Rufinus viginti duos numerat, ſed inſtituta diviſione à vulgari diverſa non diverſorum decretorum adjectione.

d Lib. 2. Actor. Conc. Nic.

12. Ex quot Provinciis congregati in Synodo Nicæna Epiſcopi.

XII. Ex quot & quibus Provinciis ac gentibus acciti ſint aut confluxerint ad hanc primam Synodum Antiſtites, certò pronuntiari vix poteſt. Quæ ſuperſunt Epiſcoporum ſubſcriptiones oſtendunt nullum ei niſi ex Imperio Romano interfuiſſe, præter unum ex Perſide, ſive is Cteſiphontis fuit, qui cæteris ejus regionis Epiſcopis præerat, ſive alius minoris gradus. Ex orbe Romano non ampliùs quàm triginta & octo Provinciæ colligi poſſunt, pleræque Orientis aut Græciæ: ab Occidente Latini pauci admodùm venerunt. Ex Africa unius tantùm, nec niſi unius ex Gallia nomen legitur: ex Italia & Hiſpania unius fortè Calabri & Legatorum Silveſtri Pontificis, qui ante cæteros Patriarchas ſubſcriptionibus ſuis decreta Concilii firmarunt, Oſius nempe Cordubenſis Epiſcopus, jam ante Conſtantinopolim miſſus, Victor ſeu Vitus & Vincentius Presbyteri urbis Romæ, qui Silveſtri vice ſubſcripſerunt. Subſcripſere & Patriarchæ Alexander Alexandrinus, Euſtathius Antiochenus, Macarius quoque Epiſcopus Hieroſolymitanus. Conſtantinus ipſe Concilio in ſede aurea, diſtincto ab Antiſtibus loco, adfuit, qui Chriſtianæ libertatis, concordiæque autorem quo par erat gaudio & veneratione exceperunt; & ab ipſo omni humanitatis atque obſervantiæ genere ſunt honorati. Nam & in pleriſque apparentia adhuc Martyrii, quod antea pro Chriſti fide paſſi erant, veſtigia exoſculatus dicitur, & libellos quibus eorum nonnullis crimina objiciebantur, combuſſiſſe. Decreta Concilii probata Romæ à Silveſtro fuerunt. Illud addere non pigebit Provincias Imperii Romani non ſemper eadem ratione adminiſtratas, iiſdemque finibus deſcriptas fuiſſe. Ab Adriani temporibus dividi in plures adminiſtrationes ceperant: ſed poſt Conſtantinum novis diviſionibus inſtitutis, earum numerus triplo fermè major, cujuſque limites contradictores fecit. Id non modò in Gallia & Occidente reliquo factum, ſed in Oriente quoque, ubi ex una Palæſtina, unaque Cappadocia tres factæ inveniuntur: aliarumque auctus pariter numerus. Quapropter licèt in poſterioribus Synodis univerſalibus congregati ex pluribus Provinciis Præſules legantur, non ideo credendum eſt ex pluribus nationibus aut ampliore terrarum ſpatio convocatos.

13. Nicæni Concilii autoritas.

XIII. Hujus Oecumenicæ primæ Synodi tanta ſemper autoritas apud omnes gentes, tanta reverentia fuit, ut ejus decreta velut certiſſimam & perpetuam fidei ac diſciplinæ regulam habenda atque obſervanda Patres paſſim amplexi & miris laudibus proſequuti fuerint, ut SS. Ambroſius [e] & Auguſtinus [f], aliique: qua de re videndus præ cæteris Bellarminus de Conciliis, & Baronius in Annalibus ad annum 325. Innu-

e Epiſt. 32.

f Lib. 1. de Baptiſ.

Innumera in eam rem adduci poſſent Pontificum Romanorum teſtimonia, imprimis verò Leonis I. pluribus locis [g], ex quo unum mihi ſeligendum viſum eſt [h], quo breviter ejus Synodi actorum vis, & quædam velut imago depingitur.

g Epiſt. 53. ad Anatol. Conſtantinop. & epiſt. 66.
h Epiſt. 55. ad Pulcheriam.

Quoniam, inquit, *contra ſtatuta Paternorum Canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in Urbe Nicæna ſpiritalibus ſunt fundata decretis, nihil quidquam audere conceditur; ita ut ſi quis diverſum aliquid decernere velit, ſe potiùs minuat, quàm illa corrumpat: quæ ſi (ut oportet) à cunctis Pontificibus intemerata ſerventur per univerſas Eccleſias, tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena uſurpatione certamina; ſed ea, quæ jure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſervabitur unanimitas.* Per *Menſuras* intelligit præcipuæ dignitatis gradus, & ex eis ſedendi ac præcedendi honorem, quò pertinent ejus Synodi Canones 6. & 7. Hoc ſenſu jubentur Diaconi propriam ſervare Menſuram, ex Græco ἐμμένειν τοῖς ἰδίοις μέτροις: tum ejuſdem Synodi [i], tum Gelaſii Papæ decreto [l].

i Can. 18.
l Can. Diacon. 13. diſt. 93.

CAPUT IV.

De tribus ſequentibus Conciliis generalibus Conſtantinopolitano 1. Epheſino 1. Chalcedonenſi.

1. Conſtantinopolitani 1. Concilii locus, & numerus Patrum.

I. SEquitur CONSTANTINOPOLITANUM primum Concilium, Oecumenicum 2. Patrum centum quinquaginta. Id ex Provinciis præſertim Orientalibus, circiter triginta, habitum eſt Conſtantinopoli; quæ urbs eſt in Europa Thraciæ provincia, priùs Byzantium, deinde à Conſtantino Magno ſub novæ Romæ titulo inſtaurata: apud Chriſtianos adhuc nomen ſervat, Turcis corruptè *Stambol* appellatur.

2. Tempus & autores Synodi Conſtantinopolitanæ 1.

II. Convocata eſt hæc Synodus Coſſ. Syagrio & Eucherio, id eſt anno Chriſti 381. à Theodoſio Seniore, non ſine Damaſi Pontificis Romani autoritate; ut probant Eccleſiæ Romanæ vetuſta monumenta, quæ in Bibliotheca Vaticana, & S. Mariæ majoris aſſervantur; in quibus cum geſta Damaſi contineantur, hæc ſcripta eſſe Baronius tradit: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii Damaſus confirmari præcepit etiam in ſancta ſecunda Synodo, quæ præcepto & autoritate ejus apud Conſtantinopolim celebrata eſt.* Id teſtimonio ſuo confirmarunt ſextæ Synodi Oecumenicæ Patres [a], cum omnium priorum Synodorum conventus factos eſſe ajunt adverſus tumultuantes hæreticos, tam Principibus, quàm priſcis Patribus ſemper contra eos armatis: adduntque Ario inſurgente Conſtantinum ac Silveſtrum magnam Synodum apud Nicæam oppoſuiſſe; Macedonio autem Theodoſium Imperatorem ac Damaſum obſtitiſſe. Quin & ipſi hujus Synodi Conſtantinopolitanæ Præſules, id in Synodica ad Damaſum epiſtola, relata à Theodorito [b] apertè conteſtantur. Sic enim loquuntur, τὴν ἀδελφικὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην ἐπιδεικνύμενοι, Σύνοδον ἐπὶ τῆς Ῥώμης Θεοῦ βουλήσει συγκροτοῦντες, καὶ ἡμᾶς, ὡς οἰκεῖα μέλη, προσεκαλέσασθε διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου Βασιλέως γραμμάτων; *Fraternam erga nos cha-*

a Actio. 18. in proſphonetico.
b Lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt. c. 9.

charitatem declarantes, ad Synodum, quam Dei nutu ac voluntate Romæ congregatis, nos quoque, tamquam membra propria, religioſiſſimi Imperatoris literis evocaſtis: deinde, ubi excuſationes propoſuerunt cur Romam ad Concilium à Damaſo convocatum ire non poſſent, hæc ſubiiciunt, Συνδεδραμήκειμεν γὰρ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν, ἐκ τῶν πέρυσι γραμμάτων τῶν παρὰ τῆς ὑμετέρας τιμιότητος μετὰ τὴν ἐν Ἀκυληίᾳ Σύνοδον πρὸς τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα Θεοδόσιον ἐπεσταλθέντων: *Conveneramus enim Conſtatinopolim juxta Literas à reverentia veſtra ſuperiori anno poſt Concilium Aquilejenſe ad religioſiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſas*.

3. Cauſa hujus Concilii celebrandi. III. Hoc porrò Concilium indictum ac celebratum eſt præcipuè adverſus Macedonium Epiſcopum anteà Conſtantinopolitanum, & Semi-arianos, ſive Pneumatomachos cum illo blaſphemantes Spiritum ſanctum non Deum, ſed creaturam eſſe. Eos hæc Synodus ſuo decreto, firmata Nicænæ Synodi doctrina, addixit anathemati; & cum his hæreticos alios, nimirum Aetianos ab Aetio aurifice ac deinde Philoſopho denominatos, qui & Eunomiani ab Eunomio, Cyziceno Epiſcopo ejus diſcipulo, & ab Eudoxio Conſtantinopolitano Epiſcopo ejuſdem impietatis conſorte Eudoxiani, itemque Anomœi, hoc eſt diſſimiles, dicti, Filium omnino Patri diſſimilem affirmabant. Eadem ſententia notati fuere in hoc Concilio Sabelliani à Sabellio Ptolemaide oriundo appellati, quibuſcum Marcellus Ancyranus Marcellianorum autor ſenſiſſe dicitur, utique Divinitatis unam ſub tribus nominibus Perſonam mentiti; & Photiniani Sirmienſis Epiſcopi Photini ſequaces, qui poſt Paulum Samoſatenum Trinitatem negabat, Deum agnoſcens unum Spiritum, omnium opificem; Verbum verò mandatum quoddam divinum quo Deus inſtrumenti loco in rebus producendis uteretur: at Chriſtum purum hominem, qui Verbum non ſubſtantialiter, ſed tanquam prolatum accepiſſet. Damnati & Apollinariſtæ, quorum Princeps Apollinaris junior Laodicææ in Syria natus, volebat Chriſtum Dominum corpus inanime à materia traxiſſe, quod divinitas loco animæ, vel mentis informaret.

4. Numerus Canonum Conſtantinopolitanorum. IV. Ab hac Synodo non plures quàm quatuor Canones editi ſunt: quanquàm apud Græcos ſeptem ei attribuantur. Sed & illos quatuor Latini in tres contrahunt, & quartum cum tertio conjungunt.

5. De novo Conſtantinopolitani Epiſcopi honore, adjecti à ſolis Græcis Canones. V. Itaque poſt finem Synodi, ab Orientalibus, qui remanſerant, additi ſunt tres Canones, in quibus ille præſertim, qui tertius apud Græcos numeratur, quo ſcilicet Conſtantinopolitanus Epiſcopus jubetur habere præcipuum honorem, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, poſt Epiſcopum Romanum, adjecta hac ratione quòd Conſtantinopolis ſit nova Roma. Hæc certè conſtitutio apertè repugnat Canoni 2. ejuſdem Concilii, quo cavetur, ut Eccleſiarum limites inviolati cuſtodiantur ſecundum Nicænos Canones; & quo ſua ſecundum illos privilegia Alexandrino & Antiocheno antiſtibus ſolummodo reſervantur. Alia ejus rei argumenta Baronius profert ad annum 381.

6. Autoritas hujus Concilii. VI. Quin ſecundæ hujus Synodi Canones ad Romanam Eccleſiam relatos, aut ab ea receptos negat Leo I. [c] unde in vetuſtiſſima Canonum collectione Latina, hujus Synodi Conſtantinopolitanæ Canones adjuncti ſunt Canoni 28. Chalcedonenſis, id eſt extra ſuum locum, atque ordinem legitimorum Canonum. Sed & poſtquàm ſuo loco Ca-

c In epiſtola ad Anatolium.

to Canones Conſtantinopolitani tres à Dionyſio Exiguo inſerti ſunt Codici Canonum, eos non ſtatim admiſit Eccleſia Romana: ſaltem quantùm ad eam partem qua Primatus honor Conſtantinopolitanæ Sedi attribuitur.

VII. Certè nec S. Leoni probatum eſt hoc Concilium, & de illo ita Gregorius: *Romana Eccleſia Conſtantinopolitanos Canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, neque accipit: in hoc autem eamdem Synodum accepit quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreſes quæ illis memoratæ ſunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* Itaque, quod alibi dixit idem ſanctus Pontifex, ſe quatuor prima Concilia ut ſancta Evangelia ſuſcipere ac venerari, id non abſolutè accipiendum quantum ad omnia eorum decreta, ſed quantum ad res fidei, ſive quod ad damnandas hæreſes attinet. Et verò nullum veniſſe ad hanc Synodum legimus Romanæ Sedis Legatum: fortè quòd eodem tempore Romæ Damaſus Concilium iiſdem de rebus haberet. Ex epiſtolis tamen ultrò citroque miſſis conſenſiſſe in Fide Occidentales & Orientales Conſtat. Vocati fuerant ad hoc Concilium ab Imperatore, ſpe concordiæ, Macedoniani, qui numero ſex ac triginta venerunt: ſed cum orthodoxorum ſententiæ accedere recuſaſſent, re infecta diſceſſerunt; & cum aliis, de quibus ſuprà dictum, damnati fuere. Sed Catholici quod ad fidem attinet & Tomum Occidentalium receperunt, id eſt, ut plerique interpretantur, fidei profeſſionem à Damaſo ex Concilio Romano ſcriptam ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum; qua continebantur Anathematiſmi adverſus omnes illorum temporum hæreſes. Iidem Symbolo Nicæno articulum adjecerunt quo *Spiritus ſancti* una & eadem cum Patre & Filio ſubſtantia eſt declarata his verbis, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, τὸ Κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον· τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν Προφητῶν: *& in Spiritum ſanctum, Dominum, vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, locutum per Prophetas*: quod quidem Symbolum à Gregorio Nyſſeno compoſitum ſcribitur [d], & in Synodo Chalcedonenſi integrè recitatum [e], canitur inter Miſſarum ſolennia. Quantùm autem ad diſciplinam, Conſtantinopolitanæ ſedi, rejecto Maximo Cynico, quem perperàm ordinaverant Ægyptii Epiſcopi, impoſitus primùm eſt Gregorius Nazianzenus mœrens, læto cum civibus Imperatore: poſtmodum tamen is, ſuborta invidia, eam dignitatem ultrò abdicavit: aliumque deſiderantibus, per Timothei Alexandrini nuper electi Patriarchæ factionem, ſuffectus ejus loco, atque ordinatus eſt ſub finem Concilii, vir aliarum magis quàm Eccleſiaſticarum rerum peritus, & adhuc Catechumenus, licèt jam ſenior, Nectarius: & vetitum, ut diximus, ne in poſterum præpoſiti Diœceſibus Epiſcopi [f] (id eſt, Patriarchæ atque Exarchi) ultra præſcriptos cuique terminos Eccleſias ordinare præſumerent, ut ab Ægyptiis factum fuerat; ſed conſtitutis per Nicænos Canones limitibus contenti eſſent.

d Nicephor. lib. 12. c. 13.

e Actio 2.

f Can. 2. Conc. Conſt.

8. Epheſini Concilii locus ac tempus.

VIII. EPHESINUM I. quod eſt Oecumenicum 3. dictum eſt ab Epheſo Aſiæ Propriæ ſeu Proconſularis provinciæ, ac totius Aſianæ Diœceſeos Metropoli, quæ nomen adhuc in ruinis retinet. Ibi coacta

eſt hæc

eſt hæc Synodus poſt Conſulatum Theodoſii duodecimum, Valentiniani tertium, ſive Coſſ. Annio Baſſo & Flavio Antiocho, id eſt anno Chriſti 431. jubente juniore Theodoſio, atque autore ſummo Pontifice Cœleſtino; cujus Legatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus *Phrygio* ſive Mitra, ut ajunt, ab eo miſſa, plenioris ſcilicet poteſtatis inſigni, decoratus, Synodo præfuit [g], cui pluſquam ducenti Epiſcopi interfuerunt. Interfuere imprimis miſſi Roma Epiſcopi duo Arcadius & Projectus, & cum his Philippus Presbyter, Sedis Apoſtolicæ Legati [h].

g Evagr. lib. 1. cap. 4. Phot. t. 8. c. 1. Balſam. in Nomocan. Nicephor. lib. 14. c. 34.

h Conc. Epheſ. act. 2.

9. Geſta Concilii Epheſini.

IX. Scripſit idem Cyrillus duodecim Anathematiſmos adverſus totidem Neſtorii Epiſcopi Conſtantinopolitani capita, cujus hìc damnati errores. Eorum hæc ſumma fuit, ut Chriſtum in duas hypoſtaſes ſive Perſonas diſtraheret: affirmabat nimirum in eo ut naturas duas, ità & Filios duos eſſe, unum Deum ex Deo Patre, alterum hominem ex Maria matre: quæ idcirco non Deipara & Θεοτόκος dicenda eſſet, ſed ad ſummum Chriſtipara. Contrà verò definitum eſt ab hujus Synodi Patribus manere in duabus naturis unam Domini noſtri Jeſu Chriſti perſonam [i], & Mariam Deiparam dici debere.

i Can. 1. verſu Tertia Synodus diſt. 2.

10. Numerus Canonum, & cur in Codicem Eccleſiæ Romanæ non relati.

X. Ejus Canones octo apud Græcos recepti, in Latino Codice Canonum non habentur, quòd magis Neſtorium ejuſque fautores, vel adverſarios, quàm generalem Eccleſiæ diſciplinam reſpiciant: anathematiſmi tantùm Canonum loco illi Codici inſerti ſunt.

11. Quæ Imperatoris partes in hac Synodo.

XI. Convocatum quidem eſt à Theodoſio juniore hoc Concilium, quod orta in Oriente hæreſis examinanda in Oriente præcipuè videretur; & is Candidianum Comitem domeſticum ad Concilium miſit: ſed ea lege id à ſe factum teſtatus, ut ſe quæſtionibus Eccleſiaſticis non immiſceret, ſed ut monachos, inquit, & ſeculares qui ſpectaculi causâ eò confluerent, ſubmoveret, & omnem injuriam, vim ac ſeditionem atque omne impedimentum à Synodo propulſaret [l]: ſed cum Joannes Patriarcha Antiochenus ſeorſim in diverſorio ſuo Pſeudoſynodum cum ſuis haberet, Candidianus ille has turbas non ſatis ex officio compeſcuit: imò ejus in Neſtorium propenſi artibus, aliquandiu apud Theodoſium laboravit Cyrilli & orthodoxæ Synodi cauſa; donec patefacta veritate, iis quæ in Neſtorium decreta erant Imperator acquievit.

l In Actis Concilii Epheſini.

12. Chalcedonenſis Concilii locus.

XII. CHALCEDONENSE Oecumenicum quartum Concilium, Nicææ priùs indictum, deinde translatum eſt Chalcedonem: quod oppidum eſt Bithyniæ ad Boſporum Thracium: Plinio aliiſque Latinorum *Chalcedon* vocatur: aliis *Calchedon*. Græcis enim poſterioribus eſt Καλχηδών, parum abludente vocabulo à Carthaginis nomine, quæ veteribus Græcis Καρχηδών. Cæterùm Chalcedon, nunc in vicum redacta, cum titulo Metropoleos quam tunc primùm conſecuta eſt in honorem S. Euphemiæ Martyris, in cujus Eccleſia habitum Concilium eſt, priſtinum quoque adhuc nomen retinet, vulgò *Calcidona*, ferè juxta oppidum Conſtantinopoli oppoſitum, quod Turcis dicitur *Scutari* vel *Scudaret*.

13. Ejuſdem Concilii autores, tēpus & numerus Epiſcoporum.

XIII. Indicta fuit invitante Leonem Pontificem Marciano Imperatore, & conſenſu amborum habita, ut ex utriuſque Epiſtolis conſtat. Celebrata autem fuit ab Epiſcopis ſexcentis triginta, ex Provinciis circiter ſeptem & quinquaginta, Marciano & Adelphio Coſſ. id eſt anno 451.

XIV.

XIV. Conſederunt Patres pro more ante Cancellos altaris in Secretario, ſive Sacrario, quem locum Græci Diaconicon quoque appellant. Intervenerunt nomine Imperatoris Anatolius Magiſter militum, Exconſul & Patricius, & cum eo Præfectus Prætoriorum Palladius, ac Magiſter Officiorum Vincomalus. Primum inter Epiſcopos locum tenuere Legati ſeu vices agentes Leonis Romani Pontificis Paſchaſinus Epiſcopus Lilybætanus, Lucentius Epiſcopus Herculanus vel Aſculanus, & Bonifacius Presbyter urbis Romæ. Quin & Imperator ipſe Marcianus, comitante Pulcheria Auguſta, Patres adiit, ac digna Chriſtiano Principe oratione allocutus eſt, teſtatus ſe ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam, exemplo Conſtantini in Synodum veniſſe. Tria etiam ipſis diſciplinæ capita ſuggeſſit, quæ Concilii decretis inſerta ſunt. Eo præſente & lætis acclamationibus excepto, ac ſæpiùs fauſtis ominibus interpellato, recitata eſt definitio fidei, ab Epiſcopis præſentibus ſubſcripta; aut etiam abſentium infirmorumque loco, non ſolùm ab Epiſcopis, ſed à Presbyteris quoque vel Diaconis, eorum vice fungentibus. Illam autem definitionem ubique ſervari juſſerunt edicto ſuo Imperatores Valent. & Marcian. *14. Forma Concilii.*

XV. Damnavit hæc Synodus Eutychem ſive *Eutychetem* Archimandritam, ſeu Abbatem Conſtantinopolitanum, qui aſſeverabat Chriſtum non ex duabus naturis exiſtere, ſed poſt aſſumptum hominem ſolam in eo permanere divinam naturam. Damnatus etiam cum eo eſt Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha ejus fautor, ea maximè de cauſa quòd Leonem Papam excommunicare auſus eſſet: atque ipſe rurſus Neſtorius. At Theodoritus, Cyri in Cyria Epiſcopus, ab eo in Epheſina Pſeudoſynodo dejectus Epiſcopatu, in ſedem ſuam reſtitutus eſt, poſtquàm Neſtorio anathema dixit: reſtituti & alii per injuriam in eadem Synodo damnati. Hæc autem geſta ſunt Seſſionibus tredecim, quæ octodecim Actiones continebant. *15. Summa geſtorum in Concilio Chalcedonenſi.*

XVI. Hujus autem Synodi Canones ſeptem & viginti dumtaxat in Occidenti recepti, quos ſolos Dionyſius Exiguus in ſuo Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ deſcripſit: quod & Theodorus Lector [m] teſtatur: & cum utroque congruit in eo numero Joannes Antiochenus. Quod autem Græcorum aliæ collectiones triginta ejus Canones referunt, id Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano adſcribitur, qui cœtu dimiſſo, ex quo Legati Leonis Papæ, & Judices ab Imperatore delegati jam exierant, Orientales Epiſcopos ſui ſtudioſos retinuit deſcribendorum Canonum prætextu: & abſentibus iis qui ipſius ambitioni præ cæteris contradicendi jus habebant, viginti & ſeptem prioribus Canonibus attexuit vigeſimum octavum, quo, quaſi per interpretationem furtivi Canonis Conſtantinopolitani (de quo anteà) Secundus inter Patriarchas locus, & paria cum Romano Pontifice Privilegia Conſtantinopolitano Epiſcopo attribuuntur, cum jure ordinandorum per tres vicinas Diœceſes, Thracicam, Ponticam, & Aſianam, Epiſcoporum: quæ Diœceſes illius ipſius Conſtantinopolitani Concilii decreto ab Exarchis ſive Primatibus ſuis, Heracleenſi nempe, Cæſareæ magnæ, & Epheſino Epiſcopis, regi juſſæ erant. Addidit & Canones vigeſimum nonum, ac trigeſimum, qui conflati ſunt ex iis quæ geſta fuere actione quarta, nimirum ex interlocutione Paſchaſini ſedis Apoſtolicæ Legati cum ipſo Anatolio, atque ex prohibitione præſulibus Ægyptiis poſt damnatum Dio- *16. Numerus Canonum.*

m Collecta. l. 1.

ſcorum

ſcorum facta, ne Conſtantinopoli priùs abſcederent, quàm alius ejus lo-
co ſubſtitutus eſſet Alexandrinus Patriarcha. Sed Canonem illum XXVIII.
clam & per obreptionem inſertum fuiſſe demonſtrant Cardinales Baro-
nius ad annum 451. ac Perronius in reſponſione ad Regem magnæ Britan-
n Lib. 1. cap. 34 & 53. niæ [n]. Et verò poſtquàm Anatolii dolum reſcivere Pontificii Legati,
Patribus ad novam ſeſſionem, quæ ultima fuit, convocatis, adverſus ea
quæ per ſuam abſentiam ſubdolè geſta erant, proclamarunt. Verùm fa-
ventibus honori Sedis Conſtantinopolitanæ judicibus cognitoribus ab Im-
peratore delegatis, itum eſt in ſententiam Anatolii. Hoc tamen conſtitu-
tum, tanquàm Concilii Nicæni Canonibus, imò & tanquàm illi Canoni
2. ipſius Chalcedonenſis Concilii repugnans, improbarunt Sedis Apoſto-
licæ Legati interceſſione palàm interpoſita. Quapropter Leo Pontifex ea
de re graviter queſtus eſt apud Anatolium ipſum, & apud Marcianum Au-
o Epp. 53. 54. & 55. guſtum ac Pulcheriam [o]: atque accepta Patrum ſynodali Epiſtola, u-
nà cum actis ſynodalibus, quibus cuncta rata habere ſuoque aſſenſu fir-
mare rogabatur, illis in ſola Fidei cauſa autoritatem ſuam accommodavit,
uti videre eſt in ejus epiſtola 61. ſcripta ad Epiſcopos qui Synodo Chalce-
donenſi interfuerant.

17. *Autoritas ejuſdem Concilii.* XVII. Hinc ſcripſit Cardinalis Bellarminus [p] Canones Concilii Chal-
p Lib. de Rom. Pont. c. 12. cedonenſis vim nullam habuiſſe, niſi quatenùs à ſummis Pontificibus, aut
ab aliis deinde Conciliis renovati fuerunt. At, cum Canones ſaltem vigin-
ti ſeptem illius Concilii in Oriente ſtatim recepti fuerint, teſte Dionyſio
q Nov. 131. Exiguo, & Juſtinianus [q] legum robur Canonibus illis perinde ac trium
r Lib. 3. de Concord. c. 3. priorum œcumenicorum decretis attribuerit: ſatius videtur cum Illuſtriſ-
ſimo Marca [r] fateri Canonem duntaxat XXVIII. S. Leoni fuiſſe im-
probatum; idque colligi poteſt ex ipſius Leonis epiſtola 62. ad Maximum
Antiochenum, ubi ſcribit: *Quicquid præter cauſas ſynodalium Conciliorum
ad examen Epiſcopale defertur, poſſe aliquam dijudicandi habere rationem,
ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab
eorum regulis & conſtitutione diſcordat* (veluti Canon 28. Concilii Chalce-
ſ Lib. 5. c. 4. donenſis) *Apoſtolicæ Sedis nunquam poterit obtinere conſenſum*. Sic Leo-
nis mentem explicat Facundus Hermianenſis [ſ], *Beatiſſimus Leo, non
ſententiam ſuper Ibæ Epiſtolam prolatam, neque Epiſcopatum prædicto Ibæ
redditum, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonenſi de quibuſdam perſonis decre-
ta ſunt, neque Canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſalubriter illic à ſanctis Patri-
bus conſtitutos attendit, cum diceret, ut ſanctam Synodum ad extirpandam
ſolùm hæreſim & ad confirmationem fidei Catholicæ, ſtudio Chriſtianiſſimi
Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & his ſimilia, ſed
ſuperbam potius elationem Conſtantinopolitani Epiſcopi, ſicut verba indicant.*
Idem ſenſit & Gelaſius Pontifex, cùm hæreticis, qui Chalcedonenſem Sy-
nodum impugnantes ajebant vel in totum admittendam, vel nulla ex par-
te firmam eſſe poſſe, reſpondit, *quæ per incompetentem præſumptionem Anato-
lii, illic tentata ſunt, nulla ratione ſubſiſtere; ſed cætera omnia quæ ſecun-
dum Scripturas, traditionemque majorum, ſecundum Canones, regulaſque
Eccleſiæ pro fide communi & veritate Catholica & Apoſtolica, pro qua hanc
fieri Sedes Apoſtolica delegavit, factamque firmavit, à tota Eccleſia indubi-
tanter admitti.* In Epiſtola quoque ad Epiſcopos Dardaniæ Gelaſius idem
ſecundum hæc ſcribit, *Leonem, quicquid ultra quàm ab eodem pro fide &
communione Catholica atque Apoſtolica illic agendum conſtaret eſſe delegatum,*
per

Digitized by Google

per occaſionem congregationis illius, præter Nicænos Canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe. Videnda in hanc rem tota illa Epiſtola, quæ inter Gelaſianas numeratur XIII.

XVIII. Ex his apparet circa geſta hujus Concilii triplici modo ſe geſſiſſe ſanctum Leonem: ita ut quæ ad fidei negotium pertinebant, Decreto ſuo nominatim & expreſsè confirmaverit; quæ per ambitum Anatolii contra Nicænos Canones novata fuerant, palàm damnaverit: reliqua velut tacito conſenſu admiſerit, id eſt, iis non ſit apertè reluctatus. Expuncto itaque à Græcis ipſis illo vigeſimo octavo Canone, redintegrata eſt inter Leonem & Anatolium concordia, quod diſcimus ex illius ad hunc epiſtola quæ 71. eſt. Anatolius tamen poſteà, ejuſque ſucceſſores, privilegio quaſi ab ſecunda Synodo ſedi ſuæ indulto uſi ſunt, quantùm ad ſecundum in Eccleſia locum: quantùm autem ad Diœceſeon adminiſtrationem, velut ex conſenſu Epiſcoporum, & inolita deinde conſuetudine. Quò reſpexiſſe videntur Imperatores Zeno [t], & Juſtinianus [u], cum Patriarchica jura Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cujus cauſam fovebant, ità confirmant, ut jure prioris poſſeſſionis, ſecundum Canones ſe id concedere, aut probare oſtendant. Sic valuit Principum autoritate & longo uſu jus Conſtantinopolitani Patriarchæ, quod innuit Liberatus Diaconus, [x], *Licèt*, inquit, *Sedes Apoſtolica uſque contradicat, quod à Synodo confirmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.*

18. Sanctus Leo ut circa Synodū Chalcedonenſem ſe geſſerit.

t In l. 16. Cod. de ſacroſ. Eccl.
u Nov. 131. c. 2.
x In Breviario cap. 13.

Horum quatuor Conciliorum Generalium Paraphraſes Arabicas edidit Beveregius to. 1. Pandect. canon. à Joſepho Ægyptio ſumptas, & Aſiatico ſtylo ſcriptas. Conſtantinopolitani I. verſio accuratior ſeu fidelior exſtat in Regia Bibliotheca, ut me monuit Vir Cl. Capellanus, *le Capelain*.

CAPUT V.

De ſequentibus quatuor generalibus Synodis in Oriente habitis, Conſtantinopolitanis II. & III. Nicæna II. & Conſtantinopolitana IV.

I. CONSTANTINOPOLITANUM II. Concilium, Oecumenicum V. de quo Cann. 9. & 10. diſt. 16. in urbe regia celebratum eſt anno 12. poſt Conſulatum Baſilii, id eſt, Chriſti 553. Juſtiniani Imperatoris juſſu, qui anteà Vigilium Papam Roma evocaverat. Sed hic malè ab eo habitus, Synodo intereſſe recuſavit, eoque abſente præſedit Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Mennæ ſucceſſor.

1. Conſtantinopolitani Concilii 2. locus ac tempus.

II. Id habitum eſt ab Epiſcopis 165. & ſecundum edictum ab Imperatore anteà promulgatum, tria Capitula damnavit: primùm Libros Theodori Mopſueſtiæ quondam Epiſcopi, qui Neſtorio Magiſter erroris fuerat, & Perſonas in Chriſto duas conſtituebat, ità ut vellet alium eſſe Deum

2. Numerus Epiſcoporum & geſta hujus Concilii generalis 5.

Deum Verbum, alium Chriſtum hominem. Deinde Ibæ Præſulis Edeſſeni epiſtolam ad Marim Perſam, qua Cyrillum perinde ac Neſtorium arguens, Mopſueſtenum laudibus extollebat: ac denique Theodoriti Epiſcopi Cyrenſis Commentarius, quem adverſus duodecim anathematiſmos Cyrilli Alexandrini, flagrante Joannis Antiocheni cum eo ſimultate, ſcripſerat. Hi nihilominus duo cùm anathema Eutychi & Neſtorio dixiſſent, nec hæreticum dogma ullum tuerentur, in Chalcedonenſium Patrum conſeſſum fuerant admiſſi: hic etiam Sedi ſuæ, qua dejectus in Epheſina 2. Pſeudo-ſynodo erat, reſtitutus.

3. Alia cauſa in Synodo 5. tractata. III. Hac eadem Synodo Origenis quoque Libris ſparſa impia commenta damnata ſunt, veluti animas hominum ſine corpore priùs exiſtentes in corpus pœnæ cauſa demitti; atque ita Chriſti animam Verbo Divino conjunctam fuiſſe ante Incarnationem, eumque omnibus Spirituum cœleſtium ordinibus jure aſſimilatum, & pro dæmonibus paſſurum; atque horum, ut & impiorum hominum tormenta temporaria futura. Damnati cum Origenianis, etiam Didymi & Evagrii Pontici ejus ſectatorum errores paganici, ac ſimilia fabulis ſomnia; & cum his Anthimi, Petri, & Zooræ ſcripta: quemadmodum ex Græcorum Zonaræ & Balſamonis in hanc Synodum 5. annotationibus liquet: quamquàm ea hujus Concilii pars hodiè non extet, ſubtracta, uti probabile eſt, per Theodorum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, erroribus Origenis & Acephalorum faventem.

4. Hujus Synodi Canones nulli. IV. Canones nullos hæc Synodus edidit: ſed quatuordecim anathematiſmos, præter anathematum in Origenis & Origenianorum errores capita.

5. Quomodò approbatum hoc quintum Concilium à ſummo Pontifice. V. Vigilius Pontifex, qui Theodorum quamvis damnandæ doctrinæ autorem, tamen poſt mortem excommunicari non poſſe cenſebat, Juſtiniano Imp. diu reſtitit, jubenti ut Synodi hujus decretis ſubſcriberet; quòd eo facto Chalcedonenſis Concilii labefactari autoritatem arbitraretur, à quo recepti in gratiam erant Theodoritus & Ibas. Qua de cauſa exilio multatus eſt: ſed poſteà revocatus, cum illam omnem controverſiam minùs ad res Fidei, quàm ad perſonas Scriptorum, qui haud dubiè in aliquo peccaverant, pertinere advertiſſet, Synodo ſubſcripſit, damnato ſeorſim Origene.

6. Autoritas cur dubia. VI. Idcircò Afris, aliiſque Occidentis Præſulibus hujus Synodi, ipſiuſque Viglii acta diſplicuere; adeò ut eorum plerique ipſius communioni ob mutatam ab eo ſententiam renunciaverint. Et ſanè quædam ſunt quæ adverſus Concilii hujus autoritatem objiciuntur; quòd Vigilius licèt Conſtantinopoli degeret, ei non interfuerit; nec eam pro poteſtate firmaverit: quòd in eo mortui novo more fuerint excommunicati: quòd Ibæ epiſtola in Concilio Chalcedonenſi non omninò improbata, hìc abſolutè damnata fuerit.

Cæterùm Vigilio cauſæ plures fuere Synodo non interveniendi, tum quòd minùs amplum, quàm pro dignitate ſua, Occidentalium Antiſtitum haberet comitatum: tum quòd Patriarchæ Conſtantinopolitano primum poſt ſe locum ſupra Alexandrinum & Antiochenum, nec concedere honeſtum, nec contra Imperatoris voluntatem negare tutum putaret. Quamvis autem Synodi acta non probaverit, ſufficit quòd à Pelagio, in Libro quem teſte S. Gregorio [a] compoſuit contra ſchiſmaticos

a Lib. 2. epiſt. 36

Digitized by Google

cos hoc Concilium tanquam Chalcedonenſi contrarium repudiantes ; & ab ipſo Gregorio Magno probata eſt [b].

Quòd autem Synodus Theodorum excommunicaverit jam mortuum, ea non propriè excommunicatio fuit, qua Sacramentorum Eccleſiæ uſus aufertur ; ſed impropriè dicta, quæ indignum ſuffragiis Eccleſiæ pronunciat eum, qui in errore jam damnato mortuus eſt. Quod attinet ad Epiſtolam Ibæ, Legati Romanæ Sedis in Chalcedonenſi Concilio non dixerant ſe eam recipere, ſed Ibam ex fine ejus ipſius epiſtolæ innoxium habere poſſe, quòd admiſſis Cyrilli anathematiſmis, Neſtorii doctrinam exploderet, quem decies millies anathematizabat. Neque contra eorum ſententiam factum eſt in hac Synodo, cùm eadem epiſtola damnata eſt : non enim ſingula ejus verba ſingulari ſententia damnantur, ſed quæ Neſtorianiſmum ſapiebant, quæ & in definitione hujus Concilii exprimuntur.

b Lib. 1. epiſt. 24 ad eund. lib. 3. c. 37.

VII. CONSTANTINOPOLITANUM III œcumenicum VI. ſive abſolutè *Sexta Synodus* [c], habita eſt à 170. Epiſcopis, aut ex Zonara in hiſtoria à 289. Imperatore Conſtantino Pogonato Heraclii nepote, Pontifice autem Romano Agathone, qui ei per Legatos Theodorum ac Georgium Presbyteros & Joannem Diaconum præfuit; anno Chriſti 680. inchoatum, ſequenti abſolutum, in Trullo Palatii. Id nomen fuit Secretarii, ſive Aulæ, ab opere arcuato ſic dictæ, in qua poſteà quoque habitum aliud Concilium, quod Trullanum inde appellatur, aliàs Quiniſextum, de quo ſuo loco.

7. Conſtantinopolitani 3. Concilii, locus, tempus, & Patrum numerus.

c De qua Can. 9. & 10. diſt. 16.

VIII. Hæc autem Synodus Theodorum qui Pharan Epiſcopus fuerat, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum qui Conſtantinopolitanam ſedem tenuerant, Cyrum qui Alexandrinam, Macarium præſertim tunc Patriarcham Antiochenum, cum Stephano ejus diſcipulo, & Polychronio, cæteroſque Monothelitas, unam in Chriſto voluntatem atque operationem, orta Heraclii temporibus hæreſi, prædicantes anathemate notavit; cùm utraque natura ſuas habeat proprietates, & neutra exiſtimanda ſit voluntate ſua & agendi vi caruiſſe. Illis autem hæreticis acta hujus Synodi quæ nunc extant Honorium Romanum Epiſcopum adjiciunt, quaſi cum Sergio ſenſiſſet. Et reverà ejus quoque nomen in epiſtola Leonis II. ad Conſtantinum cum cæteris continetur. Sed probat Baronius ex actorum hujus Synodi compendio, quod habetur apud Anaſtaſium Bibliothecarium, in Agathone, colligi adulterata à Græcis ea hæreſi poſteà laborantibus exemplaria illius Concilii fuiſſe. Corruptio autem illa à Theodoro Conſtantinopolitano Epiſcopo manare potuit, qui propter hæreſim damnatus [d], ſubſtituto Georgio; deinde poſt hujus obitum, anno ſequenti per ſimulationem orthodoxæ fidei reſtitutus eſt amiſſæ dignitati, ex Nicephoro : videturque ſui nominis loco nomen Honorii in authentico ſubſtituiſſe: cujus tamen ad Sergium epiſtolæ manifeſtam hæreſim non continebant, poſſuntque Catholicam interpretationem recipere, ut Joannes IV. Papa præ cæteris oſtendit [e]. Quare Sedis Romanæ Legatos ejus damnationem minimè paſſuros fuiſſe credibile eſt: nec id factum videri poteſt, cum Concilii Patres Agatonis epiſtolam, qua numquam in fide defeciſſe Romana Sedes affirmatur, ſummis laudibus extollant. Sic etiam ex epiſtola Synodi Romanæ ea de re habitæ ad hoc Conſtantinopolitanum Concilium delata, & fidei Symbolo in ea comprehenſo ſublata eſt vox *Filioque*. De his vide Baronium ad ann. 681.

8. Cauſa & geſta hujus Synodi, & de Honorio 1. R. P.

d Act. 7.

e In Apol. pro Honor. ad Conſtantinum Imp. Heraclii fil.

9. Autoritas ſextæ Synodi.

IX. Idcircò, quantùm ad eam partem attinet, hæc Synodus ab Eccleſia Romana non recipitur. Dogmata verò fidei firmavit Leo II. Agathonis ſucceſſor, ſcripta ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola; quod ſequutus quoque eſt Nicolaus Papa in epiſtola ad Michaelem Imperatorem: extatque in *Can. ſancta octo. diſt.* 16. profeſſio Romani Pontificis, qua promittit ſe octo prima Concilia, inque his hoc ſextum, amplecti. Adverſus hujus Concilii acta proferuntur non pauca ab Alberto Pighio, quæ refellit Joverius.

10. Canones ad diſciplinam pertinentes non condidit hæc Synodus.

X. Exemplo Quintæ Synodi, definiendis tantùm Fidei rebus vacavit hoc quoque Concilium, eòque pertinent octo vel novem capita ei adſcripta: neque enim ullos condidit Canones. Videndus imprimis Baronius.

11. Nicænæ 2. Synodi tempus & locus.

XI. Concilium NICÆNUM II. Oecumenicum VII. & ſimpliciter *Septima Synodus*, ob tumultum Conſtantinopoli Nicæam tranſlata, celebrata eſt à 350. vel 367. Patribus, anno Chriſti 787. imperante per Orientem Conſtantino puero, Leonis IV. filio, cum Irene matre; priùs invitato Adriano I. Pontifice, qui de illo congregando ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſit, Legatoſque ſuos ad illud deſtinavit Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ ſancti Petri, & Petrum Presbyterum Abbatem ſancti Sabæ, qui ante Taraſium in Synodo nominantur, & Adriani nomine præfuerunt huic Concilio. Patriarchæ reliqui ſub Saracenorum ſervitute degentes, pro ſe Legatos miſerunt, Politianus nempe Alexandrinus Thomam Presbyterum ac Monachum, Theodorus verò Antiochenus, & Elias Hieroſolymitanus Joannem Presbyterum quoque & Monachum.

12. Cauſæ & geſta Synodi hujus ſeptimæ.

XII. Damnata eſt in eo *Iconoclaſtarum* ſive *Iconomachorum* ſic à frangendis impugnandiſque Chriſti & Sanctorum Imaginibus dictorum hæreſis, quæ ex Judæorum, Marcioniſtarum, Manichæorum, Petri Cnaphei ſive Fullonis Antiocheni Patriarchæ, aliorumque erroribus manans, ante annos circiter ſexaginta ſub Leone Iſauro Imperatore exorta fuerat, & ſancita per Pſeudoſynodum Conſtantinopoli ſub Conſtantino Copronymo habitam, quæ hic reſciſſa eſt. Iconomachorum tunc Anteſignanus Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus erat, per pœnitentiam in ſedem reſtitutus; ſancitumque ut inter Eccleſiaſticas traditiones, illa imprimis ſervaretur, qua inſtitutum erat ut in Templis Imagines Servatoris noſtri, tum Deiparæ Virginis, Angelorum, ac Sanctorum virorum dedicarentur; ut habita ratione eorum quæ per illas exhibebantur, unà cum figura venerandæ Crucis, quæ ſalutis noſtræ inſtrumentum fuerat, ſalutatione atque adoratione, quæ tamen à latria diverſa eſſet, colerentur.

XIII. Actiones ejus octo extant: in poſtrema editi ſunt Canones 22. Franciſcus Turrianus Apologiam pro ſexta & ſeptima Synodis ſcripſit. Hujus duplex editio eſt, altera vulgata & antiqua Latinè duntaxat; altera Græco-Latina ex Anaſtaſio Bibliothecario.

14. Octava Synodi, ſeu Conſtantinop. 4. tempus, locus, autores.

XIV. CONSTANTINOPOLITANUM IV. Concilium, Oecumenicum octavum, ſivè abſolutè *Octava Synodus*, agente Hadriano II. Pontifice indicta, qui ei præfuit per Legatos Donatum Oſtienſem Epiſcopum, Marinum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Diaconum, jam antea à Nicolao deſignatos, hiſque adjunctum Stephanum Nepeſinum Epiſcopum. Hæc Synodus à 102. Epiſcopis in Templo Sapientiæ ſive ſanctæ Sophiæ, anno Chri-

Chriſti 869. inchoata, 5. Octobris, indictione 3. finita verò ultimo Februarii anno ſequenti, Baſilio Macedone imperante in Oriente, Ludovico II. in Occidente.

XV. In hoc Concilio diſcuſſa eſt Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani cauſa, qui priùs iniquè dejectus, hic cum dignitate reſtitutus eſt; Photio qui ſedem ejus invaſerat, eoque nomine jam anteà à Pontifice Nicolao damnatus fuerat, exautorato, & cum 45. Epiſcopis anathemate notato. *15. Cauſa & geſta octavæ hujus Synodi.*

XVI. Actionibus 10. abſolutum eſt hoc Concilium: Canones ab eo conditi ſeptem & viginti, ex Codice & verſione Anaſtaſii prodierunt, quamvis in manuſcriptis Græcorum quatuordecim tantùm reperiantur. Hoc Græci ſchiſmatici pro Oecumenico non habent, ut qui Photio ſchiſmatis poſteà inſtauratori adhæſerint: unde à quibuſdam Synodus Florentina pro Oecumenica octava perperàm venditatur. *16. Numerus actionum & Canonum Concilii Conſtantinopolitani 4.*

Atque hæc ſunt octo Univerſalia Concilia, in quæ jurare Romani Pontifices ſolebant [f]. *f Can. ſancta Romana diſt. 16.*

CAPUT VI.

Sequentia Concilia Univerſalia ſeptem in Occidente habita, Lateranenſia nimirum quatuor, Lugdunenſia duo, & Viennenſe.

I. INSEQUENTIA Concilia Generalia in Occidente celebrata ſunt. Horum alia priora, fuere numero ſeptem, quorum Decreta corpori Juris ſunt inſerta; alia poſteriora, quorum Canones in Juris noſtri corpore non habentur. *1. Cur hæc Concilia diſtinguatur à poſtremis.*

II. Priorum antiquiſſimum eſt LATERANENSE I. Romæ habitum in Palatio Patriarchico, cui nomen Lateranum, ſive in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ & Baſilica Conſtantiniana dicebatur, eò quòd Plauti Laterani viri Conſularis, ac prædivitis à Nerone interfecti, ædes, fiſco vindicatæ, poſterioribus Imperatoribus palatii loco fuerint. In his & Fauſta Maximiani filia, uxor Conſtantini Magni habitavit: à quo Melchiadi Pontifici conceſſæ traduntur, ibique exſtructa Baſilica, & Sedes Epiſcoporum Romanorum conſtituta. Hoc Concilium à Calliſto II. Pontifice anno 1123. convocatum eſt. *2. Concilii 1. Lateranenſis locus ac tempus.*

III. Jam à temporibus Gregorii VII. & Henrici qui inter Germaniæ Reges quartus, inter Imperatores tertius numeratur, gravia inter Pontifices Romanos & Germanicos Cæſares diſſidia, atque adeo bella, & ſchiſmata circa regendos ſacræ ac civilis poteſtatis fines orta, ultra annos 45. duraverant; hinc Imperatoribus jus ſibi vindicantibus Epiſcopatus atque Abbatias propter adjuncta eis feuda concedendi, quod non ſine ſimoniæ vitio fieri dicebatur; inde Pontificibus libertatis Eccleſiaſticæ aſſerendæ ſtudio aut occaſione ad excommunicandos, atque exautorandos Principes *3. Cauſa, & acta Lateranenſis 1. Concilii.*

prorumpentibus. Sed tandem cum exercitus Pontificius, Adalberto Moguntino Archiepiſcopo ductore, haud procul caſtris Henrici IV. Imperatoris abeſſet, placuit utrinque pro pugna fœdus delectiſque qui de concordia agerent: ac ſub idem tempus Concilium Italiæ præſertim, Galliæque Epiſcoporum Calliſtus Romæ habuit, ubi, ſecundum conventa, pax ea lege coaluit, ut Imperator libera electione Eccleſiis permiſſa, jus inveſtituræ Epiſcopatuum quæ per annulum & virgam Epiſcopatus inſignia fiebat, Epiſcopis remitteret, hi ab ipſo regalia per ſceptrum reciperent.

4. Numerus Epiſcoporum & Canonum Lateranenſis 1. Concilii gen. 9.

IV. Interfuere huic Concilio Epiſcopi ultra trecentos, teſte Suggerio ſancti Dionyſii Abbate, qui & ipſe cum Abbatibus plus quàm ſexcentis adfuit. Editi in eo ſunt Canones viginti duo, quorum is maximè notandus, quo ſecundum plurium priorum Conciliorum & Pontificum decreta, (quæ parum ſervata hactenus fuerant) Præsbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicta ſunt; & ſic prorſus ademptus illis Ordinibus conjugii uſus. In hoc præterea Concilio Hieroſolymam ad ſubſidium Chriſtianorum, pœnitentiæ cauſa, proficiſcentibus conceſſa peccatorum plena remiſſio; & qui aut illius, aut Hiſpanicæ in Saracenos expeditionis gratia Crucem veſtibus ſemel aſſuiſſent, pium propoſitum ſub anathematis pœna implere juſſi.

5. Lateranenſis Concilii 2. generalis 10. tempus & numerus Epiſcoporum.

V. LATERANENSE II. Epiſcoporum vel certè, ut credibilius eſt, Prælatorum ferè mille, ab Innocentio II. eſt congregatum, convocatis ex orbe Chriſtiano univerſo Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Conradi III. Germanici Imperatoris & Ludovici VII. Francorum Regis temporibus, anno 1139.

5. Cauſa & acta hujus Concilii.

VI. Ab eo Petri Leonis, Anacleti nomine Pſeudo-pontificis, ac Victoris in ejus demortui locum ſuffecti, & ſchiſmaticorum acta reſciſſa: Arnaldi præterea Brixienſis, qui Petri Abailardi diſcipulus fuerat, errores damnati; quibus non tantùm Clericorum vitia, opeſque & potentiam inſectabatur; ſed Eccleſiaſticam Juriſdictionem abolebat. Ajebat certè, uti Otto Friſingenſis teſtatur, nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia ſive regia feuda, nec Monachos poſſeſſiones ſine peccato habere poſſe: cuncta hæc Principis eſſe, ejuſque beneficentia in uſum tantùm laicorum cedere oportere. Præterea de Sacramento Altaris, & de Baptiſmo parvulorum non rectè ſentiebat. Is horum pravorum dogmatum impietatem traxiſſe videtur à Petro Bruſſio, ſive de Bruis, qui poſt Tanchelinum minùs notum, verè poſteriorum ad noſtra uſque tempora hæreticorum parens aut anteſignanus haberi poteſt: etenim Infantium baptiſmum, Templorum ædificationem, venerationem Crucis improbabat; in Euchariſtiæ Sacramento verum corpus & ſanguinem Chriſti negabat; & ſacrificia, piaque opera quæ Defunctis impenduntur deridebat.

7. Canonum numerus.

VII. Concilii hujus Canones triginta extant adverſus Clericos præſertim ſimoniacos, concubinarios, aliiſque vitiis maculatos; quorum Canonum non paucos decreto ſuo intulit Gratianus. In his ille non omittendus, quo, ut Clericos à contemptu vindicaret, quo per ea tempora laborabant, anathema ipſo jure incurrendum in eos ſanxit qui Clericis violentas manus inferrent.

8. Concilii Lateranenſis 3. uni-

VIII. LATERANENSE III. quod & abſolutè in Decretalium Libris *Concilium Lateranenſe* nuncupatur, anno 1179. Alexandro III. Pontifice coactum

actum eſt, Imperatore Friderico I. poſt compoſitam inter utrumque pacem, cum regnaret in Gallia Ludovicus VII. cognomento junior.

verſali 11. auctor & tempus.

IX. In eo trecenti decem Epiſcopi convenerunt, in quibus etiam ex Aſia Guilielmus Tyrius fuit, aliique. Editi ſunt in eo Canones viginti ſeptem: damnatis Valdenſibus (qui & pauperes de Lugduno) affinibuſque illorum hæreſi Albigenſibus, (qui & Cathari & Patareni dicti.) *Valdenſes*, genus quoddam monaſticæ aut certè communis vitæ profeſſi, ſedem Apoſtolicam initio colebant, donec propter ſuperſtitionem à Lucio II. rejecti ſunt autore Urſpergenſi [a]. Inter dogmata quæ illis Guido Carmelita, S. Antoninus [b] & alii adſcribunt, præcipua hæc fuere, Romani Pontificis decreta nullius eſſe momenti; Laicos qui juſti ſint conſecrare & abſolvere poſſe; Sacerdotes impios eam poteſtatem amittere; nonniſi in cœna Domini communicandum; Panis ac vini conſecrationem oratione tantùm Dominica fieri debere. Cæterùm Indulgentias, Purgatorium, Invocationem Sanctorum cachinnis proſequebantur, aliaque ſimilia jactabant ab hodiernis hæreticis renovata. *Albigenſium* hæreſes quatuordecim fuere, de Mundo à dæmonibus facto, de Metempſychoſi, animæque poſt diuturnas mutationes interitu, de Baptiſmo parvulis inutili, de vetito lacticiniorum uſu: his deteſtandum omnium Sacramentorum & Scripturarum contemptum adjiciebant [c].

9. Numerus Epiſcoporum & Canonum atque acta Concilii Lateran. 3.

a In Chronico.
b 4. parte hiſt. tit. 11. c. 7.
c De his eſt c. 8. extra de hæret.

X. Delatus eſt in eadem Synodo Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, quaſi non rectè de Incarnatione, aliiſque myſteriis ſentiret; imprimis verò quaſi aſſeruiſſet Chriſtum quà hominem, non eſſe aliquid: qua de cauſa eum ſcripto edito inſectatus eſt Joachimus Abbas Florenſis in Calabria. Ejus rei inquiſitio Guilielmo Archiepiſcopo Senonenſi, cum aliis Epiſcopis ab Alexandro III. mandata eſt, qui re tota Concilio habito examinata, Lombardum cum Eccleſia Catholica ſentire pronunciarunt.

10. Petri Lombardi doctrina de Incarnatione examinari jubetur.

XI. LATERANENSE IV. quod ſimpliciter *Concilium generale* in Decretalibus appellatur, 412. Epiſcoporum, Patrum aliorum 800. Abbatum ſcilicet, Decanorum, ac Priorum; habitum eſt anno 1215. ab Innocentio III. imperante Friderico II. regnante apud nos Philippo Auguſto. Adfuere Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, Latini ambo ritus: Antiochenus per Epiſcopum Antaradenſem: Alexandrinus Saracenorum jugo oppreſſus Diaconum ſuum nomine Germanum miſit, autore Urſpergenſi.

11. Concilii Lateranenſis 4. Oecumenici 12. tempus autor, & numerus Prælatorum.

XII. Ea præſertim de cauſa habitum eſt, ut in Palæſtinam, à Saracenis Chriſtiano nomini ereptam, ſuſcipiendæ expeditionis gratia fœdus inter Chriſtianos Principes ſanciretur. Actum prætereà de coercendis, per temporales etiam & corporales pœnas, hæreticis, deque Græcis in unione cum Romana Eccleſia retinendis. Damnatæ quoque Albigenſium hæreſes, ſtabilita præcipuè Tranſubſtantiationis doctrina: damnati & Joachimi Abbatis contra Lombardum ſcribentis errores, non memoria: Almarici autem Carnotenſis Diaconi, Theologi Pariſienſis, etiam memoria. Prava hujus dogmata viginti memorantur, in quibus hæc fuere, quòd Euchariſtiam à communi pane, Patrum ſcripta à profanis non diſtingueret; Reſurrectionem negaret; non alium Paradiſum quàm Dei cognitionem, Infernum non alium quàm peccatum mortale agnoſceret; Eccleſiæ Cærimonias idolo-

12. Acta Lateranenſis 4. Concilii præcipua.

idololatriæ adſcriberet; & quicquid in charitate fieret, quantumvis ſui natura illicitum, aſſereret peccatum non eſſe.

13. Hujus Concilii Canones & autoritas.

XIII. Hujus Concilii Canones circiter 70. relati ſunt in volumen Decretalium. Hi quamquàm à nonnullis Innocentio ſoli tribuuntur, quaſi ab eo propoſiti, non à Patribus ſuſcepti fuerint; quòd Matthæus Pariſienſis, alique eorum temporum hiſtorici, multa in hoc Concilio in conſultationem deducta referant, nihil decretum, ſoluto per diſceſſum Pontificis intra vigeſimum diem cœtu: Id tamen de belli ſacri ſuſcipiendi conſilio tantùm intelligendum eſſe ſuadet, quòd hæc capita, ſeu hi Canones recepti ſtatim per univerſas Occidentis Eccleſias, atque ab inſequentibus Pontificibus & Synodis pro Lateranenſis IV. Synodi Decretis probati fuerint.

14. Lugdunenſis 1. Concilii, generalis 13. tempus, locus, autor, cauſa.

XIV. LUGDUNENSE I. Concilium, Lugduni in Gallia (quæ civitas Princeps Lugdunenſium Provinciarum, hodie *Lyon* appellatur) celebratum anno Chriſti 1245. autore Innocentio IV. ſancto Ludovico Francicum ſceptrum tenente, pro expeditione in terram ſanctam, & Friderici II. Imperatoris excommunicatione, atque abdicatione: unde diuturnum per Germaniam, Italiamque bellorum ac diſſidiorum excitatum incendium eſt, quæ ſub nominibus Guelforum qui Pontificias, & Gibellinorum qui Cæſareas partes tuebantur, civitates pleraſque in contrarias factiones diſtraxerunt, ac per plura ſecula agitarunt. In hoc primùm Concilio rubri pilei inſigne Cardinalibus attributum.

15. Numerus Epiſcoporum & capitum hujus Concilii.

XV. Interfuere huic Concilio Græcus Imperator Balduinus, & Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Antiochenus, Epiſcopi centum quadraginta. Ejus Capitula ſive Canones novem, per Sextum Decretalium librum ſparſi à Bonifacio VIII.

16. Lugdunenſis 2. Concilii generalis 14. tempus, canones, & acta.

XVI. LUGDUNENSE II. Concilium, cui Epiſcopi ultra ſeptingentos interfuere, ſub Gregorio X. Philippo III. Francorum Rege anno 1274. habitum eſt. In eo actum de rebus ad pacem Chriſtianorum, & bellum Sarracenis Judæam obtinentibus inferendum, pertinentibus: tum Græca Eccleſia erroribus ſuis per Legatos à Michaele Palæologo Imperatore Græciſque Epiſcopis miſſos renuncians, ad Romanæ Eccleſiæ rediit unionem. Obſervant Græci Scriptores Georgius Pachymeres, & Nicephorus Gregoras, ſuos ad communionem Romanæ Eccleſiæ tribus conditionibus fuiſſe admiſſos. 1. Ut à Græcis Romani Pontificis in ſacris Miſſarum precibus mentio fieret. 2. Ut Græcis omnibus liceret ad Sedem Apoſtolicam appellare. 3. Ut ſummo Pontifici Principatus in omnibus deferretur. Acceſſerunt etiam Legati Tartarorum pacis cum Chriſtianis ineundæ cauſa: ex quorum unus Chriſtianam fidem amplexus, à Petro Epiſcopo Oſtienſi baptizatus eſt. Hujus Synodi decreta quæ capitibus novem & viginti continentur, relata ſunt magna ex parte in Sextum Decretalium.

17. Concilii Viennenſis tempus, autor, acta, decretorum & Epiſcoporum numerus.

XVII. Concilium VIENNENSE, Generale 15. Epiſcoporum pluſquàm trecentorum, Viennæ in Gallia (quæ Viennenſis Provinciæ caput, nomen adhuc retinet) coactum à Clemente V. anno 1311. tempore Philippi Pulcri Regis, à quo Bonifacii VIII. memoria fruſtrà hæreſeos accuſata. Ejus tamen maximè opera Templariorum ordo extinctus: præterea damnatæ hæreſes, tam Petri Joannis, quàm Begardorum ac Beguinarum per Germaniam imprimis pullulantium, ac in his maximè delirantium, quòd eos qui perfectionem Chriſtianam adepti eſſent, nullis omninò legi-

legibus teneri, atque in hac vita ſupremam beatitudinem conſequi: itemque fornicationem (non tamen oſculum) peccato vacare aſſererent: tum etiam Fraticellorum, & Dulciniſtarum qui ſimilibus ferè utrique erroribus impliciti, promiſcum libidinem charitatis ſpecie in ſacris etiam conventibus exercebant. Atque hi indicto velut ſacro bello, Alpium quas inſederant, clauſtris dejecti, aut capti, combuſtique ſunt. Conſtitutiones hujus Concilii maximam implent libri Clementinarum partem.

CAPUT VII.

De reliquis Conciliis generalibus Piſano, Conſtantienſi, Baſileenſi, Florentino, Lateranenſi V. Tridentino.

1. Hæ Concilia poſteriora Corpore Iuris Canonici.

I. SEQUUNTUR Concilia poſt Clementinarum, Joannis XXII. juſſu factam editionem habita, quorum ideò nulla in corpore juris noſtri mentio fit. Horum priora tria non omnino probantur Eccleſiæ Romanæ.

2. Piſani Concilii locus, tempus, geſta, auctoritas.

II. PISANUM anno 1409. Piſis in Tuſcia (quæ civitas adhuc *Piſa* dicitur) ad abolendum ſchiſma indictum fuit à Cardinalibus obedientiæ Gregorii XII. Pontificis, & Benedicti XIII. pſeudo-pontificis, qui ambo, contra fidem tempore electionis ſuæ datam, in diſcordia perſeverabant. Gregorius tamen à Synodo convocanda non abhorrebat, ſed locum minimè probabat. In ea, utroque poſt debitam citationem exautorato, electus eſt ab utriuſque partis Cardinalibus Alexander V. qui legitimus Pontifex habitus fuit. Adfuerunt præter Cardinales, Epiſcopi ſuprà trecentos. Concilium ipſum, nec probatum palàm à Romanis Pontificibus, nec reprobatum, à pleriſque in numero Conciliorum Oecumenicorum omittitur: S. Antoninus [a] legitimum negat.

a 3. parte, tit. 22 c. 5. §. 2. & 3.

3. Concilii Conſtantienſis tempus, locus, auctor, acta.

III. CONSTANTIENSE centum quinquaginta Epiſcoporum Concilium, cui & quatuor Patriarchæ interfuiſſe feruntur, inter univerſalia habetur. Hoc etiam Concilium tollendi ſchiſmatis cauſa, quod inter veros, falſoſque Pontifices alios Romæ, alios Avenione aut alibi ſedentes, jam triginti ſeptem annos duraverat, habitum eſt, idque Conſtantiæ, quæ civitas eſt Provinciæ Moguntinæ in Germaniæ & Helvetiorum finibus, ad Rhenum, lacumque Acronium, vulgò nunc *Coſtnitz* Germanis, nobis *Conſtance*. Indictum fuit à Joanne XXII. qui vulgò XXIII. curante Sigiſmundo Rege Romanorum, qui deinde Imperator: inchoatum anno 1414. ſtetit ad annum 1418. probatumque eſt à Gregorio XII. In eo Joanni præſenti, Benedicto XIII. in Hiſpania agenti abrogatus eſt Pontificatus. Gregorius XII. ſe ſponte abdicavit. Confirmata præterea fuit Romani Concilii ſententia adverſus Joannem Vviclefum Anglum. Ejus quadraginta quinque dogmata damnata, quibus tranſubſtantiationem præcipuè, Miſſam, Excommunicandi poteſtatem, Monachorum inſtituta, Decimarum exactionem,

Confeſſionem, Juriſdictionem Eccleſiaſticam & ſecularem impugnabat; imprimis verò Sacerdotes in mortali peccato conſtitutos conſecrare, aut ulla Sacramenta validè adminiſtrare negabat. Hujus venenum in Anglia ſtudens, avidè hauſerat Hieronymus Pragenſis, quo poſteà unà cum Joanne Hus Bohemiam totam infecit, adjunctis ut fieri ſolet novis erroribus. Hi duo in hoc Concilio damnati, cum nihilominùs in ſententia perſtarent, hæreſeos ſuæ pœnas vivi-comburio luerunt.

4. Conſtantienſis Concilii auctoritas.

IV. Seſſiones hujus Concilii 15. extant, ejuſque de fide decreta legitimo Conciliorum more conſtituta approbavit Martinus V. in locum prædictorum Pontificum ſubſtitutus. Sed Decretum de Concilii generalis immediata à Chriſto autoritate, cui parere ipſi Pontifices teneantur, non magis quàm Decretum de Conciliis univerſalibus per ſingula decennia celebrandis, probaverunt unquàm Romani Pontifices: illud ad caſum ſchiſmatis ac dubios Pontifices contrahit Turrecremata, & alii. Gallorum alia eſt ſententia, quantum ad illa Decreta. At ſtylum literarum quarumdam ab hoc Concilio miſſarum, & mixta minis juſſa, nemo probaverit, qui ut par eſt, ſupremorum Principum majeſtatem colat.

5. Baſileenſis Concilii tempus, locus, ratio.

V. BASILEENSE, habitum Baſileæ ad Rhenum, nunc *Baſel* Germanis, Gallis *Bale*, in confinio Helvetiorum ac Germanorum, & Provincia Veſontionenſi. Congregatum eſt à Martino V. eoque mortuo, à Juliano ſancti Angeli Cardinali Diacono, juſſu Eugenii IV. inceptum anno 1432. ſed ab eodem Eugenio poſteà anno ſequenti diſſolutum, revocato Juliano Cardinali Legato ſuo: convocatumque Ferrariam ac deinde Florentiam aliud Concilium. Non ideò tamen Baſilea diſceſſere congregati Patres: ſed ad annum 1442. perſtiterunt, citato Eugenio, qui etſi anno 1434. Legatis miſſis, ac diſſolutione revocata, progreſſum Concilii probavit. Sed cùm deinde Ferrariam Concilium deſtinaret, denuò citatum exautorarunt, & parere recuſantem deſtituerunt, ſubſtituto Amedæo Sabaudiæ Duce, qui Felix V. dictus, Pontificatui deinde renunciavit. Renovata in hoc Concilio, confirmata ſunt Synodi Conſtantienſis placita de Concilii Oecumenici Juriſdictione; prohibitus Laicis ſine ſpeciali venia utriuſque ſpeciei in Eucharíſtia uſus, & Conceptionis B. Mariæ feſtum inſtitutum.

6. Autoritas ejuſdem.

VI. Ejus Decreta quæ ad exautorationem Eugenii, & convellenda Eccleſiæ Romanæ privilegia pertinebant, tum à Pontificibus, tum à Lateranenſi V. Concilio non improbata ſunt: quæ ad Collationes Beneficiorum aliaque capita ſpectabant, Nicolaus V. concordiæ cauſa probavit. Hoc itaque Concilium, quòd in iis præſertim controverſiis, quæ inter generale Concilium & Pontificem vertebantur, contra hujus omnimodam autoritatem & ſenſerit, & nonnulla tentaverit, Romæ ex hac parte reprobatum, iis diſplicet qui abſolutam illam poteſtatem, etiam ſupra Generale Concilium tuentur: ſed apud Gallos omnino recipitur. Pro Concilio inter cæteros ſcripſerat Æneas Silvius: ſed poſtea Pontifex creatus ſub Pii II. nomine ſcripta illa retractavit.

7. Ex Baſileenſibus Decretis Pragmatica Sanctio.

VII. Hujus Concilii Decretorum quæ ad diſciplinam exteriorem pertinent, pleraque Carolus VII. ex ſententia Conventus Bituricenſis in Pragmaticam Sanctionem anno 1438. tranſtulit: quæ Romanis Pontificibus cum neutiquam placeret, à Ludovico XI. Rege revocata, nihilominus in regno omnino ſervabatur, donec fœdere Bononienſi, ſive Concordatis inter Franciſcum I. & Leonem X. anno 1517. initis, in multis eſt immutata.

VIII.

8. Numerus Baſileenſium Seſſionum & Decretorum: hæc quatenus recepta.

VIII. Decreta ſive Canones Concilii Baſileenſis ſunt XXXIII. ſeſſiones 45. in quibus ſuffragiorum, non per ſingulos Epiſcopos, ſed per nationes habita ratio eſt.

9. Concilii Florentini locus, tempus, Autor, cauſa, numerus Patrum ac Seſſionum.

IX. FLORENTINUM, Ferrariæ in Flaminia ſeu Romandiola inchoatum anno 1438. inde translatum, & ſequenti anno abſolutum Florentiæ in Tuſcia, quæ Italis *Fiorenza* vel *Firenze* vulgò, nobis *Florence*. Ab Eugenio IV. qui ei præfuit, oppoſitum eſt Baſileenſi. Celebratum à centum quadraginta & uno Epiſcopis, præſente Græcorum Imperatore Joanne, cum Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, qui ſupremum diem Florentiæ clauſit. Habitum eſt imprimis Græcorum cum Latinis conciliandorum cauſa. Et verò ſequuta tandem eſt inter utramque Eccleſiam reconciliatio, poſtquàm inito tractatu, de Spiritus Sancti Proceſſione, & addenda, vel non addenda Symbolo voce *Filioque*, de Purgatorio, de Beatorum ſtatu, deque Primatu Eccleſiæ Romanæ, convenit. Poſt Græcorum diſceſſum, Jacobitarum ſive Armeniorum Patriarchæ Legatis unionem petentibus, data eſt Eugenii Decreto inſtructio, qua præſertim doctrina Eccleſiæ Catholicæ de Sacramentis explicabatur. Hujus Synodi ſeſſiones numerantur omnino viginti quinque, Collationes cum Græcis una & viginti: Decreta quatuor: Acta Græcè & Latinè Romæ edita. Exiit & ejus nuper Hiſtoria apud Hagam Comitis ſub nomine Silveſtri Syropuli, interprete Roberto Creygſtono Anglo, cujus utriuſque fides non uno argumento apud Orthodoxos laborat.

10. Tempus & cauſa Lateranenſis 5. Concilii, Seſſionum item & Epiſcoporum numerus.

X. LATERANENSE V. Epiſcoporum centum quatuordecim, anno 1512. ad ſchiſma extinguendum, diſciplinam inſtaurandam, Principum ſarciendam concordiam, & ſuſcipiendam adversùs Turcas expeditionem, indictum & celebratum à Julio II. Pontifice: maximè verò contra Piſanum Concilium, quod ex Decreto Conſtantienſi de habendo ſingulis decenniis generali Concilio, & ex jurejurando Julii de eodem intra biennium ab electione ſua cogendo, contra ipſum à Cardinalibus aliquot convocatum, Ludovico XII. Francorum Rege, & Maximiliano Imperatore autoribus, anno 1511. habitum fuerat. Hoc Lateranenſe V. protractum eſt ad annum 1517. & ſub Leone X. finitum. Ab eo reprobata ſunt prædicti Piſani conventus acta, & Pragmatica Caroli VII. Sanctio, quæ per id temporis in Concordatorum tabulas, multis immutatis, eſt transfuſa. Cardinalium prætereà, qui Piſano interfuerant, nonnulli veniam poſcentes, reſtituti: vetitumque ne in Philoſophicis ſcholis de Mundi æternitate, aut mortalitate & unitate Animæ humanæ contraria Chriſtianæ fidei dogmata traderentur. Ejus ſeſſiones ſunt numero duodecim. Interfuere Cardinales 18. Patriarchæ, non orientales, ſed eorum loco titulares duo, cum Aquileienſi; Archiepiſcopi & Epiſcopi 87. è Gallia pauciſſimi. Nec apud nos uſquequaque probantur hujus Concilii acta.

11. Concilii Tridentini locus, tempus, cauſa & acta.

XI. TRIDENTINUM, Tridenti (quod vulgò nobis *Trente*) in Italiæ, Germaniæque limitibus & provincia ſacra Aquilejenſi, indictum à Paulo III. cœptumque an. 1545. ſub eodem, cui ſucceſſit Julius III. deſiit anno 1563. ſub Pio IV. à quo & confirmatum eſt, ita ut octodecim fermè annos duraverit, Carolo V. Ferdinando I. Imperatoribus Germanicis, Regibus autem Francorum, Franciſco I. Henrico II.

Franciſco II. Carolo IX. In eo Proteſtantes, qui Confeſſionem Auguſtanam in Germania profitebantur, & Martini Lutheri erroribus præſertim inhærentes, Evangelicos ſe prædicabant: itemque Joannis Calvini per Galliam aſſeclas, qui Reformatorum titulum ſibi arrogant, plures denique Sacramentariorum noſtri ſeculi ſectæ damnatæ, quòd tum de juſtificatione ac Prædeſtinatione, tùm de Sacramentis ferè omnibus, de Purgatorio, de Sanctorum invocatione, Imaginum & Crucis veneratione, jejunio & reliquis Eccleſiæ Catholicæ antiquiſſimis ritibus, de Pontificia imprimis autoritate, ipſaque Hierarchia perperam & contra mentem unanimi totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu receptam, ſentirent: multa prætereà circa diſciplinam utiliter conſtituta.

12. Autoritas Concilii Tridentini, Seſſionum & Epiſcoporum numerus.

XII. Sed hæc quoniam aliqua ex parte Gallicæ Eccleſiæ, ac Regiis apud nos juribus atque uſui adverſari videbantur, nondum in hoc regno recepta palàm & generatim; ſed eorum non pauca Regiis Conſtitutionibus ſancita ſunt. Dividitur in ſeſſiones 25. quarum pleræque duabus conſtant partibus, Canonibus qui res fidei, & anathemata continent; & Decreto de Morum reformatione: ſubſcriptum à Patribus 255. quorum 196. Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi fuere.

Hiſtoriam porro Conciliorum Generalium ſedulò apud nos ſub currentis initium ſeculi compoſuit ac Libris quatuor complexus eſt *Edmundus Richerius* Doctor & Socius Sorbonicus. Scripſit & eodem fermè tempore *Simon Vigorius* in Magno Conſilio Conſiliarius tractatum de Concillis aliique.

CAPUT VIII.

Concilia quaſi Univerſalia, Arelatenſe, Sardicenſe, &c.

1. Quæ dicamus quaſi Univerſalia Concilia.

I. QUASI Univerſalia dicimus Concilia quædam, quæ tum indicentium, præſidentiumve autoritate, tum convenientium Antiſtitum numero, tùm fama ipſa & uſu ita ſpectabilia ſunt, ut Oecumenicis videantur propemodùm exæquanda, atque à nonnullis inter univerſalia numerentur.

2. Arelatenſis 1. Concilii, locus, tempus, numerus Epiſcoporum.

II. Inter hæc primum antiquitate occurrit ARELATENSE I. ducentorum circiter Epiſcoporum *Arelate* (quæ civitas eſt Galliæ in comitatu Provinciæ ad Rhodanum, vulgò *Arles*) celebratum Voluſiano & Anniano Conſulibus, id eſt anno Chriſti 314. annis undecim ante Nicænam I. Synodum.

3. Cauſa & adjuncta alia Concilii Arelatenſis.

III. Congregatum autem eſt ex Occidente univerſo ſub Silveſtro Romano Pontifice, juſſu Conſtantini, ad quem Donatiſtæ, Felicem Epiſcopum Aptungitanum in Africa traditorum in perſecutione ſacrorum voluminum falsò inſimulantes, & Cæcilianum Carthaginenſem ab eo ordinatum impugnantes, à Concilio Romano ſub Melchiade damnati appellaverant. Sed, hac quoque Synodo damnati, præſide Marino Epiſcopo Arelatenſi, qui

qui cum cæteris ad Silveſtrum de Canonum ſuorum approbatione ſcripſit. Hujus Canones habentur tres & viginti.

4. Locus, tempus, & cauſa Sardicenſis Concilii.

IV. SARDICENSE, Sardiciæ in Dacia Illyrici Provincia, cujus hæc Metropolis fuit in confinio utriuſque Imperii Occidentalis & Orientalis ſita. Hodie vulgò *Sophia* Græcis, Sclavonibus *Triadizza*. Coactum eſt ſub Julio Pontifice, Imperatoribus Conſtante & Conſtantio, Rufino & Euſebio Coſſ. ſive anno 347. ex pluribus quàm triginta quinque Provinciis, in cauſa tum Athanaſii Alexandrini, Marcelli Ancyrani, aliorumque Epiſcoporum exulum, tum Arianorum.

5. Nicæni quaſi appendix habetur hoc Concilium.

V. Nicæni quædam velut appendix in veteribus nonnullis Codicibus, cum ejus Canonibus conjungitur; adeò ut ejus Canones tempore Zoſimi & Bonifacii Romanorum Pontificum in Eccleſia Romana pro Nicænis habiti, controverſiæ cum Eccleſia Africana de numero Nicænorum Canonum locum fecerint; cujus erroris ſeu confuſionis hæc duplex cauſa fuit, tùm quòd in eo confirmata fuerit fides Nicæna, tùm quòd huic Concilio plerique interfuerint Nicænorum Patrum, in quibus Oſius qui ei præfuit nomine Julii P.

6. Numerus Sardicenſium Canonum & Epiſcoporum.

VI. Canones condidit viginti & unum. Ex provinciis triginta octo, quæ in Synodali ad omnes Epiſcopos Epiſtola enumerantur apud Theodoritum [a], convenerunt Epiſcopi magno numero, ſed non ſatis certo. Sex & ſeptuaginta ſupra trecentos fuiſſe teſtantur Socrates & Sozomenus. Horum circiter 300. ex Occidente fuere orthodoxi: à quibus Græci ſeu Orientales plerique, Ariana labe aſperſi, receſſerunt.

[a] Lib. 2. hiſt. cap. 8.

7. Pſeudo-Sardicenſe Conciliabulum.

VII. Ab his Symbolum ad Ariana dogmata accommodatum Philippopoli in vicina Thracia concinnatum eſt ſub nomine Sardicenſis Concilii: cum teſte Athanaſio, qui veræ Synodo interfuit, & cum Marcello aliiſque abſolutus eſt, nulla fidei formula à Sardicenſi Concilio edita fuerit, ſed cautum ut non alia quàm Nicæna valeret. Hinc factum eſt, ut confuſo in unum utroque conventu, à S. Auguſtino aliiſque Patrum non uſquequaque probatum fuerit Sardicenſe Concilium, ignoto eo quod verè Sardicæ fuerat celebratum: quod tamen, ſi adjuncta inſpicias omnia, œcumenicis accenſendum eſſet, niſi Conſtantinopolitanum primum, quod poſt annos quatuor & viginti ſequutum eſt, ſecundæ Synodi nomen apud Orientales ſtatim, apud reliquos ex uſu & conſenſu quodam paulatim accepiſſet; unde contigit ut Sardicenſe inter Nicænam & Conſtantinopolitanam Synodum intermedium, ſuum inter univerſalia locum non tenuerit.

8. Conſtantinopolitana Quiniſextæ, ſeu Trullanæ Synodi tempus, locus, & cauſa.

VIII. CONSTANTINOPOLITANUM *in Trullo*, ſic nuncupatum, quòd in Secretario Palatii habitum ſit, quod ob faſtigium concameratum, Trulli ſive Trullæ nomine appellabatur, ut antea eſt annotatum. Dicitur & *Sexta*, & *Quini-ſexta* Synodus, Πενθ'ἑκτη, quòd Quintæ & Sextæ velut appendix, eo colore coacta ſit, quòd Quinta & Sexta œcumenicæ Synodi Canones nullos edidiſſent, de ſolis Fidei rebus controverſis habitæ. Indicta eſt anno 692. ab Imperatore Juſtiniano juniore, (qui Rhinothmetus à truncis naribus cognominabatur) agente Callinico Patriarcha Conſtantinopolitano.

9. Canonum numerus, & autoritas.

IX. Canones edidit 102. Ea quidem nec à Sergio, aliiſque Romanis Pontificibus, quin nec ab Orientalibus etiam, extra Conſtantinopolitanum, Patriarchis recepta fuit, teſte Anaſtaſio Bibliothecario; quòd citra Eccleſiæ Romanæ autoritatem coierit, nec pauca cum Occidentalis Ec-

cleſiæ

cleſiæ moribus pugnantia contineat : unde Synodus *Erratica* vocatur à Beda. Apud Græcos tamen celebratur , imò à Schiſmaticis pro ſexta œcumenica ſæpè laudatur : atque in pleriſque cum probatorum Conciliorum decretis ſatis congruit : ideoque videtur , quantùm ad hæc , ab Adriano Papa non improbari in Epiſtola ad Taraſium , quæ in ſeptima Synodo [a] extat , & laudatur *can. 5. diſt. 16.* in quem tamen vide notam Romanorum correctorum & Melchioris Cani [b].

a Act. 2.
b Lib. 5. de loc. Theol. c. 57.

10. Concilii Francofordienſis , tempus & locus .

X. FRANCOFURTENSE ſeu *Francofordienſe* , Francofurti ad Mœnum in Germania & provincia Moguntina , Caroli Magni juſſu coactum anno 792. miſſis ab Hadriano Pontifice Legatis .

11. Ejus Concilii cauſa & acta .

XI. Habitum imprimis eſt contra Elipandum Archiepiſcopum Toletanum , fautorem Felicis Epiſcopi Urgellitani , qui Chriſtum Dei Patris Filium tantùm adoptivum aſſerens , in Ratiſponenſi Concilio paulò anteà damnatus fuerat : in hac Synodo improbata quoque eſt Conſtantinopolitanæ Pſeudoſynodi VII. contra Imaginum cultum doctrina ſub nomine Septimæ Synodi; ſecundum ſententiam tamen Nicænæ II. quæ verè VII. Synodus œcumenica fuit , à cujus mente Francofurtenſes Patres minimè diſceſſiſſe Binius demonſtrat , quamvis contrà ſenſerint non pauci . Vide Sirmondi , itemque Labbei , & Coſſartii Notas .

12. Concilii Claromontani tempus , locus , autor , numerus Epiſcoporum .

XII. CLAROMONTANUM ſive *Arvernicum* , habitum apud Clarum montem Arvernorum civitatem primariam (*Clermont en Auvergne* .) Id celebratum eſt anno 1095. ab Urbano II. Pontifice & Patribus ducentis atque ampliùs , Rege Francorum Philippo I. Imperatore Henrico IV.

13. Ejus Concilii cauſa , acta , & Canonum numerus .

XIII. In eo Placentinæ Synodi ſtatuta pro reformanda Eccleſia contra hæteſim Simoniacorum & Nicolaitarum , ſive incontinentium Clericorum , confirmata ſunt , Canonibus 32. quorum nonnulli habentur apud Gratianum . Novo præterea exemplo expeditio in Sarracenos ad liberandum Palæſtinam Petri Heremitæ conſilio decreta , cujus ſtipendia Indulgentiæ , Vexillum Crux erat: unde Cruciatæ nomen, *la Croiſade* . Ejus exitus aut certè effectus fuit conſtitutum quadriennio poſt Chriſtianorum Hieroſolymis regnum , cui Gothofredus Bullionius ſive Bolonienſis , reliquorum Principum ſuffragio , ex Francis impoſitus .

14. Turonenſis 3. Concilii tempus , locus , autor , geſta , Canonum & Prælatorum numerus .

XIV. TURONENSE III. Concilium , ſub Alexandro III. anno 1163. in Turonum Metropoli civitate , quæ vulgò *Tours* , in Gallia à 124. Epiſcopis , Abbatibus plus 400. præſide Pontifice ipſo Alexandro habitum . In eo damnatus Octavianus , aliàs Victor II. per ſchiſma Pontifex electus , reſciſſa ſunt Synodi per illum & Fridericum Imperatorem celebratæ acta; Canones deni , præter priora Eccleſiæ circa diſciplinam decreta , ibi ſunt editi , qui Decretalium Libris inſerti leguntur .

C A-

CAPUT IX.

Pſeudo-Synodi Generales.

1. De quibus Conciliabulis dicendum.

I. INFINITUM eſſet omnia Conciliabula, omneſve Pſeudo-ſynodos variis ſeculis ac diverſis de cauſis, tam in Oriente, quàm in Occidente habitas, recenſere: Eas hìc attingere ſufficiet, quæ per celebriora olim, tum Arianorum cum Orthodoxis certamina, tum Græcorum adverſus Latinos ſchiſmata, œcumenicarum apud ſuos nomen vendicarunt, aut certè autoritatem generalium & plenariarum Synodorum æmulatæ videntur: ſed tamen Catholicæ Eccleſiæ judicio rejectæ, improbatæque ſunt.

2. Conciliabuli Mediolanenſis tempus, locus, acta.

II. MEDIOLANENSE Conciliabulum, in civitate Galliæ Tranſpadanæ, (quæ pòſt Liguria, dicta eſt) imò Italiæ ſuperioris Metropoli (nunc *Milano* in Lombardia) Arbetione & Lolliano Conſſ. anno ſcilicet 355. à Liberio Romano Pontifice permiſſu Conſtantii Imperatoris indictum; ſed à ſacris ædibus in ædes Principis translatum, qui Epiſcopos Catholicos numero circiter trecentos, maximam nimirum eorum partem qui ex Occidentalis Imperii provinciis convenerant (pauci enim Orientalium venere) ipſe præſens, minaſque intentans, conſtituendæ in Eccleſia pacis ſpecie, Athanaſii abſentis atque inauditi damnationi ſubſcribere pleroſque adegit, paucos recuſantes exilio mulctavit; ac poſteà reliquos, nec modò Luciferum Epiſcopum, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum, Sedis Apoſtolicæ Legatos, malè habuit; ſed ipſum etiam Liberium Roma Mediolanum, indeque in Thraciam abreptum, dirè vexavit. In hoc conventu enituit imprimis Euſebii Vercellenſis Epiſcopi virtus.

3. Conciliabuli Sirmienſis locus, tempus, acta.

III. SIRMIENSE anno 357. habitum Sirmii, quæ civitas Saviæ provinciæ in Pannonia, atque Illyrici Occidentalis caput fuit (hodie *Sirmiſch* Germanis, in Hungaria:) præſentibus Conſtantio & Liberio iiſdem celebratum eſt. Interfuerunt Epiſcopi ampliùs quàm trecenti ex univerſo Occidente, magna ex parte Ariani. Hi ſtatim initio Synodi, quò faciliùs Catholicis illuderent, atque Athanaſii damnationem ab illis extorquerent, Photinum Epiſcopum Sirmienſem, qui quòd divinam Chriſti naturam, & eamdem cum Patre ſubſtantiam negaret, & Ebionis aliorumque hæreticorum errores renovaret, dejectus Epiſcopatu in Sardicenſi Concilio fuerat, ſed novos à Conſtantio judices impetraverat, iterum damnarunt illi quidem, licèt ei haud multùm diſpares. Sed duas Fidei formulas edidere, quarum prior Latinè ſcripta, & in Græcum ſermonem verſa, à Nicæno fidei Symbolo, non in alio differret, quàm quòd in eo *Conſubſtantialis* vocabulum eſſet omiſſum: atque huic formulæ ſubſcripſit Liberius, quòd nihil contineret à Catholica fide alienum; ejuſque autoribus Arianis per Epiſtolam communicavit, quo nomine ejus deinde communionem Catholici diù reſpuerunt. Verùm poſterior Formula, quæ prioris loco ſub nomine Symboli Sirmienſis poſt multorum Epiſcoporum diſceſſum venditata fuit, nomen Conſubſtantialis non ſolùm omittebat, ſed apertiùs impugnabat, cùm vetaret de ὁμουσίῳ & ὁμοιουσίῳ, ſive tam de ſubſtantia, quàm de ſimilitudine Filii cum Patre, diſputari, eo colore quòd in Scipturis eæ voces non occurrerent; eaque

res

res mentis humanæ captum longè ſuperaret. Ut autem huic formulæ fidem conciliarent, Oſii jam centenarii ſubſcriptionem verberibus ac tormentis extorſerunt. Sed hanc confeſſionem impugnarunt deinde Semi-Ariani Ancyræ anno 358. congregati, qui Conſubſtantialis verbum non improbabant, quia Chriſtum verum Deum de Deo aſſerebant.

4. Conciliabuli Ariminenſis tempus, locus, numerus Epiſcoporum, acta.

IV. ARIMINENSE, 600. Epiſcoporum, Arimini in Piceno (nunc vulgò *Rimini*) invito Liberio Papa, Arianorum opera coactum anno 359. quo ab Orientalibus 150. circiter Epiſcopis Conciliabulum aliud Seleuciæ in Iſauria habebatur. Ariminenſis hujus Concilii Patres, qui Arimini remanſerant poſt aliorum diſceſſum Conſtantium in Orientem proſequentium, primùm quidem Sirmienſem Arianorum fidei formulam cum Valente, Urſatio & ſociis damnarunt, Nicæna firmata: ſed poſt ab illis Nicææ in Thracia conditam ſub Nicænæ titulo formam fidei Arianam, exilii ac tormentorum metu approbare coacti ſunt: ita ut auctore D. Hieronymo [a] totus penè orbis Arianum ſe eſſe miratus ingemuerit. Liberius, quòd ratam eam confeſſionem non haberet, iterum à Valente relegatus eſt: Gaudentius Ariminenſis Epiſcopus fuſtibus & lapidibus cæſus, aliique peſſimè habiti.

a Dialogo contra Luciferianos.

5. Epheſinæ 2. Pſeudo-Synodi res ac tempus.

V. EPHESINUM II. quam *Latrocinalem* ſive prædatoriam *Ληστρικὴν Synodum* Catholici dixere, quòd licèt à Leone Pontifice congregata, non tamen liberè habita, ſed Dioſcori Alexandrini eam regentis minis Eccleſiaſticus ordo prorſus violatus fuerit. Per eum imprimis factum, ne Leonis encyclica epiſtola de Verbi Incarnatione in Synodo legeretur, 128. Epiſcopi Eutychetem confirmata ejus hæreſi abſolverint, fruſtrà repugnantibus Leonis Legatis, aliiſque Præſulibus rectè ſentientibus; in quibus Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus damnatus, ac tandem fuſtibus per milites cæſus, expiravit; multaque alia per vim geſta tempore Theodoſii junioris, anno 449.

6. Conſtantinopolitanæ pſeudo-ſeptimæ Synodi, res, & tempus.

VI. CONSTANTINOPOLITANUM *Pſeudoſeptimum*, 328. Epiſcoporum, à Conſtantino Copronymo adverſus Imaginum cultum congregatum eſt, anno 754. Stephano III. Romano Pontifice non conſentiente, vel potiùs damnante.

7. Conciliabuli Conſtantinopolitani in templo Apoſtolorum, tempus, acta, & Canonum numerus.

VII. CONSTANTINOPOLITANUM in Templo Apoſtolorum, quo à 318. Epiſcopis Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus per vim dejectus eſt, Photio præſide, & Legatis Apoſtolicis terrore injecto ſubſcribere coactis, anno 861. tempore Michaelis III. Imperatoris, & Nicolai Papæ, à quo *Latrocinalis* hæc quoque Synodus eſt cognominata. Græci quòd non uno tenore habita, ſed interjecto aliquo intervallo, duabus diviſis actionibus celebrata fuerit, Primam & Secundam appellant, ejuſque Canones 17. admittunt.

8. Conſtantinopolitani pſeudo-octavi Conciliabuli tempus, locus, res, & numerus Canonum.

VIII. CONSTANTINOPOLITANUM *Pſeudo octavum* in Templo Sapientiæ an 879. coactum eſt. In eo Photius reſtitutus, mortuo Ignatio, & quantùm in illo fuit germana Synodus Octava œcumenica infirmata, interceptæ ad ſedem Romanam appellationes; unde ſchiſmatis quod adhuc inter utramque Eccleſiam durat, exordium. Damnatum eſt hoc Concilium, cum ipſo Photio, à Joanne VIII. Ejus tamen Canones numero tres à Græcis recipiuntur.

Digitized by Google

CAPUT X.

Concilia Localia Græca in Codicem Eccleſiæ Univerſæ relata.

QUINQUE veterum Conciliorum in Orientalibus Provinciis circa Nicæni 1. tempora habitorum Canones Concilio Chalcedonenſi [a], itemque à Juſtiniano Novella 131. ſed expreſſiùs in Conſtantinopolitana Quini-ſexta ſeu Trullana ſecunda Synodo apud Græcos recepti ſunt, atque ante hanc Synodum in Codicem Canonum Eccleſiæ Univerſæ inſerti, & à Romanis Pontificibus pro authenticis ſunt probati [b].

1. Synodi Aſiaticæ veteres quinque, quâ ratione ubique receptæ.

a Can. 14. à ſanctis, xxv. qu. 1.
b Can. de libellis diſt. 20.

II. Inter ea primum locum obtinet ANCYRANUM, quod & *Ancyritanum*, & *Anquirenſe*; Ancyræ habitum, quæ Metropolis eſt Galatiæ Provinciæ in Pontica Diœceſi, diciturque nunc Turcis *Anguri*. Celebratum autem eſt anno Chriſti 314. ac proinde ante Nicænam Synodum, ab octodecim ſaltem Epiſcopis ex Orientali & Pontica Diœceſibus (quæ tunc Antiocheno Patriarchæ ambæ ſuberant) quorum plerique Synodo quoque Nicænæ poſteà interfuerunt. Hi de Lapſis præſertim reconciliandis, autore imprimis Vitali Antiocheno Epiſcopo, Canones viginti quatuor edidere, ex quibus Græci fecerunt quinque & viginti.

2. Synodus Ancyrana, ejus locus, tempus, cauſa, Epiſcoporum & Canonum numerus.

III. NEOCÆSARIENSE, *Neocæſareæ* quæ Metropolis eſt Ponti Polemoniaci (Turcis nunc *Nichſar*) paulò pòſt Ancyranum, & ante Nicænum, anno vel 314. vel certè 315. congregatum videtur: ei quippè cum aliis ſedecim Antiſtitibus interfuit Baſilius Amaſeæ Epiſcopus, anno ſequenti ſub Licinio paſſus. Extant hujus Concilii Canones quatuordecim; Græcis quindecim, decimo tertio in duos diviſo.

3. Synodi Neocæſarienſis locus, tempus, Epiſcoporum, & Canonum numerus.

IV. GANGRENSE, celebratum *Gangræ* ſive Gangris, quæ Metropolis eſt Paphlagoniæ in eadem Diœceſi Pontica (nunc Turcis *Kiengar*) Silveſtri Pontificis & Conſtantini temporibus, circa annum Chriſti 324. adverſus Euſtathium ejuſque ſectatores, qui legitimas Nuptias criminabantur, & Eccleſias Dei, ſacroſque in iis conventus contemnebant. Canones ejus ab Epiſcopis ſedecim conſtituti, numero ſunt viginti apud Latinos, apud Græcos viginti & unus; ſed ultimum non eſſe propriè Canonem oſtendit Beveregius.

4. Gangrenſis Synodi locus, tempus, res, numerus Epiſcoporum & Canonum.

V. ANTIOCHENUM, coactum Antiochiæ, quæ ſedes eſt Patriarchica Orientis in Syria (nunc in ruinis *Antachia* vocatur.) Ibi plures Synodi celebratæ, præſertim anno 266. & anno 272. contra Paulum Samoſatenum ejus Urbis Epiſcopum, qui nullam in Deo Perſonarum diſtinctionem agnoſcens, Chriſtum hominem tantùm fuiſſe ajebat, in quem Verbum Dei deſcendiſſe, ſolum in eo eſſet operatum, ac deinde ad Patrem qui illud ſpiraverat, rediiſſe. Aliæ quoque poſteriores in eadem urbe celebratæ Synodi memorantur. Verùm hæc, cujus Canones ſunt viginti quinque (magnam partem ex Canonibus qui vocantur Apoſtolorum depromptì) ſub Conſtantio Imperatore & Julio Pontifice habita eſt, Marcellino & Probino Conſſ. anno 341. in Encæniis ſeu dedicatione celeberrimi Templi quod Dominicum aureum eſt dictum. Eò convenerunt Epiſcopi 97. vel 99. quorum triginta ſex Ariani ſive Euſebiani, Catholicam fidem, atque inſtaurandæ

5. Concilii Antiocheni locus, tempus, cauſa, acta, numerus Epiſcoporum & Canonum.

randæ diſciplinæ ſtudium ſimulantes, & Principis favore cæteris ſuperiores, ſeorſim convenientes, Athanaſium confirmato Tyrii adverſus eum Conciliabuli judicio abdicarunt; & Canones illos quinque viginti condiderunt, qui ab Euſebio Cæſareæ in Palęſtina, Epiſcopo compoſiti, ac à Catholicis ea de cauſa diu rejecti fuerunt: eoque nomine B. Chryſoſtomus ex Canonis XII. autoritate poſteà damnatus, exceptione hac uſus eſt, quòd diceret Arianorum id opus fuiſſe. Poſteà tamen cùm ad diſciplinam tuendam conferre hi Canones viderentur, admiſſi ubique ſunt, atque in Codicem Canonum univerſæ Eccleſiæ relati. De his vide Ill. Petrum de Marca [c]. Hoc Concilium nonnulli habitum volunt circa annum 363. Liberio Pontifice, Imperatore Joviano, atque omninò diverſum à ſuperiore; quod ſanè in iis quæ ad Athanaſium, fidemque Nicænam ſpectant, omnibus orthodoxis improbatur. Nam & ad ſubruendam & per cuniculos evertendam Conſubſtantialis fidem, diverſas quatuor Formulas in eo conſarcinarunt Euſebiani. Verius tamen videtur hæc omnia ejuſdem Antiocheni in Encæniis Concilii fuiſſe: quamquam anno 360. & 363. alii conventus Antiochiæ habiti, quorum illud adverſus Meletium, Formulam quoque Fidei deterrimam edidit, qua ex Ariminenſi & Conſtantinopolitana ſublatum eſt nomen *ſimilis*, ut Filius non modò ſubſtantia, ſed & voluntate Patri diſſimilis, & ex nihilo ortus haberetur.

c De concord. ſacerd. & imp. lib. 3. cap. 3. §. 3.

6. Laodicenæ Synodi locus, tempus, Patrum & Canonum numerus.

VI. LAODICENUM, ſic dictum à Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ Metropoli, quæ vulgò nunc *Laudichia*: ubi congregati ſunt, Nunechio ejus urbis Antiſtite, ex diverſis Aſianæ Diœceſeos provinciis Epiſcopi 32. qui de rebus ad diſciplinam ſpectantibus Canones 59. condiderunt. Græci ſexaginta numerant Canones. Verùm poſtremus pars eſt quinquageſimi noni apud pleroſque. Duæ hujus Concilii reperiuntur in Regia Bibliotheca verſiones Arabicæ: in quarum altera quæ *translata* dicitur, ut à Cl. V. Claudio Capellano Doctore Sorbonico accepi, inter veteris Teſtamenti libros, qui recenſentur ultimo Canone, ii connumerantur quorum autoritatem ſectarii horum temporum in dubium revocant, *Judith* putà, *Maccabæorum*, *Tobiæ*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*. Baronius & Binius hanc Synodum celebratam eſſe contendunt ante Nicænam. Sed cùm in omnibus Canonum Codicibus Antiochenæ poſtponatur, probabilior videtur ſententia quæ ad Liberii Pontificis tempora & annum Chriſti 364. aut circiter hanc Synodum refert.

7. Conſtantinopolitani Concilii ſub Menna locus, tempus, cauſa.

VII. Adjici poteſt Concilium *Conſtantinopolitanum* in *Dytico*, celeberrimo ejuſdem urbis Monaſterio, *ſub Menna* Patriarcha, qui depoſito Anthimo, Epiſcopus urbis Conſtantinopolitanæ ordinatus fuerat ab Agapeto Romano Pontifice, & poſt ejus in ea urbe obitum hanc Synodum cum Sedis Romanæ & Synodi Italicæ Legatis, itemque Antiocheni, & Petri Hieroſolymitani Patriarcharum Legatis atque aliis vicinarum regionum Epiſcopis celebravit. Ea à Græcis poſterioribus relata eſt in Codicem Canonum: habita poſt Conſulatum Beliſarii, id eſt, anno Chriſti 536. Imperatore Juſtiniano, contra prædictum Anthimum, Severum, Zoaram, vel Zooram Acephalorum Principes, adverſus quos à Concilio damnatos edita eſt Nov. 42. ab eodem Juſtiniano.

C A-

CAPUT XI.

Concilia Africana vetera.

I. PLURA per Africam celebtata olim Concilia ſunt, ptæſertim Carthagine, quæ non modò provinciæ Proconſularis ſive Africæ Ptopriæ, ſed totius Diœceſeos Africanæ, qnæ nunc fetè *Barbaria* dicitur, eo tempore caput, hodiè in tuinis jacet non ptocul Tuneto ſub nomine *Almenaræ*. Memorantur autem imprimis Concilia *Carthaginenſia* ſub B. Cypriano habita, tùm illud qno ex placito Synodi Romanæ ſub Cornelio Papa celebratæ, cautum eſt anno Chriſti 254. ut Lapſi ad Eccleſiæ communionem poſt pœnitentiam reciperentur: tum alia duo, quorum priori, ſecundum aliud ab Agrippino anno 217. celebratum, Hæreticorum baptiſma nullius eſſe momenti eſt pronunciatum; ideoque ab eis baptizatos iterum baptizari oportere: ſed Tertio, revocatis eorum Decretis, autore Stephano I. Papa, conſtitutum ne in hæteſi, ab iis qui fidem, formamque Eccleſiæ Catholicæ ſervarent, baptizati, ſacro iterum lavacro tingerentur; idque an. 258. Verùm ea attigiſſe ſufficiet, quotum Canones aliqui Juris noſtri corpore continentur.

1. Priſca quædam Carthaginenſia Concilia.

II. CARTHAGINENSE I. poſt Nicænum 1. ex diverſis provinciis Africanis, Conſtantis Imperatoris juſſu, ejuſque Legatorum Pauli & Macarii opera, anno Chriſti 348. Julio Pontifice Romano rem urgente, coactum à Grato Carthaginenſi Epiſcopo Catholico, ut Eccleſia Afticana Donatiſtarum ſchiſmate convulſa, pacatis diſſidiis & ſolidè conſtituta pace, recrearetur: quod aliquatenus effectum, Donato ſchiſmaticarum partium Epiſcopo Carthaginenſi relegato, repreſſis armata manu Circumcellionibus, prædonum genere, qui in Catholicos armis graſſabantur, eoſqne diris modis vexabant. Extant hujus Concilii Canones quatuordecim.

2. Concilii Carthaginenſis primi dicti tempus, cauſa, numerus Canonum.

III. CARTHAGINENSE II. præſide Genethlio ſeu Genedio Grati ſucceſſore, tempore Siricii Papæ, de rebus ad mores ac diſciplinam pertinentibus, anno 390. habitum Ventiniano juniore IV. & Neoterio Conſſ. (in cujus nomine erratum à collectore, poſito Theodoſii nomine qui cum Valentiniano Conſul fuiſſe non legitur, ut contra Baronium & Binium oſtendunt Nicolaus Faber [a], & Jacobius Davius Perronius Cardinaliis [b], aliique: quamquam non deſunt valida in utramque partem argumenta.) Ejus Canones tredecim habentur.

3. Concilii Carthaginenſis 2. tempus, cauſa, Canonum numerus.

[a] In præf. ad Hilarii fragmenta.

[b] In replicat. ad reſponſum magnæ Britan. Regis.

IV. CARTHAGINENSE III. anno 397. Cæſatio & Artico Conſulibus, imperantibns Arcadio & Honorio, Pontifice Romano Siricio, diſciplinæ quoque cauſa ex omnibus Africæ Provinciis congregatum, unde & *Univerſale* dicitur. Cujus Canones 50. collecti videntur ex pluribus anterioribus Conciliis.

4. Carthaginenſis 3. Concilii tempus, cauſa, Canonum numerus.

V. CARTHAGINENSE IV. ſive potiùs, ſi ordo temporis ſpectetur, V. *Univerſale* Diœceſeos totius Africanæ, ab Epiſcopis 214. celebratum VI. Idus Novembres, Honorio IV. & Eutychiano Conſſ. id eſt anno 398. Præſide Autelio Carthaginenſi Epiſcopo, regente Romanam Eccleſiam Anaſtaſio. In eo centum & quatuor ſancitæ Regulæ.

5. Carthaginenſis 4. dignitas, tempus, Canonum numerus.

6. Carthaginenſis 5. tempus, Canonum numerus.

VI. CARTHAGINENSE V. dictum, ſed inſpecto temporis ordine, IV. ab Epiſcopis 73. poſt Conſulatum Cæſarii & Attici, id eſt eodem anno 398. ſed VI. Kal. Junii, id eſt 27. Maii, cum nondum fortè in Africam perveniſſent nomina Conſulum eo anno Romæ, & Conſtantinopoli dictorum; habitum Præſide eodem Aurelio Epiſcopo Carthaginis, quæ totius Africæ urbs primaria. Canones in eo editi quindecim extant.

7. Carthaginenſis 6. res, tempus, numerus præſulum.

VII. CARTHAGINENSE VI. poſt Conſulatum Honorii XII. Theodoſii VIII. id eſt anno Chriſti 418. eodem Aurelio præſide, Zoſimi, & Bonifacii Romanorum Pontificum temporibus, de modo proſequendæ ad Sedem Apoſtolicam Appellationis, habitum coram Legatis Eccleſiæ Romanæ; qui cum Nicæni Concilii Decretis niti Eccleſiæ ſuæ jura in recipiendis ex orbe univerſo appellationibus contenderent, miſſi ſunt ab hac Synodo Legati ad Orientales Patriarchas, qui ab iis authentica exempla Nicænorum Canonum acciperent: poſt quorum reditum, cum laudati à Legatis Canones inter Nicænos non occurrerent, apparuit ex Sardicenſi Concilio, quod Nicæni appendix, petitos eſſe; & juxta eos rogatus per Epiſtolam Cœleſtinus Papa, ut deinceps Romani Epiſcopi per Legatos in Africam miſſos appellationum cauſas judicarent. Convenere ex cunctis Africæ provinciis, Antiſtites 217. vel 229. in quibus B. Auguſtinus Hipponenſis.

8. Carthaginenſis 7. tempus, & res,

VIII. CARTHAGINENSE VII. Seſſio potiùs videtur præcedentis Concilii prorogati, ſive conventus delectorum ex ſingulis provinciis Africanis, quàm diſtinctum ab eo Concilium: eodem quippe Aurelio præſide, iiſdem Romanæ Eccleſiæ legatis aſſidentibus, poſt Conſulatum Honorii XII. Theodoſii junioris VIII. id eſt anno Chriſti 419. habitum eſt. In eo editi Canones 5. ac præterea recitati fuerunt Canones diverſorum Africæ Conciliorum, quibus conſtat Collectio Africana, de qua mox.

9. Africani Concilii cauſa, acta, & tempus.

IX. Multa in Collectionibus Concilia occurrunt, ab natione apud quam habita ſunt, appellationem ſortita. Sed in corpus Canonum ab Iſidoro relatum AFRICANUM, anno 424. Carthagine celebratum eſt, atque in eo 105. illi Canones plurium Africanæ Diœceſeos Conciliorum per Epitomen collecti & recepti. Cum enim plurima extarent ejus Eccleſiæ Concilia, quorum exemplaria ad uſum Cleri numeroſiſſimi curare difficile erat; viſum eſt Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, ut ex iis Conciliis deliberentur Canones qui ad conſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam maximè conducerent: quod factum in Concilio Carthaginenſi VI. & VII. in hoc Concilio Africano repetitum videtur. Hinc manavit Collectio ſeu Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, additus Codici Eccleſiæ univerſæ. Hujus Collectionis, ſub nomine Synodi Carthaginenſis, Græci Canones habent uno tenore 144. Apud Latinos bipertita eſt hæc Collectio, & Prima pars ſub titulo Carthaginenſis Concilii abſolutè, Canones 33. deſumptos præſertim ex Carthaginenſi II. Concilio, ex *Hipponenſi* quod congregatum fuit Hippone Regio in civitate Numidiæ quæ nunc *Bona* dicitur, Theodoſio III. & Abundantio Conſſ. ſive anno 393. atque ex Carthaginenſi III. Altera pars ſub nomine Africanorum Canonum, ſive Concilii Africani, complectitur Canones 105. quorum nonaginta quatuor priores partim in priori collectio-

lectione omiſſi, ex iiſdem Hipponenſi & Carthaginenſi III. Conciliis deſumpti ſunt; partim ex Carthaginenſi V. & Milevitano II. ſive potiùs ex Carthaginenſi, quod Honorio VII. & Theodoſio iterum Conſſ. anno 407. & Carthaginenſi quod Honorio XII. & Theodoſio VIII. Conſſ. anno 418. eſt habitum; ex quibus conflatum Milevitanum in iis quæ ad diſciplinam ſpectabant: ſex ſequentes ſunt Carthaginenſis ipſius ſexti: poſtremi quinque non Canones propriè ſunt, ſed Epiſtolæ.

X. MILEVITANUM autem Concilium II. (quod à priore non diſtinguunt veteres collectores) Milevi in Numidia, ab Epiſcopis ejus provinciæ ſexaginta celebratum Theodoſio VII. & Palladio Conſſ. id eſt anno 416. adverſus Pelagii & Cæleſtii hæreſim de Originali peccato & Gratia Dei, quam illi ad bona opera non eſſe neceſſariam aſſerebant. Canones ea de re octo edidit, alioſque ad diſciplinam pertinentes. Ejus Decreta in plenario totius Africæ Concilio poſteà recepta ſunt.

10. Milevitani 2. tempus, locus, cauſa, Canonum & Epiſcoporum numerus.

XI. TELEPTENSE, quod & corruptè *Telenſe*, Teletpe in urbe Byzacenæ provinciæ primaria, poſt Conſulatum Honorii XI. Conſtantii II. id eſt anno 418. nondum nunciatis hujus anni Conſulibus, Zoſimo Pontifice Romano, habitum à Donatiano primæ Sedis Epiſcopo, aliiſque ejuſdem provinciæ Epiſcopis. In eo quid actum ſit, non liquet; niſi quòd recitata eſt Siricii Romani Pontificis ad Epiſcopos Africanos Epiſtola.

11. Teleptenſis Concilii tempus, locus, & res.

XII. Memorantur & alia Afrorum hiſce temporibus Concilia, non modò *Carthaginenſia* complura, & *Hipponenſe* paulò antè dictum; ſed & *Adrumettinum*, & *Milevitanum* I. itemque *Suffetulenſe* ac *Zellenſe* Ferrando & Criſconio memorata: illiſque oppoſita Donatiſtarum Conciliabula Cavernenſe, Cebarſuſſi, Bagaienſe Epiſcoporum 300. & Cirtenſe. Nec tacenda *Collatio Carthaginenſis* inter Catholicos & Donatiſtas anno 411. Sed ex his Canones in Juris corpore nulli extant.

12. Alia Concilia & Conciliabula Africana.

CAPUT XII.

Concilia Gallica vetera ſub Imperatoribus Romanis, & Francorum primæ ſtirpis Regibus.

I. SEQUIMUR ordinem Iſidori, qui poſt Græca & Africana Concilia, in corpus Canonum Gallica & deinde Hiſpanica intulit ad ſuam uſque ætatem. Inter Gallica eminet non uno nomine ARELATENSE I. de quo ſuprà cap. 8. eſt actum.

1. Cur Africanis Conciliis Gallica vetera ſubjungamus.

II. Sequitur apud eumdem Iſidorum ARELATENSE II. à Ravennio Arelatenſi Epiſcopo, Leone I. Romano Pontifice, coactum circa annum 452. poſt Arauſicanum & Vaſenſe I. ex quibus præſertim Canones non pauci in hoc translati, ut notavit eximius Eccleſiaſticæ antiquitatis indagator Jac. Sirmondus S. J. qui ex Codice pervetuſto S. Remigii Rem[illegible]

2. Arelatenſis Concilii tempus, & Canonum numerus.

 multos

multos ei Canones adjecit, prioribus editionibus incognitos: ut jam LVI. legantur, cum anteà non niſi XXXVII. vulgati fuiſſent: ſed viginti quinque, à 20. ad 45. ex Arauſicano ſunt, priores ex aliis etiam anterioribus Synodis, Nicæna, Arelatenſi I. &c.

3. Arelatenſis 4. quod vulgo pro 3. habitum, tempus, & numerus Canonum, ac Patrum.

III. ARELATENSE III. ſeu veriùs IV. (nam III. minùs celebre ſub Ravennio eodem, anno 455. celebratum eſt in cauſa Fauſti Lirinenſis Abbatis, nec Canones edidit) ſub Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, Joanne II. Pontifice, Opilione Conſule, id eſt anno 524. habitum eſt, convenientibus ad dedicationem Baſilicæ ſanctæ Mariæ ſeptemdecim Patribus, qui Canones quatuor condidere.

4. Arelatenſis 5. tempus, ac numerus Epiſcoporum & Canonum.

IV. ARELATENSE V. Patrum 19. ſub Pelagio I. & Childeberto Rege Francorum, anno 554. congregatum, præſide Sapaudo Epiſcopo Arelatenſi, qui perperàm Sarpidius dicitur [a] apud Gratianum. Hujus Synodi ſeptem ſunt Canones.

[a] Diſt. 16. Can. 11.

5. Valentini 1. & 2. Conc. locus, tempus, cauſa, numerus Epiſcoporum & Canonum.

V. VALENTINUM, habitum eſt Valentiæ in Gallia, quæ vulgò *Valence en Dauphine*, Gratiano III. & Equitio Coſſ. hoc eſt anno Chriſti 374. Damaſo Romano Pontifice, ſedandorum diſſidiorum, & diſciplinæ inſtaurandæ causa, à triginta Viennenſis ac vicinarum provinciarum Antiſtitibus; quorum ſubſcriptiones tantùm 19. extant. In his primum locum obtinet Florentius Viennenſis, quamvis in epiſtola Synodica ei præponantur Fegadii & Eumerii nomina. Eſt & Valentinum II. Pelagio II. Pontifice Rom. Guntramno Rege, Præſide Sapaudo Arelatenſi; ubi cum illo & Lugdunenſi Metropolitano, alii quatuordecim Epiſcopi Regias in loca ſacra donationes firmarunt, anno 584. nullis editis Canonibus.

6. Taurinenſis locus, tempus, cauſa, numerus Canonum.

VI. TAURINATE, ſive *Taurinenſe*, apud Auguſtam Taurinorum, vulgò *Torino*, Gallis *Turin*, in Pedemontio, congregatum tempore Imperatoris Honorii, & Siricii Pontificis Romani, circa annum 397. ubi ſedata eſt controverſia de Primatu Viennenſis provinciæ inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos, inter quos diviſæ ſunt Eccleſiæ ejuſdem provinciæ. Canones ejus octo extant: quorum 1. conceſſus eſt vel confirmatus pacis & concordiæ cauſa Proculo Maſſilienſi Epiſcopo Arelatenſis provinciæ, quoad viveret, Primatus ſeu jus Metropoliticum, quo extra ordinem uſus fuerat in Epiſcopos Secundæ Narbonenſis provinciæ, quæ nunc Aquenſem agnoſcit Metropolitanum.

7. Regenſis Conc. locus, tempus, Præſulum & Canonum numerus.

VII. REGENSE ſeu *Reienſe*, apud Reios, quæ civitas eſt Narbonenſis 2. Provinciæ, vulgò *Riez en Provence*, Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. id eſt anno 439. imperante Valentiniano III. ſedente Romæ Sixto III. habitum ab Epiſcopis 13. quorum primus Hilarius Arelatenſis, à quibus octo Canones editi, contra inordinatam Ebredunenſis Epiſcopi per duos tantùm Epiſcopos ordinationem.

8. Arauſicani 1. Concilii locus, tempus, numerus Pontificum & Canonum.

VIII. ARAUSICANUM ſive *Arauſicenſe I.* quod & Arauſicum & corruptè *Tranſicum*, Arauſione habitum, quæ civitas eſt Arelatenſis provinciæ, vulgò *Orange*, ſive in territorio ejus civitatis in Eccleſia *Juſtinianenſi*, Cyro Conſule, id eſt anno Chriſti 441. Valentiniano III. Auguſto, Leone I. Romanò Pontifice. Convenere Patres ſeptemdecim, Hilario præſide Arelatenſi Epiſcopo, & Canones 30. ediderunt.

9. Arauſicani 2. tempus, Canonum & Epiſcoporum numerus.

IX. ARAUSICANUM II. ſub Cæſario Arelatenſi habitum ab Epiſcopis 14. anno 529. Canones 25. de Gratia Dei edidit, confirmatum à Bonifacio II.

X. VA-

X. VASIONENSE ſive *Vaſenſe*, & corruptè *Valenſe*, ſub Valentiniano III. & Leone I. Pontifice, Dioſcoro Conſule, anno Chriſti 442. coactum apud Hoſpitium Epiſcopum, Vaſione, quæ civitas Provinciæ Arelatenſis, nunc Avenionenſis, vulgò *Vaiſon*; Canones decem edidit. Alterum in Vaſenſe quoque vico habitum, Decio juniore Conſule, anno 529. à Patribus undecim, quorum Princeps Cæſarius Arelatenſis: unde Joanni Dartiſio [b] videtur hæc Synodus intelligi nomine Arelatenſis in vico Hortenſi, ubi legendum putat in vico Vaſenſi: ſed nec nomina ſatis inter ſe convenire, nec vici appellatio in civitatem Plinio aliiſque autorum priſcorum cognitam, ſatis cadere videtur; niſi fortè barbarorum in Galliam incurſionibus ea in vicum redacta probetur.

10. Vaſenſis 1. & 2. tempus, locus, &c.

b Diſt. 16. Can. 11.

XI. TURONENSE ſive *Turonicum I.* Cæſaroduni, quæ civitas Turonum eſt, Lugdunenſis 3. Metropolis ad Ligerim, vulgò *Tours*, habitum Severino Conſule, ſive anno 461. Hilari Pontificis tempore, à decem Patribus ex tribus Provinciis, Præſide Perpetuo Turonenſi Epiſcopo. Canones tredecim edidit, quorum unus ab Ivone Carnotenſi in Decretum relatus. *Turonenſe II.* ex Provinciis tribus ab Epiſcopis novem celebratum, in Baſilica S. Martini, viginti ſeptem Canones compoſuit anno 567. Joanne III. Papa, Præſide Euphronio Epiſcopo Turonenſi.

11. Turonenſis 1. & 2. tempus, locus, cauſa, numerus Epiſcoporum & Canonum.

XII. VENETICUM in Aremoricorum civitate Venetenſi, nunc *Vannes en Bretagne*, circa annum 465. à Turonenſis Provinciæ ſex Epiſcopis habitum, in Paterni Venetenſis Antiſtitis ordinatione, Præſide Perpetuo Metropolitano. Editi in eo ſunt 16. Canones.

12. Venetici locus, tempus, &c.

XIII. AGATHENSE, apud Agatham Narbonenſis 1. Provinciæ civitatem, vulgò *Agde*, Meſſala Conſule, id eſt anno Chriſti 506. ſub Alarico Vviſigothorum Rege, & Symmacho Pontifice habitum, Canones condidit 47. Qui ſupra hunc numerum ad ſeptuaginta uſque ei tribuuntur, adjecti videntur ex ſeqq. Conciliis, præſertim Epaonenſi. Præfuit Cæſarius Arelatenſis huic Synodo, quæ à 34. Patribus ex ſeptem ſaltem Provinciis eſt congregata.

13. Agathenſis locus, tempus, Patrum & Canonum numerus.

XIV. AURELIANENSE I. apud Aurelianorum ad Ligerim civitatem, in Provincia Lugdunenſi 4. ſive Senonia, nunc *Orleans*, Clodovæi I. Francorum Regis juſſu convocatum, Symmacho Pontifice, Felice Conſule, anno Chriſti 511. habitum ab Epiſcopis 32. ex pluribus Provinciis: nam Metropolitani quinque interfuerunt. Canones edidit 31. quorum autor præcipuus Melanius Redonenſis Epiſcopus dicitur [c]. *Aurelianenſe II.* anno 533. Papa Joanne II. Childeberto Rege congregatum; Canones 21. edidit, quorum nullus corpori juris inſertus legitur. Præfuit Honoratus Bituricenſis; interfuere alii Præſules aut Præſulum legati 23. ex Provinciis ſex.

14. Aurelianenſis 1. & 2. locus, tempus, numerus Præſulum & Canonum.

c Can. 11. diſt. 16.

XV. AURELIANENSE III. Childeberto Rege, Pontifice Silverio habitum poſt Conſulatum Paulini, id eſt anno 538. ab Epiſcopis ſex & viginti, ex provinciis ſaltem quinque, Præſide Lupo Lugdunenſi: Canones edidit tres & triginta, quorum autor fertur Albinus Andegavenſis Epiſcopus.

15. Aurelianenſis 3. tempus, & numerus Præſulum & Canonum.

XVI. AURELIANENSE IV. Baſilio Conſule, id eſt an. 541. convocatum, Vigilio Papa, Rege Childeberto. Habitum eſt à Patribus 49. Epiſcopis nimirum, aut legatis Epiſcoporum: In his fuere quatuor

16. Aurelianenſis 4. tempus, numerus Patrum & Canonum.

a Pranot. Canonic. Doujat.

Metropolitani Epiſcopi, quorum Præſes Leontius Burdigalenſis. Canones ab his conditi 38. quorum nonnullos Yvo Carnotenſis in Decretum ſuum retulit.

17. Aurelianenſis 5. tempus, numerus Patrum & Canonum.

XVII. AURELIANENSE V. celebratum an. Chriſti 549. Vigilio Papa, Childeberto Rege, præſide Sacerdote Lugdunenſi Epiſcopo cum ſex aliis Metropolitanis. Epiſcopi, vel Epiſcoporum Legati ex Provinciis decem adfuere, à quibus editi Canones 24. quorum unus in Decreto Yvonis legitur.

18. Epaonenſis Concilii locus, tempus, Epiſcoporum & Canonum numerus.

XVIII. EPAONENSE, hortatu Papæ à Sancto Avito Viennenſi Antiſtite, volente Burgundionum in Gallia Rege Sigiſmundo, habitum apud Epaonem vel Epaunam in Burgundiæ haud dubiè regno; cujus loci ſitus & nomen hodiernum parum explorata ſunt. Falluntur qui Apamiam interpretantur, quæ urbs ſi fortè tunc cognita, certè non modò à Viennenſi provincia procul diſtat, ſed extra regnum Burgundiæ & longè ab ejus limitibus ſita eſt ad extremos Narbonenſis olim, nunc Toloſanæ provinciæ fines. Nec audiendus Chifletius qui modò Agaunum facit hujus Concilii ſedem, locumve alium ei proximum ab Epona Equorum Dea dictum, quæ apud Chablaſios præcipua vetuſtis temporibus religione coleretur: modò Neviduum quæ civitas Equeſtris in notitia provinciarum Galliæ cognominatur, hodiè *Nion*, cujus Epiſcopatus Lauſannam translatus. Fruſtra quinetiam ſunt, opinor, qui ad oppida quædam veteris illius regni Burgundici referunt, quæ nomini Epaonis aliquatenus videntur reſpondere, qualia *Beaune* in Burgundiæ Ducatu; *Baume*, aut *Peſme* in Comitatu. Mihi perſuaderi paſſus aliàs fueram Epaonem idem eſſe cum oppido *Bonne* in Sabaudia non procul Geneva. Verùm hæc omnia dubia fiunt ex eo quòd Avitus in tractoria Epiſtola qua Epiſcopos ad hoc Concilium vocat, eam parochiam ideò à ſe electam eſſe indicat, quòd omnium fatigatione perpenſa is locus opportunus maximè conventui habendo videretur: unde facilis eſt conjectura nec circa Alpes, nec alibi circa regni ex quo evocabantur confinia poſitum, ſed potius circa meditullium fuiſſe ſitum. Quapropter accedo lubens ſententiæ viri eruditi Nicolai Chorier, qui [d] cenſet nunc *Penas* ſive *Pena* vocari in Viennenſi Diœceſi, medio fermè Viennam inter & Lugdunum itinere, & validis rationibus conjecturam ſuam confirmat, aliorum refellit. Celebratum autem hoc Concilium eſt Pontifice Hormiſda, Agapito Conſule, id eſt anno Chriſti 517. Præſide Avito Viennenſi, an jure Regiæ urbis cui præerat, an quòd in ejus Diœceſi Synodus haberetur, non ſatis liquet. Adfuit certè & ſecundo loco ſubſcriſit Viventiolus Epiſcopus Lugdunenſis: & cum his Præſules alii tres & viginti, qui cum iis condidere 40. Canones, vel potiùs ex prioribus Conciliis magnam partem exſcripſerunt.

d Hiſtor. Delphinat. lib. 9.

19. Carpentoractienſis locus, tempus, Epiſcoporum numerus.

XIX. CARPENTORACTENSE, Carpentoracte in Arelatenſi provincia tunc, nunc in Avenionenſi, vulgo *Carpentras*, Mavortio Conſule, id eſt anno 527. Athalarico Italiæ Rege, Pontifice Romano Felice IV. Cæſario Arelatenſi præſide. Interfuere 13. Antiſtites, à quibus unicus conditus Canon, de Epiſcopi portione in rebus quæ Eccleſiis parochialibus conferuntur.

20 Arvernenſis 1. locus, tempus,

XX. ARVERNENSE ſive Arvernicum I. in Arverna urbe, ſeu Arvernorum primaria civitate, quæ olim Gergovia, nunc *Clermont en Au-*

vergne,

vergue, Theodeberti Francorum apud Mediomatrices Regis conſenſu, poſt Conſulatum Paulini junioris, anno 535. celebratum, Agapeto ſummo Pontifice, ab Epiſcopis quindecim, quibus ex pluribus Provinciis evocatis præfuit Epiſcopus Bituricenſis Honoratus: Canones conſcripſit ſedecim.

Canonum & Præſulum numerus.

XXI. ARVERNENSE II. quod æquè ac primum, ſimplici Arvernenſis nomine aliquando deſignatur, regnante in Auſtraſia Theodebaldo, Pontifice maximo Vigilio, circa annum 549. Canones tantùm priores ſedecim Aurelianenſis V. Synodi iterùm promulgavit, Heſychio Viennenſi præſide, cum Epiſcopis novem aliis ex diverſis provinciis.

21. Arvernenſis 2. tempus, Canonumque & Epiſcoporum numerus.

XXII. PARISIENSE III. quod & ſine addito Pariſienſe, quoniam priorum duorum nulli Canones extant, Lutetiæ in Lugdunenſi 4. provincia, vulgò *Paris*, coactum circa annum Chriſti 557. Childeberto Rege, Papa Pelagio. Canones decem condidit, moderatore Probiano Epiſcopo Bituricenſi, præſentibus quatuordecim aliis Epiſcopis, è provinciis ſaltem duabus.

22. Pariſienſis 3. tempus, Canonum & Epiſcoporum numerus.

XXIII. PARISIENSIS V. anno 615. ſub Clotario Principe, & Deusdedit Romano Pontifice, à ſeptuaginta novem Præſulibus ex tota ferè Gallia congregatis, reperiuntur Canones quindecim, quorum nonnulli Capitularibus Caroli Magni, aut Ludovici Pii ſunt inſerti.

23. Pariſienſis 5. tempus, ac numerus Pontificum & Canonum.

XXIV. LUGDUNENSE II. (nam 1. Viventiolo Epiſcopo de privata Stephani cujuſdam inceſtus rei cauſa habitum anno 517. ad publicam diſciplinam minùs pertinere videtur) celebratum eſt Lugduni ad Rhodani & Araris confluentes, vulgò *Lyon*, unde Provinciæ nomen; celebratum eſt Guntramni Regis Francorum Aurelianenſis juſſu, anno 567. Joanne III. ſedem Apoſtolicam obtinente, Præſide Philippo Viennenſi, cui tredecim Antiſtites alii variis ex Provinciis adfuere, & Canones ſex conſtituerunt. Ab iiſdem damnati Salonius & Sagittarius Epiſcopi. Ex *Lugdunenſi III.* quod ſequutum eſt anno 583. ſub Priſco Lugdunenſi Epiſcopo, nulli ſunt in corpus juris relati Canones.

24. Lugdunenſis 2. locus, tempus, Præſulum & Canonum numerus.

XXV. AUTISSIODORENSE, ab Autiſſiodoro, ſive Altiſſiodoro dictum, Senonenſis Provinciæ civitate, quæ nunc *Auxerre*: Synodus eſt unius Diœceſeos, atque hujus generis ſola ferè collectoribus cognita, ab Aunachario Epiſcopo Autiſſiodorenſi cum Diœceſis ſuæ Abbatibus & Presbyteris celebrata, ſub annum Chriſti 570. Pontifice Pelagio II. Rege Chilperico. Canones ejus extant 49. quorum aliquot in corpus juris relati ſunt.

25. Synodi Autiſſiodorenſis locus, tempus & numerus Canonum.

XXVI. MATISCONENSE I. ſive *Matiſcenſe*, & corruptè *Matienſe*, habitum apud Matiſconem Provinciæ Lugdunenſis civitatem juxta Ararim, hodiè *Maſcon*. Guntramni Regis Francorum Aurelianenſis evocatione congregatum anno 581. Pelagio II. Papa. In eo novemdecim Canones exarati Priſco Lugdunenſi præſide, adjunctis 20. Epiſcopis ex Provinciis ſaltem quatuor.

26. Matiſconenſis 1. Concilii locus, tempus, Canonum & Antiſtitum numerus.

XXVII. MATISCONENSE II. triennio poſt, ejuſdem Regis Guntramni juſſu, Pontifice Romano Pelagio eodem, ex Provinciis pluſquàm ſex convocatum, habitumque ab Epiſcopis aut Legatis 64. quibus præfuit Priſcus ſuprà memoratus. Canones edidit 20.

27 Matiſconenſis 2. tempus, numerus Antiſtitum & Canonum.

XXVIII. REMENSE, Durocortori Remorum in Belgicæ 2. Metropoli, quæ noſtris *Reims* dicitur, Sonnatii Archiepiſcopi, Hono-

28. Remenſis ſub Honorio lo-

Digitized by Google

cus, Epiſcoporum & Canonum numerus.

ril Pontificis, ac Dagoberti Regis temporibus, circa annum 630. à 38. Epiſcopis, ex Provinciis pluribus congregatum. Canones 25. ſtatuit.

29. Cabilonenſis locus, tempus, ac numerus Patrum & Canonum.

XXIX. CABILONENSE I. celebratum Cabilone ad Ararim in Provincia Lugdunenſi, vulgò *Chalon ſur Saone*, evocante Clodovæo II. Rege Francorum, cum Martinus I. Pontifex Romæ ſederet, circa annum Chriſti 650. à Patribus 44. quibus præfuit Candericus Lugdunenſis Archiepiſcopus. Ab eo Canones 20. conſtituti ſunt, quorum nullus opinor in jure reperitur inſertus.

30. Auguſtodunenſis S. Leodegari locus & tempus.

XXX. AUGUSTODUNENSE, ſive *Heduenſe*, Auguſtoduni in Heduorum civitate, Lugdunenſis Provinciæ, habitum à S. Leodegario ejus urbis Epiſcopo, anno 670. ſub Theodorico Rege, Adeodato Pontifice. Plures edidit Canones, qui non integri ad nos pervenerunt.

De his videndæ Jacobi Sirmondi S. J. notæ in Concilia antiqua Galliæ, quæ tribus tomis edidit.

CAPUT XIII.

Concilia Hiſpanica Vetera ſub Romanis, & Viſigothis.

1. Concilii Eliberitani locus, tempus, numerus Epiſcoporum & Canonum.

a Lib. 2. de Imaginibus, c. 9.

I. ELIBERITANUM, ſive *Eliberinum*, aut *Elibertinum*, Eliberi, vel Illiberi in Bœtica Provincia, vulgò *Elvire* juxta Granatam, ſub Marcello Pontifice, an. 305. viginti annis ante Nicænam Synodum, Conſtantio & Galerio imperantibus ex Baronio in annalibus & Bellarmino [a], ab Epiſcopis novendecim ex pluribus Provinciis habitum. Canones condidit 81. de Lapſis, deque Diſciplina Eccleſiaſtica univerſa, in nonnullis paulò duriores, utpote durante adhuc perſecutione compoſitos. Hujus antiquiſſimi Concilii Canones à Gabriele Albaſpineo Epiſcopo Aurelianenſi, & Ferdinando Mendoza eruditis notis illuſtrati ſunt.

2. Cæſarauguſtani Conc. locus, tempus, &c.

II. CÆSARAUGUSTANUM, Cæſarauguſtæ in Tarraconenſi Provincia, nunc *Saragoſſa* in regno Aragoniæ, duodecim Epiſcoporum, Gratiano Imperatore, Damaſo Pontifice, æra 418. id eſt anno Chriſti 380. adverſus Priſcillianiſtas hæreticos Gnoſticorum ſobolem, habitum Canones habet octo.

3. Toletani 1. Conc. locus, tempus, &c.

III. TOLETANUN I. Toleti celebratum, quæ Metropolis fuit Carthaginenſis Provinciæ, ad Tagum, vulgò *Toledo* in Caſtella Nova, æra 438. id eſt anno Chriſti 400. ſub Anaſtaſio Pontifice Romano, Patrono Toletano Epiſcopo celebratum ab Epiſcopis 19. Canones 21. compoſuit ad inſtaurandam in ordinandis præſertim Clericis diſciplinam. Huic adjunctum eſt Collectoris errore Hiſpanicum generale ſeu nationale, Leonis Pontificis ſuaſu, in cauſa Priſcillianiſtarum indictum anno 447.

IV. TO-

IV. TOLETANUM II. novem Epiſcoporum an. 531. Rege Amalarico, Romano Pontifice Bonifacio II. habitum. Hujus Canones quinque habentur. *4. Toletani 2. Conc. tempus, &c.*

V. TOLETANUM III. nationale, ab Epiſcopis duobus & ſexaginta celebratum, æra 627. Chriſti an. 589. ſub Recaredo Rege, Pelagio II. Papa, Euphemio Epiſcopo Toletano, in qua Vviſigothi Hiſpaniam obtinentes, ejurata hæreſi Ariana, orthodoxam fidem profeſſi ſunt. Hujus Concilii Canones duo & viginti extant. *5. Toletani 3. tempus, &c.*

VI. TOLETANUM IV. generale quoque Hiſpaniæ, convenientibus 70. Epiſcopis, æra 671. ſive anno Domini 633. habitum ſub Siſenando Rege, Honorio I. Papa. Confecit Canones 75. *6. Toletani 4. tempus, &c.*

VII. TOLETANUM V. viginti Epiſcoporum Honorio eodem Pontifice, Cintillano Rege, æra 674. id eſt anno Chriſti 636. Canones novem compoſuit. *7. Toletani 5. tempus, &c.*

VIII. TOLETANUM VI. nationale, ad quod Epiſcopi 52. convenerunt, æra 676. anno Domini 638. iiſdem Rege ac Pontifice: conſcripſit Canones novemdecim. *8. Toletani 6. tempus, &c.*

IX. TOLETANUM VII. etiam nationale, ſub Rege Chindaſvindo, tempore Theodori Papæ, æra 684. celebratum, Chriſti anno 646. Leguntur ipſius Canones quinque, aliàs ſex. *9. Toletani 7. tempus, &c.*

X. TOLETANUM VIII. nationale quoque, à 52. Epiſcopis habitum ſub Receſvindo Rege, Martino Pontifice Romano, æra 691. ſeu anno Chriſti 653. Canones tredecim condidit. *10. Toletani 8. tempus, &c.*

XI. TOLETANUM IX. Epiſcoporum ſedecim, habitum Receſvindo Rege, Pontifice Vitaliano, æra 693. quæ incidit in annum Chriſti 655. Canones in eo editi ſeptemdecim. *11. Toletani 9. tempus, &c.*

XII. TOLETANUM X. Rege ac Pontifice iiſdem, æra 694. ſive anno Chriſti 656. Canones ſeptem condidit. *12. Toletani 10. tempus, &c.*

XIII. TOLETANUM XI. Epiſcoporum novemdecim, æra 713. id eſt anno 675. Bambæ Regis ac Deo-dati Pontificis tempore: ſedium Epiſcopalium Hiſpaniæ diviſionem & ſedecim Canones conſtituit. Præfuit Quiricus Toletanus. *13. Toletani 11. tempus, &c.*

XIV. TOLETANUM XII. Epiſcoporum 35. ex pluribus Provinciis, æra 719. anno Chriſti 681. ad Ervigium Regem Gothorum Bambæ ſponte detonſi ſucceſſorem inaugurandum, congregatum, Pontifice Agathone; tredecim Canones compoſuit. *14. Toletani 12. tempus, &c.*

XV. TOLETANUM XIII. eodem Ervigio Rege, Leone II. Papa, ab Epiſcopis quadraginta habitum, æra 721. anno Domini 683. condidit Canones tredecim. *15. Toletani 13. tempus, &c.*

XVI. TOLETANUM XVI. (nam ex duobus intermediis 14. & 15. noſtri juris corpori nihil illatum) Epiſcoporum 59. ex univerſa Hiſpania, tempore Sergii Pontificis, anno Chriſti 693. celebratum. Canonibus decem Decreta ſua de moribus explicuit. *16. Toletani 16. tempus.*

XVII. TARRACONENSE, habitum Tarracone, quæ citeriori Hiſpaniæ nomen dedit, Provinciæ ſuæ Metropolis, nunc *Tarragona* in Catalonia, à decem Epiſcopis, tempore Hormiſdæ Pontificis Romani, & Theodorici Oſtrogothorum in Italia Regis, Amalarici Viſigothi tutelam agentis, æra 554. ſive an. Chriſti 516. Conſulatu nimirum Petri, qui annum illum notat. Unde apparet falli Garſiam Loaiſam, *17. Tarraconenſis Concilii tempus, &c.*

qui

Digitized by Google

qui hoc Concilium refert ad annum 487. & Pontificem Felicem III. Præfuit Joannes Tarraconenſis.

18. Gerundenſis tempus, &c. XVIII. GERUNDENSE, ſeptem Epiſcoporum Tarraconenſis Provinciæ, æra 555. Conſule Agapeto, id eſt anno 517. habitum Gerundæ, quæ vulgò *Gironne en Catalogne*. Decem Canones ſanxit, Præſide eodem Joanne Tarraconenſi.

19. Ilerdenſis tempus, &c. XIX. ILERDENSE vel *Hilerdenſe*, ab octo Epiſcopis ejuſdem Provinciæ Tarraconenſis, habitum Ilerdæ, quæ hodie *Lerida* in Cataloniæ principatu, Theodorico memorato tutelam Amalarici gerente, Joannis Papæ tempore, anno 524. licèt à quibuſdam ad 546. referatur. Sedecim Canones conſcripſit.

20. Valentini Hiſpanici tempus, &c. XX. VALENTINUM Hiſpaniæ, ſub eodem Theodorico Rege, eodemque Papa Joanne I. anno 524. à ſeptem Epiſcopis habitum Valentiæ, quæ nomen adhuc vulgò retinet, dicitur enim *Valencia*, eſtque regni ſui caput. Canones 6. habet.

21. Bracarenſis 1. tempus, &c. XXI. BRACARENSE I. (quod Labbeo eſt 2.) apud Bracaram Auguſtam Gallecia Metropolim, quæ nunc *Braga* in Portugallia eſt; celebratum ſub Ariamiro ſeu Theodemiro Svevorum in ea parte Hiſpaniæ Rege, anno 563. Joanne III. Pontifice, ab ejus Provinciæ Antiſtitibus octo, quibus præfuit Lucretius: præter anathematiſmos ſeptemdecim adversùs Priſcillianiſtas alioſque hæreticos, edidit 22. Canones circa diſciplinam.

22. Bracarenſis 2. tempus, &c. XXII. BRACARENSE II. aliàs III. à Martino Bracarenſi Epiſcopo Metropolitano habitum an. 572. ſub Rege Svevorum Ariamiro, poſt obitum Joannis III. Papæ, Canones decem ſtatuit. Ex eo prætereà videtur *Martinus* prædictus Canones 84. ex Orientalibus præſertim Synodis collectos, ad Concilium Lucenſe II. eodem tempore in Gallecia congregatum, miſiſſe, qui à collectoribus tanquàm ex Concilio Martini Papæ ſæpè laudantur: unde erroris occaſio naſcitur iis, qui Concilium Romanum ſive Lateranenſe ſub Martino Romano Pontifice, cum hac Collectione confundunt.

23. Bracarenſis 3. tempus, &c. XXIII. BRACARENSE III. aliàs IV. Provinciale, octo Epiſcoporum, ſub Bamba Gothorum Rege, Adeodato Pontifice habitum, Præſide Leodiſio Juliano Epiſcopo Bracarenſi, anno 675. Canones octo numero habet.

24. Hiſpalenſis 1. locus, tempus, &c. XXIV. HISPALENSIS I. Decreta tria de mancipiis Eccleſiæ extant, præter quæ Burchardus aliquot alia citat. Id circa initia Gregorii I. Pontificis habitum eſt, ſub Recaredo Rege Gothorum, anno 590. æra 628. idque Hiſpali quæ Bœticæ Metropolis eſt, hodie *Sevilla*. Intervenere octo Epiſcopi, Præſide Leandro Hiſpalenſi.

25. Hiſpalenſis 2. tempus, &c. XXV. HISPALENSE II. æra 657. an. Chriſti 619. tempore Siſebuti Regis celebratum à S. Iſidoro ejus civitatis Metropolitano, aliiſque Epiſcopis ſeptem. Canones tredecim edidit, comprehenſis duobus ultimis, quibus damnatur Acephalorum hæreſis de una Verbi & carnis Chriſti Natura.

26. Emeritenſis Concilii locus, tempus, &c. XXVI. EMERITENSE in Luſitaniæ Metropoli civitate, quæ olim Auguſta *Emerita*, nunc *Merida* dicitur in Eſtremadura; celebratum à duodecim ejus Provinciæ Epiſcopis ſub Vitaliano Pontifice Romano, Receſvindo Gothorum Rege, anno Chriſti 666. Continet Canones 23. fuit-

que-

que approbatum deinde ab Innocentio III. in Epiſtola ad Petrum Compoſtellanum. De his veteribus Hiſpaniæ Conciliis qui plura volet, is conſulere poterit Garſiam Loaiſam eorum Collectorem ſive editorem accuratum.

CAPUT XIV.

Concilia Italica priſcorum temporum, ante Carolum ſcilicet Magnum.

I. PRÆTERMISSIS primorum ſeculorum Conciliis, quæ vel ſacrorum Rituum, & inſtitutorum ſervandorum, vel damnandarum Hereſeon, vel Appellationum ad Sedem Apoſtolicam à pluribus Epiſcopis interpoſitarum cauſa, Romæ habita leguntur, quorum propè infinitus eſt numerus; ea ferè memorabimus ex quibus Canones in Corpus Juris tranſlati, & Collectoribus cogniti ſunt. *1. Quæ hic indicanda Concilia.*

II. Perierunt ſanè acta Concilii Romani de *celebratione Paſchatis à Victore* Pontifice anno Chriſti 198. celebrati, ut & Synodorum anno 253. & 254. per Clerum Romanum poſt mortem Fabiani, & per Cornelium habitarum in cauſa *Lapſorum*; & alterius qua damnatum eſt anno 255. aut ſequenti à ſexaginta Epiſcopis, eodem Cornelio præſide, ſchiſma *Novatianorum* Lapſis pœnitentiam denegantium; itemque habitæ à Dionyſio Papa anno 263. in cauſa *Dionyſii Alexandrini* Epiſcopi falsò hæreſis Sabellianæ accuſati. Nec eſt quòd anxiè acta requiramus * *Sinueſſani* Concilii, ubi Marcellinus Pontifex circa annum 303. aut 308. idolorum venerationem tandem confeſſus, ſententiam in ſeipſum protuliſſe ſcribitur; cujus rei apud eruditos minùs certa eſt fides. At ejus Concilii quod anno 313. in Laterano celebratum eſt à *Melchiade*, ubi abſoluto *Cæciliano* Epiſcopo Carthaginenſi, *Donatus* à Caſis nigris, ſchiſmatis autor, Lapſos non per pœnitentiam, ſed iterato Baptiſmo reconciliandos contendens cum ſuis à novemdecim Epiſcopis damnatus, ad Conſtantinum appellavit, acta extant apud B. Auguſtinum in Breviculo Collationis Carthaginenſis [a].

2. Indicantur priſca quædam à Collectoribus omiſſa.

* *Vulgò* Rocca di Mondragone.

a Die 3. cap. 12.

III. Inter Romanas Synodos, tres imprimis à Silveſtro Pontifice habitæ dicuntur: ſed à multis in dubium revocantur. Quamvis enim acta Silveſtri, in quibus hæ Synodi continentur, & Romæ & in aliis Eccleſiis lecta fuiſſe Gelaſius affirmet [b], & prima ab Hadriano [c] pro authentica laudetur: tamen corrupta ad nos harum Synodorum monumenta perveniſſe demonſtrat Baronius [d]. Primi certè ROMANI SUB SILVESTRO Concilii narratio, ubi Judæi tum Scripturarum autoritate, tum miraculis convicti à Chriſtianis dicuntur, falſa habet haud dubiè non pauca.

3. De Concilio Romano I. ſub Silveſtro.

b Can. S. Romana 3. verſ. item actus Silveſtri, diſt. 15.

c Epiſt. 3. ad Carol. Magn.

d Ad an. 315. nu. 12. & ſeqq.

IV.

4. De Romanis 2. & 3. Conciliis ſub Silveſtro.

IV. ROMANUM II. SUB eodem SILVESTRO celebratum, Conſtantino III. & Criſpo. Conſſ. id eſt anno Chriſti 324. ab Epiſcopis 284. memoratur, tum Latinis, tum etiam Græcis, & in eo conditi ac comprobati ſcribuntur Canones viginti, quorum nonnulli in corpore Juris leguntur: ſed non pauca falſi occurrunt in eo indicia. Nec minùs vacillat Silveſtrini Concilii *Tertii* fides, ut Baronius notat. Id anno ſeq. 325. volunt ab eodem Pontifice habitum, & in eo à 275. Præſulibus confirmata quæ Nicææ decreta fuerant.

5. Concilium Romanum ſub Siricio.

V. SUB SIRICIO deiu anno 386. inſtaurandæ in Africana Eccleſia diſciplinæ cauſa celebratum in Baſilica ſancti Petri Concilium dicitur, cujus Canones in Teleptenſi Africano Concilio recepti ac promulgati.

6. De Synodo Romanorum ad Gallos.

VI. Habetur & antiqua SYNODUS ROMANORUM à Jac. Sirmondo in lucem prolata, ejuſque Canones plures ad Gallos Epiſcopos, ſecundum quæſtiones ab eis propoſitas, miſſi. Eam Labbeus ad initia Innocentii I. refert: ſi conjecturæ locus, per ea tempora, id eſt ineunte ſeculo 5. à Clero Romano habitam crediderim, ut vacante poſt Fabiani mortem ſede, factum Africanorum Epiſcoporum cauſa.

7. Concilio Rom. ſub Leone I.

VII. ROMANA tria SUB LEONE I. Concilia memorantur: Primum adverſus Manichæos in urbe deprehenſos anno 444. Alterum anno ſequenti in cauſa Hilarii Arelatenſis Epiſcopi: Tertium anno 449. quo reprobata ſunt acta Epheſini Conciliabuli, ſive Latrocinalis Synodi.

8. De Concilio Romano ſub Hilaro.

VIII. ROMANUM SUB HILARIO ſeu Hilaro, à 48. Epiſcopis habitum eſt anno 467. in quo Canones 4. de ordinationibus editi ad quæſtiones Epiſcoporum provinciæ Tarraconenſis.

9. De Conc. Romano 3. ſub Felice III.

IX. ROMANUM III. SUB FELICE III. Epiſcoporum 38. de Lapſis Eccleſiæ Africanæ recipiendis Canones ſex protulit anno 487.

X. Romanum 1. ſub Gelaſio, tempus, &c.

X. ROMANUM I. SUB GELASIO, nationale, Conſſ. Aſterio & Præſidio, ſive anno 494. quo à lxx. Epiſcopis Libri ſacri & authentici ab Apocryphis diſtincti ſunt. Ejus ea de re decretum exſcriptum habetur apud Gratianum [a]

11. Romanorum ſub Symmacho, tempora.

XI. SUB SYMMACHO habitæ ſunt ROMÆ plures Synodi nationales. I. poſt Conſulatum Paulini, anno Chriſti 499. Epiſcoporum 72. de tollendo in Pontificia electione ambitu. II. anno 500. qua Symmachus variis criminibus per ſchiſmaticos accuſatus, coram centum quindecim Epiſcopis purgatus, atque inſons agnitus eſt. Sed hujus Synodi acta interciderunt. III. ejuſdem Pontificis literis, juſſu Theodorici Italiæ Regis congregata, Avieno ſeniore & Pompejo Conſulibus an. 501. contrà ſchiſmaticos eoſdem Symmachi adverſarios. IV. Avieno juniore Conſule, anno 502. *Palmaris* dicta, quòd habita ſit in Baſilicæ B. Petri porticu, quæ Palmaria appellabatur; ad quam Pontifex, lapidibus impetitus ab adverſariis, ſe receperat. In hac Synodo ejus electio ſæpiùs ſchiſmaticorum calumniis exagitata, à convocatis Epiſcopis confirmata eſt. VI. Epiſcoporum 245. ex Italia viciniſque Provinciis evocatorum, anno 503. celebrata, damnatus eſt ſchiſmaticorum adverſus præcedentem Synodum *Libellus*, inſcriptus *adverſus Synodi abſolutionem*: contrà quem *Ennodius* Diaconus, Ticinenſis

poſteà

[a] Can. 3. diſt. 15.

poſteà Epiſcopus, *Apologeticum* mandato Epiſcoporum compoſuit, qui miro plauſu lectus in Synodo, approbatuſque eſt. VI. habita eodem anno vergente, Decreta quædam edidit contrà rerum Eccleſiaſticarum invaſores.

XII. SUB GREGORIO I. celebrata ſunt ROMÆ quatuor Concilia, quorum duo ad noſtrum inſtitutum pertinent. Eorum *Secundo*, quod imperante Mauricio habitum eſt, anno 595. interdictum ſacris altaris miniſtris concinendi in Eccleſia Officium, aliaque conſtituta ſunt. Subſcripſerunt 58. Epiſcopi, aut Eccleſiæ Romanæ Præbyteri. *12. Romani 1. ſub Gregorio I. tempus, &c.*

XII. ROMANUM III. AB eodem S. GREGORIO habitum eſt, anno 601. in æde Lateranenſi, & conſtitutum ab eo pro Monachis editum. *13. Romani 2. ſub Gregorio I. tempus, &c.*

XIV. ROMANUM SUB BONIFACIO III. celebratum anno 606. ab Epiſcopis 72. de forma & modo eligendi Romani Pontificis. *14. Romani 3. ſub Gregorio I. tempus.*

XV. ROMANUM ſive LATERANENSE SUB MARTINO I. nationale, quo 105. Epiſcopi, proſcripto Conſtantis Imperatoris typo, ſive Conſtitutione, Monothelitarum hæreſim, hujuſque propugnatores vel fautores Cyrum Alexandrinum, Sergium, Paulum & Pyrrhum Conſtantinopolitanos Antiſtites, anno 649. damnarunt, Canonibus ſive Anathematiſmis viginti: cujus hæreſeos anno 680. renovata condemnatio eſt in Concilio ROMANO 125. Epiſcoporum, ſub Agathone. Continet hoc Concilium actiones quinque, quæ ibi Secretarii nomine ſignificantur. *15. Romanum, vel Lateranenſe ſub Martino I.*

CAPUT XV.

Concilia Italica medii ævi, ab initio ſæculi VIII. ad dimidium ſæculum XII.

I. SEQUUNTUR Concilia Localia poſteriora quæ habita ſunt poſt omnia quorum in corpore Iſidori Mercatoris mentio fit; quorum tamen in Decreto ſuo meminit poſt alios Collectores Gratianus. *1. Quorum temporum Concilia hic indicanda.*

II. CONCILIUM ROMANUM I. SUB GREGORIO II. imperante Leone Iſauro Iconomacho, regnante Longobardis Luithprando, in Baſilica S. Petri à 22. Provinciæ præſertim Romanæ Epiſcopis, adjunctis duobus tribuſve ultramontanis, habitum, adverſus Sacerdotum, aliaque illicita conjugia, anno 721. Canones ſeptemdecim protulit. Habita quoque ab eodem, ejuſque proximo ſucceſſore Gregorio III. Concilia adverſus Iconoclaſtarum hæreſim. *2. Concilium Romanum 1. ſub Gregorio II.*

III. ROMANUM I. SUB ZACHARIA, Luithprando Longobardorum Rege, imperante in Italia Artavaſdo, celebratum anno 743. contra Clericorum vetita matrimonia, & cum mulieribus cohabitationem, qua de re Canones 15. editi. *3. Romanum 1. Conc. ſub. Zacharia.*

IV.

4. Romanum ſub Stephano III. IV. ROMANUM SUB STEPHANO III. aliàs IV. in Baſilica Conſtantiniana ſeu Lateranenſi, anno 769. contra Sedis Apoſtolicæ invaſores, ſive de Romani Pontificis electione, de cultu ſacrarum Imaginum, de recipiendis quinquaginta duntaxat Canonibus Apoſtolorum, idque tempore Deſiderii Longobardorum Regis, circa primordia Caroli Magni apud Francos regnantis, cum Conſtantinus Copronymus in Oriente imperaret.

5. Romanum Leonis III. V. SYNODUS ROMANA LEONIS III. anno 800. habita, inter cæteras eo nomine notanda eſt quòd in ea ſummus Pontifex, falſis criminationibus ab inimicis infamatus, ſolemni jurejurando interpoſito, præſente Carolo Magno, innocentiam ſuam ultro purgavit.

6. Romanum Eugenii II. VI. ROMANUM SUB EUGENIO II. Epiſcoporum 63. anno 826. Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſa, ab eo convocatum eſt, imperante Ludovico Pio. Ejus extant Canones 38.

7. Romanum ſub Leone IV. VII. ROMANUM SUB LEONE IV. Epiſcoporum 67. anno 853. habitum contra Anaſtaſium tituli ſancti Marcelli Cardinalem Presbyterum, qui propter contumaciam exautoratus eſt. In hoc Concilio refricata, & verbatim ferè repetita fuerunt Capitula ſuperioris Eugenianæ Synodi.

8. Romanum ſub Hadriano II. VIII. In Concilio ROMANO HADRIANI II. ter anathemate perculſus eſt Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha, addictumque igni volumen ab eo conſcriptum adverſus Nicolaum Papam, Ludovici II. Imperatoris temporibus, anno 868.

9. Romanum ſub Ioanne VIII. IX. ROMANUM II. SUB JOANNE VIII. de novo Imperatore poſt obitum Ludovi II. eligendo habitum, anno 879. in quo unanimi Synodi conſenſu electus eſt Carolus Calvus.

10. Romanum ſub Clemente II. X. ROMANUM SUB CLEMENTE II. contra Simoniacos imprimis coactum anno 1047. cujus adverſus illegitimas ordinationes Decreta ann. 1049. in Concilio *Romano I. ſub Leone VIII.* aliàs IX. renovata.

11. Romanum 2. ſub Leone IX. XI. ROMANUM II. SUB LEONE IX. ann. 1050. damnato Berengario Diacono Andegavenſi corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritatem impugnante, Lanfrancum probavit contraria ſentientem.

12. Romanum ſub Nicolao II. XII. ROMANUM SUB NICOLAO II. nationale, centum tredecim Epiſcoporum, anno 1059. habitum eſt: in eo Berengarius prædictus tertiò hæreſim ſuam abjuravit, & de Romani Pontificis electione edita Conſtitutio eſt, cum aliis Decretis.

13. Romanum 1. ſub Alexandro II. XIII. ROMANUM I. SUB ALEXANDRO II. ann. 1063. à centum atque ampliùs Epiſcopis occaſione Petri Epiſcopi Florentini, hæreſeos & ſimoniæ accuſati, adverſus Simoniacos celebratum, undecim decreta conſtituit, ſuperioris Synodi Decretis haud multùm abſimilia.

14. Romana ſub eodem. XIV. ROMANUM II. SUB EODEM contra Inceſtuoſorum hæreſim habitum ann. 1065. Hi ut Matrimonium inter proximiores cognatos contrahi poſſe defenderent, gradus Conſanguinitatis non ſecundum Canones, ſed ſecundum Leges numerabant.

15. Romana ſub Gregorio VII. XV. Sub Gregorio VII. habita ſunt ROMÆ Concilia 10. In 1. anno

1074. de continentia Clericorum, de poteſtate Romanæ Sedis, &c: Ca-
nones 25. prolati. In III. Henricus IV. Imperator cum aliquot Germaniæ
Præſulibus ipſius ſequacibus & aliis anno 1076. excommunicatus eſt.
In V. edita fuerunt plura de Eccleſiarum præſertim per Laicos inveſtituris
Decreta, & tum in alios, tum in Nicephorum Botoniatem, Imperii Con-
ſtantinopolitani invaſorem, qui Michaelem throno ſuo dejectum, in
Monaſterium cum uxore ac filio detruſerat, anathematis lata ſenten-
tia eſt. In VI. Berengarius, adhuc relapſus, hæreſi ſuæ renun-
ciaſſe dicitur, & Decreta de Pontificum Electione aliiſque rebus ſan-
cita. In VII. ann. 1080. Germaniæ regnum novo exemplo abro-
gatum Henrico IV. ac translatum in Rudolphum, aliaque promulgata
Decreta.

XVI. ROMANUM I. SUB URBANO II. Epiſcoporum centum *16. Romanum*
quindecim, res à Gregorio VII. & Victore III. adverſus Antipapam *1. ſub Vrbano II.*
Guibertum & Henricum IV. Imperatorem geſtas confirmavit anno
1089.

XVII. ROMANUM III. SUB EODEM 150. Epiſcoporum anno *17. Romanum*
1099. congregatum propter expeditionem Hieroſolymitanam, & contra *3. ſub eodem.*
Guibertum prædictum, Canones 18. compoſuit. Dictum ſuſpicor *Urbi-
cum* ab Urbe Roma, & *Urbanenſe* ab Urbano, quemadmodum alia quoque
ab eodem habita.

XVIII. FOROJULIENSE, à Paulino Aquilejenſi Patriarcha apud *18. Forojulienſe*
Forojulium municipium, quod toti Carnorum in Italia provinciæ no- *ſub Hadriano I.*
men dedit, nunc vulgò *Cividal del Friuli*, congregatum eſt Hadriano I.
Pontifice, Carolo Magno & Pipino ejus filio in Italia regnantibus. In
eo, ad firmandam SS. Trinitatis & Incarnationis Dominicæ fidem re-
lecto Nicænæ Synodi Symbolo, conſtituta ſunt 14. diſciplinæ Capi-
tula.

XIX. In legitimorum Conciliorum numero perperàm à quibuſdam *19. Concilium*
habetur id in quo *Roma*, agente Ottone I. Imperatore, ann. 963. Joan- *Leonis pſeudo-*
nes XII. Pontifex depoſitus eſt, ejuſque loco ſuffectus Leo, quem non- *octavi.*
nulli octavum vocant. Sed acta ejus Conciliabuli, habita anno ſequenti Sy-
nodo, reſciſſa fuere, ſalvo Ottonis diplomate anni 962. quo Jura Eccle-
ſiæ Romanæ ſecundum Caroli Magni conſtitutum confirmata ſunt, & ali-
quatenus amplificata.

XX. TICINENSE, ſive Synodus *Regia Ticina*, in urbe Longobardiæ *20. Ticinenſe.*
Regia Ticino, aliàs Papia, vulgò *Pavia*, in provincia Mediolanenſi, ſub
Ludovico juniore Imperatore ac Rege Italiæ, Pontifice Leone IV. con-
gregatum, anno 855. Canonibus 25. mores reformare in melius cu-
ravit.

XXI. RAVENNATE, à Joanne VIII. Pontifice cum Anſperto Me- *21. Ravennate*
diolanenſi, Joanne Ravennenſi Archiepiſcopo, Petro Gradenſi Patriarcha, *ſub Ioanne VIII.*
aliiſque Epiſcopis fermè 130. Ravennæ in Flaminia, quæ nunc Roman-
diola, celebratum anno 877. Canones 19. ad diſciplinam & immunitatem
Eccleſiaſticam inſtaurandam conſtituit.

XXII. RAVENNATE, ſive *Ravennatenſe* aliud, anno 904. celebratum *22. Ravennate*
eſt à Joanne IX. cum 74. Antiſtitibus, præſente Lamberto qui in Italia *ſub Ioanne IX.*
imperabat. In eo prolata ſunt decem Decreta, atque abrogata Stephani
acta contra Formoſum.

XXIII.

Digitized by Google

23. Ravennate ſub Ioanne XIII. XXIII. RAVENNATE, à Joanne XIII. cum Aquilejenſi Patriarchâ, Ravennenſi & Mediolanenſi Archiepiſcopis, & 54. Epiſcopis Italicis, paucis è Germania admixtis, anno 967. habitum. Ibi Otto I. Imperator reſtitutionem Urbis atque Agri Ravennenſis Pontifici & Eccleſiæ Romanæ confirmavit.

24. Ravennate ſub Gregorio V. XXIV. RAVENNATE ſub Gregorio V. imperante Ottone III. habitum à Gerberto ejus Urbis Archiepiſcopo, tres circa diſciplinam Canones edidit, anno 997.

25. Beneventanū ſub Victore III. XXV. BENEVENTANUM, Beneventi in urbe quæ olim Hirpinorum, nunc in confinio Terræ Laborinæ atque Aprutii nomen retinet, à Victore III. cum Apuliæ & Calabriæ Epiſcopis habitum adverſus Guibertum Antipapam, qui Clementis III. nomen uſurpabat: priora contra eos qui Eccleſiaſticas dignitates à Laicis accipiunt, decreta renovavit, anno 1087.

26. Beneventanū ſub Vrbano II. XXVI. BENEVENTANUM ſub Urbano II. Pontifice, adverſus eumdem Guibertum Pſeudo-pontificem, eique addicto, habitum; Canones tres edidit, anno 1090.

Faventinum, quod apud Gratianum quaſi ſub eodem Urbano circa hæc tempora celebratum laudatur, nullum exſtat. Faventini fortè nomen loco Placentini irrepſerit, de quo mox. Eſt autem Faventia in Æmilia, V. *Faenza*

27. Melphitanū. XXVII. MELPHITANUM, ſive apud *Melſiam* in Apulia, vulgò *Melfi*, anno 1090. vel potiùs ex Labbeo, anno 1089. ab Urbano II. congregatum. Ibi editi Canones ſedecim; & Rogerius Roberti filius, Apuliæ Dux, ſe Romanæ clientem Eccleſiæ profeſſus eſt.

28. Trojanum. XXVIII. TROJANUM, quod unicum putat Labbeus idem, atque ad annum 1093. refert, à Baronio diſſentiens; nonnulla ſanxit de conjugiis Conſanguineorum diſſolvendis, & de *Trevia Dei*, ſive de induciis inter Chriſtianos ſervandis ſecundum priorum Conciliorum ſtatuta.

29. Placentinū. XXIX. PLACENTINUM, Placentiæ in Æmilia, quæ nunc Longobardia Ciſpadana, urbs vulgò *Piacenza*, noſtris *Plaiſance*, anno 1095. ex pluribus nationibus convocatum: propter immenſam confluentium multitudinem extra urbem in campo celebratum eſt; & Capitula 14. ſtatuit adverſus Simoniacas & ſchiſmaticas ordinationes. Ibi Praxedis Imperatrix de Henrico IV. marito conqueſta: Audita & Legatio Alexii Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani, opem Occidentalium contra Saracenos implorantis.

30. Guaſtallenſe. XXX. GUASTALLENSE, aliàs Vvaſtallenſe, ſive apud Guardaſtallum in Longobardia, vulgò *Guaſtalla* in Ducatu Mantuano; actum eſt à Paſchali II. anno 1106. de ſchiſmaticis Epiſcopis & Clericis ad Eccleſiæ unionem revocandis; & contra Inveſtituras Laicorum, rerumque Eccleſiaſticarum Alienationes,

C A-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Concilia particularia Gallica medii ævi, à ſæculo VIII. ad XII.

I. REGNANTIBUS Carolingis multa per Galliam & Germaniam celebrata Concilia, magnum ad ſanciendam atque in melius inſtaurandam diſciplinam momentum attulerunt: ea ex pluribus pleraque provinciis congregata, Caroli præſertim magni & Ludovici pii opera atque autoritate; quorum ea in re ſtudium imitati poſteri. Ex his non pauca in corpus Canonum decreta collectores, non immeritò, tranſtulerunt; quod poſt priores ſequutus eſt Gratianus. *1. Concilia Gallica præcipuè medio ævo momenti,*

II. Autor ejus ſtudii Pipinus, quo agente ac præſente ſub regni exordia habitum VERMERIENSE I. Concilium, apud Vermeriam palatium, nunc *Verberie* in Diœceſi Silvanectenſi, anno 752. Stephano II. Papa in Gallia degente; Canones ſive Capitula condidit unum & viginti. Habitum ibidem poſt centum annos Concilium VERMERIENSE II. juſſu Caroli Calvi ex quatuor aut quinque provinciis. In eo Herimanno Epiſcopo Nivernenſi, infirmitate corporis conjuncta cum mentis alienatione liberato, reddita eſt Eccleſiæ ſuæ adminiſtratio. *2. Concilium Vermerienſe 1. & 2.*

III. VERNENSE I. Pipini antè dicti autoritate coactum in Verno ſeu Vernis palatio, *Vernon* in diœceſi Rothomagenſi, eodem Stephano II. Papa, anno 755. hujus habentur Canones 25. *Vernenſis* alterius, tempore Caroli Calvi anno 844. habiti, Canones extant 12. *3. Vernenſe 1. & 2.*

IV. COMPENDIENSE, quod in generali populi conventu celebratum eſt apud Compendium palatium publicum, nunc *Compiegne*, in diœceſi Sveſſionenſi, anno Chriſti 756. Pipino rege, Paulo I. Pontifice. Canones in eo compoſiti octodecim. *4. Compendienſe.*

V. ARELATENSE VI. (aliàs 3. ignotis ſcilicet intermediis poſt ſecundum) juſſu Caroli magni Francorum regis & imperatoris, Leone III. Pontifice celebratum anno 813. Canones 26. conſtituit: eodemque tempore in regno Francorum alia quatuor celebrata fuere Concilia. *5. Arelatenſe 6.*

VI. MOGUNTINUM, vel Moguntinenſe aut Moguntiacum 1. eodem anno congregatum Moguntiæ, quæ & Moguntianus dicitur, eſtque Germaniæ 1. ſive ſuperioris Metropolis, hodie noſtris *Mayence*, Germanis *Mentz*: Canones habet 55. *6. Moguntinum.*

VII. REMENSE II. provinciale, in Remorum civitate, Belgicæ II. metropoli, nunc vulgò *Reims*; eodem anno Caroli quoque magni juſſu à Vulfario Archiepiſcopo habitum; condidit Canones quatuor & quadraginta. *7. Remenſe 2.*

VIII. TURONENSE Concilium III. dictum aliquibus etiam ſecundum, altero priori minùs apud Collectores noto, (unde nos ſupra cap. 14. Turonenſe Alexandri III. aliis poſterius, tertium diximus.) Hoc de quo *8. Turonenſe 3.*

* *Pranot. Canonic. Doujat.*

nunc agitur præcepto ejuſdem Imperatoris celebratum eodem anno, edidit Canones quinquaginta & unum.

9. Cabilonenſe 2. IX. CABILONENSE II. ab Epiſcopis provinciæ Lugdunenſis eodem omnino tempore habitum, Canones conſtituit 66.

10. Aquiſgranenſe 1. X. AQUISGRANENSE I. ſive apud Aquas grani vel apud Aquiſgranum palatium in Germania II. ſeu inferiori, vulgò *Aix la Chapelle*, Germanis *Aachen*; Ludovico Pio Rege & Imperatore, Stephano IV. Pontifice, an. 816. congregatum, decreta ſanxit duobus libris diſtincta, quorum Primus de inſtitutione Clericorum & Canonicorum, 145. Canones ex Conciliis & Patribus collectos continet: Secundus de inſtitutione Sanctimonialium Canones ſive Capitula 28. Inſequenti anno conventus Abbatum Franciæ ibidem habitus, de Regulari Monachorum diſciplina Capitula 80. firmavit.

11. Aquiſgranenſe 2. XI. AQUISGRANENSE II. ſub eodem Ludovico Pio, Gregorio IV. Pontifice anno 836. habitum, tribus capitibus diſtinctos Canones ſeu Capitula complectitur 65. Caput I. habet Canones ſive articulos 12. de vita Epiſcoporum. Secundum Caput totidem Canones habet de doctrina Epiſcoporum, & præterea 16. de vita & doctrina inferiorum ordinum. Caput III. de perſona Regis filiorumque ejus miniſtrorum, capitula 25. complectitur. Ex eadem ſynodo prodiit Epiſtola tribus libris conſtans ad Pipinum Aquitaniæ Regem, qua monitiones Regibus ab ea ſynodo datæ exemplis atque autoritatibus ex ſacra Scriptura petitis confirmantur.

12. Apud Theodonis Villam. XII. Apud THEODONIS VILLAM, vulgò *Thionville* Gallis, Germanis *Diedenhoven*, in diœceſi Trevirenſi, circa annum 821. Paſchali Pontifice, Ludovico Pio & Lothario ejus filio imperantibus. In eo adverſus percuſſores Clericorum Capitula quatuor ab Epiſcopis plurium provinciarum ſancita ſunt.

13. Pariſienſe 6. XIII. PARISIENSE VI. ab Epiſcopis quatuor provinciarum celebratum Lutetiæ Pariſiorum, anno 829. juſſu Ludovici Pii & Lotharii Imperatorum, Gregorio IV. ſummo Pontifice: in tres libros ſuas ſanctiones diviſit. I. complectitur 54. Canones de Eccleſia & Epiſcoporum ordinationibus. II. Canones tredecim de Regis officio. III. de Officio Epiſcoporum & Clericorum Canones 27. Eodem anno tria de eiſdem rebus Concilia mandato eorumdem Principum celebrata fuere Moguntiæ, Lugduni, ac Toloſæ: quorum decreta in hoc vulgata & recepta.

14. Pariſienſe anni 849. XIV. PARISIENSE vocat Labbeus, conjectura ex Fontanellenſi apud Duchenium chronico ducta, quod Baronio aliiſque *Turonenſe IV.* dicitur, ſub Leone IV. & Carolo Calvo Rege habitum anno 849. à 22. Epiſcopis quatuor provinciarum Turonenſis, Senonenſis, Remenſis, & Rothomagenſis; adverſus Nomenojum, quem in Epiſtola ſua Synodica *Priorem* gentis Britannicæ vocant, pro Duce aut Principe Britanniæ minoris ſive Gallicæ; quæ epiſtola eum, ob Eccleſias vaſtatas, & rejectas Pontificis literas arguunt, monentque ſub excommunicationis interminatione, ut reſipiſcat. In ea epiſtola id notatu dignum quòd Epiſcopi cujuſque provinciæ poſt metropolitanum ſuum ſubſcripſerunt. Idque aliquando in aliis ejuſmodi conventibus factum.

15. Bellovacenſe. XV. BELLOVACENSE ſive *Belvacenſe*, in Bellovacorum Remenſis provinciæ civitate, hodie *Beauvais*, anno 845. Sergio II. Pontifice, Ca-

ce, Carolo Calvo Rege, fecit octo Canones de conſervandis Eccleſiæ rebus.

XVI. MELDENSE, apud civitatem Meldarum, vulgò *Meaux en Brie*, in Senonenſi tunc provincia, eodem anno, ex pluribus provinciis habitum; præter repetita recentium aliquot Conciliorum, ipſius etiam Bellovacenſis, decreta, alios Canones 24. ſtatuit, uſque ad octoginta; Sergio II. Papa, Carolo verò Calvo Rege. Quæ huic Concilio deeſſe videbantur, abſoluta ſunt in Pariſienſi anno ſequenti. *16. Meldenſe.*

XVII. SVESSIONENSE II. ſub Leone IV. ſive apud *S. Medardum*, in Abbatia S. Medardi juxtà Sveſſionum civitatem, in provincia Remenſi, *à S. Mard de Soißons*, præſente Carolo Calvo anno 853. congregatum, habet tredecim Canones, actiones 8. Interfuere ex 4. aut 5. provinciis præſules 33. præter Abbates, & Chorepiſcopum unum. *17. Sveſſionenſe.*

XVIII. VALENTINUM III. in Viennenſi provincia, Imperatoris Lotharii nutu, in cauſa Epiſcopi Valentini celebratum, tempore Leonis IV. anno 855. congregatis trium provinciarum, Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis antiſtibus novem, cum Chorepiſcopo uno: prodierunt ex eo Canones 23. *18. Valentinum.*

XIX. CARISIACENSE II. ſive apud Cariſiacum, malè in Decreto Gratiani *apud Tanſiacum*, in Villa ſive oppido Diœceſis Laudunenſis, quod vulgo *Creſsy ſur Serre*, jubente Carolo Calvo habitum, tempore Benedicti III. anno 857. ad reformandos ſeditioſorum & raptorum mores. Celebrata ibidem fuerat Synodus *Cariſiaca I.* anno 849. ubi damnato Gothcſcalco, prolata Capitula 4. contra Prædeſtinatianos. *19. Cariſiacenſe 2. & 1.*

XX. TULLENSE I. apud *Saponarias*, in provincia Treverenſi ſeu Belgica I. vulgò *Savonieres pres de Toul en Lorraine*, ab Epiſcopis provinciarum 12. præſente Carolo Calvo Rege, ipſiuſque nepotibus ſeu fratris filiis Lothario & Carolo Regibus, Nicolao I. Romano Pontifice, anno 859. celebratum, tredecim Canones condidit. In Epiſtola Synodica ad Vvenilonem Senonenſem Archiepiſcopum, Præſulum 28. nomina exprimuntur, aliis omiſſis; plures enim fuere. *20. Tullenſe 1.*

XXI. TULLENSE II. apud Tuſiacum, villam agri Tullenſis, vulgò *Toußy*, anno 860. ab Antiſtitibus pluſquam 58. evocatis ex quatuordecim provinciis, Caroli Calvi & Lotharii Regum autoritate, Nicolao I. Papa, celebratum, quod ferè nationale Galliæ haberi poteſt. Subſcripſere Archiepiſcopi 12. Veſontionenſis, Senonenſis, Remenſis, Viennenſis, Trevirenſis, Agrippinenſis, Biturigenſis, Turonenſis, Burdigalenſis, Narnenſis, Lugdunenſis, Rothomagenſis. Fuere & Epiſcopi ex Arelatenſi & Moguntina: & cum his Barcinonenſis atque Orgelitani nomina leguntur ex Tarraconenſi. Ejus Canones extant quinque. *21. Tullenſe 2.*

XXII. PONTIGONENSE, in villa Pontigonis, vulgò *Pontyon* Catalaunenſis Diœceſis, anno 876. præſente Carolo Calvo & Sedis Romanæ Legatis, habitum. In eo Epiſcopi & Comites Galliarum, qui ibi Ciſalpini vocantur, Italicorum Epiſcoporum ac Comitum in Synodo Ticinenſi acta confirmarunt ac ſuſceperunt, tum quantùm ad Caroli electionem ad Imperatoriam dignitatem, tum etiam quantum ad ejus Synodi Canones. *22. Pontigonenſe.*

XXIII. TRECENSE ſive TRICASSINUM II. apud Auguſtobonam *23. Trecenſe.*

Digitized by Google

Tricaſſium, ſeu Trecas Senonenſis provinciæ civitatem, vulgò *Troyes en Champagne*, ſub Joanne VIII. Pontifice, qui ei præfuit, anno 878. & Canones 7. in eo ſtatutos probavit. Subſcripſere Præſules 29. in quibus Italici, præter Pontificem, tres, Metropolitani è Gallia octo, ex Hiſpania Gerundenſis & Barcilonenſis Epiſcopi.

24. *Macrenſe.* XXIV. MACRENSE ſive *apud Sanctam Macram*, in oppido Finibus, Diœceſis Remenſis, vulgo nunc *Fimes*, anno 881. Rege Ludovico Balbi filio, Papa Joanne VIII. ab Epiſcopis plurium provinciarum celebratum eſt, à quibus decreta ſive Canones 8. exierunt, de Regia & Sacerdotali dignitate, & rebus Eccleſiæ contra invaſores tuendis.

25. *Metenſe ſub Stephano V.* XXV. METENSE ſeu *Mediomaticenſe*, ab Epiſcopis Belgicæ 1. in civitate Mediomatricum, vulgo *Metz*, anno 888. celebratum ſub Arnulfo Carolomanni filio notho, qui regnum Lotharii occupaverat, regnante in Gallia Carolo Simplice aut Odone, Stephano V. Romano Pontifice: Canones ab eo tredecim manarunt.

26. *Nannetenſe.* XXVI. NANNETENSIS Concilii, in Nannetum provinciæ Turonenſis ac Britanniæ Ducatus civitate, vulgo *Nantes* dicta, celebrati, valdè incerta eſt Epocha. Primum ejus nominis Concilium Frodoardus ad Vitaliani Pontificis tempora refert, atque ad annum 658. Plerique multò recentius faciunt: Certè ante annum 900. celebratum ſuadent ejus quædam capita in VII. Capitularium librum relata. Ejus Canones 20.

27. *Nannetenſe aliud.* XXVII. Concilium aliud in eadem urbe anno 1127. ſub Honorio II. habitum ab Hildeberto Archiepiſcopo Turonenſi, ejuſque ſuffraganeis, ſex Canones ſtatuit: & conſuetudines duas abrogavit, quarum altera res conjugum mobiles, ſoluto morte unius matrimonio; altera res ac bona naufragorum Comitiis Britanniæ fiſco vindicabantur.

28. *Troslejanum.* XXVIII. TROSLEJANUM provinciale, Trosleii in pago Sveſſonico, vulgò *Trovilly en Soiſſonnois*, ab Herivæo Archiepiſcopo Remenſi, cum comprovincialibus Epiſcopis, habitum anno 909. Sergio III. Pontifice, Rege Carolo Simplice: Ei ſubſcripſit etiam Vito Rothomagenſis Antiſtes. Alia quoque ibidem habita fuere Concilia, collectoribus ignota. Hujus capitula ſunt 15. Primus ejus teſtimoniis uſus eſt ſuperiori ſeculo Antonius Auguſtinus in ſua Juris Canonici Epitome.

29. *Cabilonenſe.* XXIX. CABILONENSE, à tribus Archiepiſcopis Lugdunenſi, Veſontinenſi, & Narbonenſi, pluribuſque Epiſcopis habitum eſt anno 915. in Eccleſia Suburbana B. Marcelli Cabilonenſis: ubi nonnulla de ſtatu ac pro utilitate Eccleſiæ conſtituta memorantur; & Roculfus Comes Matiſconenſis oblata Eccleſiæ reſtituere excommunicationis metu eſt coactus: cum Pontifex eſſet Joannes X. aliàs XI. Carolo Simplice Rege.

30. *Remenſe ſub Leone IX.* XXX. REMENSE à Leone IX. Pontifice Antiſtitum ingenti concurſu celebratum, Henrico I. Rege Francorum, anno 1049. Canones edidit duodecim.

31. *Rothomagenſe ſub Leone IX.* XXXI. ROTHOMAGENSE, Rothomagi, quæ Lugdunenſis II. nunc Normanniæ Metropolis, vulgo *Roven*, circa annum 1050. à Malgerio Archiepiſcopo, tempore Leonis IX. Papæ & Henrici Regis habitum, prodiit opera Gabrielis Coſſartii ex apographo Jacobi Sirmondi, qui ambo

Socie-

Societatis Jeſu Presbyteri eruditionis & religioſæ pietatis nomine cogniti, Canones 19. protulit.

XXXII. Eſt & aliud provinciale ROTHOMAGENSE, præſide Joanne Archiepiſcopo, anno 1072. ſub Alexandro II. Guilielmo Angliæ Rege Normanniam regente, regnante verò in Gallia Philippo I. In eo Canones 24. conſtituti. *32. Rothomagenſe 1. ſub Alexandro II.*

XXXIII. Idem Joannes biennio poſt Concilium aliud provinciale habuit, præſente Guilielmo Angliæ Rege: ubi editi primùm Canones 14. adjectaque octo decreta. *33. Rothomagenſe 2. ſub Alexandro II.*

XXXIV. NARBONENSE, in Metropoli provinciæ ſuæ, *Narbonne en Languedoc*, anno 1054. tempore quoque Leonis IX. Præſide Gauſredo Archiepiſcopo, de Treuga Dei, ante decennium aut circiter per Gallias inſtituta, Canones 29. condidit. *34. Narbonenſe ſub Leone IX.*

XXXV. HEDUENSE, ſive Auguſtodunenſe, aliis *Auguſtidunenſe*, in Burgundiæ Ducatu, ab Hugone Dienſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato anno 1077. habitum, præter electionem & conſecrationem Gebuini Archiepiſcopi Lugdunenſis, amoto propter ſimoniam Humberto, aliaque ejus generis, multa Eccleſiæ utilia tractavit ac definivit, Gregorio VII. Pontifice, Rege Philippo I. *35. Auguſtodunenſe ſub Gregorio VII.*

XXXVI. AUGUSTODUNENSE aliud, ſive *Heduenſe*, perperàm à Baronio aliiſque *Oſtionenſe*, quod pro *Autun*, vulgari nomine, *Oſtun* à quibuſdam ſcriptum ſit, ſcriptura magis variata, quàm Gallica pronunciatione: habitum eſt anno 1094. ab Epiſcopis 32. Præſide Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato, eamdem Sedem obtinente Urbano II. In eo Simoniaca hæreſis & Incontinentia Clericorum ſub excommunicatione damnatæ ſunt: ſententia quoque excommunicationis, tum in Henricum Imperatorem & Guibertum Antipapam, tum in Philippum Regem prolata. *36. Auguſtodunenſe ſub Urbano II.*

XXXVII. PICTAVENSE, ſeu Pictavienſe, in urbe Pictava, quæ Pictonum caput, in provincia Burdigalenſi ſeu Aquitania II. vulgo *Poitiers*, anno 1078. ab Hugone Dienſi Epiſcopo & Legato ante dicto celebratum ſub Gregorio VII. decem Canones edidit, qui à Baronio aſſignantur Concilio ſequenti: hujus tamen veri Canones ab his diverſi, ex Sirmondi Schedis eruti, in collectione Conciliorum Regia ſuo loco referuntur. *37. Pictavenſe ſub Gregorio VII.*

XXXVIII. PICTAVENSE I. ſub Paſchali II. anno 1100. per Joannem & Benedictum Eccleſiæ Romanæ Cardinales celebratum eſt: In eo & alia non ſine tumultu acta, & cenſuris Apoſtolicis Philippus Rex admonitus ut Bertradæ renunciaret, quod & fecit. Promulgati aut repetiti ibidem 16. Canones, quorum ultimo refricantur præcipua Claromontani Concilii ab Urbano II. habiti Decreta. *38. Pictavenſe 1. ſub Paſchali II.*

XXXIX. TOLOSANUM, Toloſæ in Narbonenſi provincia, *à Toulouſe Capitale de Languedoc*, ab Urbano II. per Legatos è diverſis provinciis congregatum anno 1089. aut 1090. multa in Eccleſiaſticis cauſis emendavit. Ibi, poſt purgatum Epiſcopum Toloſanum, Legatio in Hiſpaniam deſtinata, præſente atque agente Bernardo Archiepiſcopo Toletano, ex Aquitania oriundo, & volente ipſo Alfonſo Rege, ad reſtaurandam in Hiſpania Eccleſiaſticam diſciplinam: unde factum ut Toletanum Officium Gallico mutatum ſit. *39. Toloſanum ſub Urbano II.*

40. Nemauſenſe ſub Urbano II.

XL. NEMAUSENSE, in urbe Narbonenſis 1. provinciæ Nemauſo, vulgo *Nimes en Languedoc*, ab Urbano II. Papa celebratum anno 1096. Editum eſt in lucem per Lucam Acherium Benedictini Ordinis Monachum Eccleſiaſticarum medii ævi rerum apprimè peritum. In eo Canones 15. in gratiam maximè Monachorum ſtatuti: & Phillippus Rex abſolutus.

CAPUT XVII.

Concilia Localia Germanica à ſeculo VIII. ad XII.

1. Cur non ante ſeculum 8. memorentur Concilia Germanica.

I. CUM ante Carolidas in Gallia & vicina Germania regnantes, Chriſtiana religio non niſi tenues admodùm in Transrhenanis regionibus radices egerit, mirum non eſt Synodorum Germanicarum ante octavum ſeculum non fieri mentionem. Nam quæ anteà in Ciſrhenana Germania, quæ Galliæ pars & ſub Romanis, & ſub Francis hactenus fuerat, celebratæ haud magno numero erant, eæ ſive ſitum locorum, ſive ſedem dominantium ſpectes, ad Galliam omnino pertinent, & Gallicis conventibus connumerantur: nec facilè à Gallicanis Conciliis ſejuncta aut diſtincta Germanica priùs legimus, quàm ubi diviſo inter Ludovici Pii filios Francorum Imperio, eorum unus Ludovicus Germanici cognomine diſtingui à fratribus cœpit; idque ſequuti ſunt ſucceſſores.

2. Concilium Germanicum 1. ſeu Francicum.

II. Agmen tamen inter Germanica ducet, quamvis toto ſeculo illam diviſionem præceſſerit, Concilium illud, quod à Bonifacio Zachariæ Pontificis legato, adducendis ad Chriſti ſacra Germanis anteà miſſo, & Moguntini Epiſcopi Metropolitani dignitate decorato, ad Danubium flumen propè Ratiſponam (ut veriſimile videtur) celebratum, anno 742. GERMANICUM abſolutè, aut Germanicum I. dictum eſt, & ni fallor Francici titulo nonnunquam intelligitur. Id & Germanorum cauſa, & Carolomanni habitum voluntate, qui Caroli Martelli filius, Magiſter erat ſacri Auſtraſiæ Palatii, ſive Major regiæ domus, & in ejus Synodi præfatione Ducem & Principem Francorum ſe ipſe nuncupat. Sex ejus Concilii fuere Canones de officio ferè Epiſcoporum & Clericorum.

3. Liptinenſe.

III. Cum hoc Germanico I. & fortè cum Germanico altero, quod eodem anno habitum per eundem Bonifacium à quibuſdam dicitur, cohæret Synodus LIPTINENSIS anno ſequenti 743. eodem Bonifacio præſide ſimul cum Georgio Epiſcopo, & Joanne Sacellario Roma miſſis, celebrata in Villa regia pagi Cameracenſis, cui nomen *Liptinæ* aut Leſtinæ, vel (quemadmodum Eginarthus vocat) *Liſtina*, vulgo *Leſſines*. In hac Synodo Liptinenſi, & prioris illius Germanicæ Canones firmati ſunt, & alia tria addita decreta. Si titulum hujus Concilii ſequimur, ſub Carlomanno hoc quoque celebratum credemus. Hincmarus tamen cum aliis Cariſiacenſis Synodi Patribus [a], à Pippino (Carlomanni ſcilicet fratre, qui Aulæ regni Francici Occidentalis præerat) congregatam teſtatur. Et fortè Majores illi Regiæ domus, exemplo Imperatorum Romanorum ita inter

a In Epiſt. ad Ludovicum Germaniæ Regem.

inter ſe agebant, ut omnia communi conſilio adminiſtrare videri vellent. *4. Moguntinum ſub Rabano.*

IV. MOGUNTINUM I. ſive *Moguntiacenſe*, aut *Moguntinenſe*, à Rabano Mauro Archiepiſcopo celebratum anno 847. cum duodecim Coepiſcopis, præter Chorepiſcopos, Abbates, Presbyteros, tempore Leonis IV. juſſione Ludovici Germaniæ Regis, Canones 32. condidit de Juribus & Immunitatibus Eccleſiarum.

V. MOGUNTINUM, ſub Stephano V. aliàs VI. Pontifice, occaſione, ut videtur, inaugurationis Arnulphi Germaniæ Regis, habitum anno 888. de Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda, quæ propter Normannorum incurſiones labefactata fuerat: Canones confecit ſex & viginti, Luitberto Moguntino præſide, cui aderant Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopi, cum ſuffraganeis quiſque ſuis. *5. Moguntinum, ſeu Moguntinū ſub Stephano V.*

VI. MOGUNTINUM aliud tempore Henrici III. Imperatoris, eoque præſente, anno 1049. præſide Leone IX. concurrentibus quinque Archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis ex univerſa Germania Epiſcopis. Multa in eo ad utilitatem Eccleſiæ ſancita fuerunt: imprimis autem Simoniaca hæreſis & Sacerdotum conjugia damnata ſunt. *6. Moguntinum.*

VII. CONFLUENTINUM ſive apud *Confluentiam* vel apud Confluentes, in Diœceſi Trevirenſi, vulgò *Coblens*, anno 860. habitum, non tam Epiſcopale Concilium eſt ob fidem aut mores reformandos, quàm conventus publicus ad civilem & Eccleſiaſticam pacem fanciendam comparatus. Nam in eo tres Francorum Reges, Ludovicus Germanicus, Carolus Calvus, & nepos utriuſque ſeu fratris filius Lotharius, ſuo ac Ludovici & Caroli fratrum ſuorum nomine, perpetuam pacem & amicitiam inter ſe jurarunt, coram Hincmaro Remenſi, aliiſque novem præſulibus, & triginta tribus ex utroque regno Trans & Cis-Rhenano, Comitibus. *7. Confluentinū.*

VIII. Poſteriori apud CONFLUENTES congreſſu Carolus Simplex Franciæ, & Henricus Auceps Germaniæ reges, anno 822. congregatis octo Epiſcopis concordiam & fœdus inierunt, atque firmarunt. Epiſcopi verò Canones octo de rebus Eccleſiaſticis fecere, quorum plerique à Burchardo & Ivone collecti. *8. Confluentinum 1. & 2.*

IX. COLONIENSE, ſive *Aggrippinenſe*, apud Coloniam Agrippinam ad Rhenum, quæ Germaniæ II. Metropolis, nobis *Cologne*, Germanis *Kœllen*; à Vvilliberto ejus urbis Archiepiſcopo, cum Epiſcopis quatuor provincialibus, conſenſu Caroli Craſſi Imperatoris, anno 887. habitum eſt adverſus rerum Eccleſiaſticarum invaſores & inceſtuoſa conjugia. *9. Colonienſe.*

X. TRIBURIENSE, pro reformanda Eccleſiaſtica diſciplina, coactum apud Triburiam, nunc vulgò *Tribur*, nobis *Trieure*, in Epiſcopatu Moguntino, anno 895. tempore Formoſi Papæ, & Arnulphi Imperatoris: Canones ſive Capitula 58. edidit, quorum non pauca referuntur à Gratiano. Aliæ duæ Synodi eodem loco à Conrado II. Imperatore poſteà congregatæ leguntur, annis 1031. & 1035. quorum prior habita fuit Pontifice Joanne XVIII. alia ſub Benedicto IX. ſed earum Canones ad nos haud pervenerunt. *10. Triburienſe.*

XI. ALTHEIMENSE, aliàs Triburienſe II. variè corrupto à collectoribus nomine, modò apud *Alpheſum* vel Elfeſum, aut apud *Altheum* vel Altenen, fortè & apud *Alich* dictum, Altheimii in Rhetia, vulgò *Altheim*, *11. Altheimenſe.*

anno 917. habitum, Joanne X. Romano Pontifice, Conrado 1. Germaniæ Rege, cui cognomen Salico. Sunt tamen qui ad annum 1035. ac Benedicti IX. & Conradi II. tempora referant.

12. *Erphordienſe.* XII. ERPHORDIENSE, ſive apud *Erphesfurt*, Erfordiæ in Thuringia, & Provincia Moguntina, vulgo *Erfurt*, ſive Erford, Germaniæ Rege Henrico I. qui Auceps eſt cognominatus, Pontifice Joanne XI. celebratum eſt anno 932. intervenientibus Hildeberto Moguntino, & Rutgero Treverenſi Archiepiſcopis, cum Epiſcopis undecim: condidit quinque Canones, quos laudant Burchardus, Yvo, Gratianus.

13. *Ingelenheimenſe.* XIII. INGELENHEIMENSE, in vico Engilenheim, (quaſi Angelorum villam dicas) nunc oppidum eſt, & contracto aliquantùm vocabulo *Ingelheim* vocatur, in Diœceſi Moguntina, haud procul ipſa urbe, cis & juxta Rhenum, olim in pago ſive agro Nagavvi, ſeu *Nabgavv*, à fluvio Nava dicto (quæ nunc Palatinatus inferioris pars.) Eo itaque loco, qui Caroli Magni natalibus inclaruit, habitum eſt hoc Concilium Præſidente Marino Epiſcopo Agapiti II. Pontificis Legato, intervenientibus Ottone I. Imperatore, & Ludovico Tranſmarino Francorum Rege, Archiepiſcopis Colonienſi, Moguntino, Treverenſi, Remenſi, Hammaburgenſi, Epiſcopis 26. anno 948. Canones decem ſanxit circa diſciplinam. Fuere & alia priùs & poſteriùs ibidem celebrata Concilia.

14. *Salegunſtadienſe.* XIV. SALEGUNSTADIENSE, ſive *Salegunſtanum*, Salegunſtadii, vulgo *Salgenſtad* ad Mœnum in Diœceſi Moguntina, celebratum anno 1022. tempore Benedicti VIII. Pontificis, & Henrici II. Imperatoris, ab Aribone Moguntino Archiepiſcopo, & comprovincialibus quinque Epiſcopis: de rebus diſciplinæ Eccleſiaſticæ Canones viginti emiſit.

CAPUT XVIII.

Anglica, & Hibernica quædam præcipua ante XII. ſeculum Concilia.

1. *Anglicanum Dunſtani.* I. INTER antiqua Magnæ Britanniæ Concilia celebratur ANGLICANUM, ſive *Anglicum* generale, quod autoritate Joannis XIII. Papæ celebratum eſt Cantuariæ circa annum 969. à Dunſtano ejus urbis Epiſcopo Metropolitano, adverſus Clericos conjugatos, & inceſtas nuptias. Ejus Synodi hortatu Edgarus Rex ſtupri cum velata virgine per vim commiſſi ſeptennem pœnitentiam egit; ejuſque nutu Monachi, pulſis Clericis, in majoribus Monaſteriis collocati ſunt. Extant ejuſdem Regis *Leges Eccleſiaſticæ*, ſive conſtitutiones de ſacra diſciplina promulgatæ.

2. *Anglicum Lanfranci.* II. Habitum eſt & ANGLICUM aliud Concilium, tempore Guilielmi Angliæ Regis & Normannorum Ducis, atque Alexandri II. Papæ, de primatu Cantuarienſis ſive Dorobernenſis Eccleſiæ, Præſide Lanfranco Archiepiſcopo cum 13. Epiſcopis, præter Abbates.

3. *Anglicum,* III. ANGLICUM generale, quod & Londinenſe, urbe regia Lon-

Londino, vulgò *London*, Gallis *Londres*, anno 1075. tempore Gregorii VII. celebravit idem Lanfrancus cum Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopis duodecim, Abbatum etiam magno numero. Id, refricatis Canonibus priſcis, quædam Eccleſiaſtica inſtituta reformavit. *ſeu Londinenſe Lanfranci.*

IV. LONDONIENSE, ſeu Londinenſe, etiam totius Britanniæ, tempore Paſchalis II. annuente Henrico Angliæ Rege, ab Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo habitum anno 1092. Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita 29. præſcripſit, quæ Sedis Apoſtolicæ autoritate poſtmodum confirmata ſunt. *4. Londonienſe Anſelmi.*

V. Sub eodem Paſchali, Præſide Anſelmo eodem, *Londini* aliud Concilium anno 1108. celebratum, adverſus Clericorum præſertim incontinentiam, Canones ſtatuit decem. *5. Londinenſe alterum Anſelmi.*

VI. LONDINENSE, ſeu *Vveſtmonaſterienſe*, in ſancti Petri apud Vveſtmonaſterium Baſilica, à Joanne Cremenſi Honorii II. Legato celebratum, anno 1125. regnante Henrico Guilielmi ſeu Vvilielmi Regis filio, congregatis cum Primate Britanniæ Vvilhelmo, & Turſtano Eboracenſi aliis viginti Angliæ Epiſcopis, Abbatibus ferè totidem. In eo promulgata ſunt communi conſenſu Capitula diſciplinæ ſeptemdecim. *6. Londinenſe ſub Honorio II.*

VII. Biennio poſt in eadem ſancti Petri ad Occidentem *Londini* Baſilica, quæ vulgo *Vveſtmynſter*, Vvilielmus idem Cantuarienſis, tanquam Primas, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Concilium habuit iiſdem Pontifice ac Rege, à quo ſtatuta ejus Concilii duodecim probata. *7. Londinenſe alterum ſub Honorio II.*

VIII. Anno deinde 1138. Albericus Oſtienſis Epiſcopus, Innocentii II. per Angliam & Scotiam Legatus, pacis inter Stephanum Anglorum, & Davidem Scotorum reges conciliandæ gratia miſſus, Concilium, vidua Cantuarienſi Eccleſia, cum Turſtano Archiepiſcopo Eboracenſi atque octodecim Epiſcopis, adjunctis etiam Abbatibus triginta, celebravit, cujus ſunt Capitula 17. *8. Londinenſe ſub Innocentio II.*

IX. VVINTONIENSE, apud Vvintoniam Occidentalis Angliæ civitatem, quæ priſcis *Venta*, nunc vulgò *Vvincheſter*, habitum eſt anno 1076. Gregorio VII. Pontifice, Rege autem Angliæ Guilielmo conquæſtore, à Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi: ubi multa de vita & ordinationibus Clericorum, deque pœnitentia homicidarum ſancita fuerunt. *9. Vvintonienſe.*

X. In Hibernia jam à S. Leonis temporibus, circa dimidium quintum ſeculum, converſis ad Chriſti fidem Hibernis, congregari cœpiſſe feruntur Concilia per S. Patricium, ſorore ſancti Martini genitum, eò à Cœleſtino Papa miſſum ad exercendum Apoſtolatus officium. Sed hæc minùs certa. Celebratur magis Concilium temporibus Eugenii III. anno 1151. in Abbatia Mellifontis à Chriſtiano Epiſcopo Liſmorenſi totius Hiberniæ Legato, & Joanne Paparone Cardinali habitum, in quo regum & ducum conſenſu quatuor in ea inſula inſtituti ſunt Archiepiſcopatus. *10. Hibernica Concilia pauca, & parum nota.*

Concilium *Caſtellenſe* in Momonia Provincia habitum anno 1172. Laudatur in Polycarpo M.S. Biblioth. Colb. 4048. fol. r. 114. ſub tit. de Pœnit. Sancta *Ibernenſis* Synodus, cui præfuit Leo S. R. Eccleſiæ Epiſcopus, tempore Caroli R. Francorum cum Theodorico Anglorum & Hibernenſium Archiepiſcopo, multiſque aliis illarum regionum Epiſcopis.

Sed

Sed hæc verba intelligendum ſuadent *Vernenſe* Concilium: aliud tamen à duobus quorum Canones ad nos pervenerunt, & interjectum inter utrumque.

Anglica Concilia ſpeciatim & accuratè collegit Henricus Spelmannus ſub titulo Conciliorum & Conſtitutionum orbis Britannici. Hibernica indicat *Vvarāus* in Hiſtoria Epiſcoporum Hiberniæ.

1. Nec notiora Hiſpanica illorum temporum. XI. Apud Hiſpanos, Saracenorum ſervitute magna ex parte oppreſſos, pauca hiſce temporibus celebrata Concilia, nec Canonum collectoribus nota fuere.

CAPUT XIX.

Concilia particularia poſteriorum temporum quæ in Collectionibus Decretalium memorantur præter ſuperiora.

1. Pauca Concilia ſuperioribus adjecta in Collectionibus Decretalium. I. HACTENUS Veteris & Medii ævi ea ferè Concilia indicavimus, quorum Canonibus in certas claſſes ſecundum rerum varietatem ſparſim digeſtis, priores Decretorum concinnatores in ſuis operibus uſi ſunt. Supereſt ut pauca poſterioribus ſeculis habita perluſtremus quorum ſtatuta, priorum nonnullis admixta, prolata ſunt à compilatoribus Decretalium.

In Decretalibus itaque Gregorii IX. & ſequentibus etiam compilationibus, non ſolùm Generalium poſteriorum, ſed etiam Localium omnis ævi Conciliorum Canones citantur: verùm pauci admodum referuntur ex Conciliis Gratiano ſive Eugenio III. Papa poſterioribus, licèt quorumdam corrupta ſunt nomina.

2. In his Lateranenſe ſub Paſchali II. II. Ex Italicis recentioribus vix aliud invenias quàm LATERANENSE, quod ſic abſolutè & ſine alia deſignatione vocatur, quo nomine ſæpè œcumenicorum duorum alterum intelligitur Alexandri III. aut Innocentii III. nonnunquam aliquod ab his diverſum, & fortaſſe LATERANENSE anno 1110. habitum ſub Paſchali II.

3. Lugdunenſe 4. anni 1055. III. Inter Gallica LUGDUNENSE IV. occurrit, aut ſine addito *Lugdunenſe*. Id augurari licet pro eo ſumi quod celebratum eſt ab Hildebrando Archidiacono ſanctæ Sedis Legato anno 1055. ubi Prælati non pauci labis Simoniacæ non abſque miraculo convicti, aut reos ſe confeſſi, dignitate ſua ſpoliati ſunt, aliæque res conſtitutæ aut compoſitæ.

Matenſe, ſive *apud Metiam*, pro Matiſconenſi aliquo aut Metenſi accipiunt, quorum Canones minùs cogniti; fortè & *Macienſe* dictum pro Macrenſi 2. anno 935. ſub Leone VII. apud S. Macram celebrati ab Artaldo Remenſi Archiepiſcopo, & 7. Epiſcopis.

SILVANECTENSE *in Convicino*, *de Senlis* in provincia Remenſi antiquius eſt, pertinet enim ad annum 863.

IV. Ger-

IV. Germanica ſunt tum *Conſtantienſe*, tum quod modò apud *Alich*, *4. Conſtantienſe*
modò apud *Altheum*, modò apud *Altenen* vocatur; hæc variè corrupta *anni 1044.*
unius loci vocabula pro Altheimenſi plerique ſuppoſita cenſent. CONSTANTIENSE in urbe Rhetiæ, quæ Acromo imminet lacui, Germanis *Coſtnitz*, Gallis *Conſtance* (diverſa à Conſtantia Gallica, quæ vulgò *Coutances*) celebratum fuit ſub Benedicto IX. præſente Henrico IV. Imperatore, qui cunctis debita, hoc eſt, ni fallor, injurias & præterita crimina remiſiſſe ſcribitur, & pacem edicto ſuo confirmaſſe anno 1044.

V. Hæc ferè Concilia ſunt, quorum aliquis in jure Canonico uſus: *5. Omiſſa hic*
Eorum acta, & aliorum magno numero, tum priorum, tum recentio- *Concilia unde*
rum Canones, aut indicia dabunt qui ea profeſſo ſtudio collegerunt: Eo- *petenda.*
rum nomina proximo capite annotabimus.

CAPUT XX.

De præcipuis Conciliorum Editionibus ſeu generalibus Collectionibus.

I. PROXIMO & currente ſeculo colligendis Conciliis operam plures *1. Conciliorum*
eruditi & ſtudioſi viri dedere. Hanc Spartam primus or- *generalis Collectio I. Merlini.*
naſſe videtur Jacobus *Merlinus*, Theologus Pariſienſis, duobus voluminibus emiſſis majori forma anno 1524. quorum prius ex Iſidoro magnam partem depromptum: acceſſit primæ editioni altera Coloniæ in octavo anno 1530. ac deinde Pariſiis tertia anno 1535.

II. Succeſſit Petrus *Crabbe* Mechlinienſis, Ordinis ſancti Franciſci Re- *2. P. Crabbe.*
ligioſus, anno 1538. ac deinde 1551. quæ poſterior editio ad tria ingentia volumina excrevit.

III. Franciſcus *Ioverius* Valentinus novo titulo atque ordine uſus *San- 3. F. Ioverii.*
ctiones Eccleſiaſticas anno 1555. Pariſiis edidit, tam Synodicas quàm Pontificias, diſtinctas in tres claſſes: quarum I. Univerſales Synodos. II. Particulares. III. Pontificia Decreta complectitur: quæ omnia fuerant hactenus commixta, hìc verò perſpicua & obvia dicuntur.

IV. Laurentius *Surius* Carthuſianus collectionem Conciliorum locuple- *4. L. Surii.*
tiorem, quinque voluminibus edidit Coloniæ anno 1567.

V. Amplis etiam quinque voluminibus exiit Venetiis anno 1585. nova *5. Veneta.*
Conciliorum collectio.

VI. Severinus *Binius* ſacræ Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Colonienſis *6. Binii.*
Canonicus, duas initio hujus ſeculi Conciliorum editiones curavit Coloniæ, quas & Paulo V. ſummo Pontifici nuncupavit: Prior anni 1606. merè Latina eſt: in poſteriori adjecta ſunt Græca, præter alias acceſſiones: utraque Tomis quatuor comprehenſa. Secunda Pariſiis anno 1638. edita, novem voluminibus, quorum ſeptimum in duas partes eſt diviſum.

Interea Romæ autoritate atque auſpiciis ejuſdem PAULI V. ex typo- *7. Vaticana*
graphia Vaticana exiit anno 1608. & ſequentibus Conciliorum genera- *Pauli V.*
lium collectio Græco-Latina.

VIII. Su-

8. Regia ſeu Luparea.

VIII. Superioribus editionibus adjuncta ſunt multa in præclara *Regia* collectione quæ Tomis 37. regia charta regiſque typis Lutetiæ prodiit anno.

9. Conciliorum Collectio maxima.

IX. His omnibus uberiorem Pariſiis dederunt anno 1670. & ſeqq. religioſi & eruditi è ſocietate Jeſu Presbyteri duo, Philippus *Labbeus* & Gabriel *Coſſartius*. Ea titulum præfert Collectionis *Maximæ*, quæ ad Regiam editionem exacta, ſed quarta parte auctior prodire dicitur. Conſtat Tomis quindecim, præter Apparatum duobus voluminibus diſtinctum.

10. Nondum edita omnia Concilia.

X. Sed latent adhuc in ſcriniis aut in pulvere Bibliothecarum, non pauca, quæ dies aperiet. Etiam alia curis ſuis collecta Stephanus *Baluzius* publici juris fecit, tum anno 1668. in Conciliis Galliæ Narbonenſis, tum in volumine majoris molis, quod anno 1684. dedit ſub titulo Novæ Collectionis Conciliorum, quibus & plura ſe adjecturum pollicetur.

11. Sunt & ſummæ Conciliorum aliquæ.

XI. Præter has ampliores Collectiones extant minores aliæ, quas Summas Conciliorum & Pontificum Romanorum vocant. I. eſt Bartholomæi *Caranzæ* Mirandenſis, ex Ordine S. Dominici anno 1555. II. Franciſci *Longi* à Coriolano, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum, anno 1645. III. Ludovici *Bail* Abbavillæi, Doctoris Theologi ac Propœnitentiarii Pariſienſis, cujus poſtrema editio eſt anni 1672. in qua Jovetii ordinem imitatus videtur.

12. De Conc. Mediolanenſibus S. Caroli Borromæi.

XII. Cæterùm antequàm ab hoc tractatu diſcedamus, omittendum non videtur, etſi omnium Synodorum, tam recentiorum, quàm veterum, ſancta ſit autoritas, inter Provincialia proximæ ætatis Concilia (qualia valdè utilia, vergente proximo, & ineunte hoc noſtro ſeculo, & in Gallia, & per totum ferè orbem Catholicum laudabili Metropolitanorum ſtudio habita ſunt non pauca) præcipuo in pretio haberi *Mediolanenſia* quinque, à B. Carolo Borromæo paulò poſt Tridentinum celebrata, quorum Conſtitutionibus ſanctus ille Cardinalis reformationem morum quàm proximè ad mentem generalis ejus Synodi, promovere conatus eſt.

13. Auctores annotationum in Conciliorum Canones.

XIII. Jam, ne quid deſit eorum quæ deſiderari poſſunt à ſtudioſis, in Canones ſpeciales plurimorum Conciliorum ſive Synodorum, Scholia & Notas ſcripſerunt Chriſtianus *Lupus* ex Ordine ſancti Auguſtini anno 1665. & ſeqq. Lovanii, & Joannes *Cabaſſutius*, Aquiſextienſis Presbyter Congregationis Oratorii Domini Jeſu, in Notitia Eccleſiaſtica Hiſtoriarum Conciliorum & Canonum, cujus altera Editio Lugduni anno 1680. prodiit.

Poſt abſolutam Conciliorum tractationem, ſequitur ut de Pontificum Romanorum Decretis ac Decretalibus Epiſtolis, tum in genere, tum ſpeciatim agamus; deque aliorum Patriarcharum Synodalibus reſponſis nonnihil adjiciamus. Hæc quippe hinc in Latina, inde in Orientali Eccleſia legum ferè vim obtinent, & juris Eccleſiaſtici non modicam partem conſtituunt.

C A-

CAPUT XXI.

De Pontificum Romanorum Conſtitutionibus in genere.

1. Pontificis & Papæ, communia nomina Romani Epiſcopi præcipuo Primatus ſui jure retinent.

I. PONTIFICIS & PAPÆ nomen, quemadmodum & *Sanctiſſimi*, & *Beatiſſimi*, licèt primis Eccleſiæ ſæculis omnibus Epiſcopis æquè tribueretur, ut vel ex unius Sidonii Apollinaris pluribus locis facilè conſtat: hæc tamen honoris vocabula Romanæ Sedis Præſuli ſpecialiùs adhæſere, utpote cujus inter reliquos Antiſtites *Primatus* à Chriſto Domino in perſona B. Petri conſtitutus, Evangelica autoritate nitatur. Quæ quidem ſumma, ex Apoſtolorum Principis ſucceſſione orta, Sedis Romanæ dignitas, non modò innumeris Canonibus, ſed jure quoque Civili firmata, & quodammodo promulgata eſt. Imperatores certè Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius [a] teſtantur Divum Petrum Apoſtolum veram religionem tradidiſſe Romanis, quæ ab omnibus ſuſcipienda ſit: & ſecundùm hæc Juſtinianus [b], Joanni Papæ ſcribens, eum proprio elogio *Caput omnium ſanctarum Eccleſiarum* pronunciat: cujus Sedi uniri ac ſubjici omnes Sacerdotes, etiam Orientalis tractus; ad quem dubia fidei referri, & per quem diſcere oporteat Epiſcopos ſinceram doctrinam. Quod autem idem Juſtinianus alibi [c], Conſtantinopolitanam Eccleſiam omnium aliarum *caput* vocat: id de Eccleſiis ejus Patriarchatui ſubjectis accipiendum eſſe, patet ex iis quæ ibidem ab eo decernuntur, ad res illius tantùm Eccleſiæ, non ad univerſas Eccleſias pertinentia: at ſuperior illa ſanctio omnino generalis eſt; & inter eos quibus à Joanne doctrina fidei manifeſta fieri debet, ipſe imprimis Patriarcha Conſtantinopolitanæ urbis ibi [d] memoratur.

a L. 1. Cod. de ſum. Trin.
b L. 8. Cod. eod. Tit.
c L. 24. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.
d L. 8. Cod. de ſum. Trin. §. 5.

2. A Petro omnes Patriarchales Eccleſiæ.

II. Cum hic Eccleſiæ Romanæ Primatus, tum priſcis, tum noſtris temporibus à Catholicis autoribus, Græcis, Latiniſque ſemper celebratus ſit, atque adverſus impugnatores egregiè defenſus: fuſior ejus rei tractatio nunc quidem operam noſtram minimè deſiderat. Sufficit quòd ab uno Petro unam initio fuiſſe & adhuc eſſe Eccleſiam, ex iis conſtat, quæ à vetuſtiſſimis Patrum & Græcorum, veluti Irenæo [e] & Athanaſio [f]; & Latinorum, Tertulliano [g], Cypriano [h], atque Optato Milevitano [i] ea de re ſcripta ſunt. Et verò Petrus univerſam Eccleſiam in tribus primis ſedibus Patriarchalibus fundavit, & rexit, cum Romæ & Antiochiæ per ſe ipſum, Alexandriæ per Marcum diſcipulum eò miſſum præfuerit, quemadmodum probat S. Gregorius Magnus [l], quem ſequitur Hincmarus [m] Remenſis. Sic ad inſtar quodammodo Sanctiſſimæ Trinitatis una primùm in tribus ſedibus Eccleſia fuit, ex mente Symmachi Papæ [n], eòque alludit Carolus Calvus Rex Francorum ad Adrianum II. & ad Joannem VIII. ſcribens, *Ad Trinitatis inſtar*, ait, *cui una eſt, atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium*. Nihil igitur mirum eſt ſi Romana Eccleſia *matrix & radix Eccleſiarum dicatur* à S. Cypriano [o], itemque *Mater univerſorum Chriſti fidelium & magiſtra* in Concilio Lateran. IV. [p] dicatur; ab Innocentio verò

e Lib. 3. cap. 3.
f In Apol. 2. & præſertim in ep. ad Felicem Papam.
g De præſcr. hæret. c. 30. & 36.
h Epiſt. 55. ad Cornel. aliàs 3. lib. 1.
i Lib. 2. contra Parmenianum.
l Lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium Epiſcop. Alex.
m In opuſc. 55. Capit. c. 16.
n Epiſt. 1. ad Æonium Arelat. Epiſc.
o Lib. de unit. Eccleſ.
p Rel. in cap. 23. de Privil.

verò III. ſerm. 1. in feſto S. Gregorii, cum capite comparetur. *Sicut*, inquit, *in humano corpore ſolum caput habet plenitudinem ſenſuum; cætera verò membra partem recipiunt plenitudinis: ſic & in Eccleſiaſtico corpore cæteri Epiſcopi vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſed ſupremus Pontifex aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: & ita Petrus fuit velut hæres ex aſſe, alii verò tantùm velut Legatarii*. Hanc plenitudinem poteſtatis iiſdem ferè verbis priùs expreſſerat Vigilius [q]. Quod non ad infringendam reliquorum Antiſtitum aut Conciliorum poteſtatem pertinet: ſed potiùs ad eam cum Romano Pontifice, tanquam membrorum cum capite conjungendam.

q In Can. qui ſe ſcit, 11. quæſt. 6.

3. Præcipua Sedis Romanæ jura.

III. Hinc manant Romanæ Sedis ſupra reliquas jura præcipua, quæ & his juſtiſſimis cauſis nituntur, & nemini non cognita ſunt. In his illud imprimis Gelaſius [r] notat, quòd ea Sedes omnes judicet, à nemine judicetur; ſicque ſancitum eſt Decretis Conciliorum, non modò Sinueſſani ſub Marcellino, Romani ſub Silveſtro, quorum apud nonnullos dubia fides habetur; ſed etiam Romani 5. ſub Symmacho [ſ]. Sic Leo III. aliique ſummi Pontifices, non alieno judicio, ſed jurata ſua aſſeveratione abſoluti leguntur, prævalente omnibus criminationibus proprio teſtimonio. Verùm hæc ad eos caſus non ſpectant, quibus dubius per ſchiſma Pontifex, aut palàm per hæreſim indignus fuerit: in aliis quemadmodum accipienda ſint, docet inter cæteros Coſmas Guimerius ad Pragmaticam Sanctionem non uno loco. Hinc fit ut exercendi ejuſmodi judicii cauſa ad Romanam Sedem ab omnibus Epiſcopis, cujuſcumque gradus fuerint, appelletur [t]; idque ſecundùm Sardicenſis Concilii Canonem 3. aliàs 4. & 7. quem uſum & priorum, & ſequentium Patriarcharum innumera exempla confirmant: atque imprimis ſanctorum Athanaſii & Joannis Chryſoſtomi, qui Conciliorum Orientalium iniquis damnati ſententiis ad Romanam Sedem confugerunt, atque ejus autoritate dignitati ſuæ reſtituti fuere. Eò pertinet illud etiam ne Summi Pontificis judicium a quoquam retractetur [u], ut Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem ſcribit, poſt S. Athanaſium, & S. Leonem [x]. Illud quoque ad Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinem ſpectat, ut ad eamdem Sedem dubia fidei referantur, ejus autoritate per legitimas Synodos definienda, ex Ambroſio, Hieronymo, & Innocentio [y]. Faciunt & quæ S. Leo ſcribit Epiſt. 78. [z] Eſt præterea hoc Pontificis privilegium ut juris poſitivi humani regulis abſolvere poſſit, *cap. propoſuit* 4. *juncta Gloſſa*, *de conceſſ. præb.* Hoc quoque habet præcipuum ut qui ab ejus unitate recedunt, nec vinculis peccatorum abſolvi, nec januam poſſint regni cœleſtis ingredi, ut tradit poſt alios venerabilis Beda [a]. Ad hæc referuntur cætera, quæ Chriſti in terris Vicarium decent: de quibus adeundi præſertim Bellarminus de Romano Pontifice *libro præſertim IV.* & ab eo in Præfatione citati. Accedunt è noſtris Vincentius Cabotius [b] & Joannes Dartis [c]. Porro de *Primatu* Petri adverſus Salmaſium ſcripſit ante annos aliquot Petrus Habertus Epiſcopus Vabrincenſis.

r In Can. ipſi ſunt Canones 16. & ſeq. IX. q. 3.

ſ Can. aliorum 14. ead. cau. & quæſt.

t Can. ideò 10. & ſeq. 11. qu. 6. &c.

u Can. patet 10. & ſeqq. IX. quæſt. 3.

x Can. manet 5. XXIV. quæſt. 1.

y Can. 14. 7. & 12. ead. Cau. & quæſt.

z Can. ita Dominus, 7. diſt. 19.

a Can. quicumque 27. XXIV. quæſt. 1.

b Tract. de beneſ. ſect. 1. c. 3. ſub nomine Joannis Dartiſii per errorem edito.

c De ſuburbicar. Eccleſ. cap. 13. & ſeqq.

4. Conſtitutionum Pontificiarum vis.

IV. Ex his ſequitur ſummorum Pontificum *Conſtitutiones* in rebus Eccleſiaſticis, quemadmodum in rebus civilibus Principum placita, ſi non omnimodam, ſaltem præcipuam obtinere autoritatem. Sic enim omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius divini

Petri

Petri voce firmatæ ſint, ut ait Agatho [d]: ejuſque antiqua & recepta inſtituta generaliter ubique ſervanda, ut Gregorius IV. & Nicolaus I. poſt Innocentium I. pronunciant [e]. Hinc fit ut Siricii, Innocentii I. Leonis, cæterorumque Pontificum qui à Leone IV. enumerantur [f], & ſequentium Decreta, vel Decretales Epiſtolæ, ſingulaque ipſarum capita venerabiliter ſuſcipienda ſint, autore Nicolao antè laudato [g]. Ex his certè fluunt, ut præclarè diſſerit Petrus de Marca [h], pleræque juris noſtri deciſiones, quod ex eo maximè *Pontificium* appellatur.

d Can. 2. diſt. 18.
e Can. 2. 10. & ult. diſt. 11. Can. 2. diſt. 12. & can. 5. diſt. 18.
f Can. de libellis 1. diſt. 20.
g Can. 1. diſt. 19.
h Lib. 1 de concord. Sacerdot. & imper. cap. 9.

5. Diverſa Conſtitutionum genera.

V. Conſtitutiones autem Pontificum aliæ *Generales* ſunt, ut Decreta, & Decretales Epiſtolæ, aliæ *Speciales*, ut Reſcripta ſtrictiùs ſumpta.

6. Quid Decreta.

VI. Decreta, licèt propriè dicantur quæ cauſa cognita inter partes, à Principe [i], aut etiam quæ à Prætore, cæteriſve magiſtratibus decernuntur [l]: tamen jure noſtro *Decretorum* nomine propriè intelliguntur priſcæ illæ conſtitutiones quæ nemine conſulente à S. Pontifice in Synodo provinciæ Romanæ (quæ tum latiùs patens ſuburbicarias regiones ferè complectebatur) aut etiam totius Italiæ Epiſcoporum, magna ex parte editæ ſunt: quamquam eo nomine comprehenduntur etiam Reſponſa Sedis Apoſtolicæ per illa tempora ad Epiſcoporum quæſtiones emiſſa. Epiſcoporum provincialium aut nationalium loco adhibetur hodie Cardinalium imprimis conſilium, ex Gloſſa [m], & Decio [n]. Prioris generis Decreta, Jure Civili Edicta Principum appellantur.

i §. 6. inſt. de jure nat. &c.
l L. ne quicquam 9. §. 1. De off. Proconſulis.
m In pr. diſt. 15.
n Ad rubr. de Conſtit. in 2. lectura.

7. Quid Decretales.

VII. DECRETALES Epiſtolæ ſunt eorumdem Pontificum conſtitutiones ad conſultationem vel relationem, ſive Prælatorum, ſive etiam privatorum emiſſæ, ut habet Gloſſa ad Conſtitutionem Gregorii IX, libris Decretalium præfixam. Hæ *Reſponſa* quoque nominantur, & generali *Reſcriptorum* appellatione continentur: quoniam ejuſmodi ſunt, ut quamvis privata plerumque in cauſa ſint ſcripta, tamen ea mente compoſita fuere ut ad ſimiles caſus trahantur, & conſtitutionis univerſalis vim ac dignitatem habeant [o]. Ideò verò *Decretales* dicuntur, quòd per eas, cauſa maturè deliberata, aliquid generaliter valiturum decernatur. Sic Decretalis bonorum poſſeſſio vocatur à Juriſconſultis quæ cauſa cognita datur à Magiſtratu: cui opponitur Edictalis, ex Edicto deſcendens, quæ ſine cauſæ cognitione dari ſolita.

o Cap. 8. 9. 14. ex. de reſcript.

8. Quid propriè Reſcripta.

VIII. Sed propriè RESCRIPTORUM nomine nunc appellamus illud Literarum Apoſtolicarum genus, quibus ſummus Pontifex aliquid ſupplicantium cauſa fieri jubet. Ea *Diplomata* etiam vocantur, quòd in duas plicas contrahi ſoleant membranæ in quibus ſcribuntur. Vocantur & *Bullæ* à ſigillo, ſeu imagine inſtar Bullæ appenſa: his opponuntur *Brevia*, ſeu *Breves*, chartis brevioribus ſcriptæ literæ, ſive *ſignatura*. Sunt autem Reſcripta partim juſtitiæ vel ad lites; partim gratiæ, quibus ſcilicet aliquid indulgetur: de quibus omnibus Doctores ad tit. de Reſcriptis.

9. De aliis operibus Romanorum Pontificum.

IX. Præter Decretales Epiſtolas, alia extant Romanorum Pontificum, veluti Clementis, Damaſi, Leonis, Gregorii Magni, Innocentii III. Innocentii IV. Pii II. aliorumque pia & erudita opera. Verùm hæc, cum non ex Pontificia autoritate ad decidendas quæſtiones Eccleſiaſticas, ſed privato ſtudio conſcripta fuerint: de iis, quatenus ad inſtitutum noſtrum

Digitized by Google

ſtrum pertinere videbuntur, in ſequenti hujus libri parte ſuis locis dicemus.

10. Epiſtolæ Canonicæ, & Reſponſa Patriarcharum Orientalium.

X. Decretis & Decretalibus Latinorum reſpondent apud Græcos *Reſponſa* Patriarchalia & *Epiſtolæ Canonicæ*, quales non tantum Patriarcharum, ſed & minorum Epiſcoporum apud Orientales receptæ ſunt. Ejuſmodi cenſendæ quæ Canone II. Conſtantinopolitanæ in Trullo Synodi referuntur.

CAPUT XXII.

De Romanorum Pontificum ante Siricium Epiſtolis in genere.

1. In dubium revocantur hæ priſcorum Pontificum Epiſtolæ.

I. IN eo Corpore Canonum quod ſub Iſidori Mercatoris, ſive Peccatoris nomine prioribus auctius prodiit (& quod Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo qui circa annum *636.* obiit, falsò tributum fuiſſe lib. 4. oſtendetur) extant Clementis, cæterorumque Romanorum Præſulum qui ab eo ad Damaſum Apoſtolicam Sedem rexerunt, Epiſtolæ Decretales magno numero, cuique ipſorum aſſignatæ. Quia tamen eas recepto Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ inſertas ab initio non fuiſſe conſtat ex *Can. de libellis* 1. *diſt.* 20. & *Can. ſi Romanorum diſt.* 19. atque ex ipſo Codice Canonum veteri: idcirco earum fides apud non paucos jam diu vacillat. Benedictus Levita, ſive Diaconus Moguntinus, qui ex his quàm plurima in tres poſteriores Capitularium à ſe collectorum libros contulit, in eorumdem librorum præfatione fatetur, quæ in eis inſeruerit, ea ſe in diverſis locis & voluminibus ſparſim edita inveniſſe, & maximè in Moguntiacenſis Eccleſiæ ſcrinio, à Riculſo ejus Sedis Metropolitano Epiſcopo recondita, & ab Otgario, ſive Augario ejus ſecundo ſucceſſore & conſanguineo reperta. Huic Otgario Gregorius IV. Pontifex ſuas vices in Germania commiſit, ex incerto autore initio collectionis Benedicti Capitularium; eoque reſpicere videtur ipſe Benedictus, cum in præfatione trium librorum ſuorum, glorietur ea Capitula Apoſtolica eſſe autoritate cuncta roborata: quia *his cudendis maximè Apoſtolica interfuit legatio*.

2. Quando prodierint hæ Decretales.

a Lib. adverſ. Hincmar. Laudun. cap. 24.

b Epiſt. 8. & alibi.

c Lib. 55. capitulor. cap. 20.

d Ibid. cap. 24.

II. Originem, primamve editionem earum Epiſtolarum indicat Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus [a], cum de hoc collectarum ab Iſidoro epiſtolarum libro loquens ſic ait: *Quem de Hiſpania allatum Riculfus Moguntinus Epiſcopus in hujuſmodi, ſicut & in capitulis regiis ſtudioſus obtinuit; & iſtas regiones ex illo repleri fecit*. Idem Hincmarus, quamquam initio harum Epiſtolarum autoritatem ſecutus [b]: eam tamen poſteà minùs certam cenſuit. Nam & quæ ex iis ab Hincmaro Laudunenſi adducebantur, tum ſecum, tum etiam cum antiquis Canonibus pugnare oſtendit [c], & alia quoque adverſus eas afferri poſſe inſinuavit [d]. *De cujus*, inquit, *Iſidori dictis, ſed & de Epiſtola Damaſi, quam ſuæ Præfationi ſuppoſuit, & collectioni præpoſuit, quiddam poſſem prolixiùs oſtendere. Sed cum ad ea quæ hunc ſunt opus, Apoſtolicæ Sedis Leonis & Ge-*

& Gelaſii ac cæterorum Pontificum Romanorum poſt Damaſum ſufficientiſſimè autoritas & explanatio ſuppetat, ſuperfluum nunc duxi non neceſſaria in medium afferre.

III. Procedente tempore, ab anno Chriſti 900. ad 1400. harum Epiſtolarum ita ubique invaluit autoritas, ut Canonum ſeu Decretorum Eccleſiaſticorum collectionibus quæ poſtea in lucem exierunt, Burchardi ſcilicet, Ivonis, Gratiani, aliorumque Decretis, inſerta fuerint ipſarum capita, & ſic ex nullo propè repugnante per univerſum Occidentem receptæ ſint: donec circa tempus Concilii Baſileenſis Nicolao Cuſano Cardinali, qui [e] Clementis & Anacleti Epiſtolas non omninò admittere viſus eſt, & paucis quibuſdam aliis ac doctioribus hominibus ſuſpectæ haberi cœperunt.

3. Illarum Epiſtolarum diu valuit autoritas.

e Lib. 2. de concord. Cathol. c. 37. & lib. 3. c. 2.

IV. Superiori ſeculo plures cum Eraſmo earumdem epiſtolarum fidem in dubium revocarunt; atque imprimis Ant. Contius Juriſconſultus in præfatione quam notis ſuis in corpus Juris Canonici præfigendam compoſuerat: ſed hanc à Cenſoribus Belgis in ejuſdem juris editione Plantiniana quæ anno 1547. prodiit, omiſſam poſteà queſtus eſt. Ejus nihilominus mentio fit in ipſius annotatione poſt *Canonem ſeptuagința, diſt. 16. inf.* adjecta, his verbis: *Multas autem ſuprà in præfatione rationes adduxi, quibus omnes Pontificum, qui Silveſtrum præceſſerunt, Decretales falſas eſſe oſtendi*. Antonius Auguſtinus, ex Ilerdenſi Epiſcopo Archiepiſcopus Tarraconenſis, quamvis in ſua Juris Canonici Epitome his Epiſtolis, non ſecùs ac reliquis quæ indubitatæ fidei habentur, paſſim uti ſoleat; attamen ad Hadriani I. collectionem capitulorum, non uno loco ſatis multa inſinuat, quæ ſuſpicionem moveant ei non uſquequaque probatas fuiſſe: præſertim verò quod habet in capitulum 36. *Epiſtola Damaſi*, ait, *ad Aurelium Carthaginenſem poſita initio Conciliorum, pleriſque ſuſpecta eſt, & aliæ nonnullæ antiquiorum Damaſo Pontificum*. Quin & Cardinalis Bellarminus, earum licèt propugnator, in controverſiis de Romano Pontifice [f] aliquos errores in has Epiſtolas irrepſiſſe non negat, nec affirmare audet indubitatas eſſe. At Cardinalis Baronius, pluribus Annalium Eccleſiaſticorum locis, [g] ingenuè profitetur earum fidem non ſatis conſtare, dum Iſidoriani illius corporis Canonum originem tradit: *Ipſe*, inquit, *Benedictus Levita, etſi ex Iſidori collectione accepit multa; tamen benè conſcius autoritatem illarum Epiſtolarum haud adeò conſtantem, ſed nutare admodum, nunquam aliquem illarum citavit autorem, ut fecit in reliquis, quarum fides conſtans eſſet, Romanorum Pontificum Epiſtolis, Innocentii, Leonis, Gelaſii, Symmachi atque Gregorii, citans ac nominans earum auctores: ſed & magna cautela, quòd ſciret ex iis accepta haud adeò haberi firma, curavit (ut ipſe in fine teſtatur) eadem autoritate Apoſtolica confirmari*. His illud etiam addit: *Qui autem primus excerpta ex eis* (Epiſtolis) *decreta cum titulo edidit Romanorum Pontificum, quorum nomine cenſerentur, fuit Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, ut apparet ex Epiſtola ſeu libro contra ipſum ſcripto ab Hincmaro Remenſi, qui eam Laudunenſis lucubrationem accipiens, non ſine ſtomachatione legit; quam & pluribus arguit. Laudunenſem verò ſecuti ſunt alii, ut qui ſequenti ſeculo ſcripſit Burchardus, & poſt ipſum alii, qui nomina ipſorum Romanorum Pontificum ſingulis capitibus præfixerunt, quod & omnium noviſſimus æquè præſtitit Gratianus*. Deinde ſubjungit idem Cardinalis: *At verò ex multis eas reddi ſuſpectas Epiſtolas*

4. Earum fides ambigua etiam Baronio.

f Lib. 2. cap. 14.

g Præſertim ad an. 865. num. 8. & 9.

per ea quæ dicta ſunt ſecundo Annalium Tomo, dum de illis ſingulis mentio facta eſt, ſatis eſt demonſtratum; ſimulque oſtenſum illis non indigere ſanctam Romanam Eccleſiam, ut (ſi falſitatis arguantur) ſuis ipſa deſtituatur juribus & privilegiis: cum (etſi illis careat) ex legitimis, germaniſque aliorum Romanorum Pontificum Epiſtolis Decretalibus ſatis, ſuperque corroborata conſiſtat. Caterùm quod excerpta ex illis capita à Benedicto Levita, primùm ut Canonibus conſentientia probata eſsent (ut ipſe teſtatur) autoritate Romanorum Pontificum, quod & à poſterioribus factum eſt collectoribus; eadem uſu potiùs recipi contigit, quàm conſtanti ipſarum firmitate. Verùm quod his temporibus, cum recens haberetur earum editio, nec perfectè in omnibus cognitæ eſsent, nondum admota lucerna Cleanthis; ea ex parte tantùm eas recipiendas negarent (Gallicani quidam Epiſcopi) *quòd extra Corpus Canonum ſuo ſcorſim volumine poſitæ haberentur: hanc objectionem eorum magni poſſe eſſe momenti Nicolaus conſiderans, dum reliquæ omnes Romanorum Pontificum extra* (Codicem Canonum) *poſitæ Decretales abolerentur una iſta ſententia, reſcripſit ad eos Epiſtolam Decretalem magni ponderis,* quæ ab ipſo Baronio exſcribitur, & refertur apud Gratianum [h].

h Can. ſi Romanorum 1. diſt. 19.

5. Eas nonnulli defendunt.

V. Hæc Baronii viri eruditiſſimi nec minùs probitate quàm dignitate conſpicui candida profeſſio Novatoribus os occludere debuit, qui quòd multa ad Apoſtolicæ Sedis decus pertinentia his Epiſtolis contineantur, in earum tum autores, tum defenſores ex pertinaci in ſanctam Eccleſiam Catholicam odio ultra modum invehuntur. Illas Orthodoxorum nonnulli pro indubitatis tuentur: in quibus primas tenet *Franciſcus Turrianus* Societatis Jeſu ſacerdos in libris quos pro Epiſtolis illis adverſus Centuriatores Magdeburgicos accuratè compoſuit. Hunc autem non minori molimine præ cæteris exagitavit *David Blondellus*, haud exiguo ſanè volumine anno 1627. Genevæ edito, cui *Pſeudo Iſidoro* nomen fecit. Ibi in id imprimis incubuit, ut quæ iis Epiſtolis continentur, ea maximam partem, ex operibus ſcriptiſque Pontificum atque autorum ætate poſteriorum hauſta demonſtret.

6. Blondellus Epiſtolas impugnando, res iis comprehenſas confirmat.

VI. Mihi verò, cui Romanæ Sedis autoritatem & dignitatem ſtare certis aliunde argumentis omnino eſt perſuaſum, videtur id Blondelli conſilium Pontificis rebus conducere magis, quàm obeſſe: adeò ut ei propemodum gratias agam, quòd, dum quæcumque ad Eccleſiæ Romanæ gloriam & autoritatem illis in Epiſtolis facerent, ea ferè omnia jamdiu, ſi non iiſdem Pontificibus quibus eripere conatur, ſaltem aliis Patribus & antiquis Eccleſiaſticis optimæ plerumque notæ ſcriptoribus, uno fermè aut altero vel tertio certè poſt eos ſeculo, placuiſſe oſtendit: ſic quæ ſummo labore convellenda ſumpſerat, reverà firmaverit. Unde univerſo ejus operi confutando ſufficere videtur, quod Baronius jam laudatus obſervat, merces illas Iſidori Mercatoris per Riculfum primùm illatas in Galliam ex Hiſpania fuiſſe, ne quis calumniari poſſit ab Eccleſia Romana ejuſmodi commentum prodiiſſe.

7. Rationes adverſariorum contra has Epiſtolas.

VII. Rationes autem præcipuæ quibus hæ Decretales à Centuriatoribus [i], Blondello, aliiſque, adulterinæ in univerſum dicantur, hæ ſunt. I. quòd, quemadmodum jam indicavimus, Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ illatæ non ſint. Deinde quòd eorum temporum quibus priſci illi Pontifices, qui eorum autores feruntur, ſedem Apoſtolicam obtinerent, res geſtas, qui Epiſtolarum ferè mos eſt, vix attingant. III.

i Sec. præſertim 2. cap. 7.

quòd

quòd eorumdem temporibus ſæpè non conveniant anni Conſulum ad finem Epiſtolæ cujuſque adſcripti, eæque paſſim Anachroniſmis ſcateant. IV. quòd in illis ſacræ Scripturæ autoritas ſecundum Vulgatam Hieronymi, qui poſt illos Pontifices vixit, verſionem laudari ſoleat. V. quòd ſub nomine pluſquàm triginta diverſorum Pontificum per tria circiter ſecula, tamen eodem omnes ſtylo & charactere compoſitæ ejuſdem autoris manum indicent. VI. quòd mendoſior ubique quàm pro illis primis poſt Chriſtum ſeculis ſermo Latinus, corruptiore ſeculo ſcriptas evincat. VII. quod ex autorum longè poſteriorum, ipſius etiam Iſidori Hiſpalenſis, qui poſt annum 600. ſcripſit, & Conciliorum Africanorum, Gallicorum, Hiſpanicorum centonibus conſarcinatum appareat totum opus, & recentiorum faciat mentionem, velut Theodoſiani Codicis & Conſtitutionum Juſtiniani. Denique quod à nemine ita laudentur alicujus nominis ſcriptore, ut ex iis, quemadmodum ex veris ſequentium Pontificum Epiſtolis, depromptæ ſententiæ rebus confirmandis adducantur, nullaque earum fama aut memoria occurrat ante annum 830.

8. Diluuntur rationes adverſariorum.

VIII. Sed contrà reſponderi poteſt ex Turriano & aliis, non idcircò rejiciendas eſſe priſcorum Pontificum Epiſtolas quod in Codicem Canonum relatæ non ſint; cum nec Gregorii Magni Epiſtolæ, quæ tamen indubitatæ ſunt autoritatis, in eumdem Codicem fuerint conjectæ; & Pontificum Romanorum Decreta quibus cæterorum Eccleſiaſticorum ſcriptorum opera probantur, vel improbantur, non aliunde quàm ex ſe ipſis vim ſuam & firmitatem mutuari debeant, ut oſtendit Nicolaus I. [l] Adde quòd aliæ ſunt veterum Pontificum Epiſtolæ, quæ certiſſima veritatis ſuæ teſtimonia habent, nec tamen veteri Canonum Codici illatæ reperiuntur: quales Clementis ad Corinthios ſaltem prima, Julii ad Orientales, atque aliorum, quæ ſuis locis memorabuntur. II. Certum eſt in iis Epiſtolis mentionem fieri perſecutionum ſeu afflictionum Eccleſiæ, nec non antiquiſſimarum hæreſeon quæ ab illorum temporibus non abhorreant: multæque ſunt, aliorum Pontificum cerrtiſſimæ Epiſtolæ, etiam earum quæ in Codicem Canonum à Dionyſio Exiguo relatæ ſunt, quæ rerum per ea tempora geſtarum non meminere. III. Epiſtolam Evariſti quæ Clementinæ ad Jacobum meminerit, aliaſque non paucas, veros Conſules præferre. Cæterùm Conſulum, quorum plures ſæpenumero aliorum in locum ſuffecti eſſent, haud ſatis certam eſſe rationem: fortè & in nonnullis Epiſtolis nomina Conſulum à librariis per imperitiam corrupta, vel per incuriam prætermiſſa, ac deinde ab editore adjecta, qui alicubi erraverit. IV. Ad id quod affertur de Vulgata ſacræ Scripturæ verſione, in his Epiſtolis laudata, parata reſponſio ea eſt, quod attinet ad Novi Fœderis libros, à S. Hieronymo, non editam, ſed emendatam fuiſſe: quantùm ad Vetus Teſtamentum, interpretationis Hieronymianæ verba quibuſdam in locis, loco verborum prioris ex Septuaginta verſionis, facilè ab exſcriptoribus ſubjici potuiſſe, cùm primùm Epiſtolæ illæ prodierunt; quòd tunc temporis magis in Eccleſia recepta eſſet ea editio. V. Ex ſtylo & argumento ſimili non eſſe quod Epiſtolæ illæ rejiciantur: quandoquidem Sanctorum Petri, Jacobi & Pauli Epiſtolæ, æquè præ ſe ferunt, tum ſimplicis orationis, tum materiæ & argumenti dogmatici & parænetici unum genus. VI. Quòd minùs caſtigata videatur

l Can. 1. diſt. 19.

deatur harum Epiſtolarum Latinitas, id in ſcriptis ad ſalutem omnium pertinentibus novum non eſſe. Etenim in iis rebus ad vulgi captum ſcripta ſua ſacri auctores accommodare ſolent, ut à cunctis intelligantur; quod non modò SS. Patrum Auguſtini & Hieronymi, ſed & Pauli omniumque utriuſque fœderis Scriptorum exemplo & autoritate confirmari poteſt. Hos quippe humili ac ſæpè etiam minùs puro ſermone uſos ex ipſa Sacrorum Codicum lectione patet. S. autem Auguſtinus in plurimis Sermonibus vulgarem Africanorum Latinitatem ſecutus eſt; & S. Hieronymus, quamvis diſertiſſimus, non paucas in emendanda Scriptura loquendi formas, quas Grammaticorum regulis repugnare non ignorabat, retinere maluit, quàm mutare. Qua de re videndæ legendorum horum Patrum à S. Gregorio datæ regulæ [m]. VII. Potuiſſe inſequentis ætatis autores Eccleſiaſticos, poſtquàm hæ Epiſtolæ ex Romanæ Eccleſiæ ſcriniis in vulgus emanarunt, earum poſteà verbis, prætermiſſis Pontificum nominibus, uti. Præterea S. Athanaſium ſeculo 4. Epiſtolam Sixti II. agnoviſſe. VIII. Quod autem rara earum apud veteres mentio fiat, non inde ſequi nullas fuiſſe; cùm & aliquanto tempore in Romanæ Eccleſiæ tabulariis ſervari potuerint, antequàm in hominum manus venirent; & per tempora martyriorum mirum non ſit eas apud Epiſcopos vel Chriſtianos quibus ſcriptæ eſſent, periiſſe. Gelaſium porrò, cùm poſt Leonem Decretalia Anteceſſorum ſuſcipienda decrevit, [n] de his Epiſtolis intelligendum videri. Epiſtolæ quidem Clementis ad Jacobum meminiſſe Vaſenſe Concilium quinto ſeculo habitum; & Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum in Bibliotheca ſua; & Triburienſis ac ſequentium per Germaniam Galliamque Conciliorum Epiſcopos, Clementis, Anacleti, Alexandri, & aliorum Epiſtolis teſtimonium præbere. Certè Gregorii VII. & ſequentium Pontificum Regeſta (ſive Collectiones Epiſtolarum) licèt maxima ex parte edita non fuerint, non ideo minùs vera haberi: denique de ſecunda Petri Epiſtola, deque Joannis ſecunda & tertia dubitatum fuiſſe, nec ideò minùs eas in ſacrarum Scripturarum numero apud Catholicos hodie cenſeri: quin ne Magdeburgenſes quidem ipſos illas Epiſtolas omnino fictitias dicere auſos, ſed cum dubitatione aut confictas, aut fœdiſſimè corruptas; (quod de Scripturis ſacris Manichæi aſſerebant.) Sed veterem famam eas Epiſtolas priſcis Pontificibus vindicare, quamvis fortè quibuſdam locis corruptæ videri poſſint.

m Can. ſedulò 12. cum can. ſeq. & can. Eccleſiaſtica, 15. diſt. 38.

n Can. S. Romana 3. §. *Decretales* diſt. 15. & can. ſi Romanorum, verſ. *ait enim*, & verſ. *Conſonat*, diſt. 19.

9. Ex illis Epiſtolis recepta in Gallia Capita non pauca.

IX. Denique ſive Epiſtolæ illæ certæ ſint, & ab iis Pontificibus verè manaverint, quibus adſcribuntur; ſive incertæ, quantum ad autores ipſos, fidei: autoritatem apud nos indubitatam non paucæ habent, quantum ad ea capita quæ Regibus Francorum, Epiſcopis & proceribus probata, in Capitularia ſive leges regni publicas inſerta fuere. Veniendum nunc ad ſingulos Pontifices, eorumque præcipuæ indicandæ ac diſcutiendæ Epiſtolæ.

C A-

CAPUT XXIII.

De Sancto Petro, ejuſque proximis duobus ſucceſſoribus.

I. PETRUS Bethſaidæ in Galilæa ad lacum Tiberiadis natus, proprio nomine *Simon*, cognomento *Bar jona*, ſive filius Jonæ, aut Joannis, à Chriſto dictus eſt, Hebraicè כיפא *Chephà*, quæ vox Petram ſignificat: unde *Petri* nomen: nam & Atticè ὁ Πέτρος pro Saxo ſilice dicitur, ut communi dialecto ἡ πέτρα: quo nomine Chriſtus etiam deſignatur, 1. *ad Cor.* 10. Ex diſcipulo S. Joannis Baptiſtæ factus eſt Chriſti diſcipulus, poſt Andream fratrem natu majorem; à quo ductus ad Jeſum, primum inter Apoſtolos locum tenuit, ac primus ſemper nominatur [a]; eique nominatim, tanquam petræ & fundamento Eccleſiæ futuro, promiſſæ ſunt Claves regni cœlorum [b]; idemque propter amorem eximium juſſus eſt agnos & oves Chriſti præ cæteris paſcere [c]. Illum ſolum ex Apoſtolis à Chriſto baptizatum eſſe, ab illo autem Andream & filios Zebedæi, ab his reliquos teſtatur Evodius Petri in Antiochena ſede ſucceſſor, apud Nicephorum [d]. Cùm deinde Eccleſiæ pacem habentes multiplicarentur, ut habetur in Actuum libro [e]: hoc eſt, ſecundum Baronium anno æræ vulgaris 39. ſecundum alios anno 37. Petrus luſtratis plurimis civitatibus, Antiochiam venit, ibique Epiſcopatus ſedem conſtituit, quam ſeptem annis tenuit, licèt non perpetuò per id tempus ibidem degerit. Poſteà, relicto in ea ſede Evodio, anno Claudii II. Chriſti 43. Petrus vinculis Herodis Agrippæ liberatus, de quibus actorum XII. Syriaque, Galatia, Ponto, Cappadocia, Aſia, & Bithynia peragratis, Romam profectus eſt: quò XV. Kal. Februarias pervenit, eamque urbem ſede Pontificia decoravit, teſtibus Euſebio [f] & Hieronymo. Ejus in urbem adventum Priſci Patres uno conſenſu prædicant, imprimis ex Græcis Irenæus, Petrus Alexandrinus, [g] Joannes Chryſoſtomus, [h] Cyrillus Alexandrinus, [i] Theodoretus; [l] è Latinis autem Tertullianus, & Cyprianus antè laudati, Arnobius, [m] Lactantius Firmianus, [n] Ambroſius & Auguſtinus pluribus locis, vel potiùs quicunque de rebus Eccleſiaſticis ſcripſerunt.

Quinquennio poſt, anno ſcilicet Claudii IX. æræ noſtræ XLIX. pulſis urbe Judæis edicto ejuſdem Imperatoris, in Palæſtinam eſt reverſus: unde Romam denuò rediit cum Paulo, Epochæ Chriſti vulgaris anno LXVI. Neronis XII. principem illam Eccleſiam prima per Neronem perſecutione afflictam confirmaturus præſentia, monitis, exemplisque ſuis. Inſequenti autem anno Chriſti LXVII. Simonem Magum, cum qui volatum affectabat, in terram precibus ſuis dejeciſſet, crucis ſupplicium inverſo deorſum capite ſubiit III. Kal. Julii anno Neronis 13. quo anno ac die Paulus quoque Coapoſtolus vitam gladio finiit. An eodem anno minùs certum: nec de harum rerum temporibus inter omnes conſtat, quamvis in rebus omnes ferè conveniant. Vide imprimis Henrici Valeſii notas in Euſebium [o]. Eccleſiæ Romanæ traditio, & Priſcorum Patrum monumenta ab Neronis anno 2. Chriſti VII. conſtitutum Romæ à

1. Petrus Apoſtolus, Romanus Epiſcopus I.

a Matth. 10.
b Matth. 6.
c Joan. 6.
d Lib. 2. hiſtor. Eccl. c. 3.
e Cap. 9.
f Lib. 2. hiſt. cap. 14.
g In Epiſt. Can. cap. 3.
h Homil. de Petro & Paulo.
i Epiſt. ad Cæleſtin.
l Lib. 1. hæret. fabular. & in Ep. ad Leon.
m Adverſ. gent.
n Lib. 4. cap. 21.
o Ad lib. 2. cap. 15. & 25.

Petro, Linum Epiſcopum cum Cleto, vel Coadjutorem ſive Chorepiſcopum ferunt: Petrum interim totum Occidentem docendo peragraſſe, miſſo præterea in Ægyptum ad Alexandrinam Eccleſiam regendam B. Marco: anno autem Neronis V. Paulum Romam appulſiſſe, ac biennio fermè in cuſtodia Chriſtum prædicaſſe, Eccleſias miſſis Epiſtolis erudiſſe: donec carcere liberatus, in Orientem rediit: unde poſteà Romam eſt reverſus: utut ſit, Petrum per ſe, vel per alios Eccleſiam Romanam adminiſtraſſe putat Onuphrius Panvinius aliique, annos 24. menſes 5. dies 22. alii ultra annum 25. ejus Pontificatum prorogant. De Petri ac Pauli Epiſtolis egimus lib. 1. de aliis operibus quæ ipſi vetuſtas adſcripſit, videndi Baronius, Covarruvias, Sixtus Senenſis, Dartiſius. Liturgia ipſa, quæ S. Petri nomine ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi ſuperiori ſeculo prodiit, extatque in auctario Græco-Latinæ Bibliothecæ veterum Patrum, non caret omni dubitatione.

2. Linus.

II. PETRO martyrium paſſo ſucceſſit S. LINUS Herculano patre Volaterris in Tuſcia natus, ſecundum receptam ſententiam, quam veterum Patrum Græcorum Latinorumque teſtimonio adſtruit Baronius. Is à XXX. Junii anni LXVII. ſediſſe ſcribitur annos 11. menſes 2. dies 23. ad XXIII. Septembris anni LXXVIII. quo juſſu Saturnini Conſularis obtruncato capite martyrium implevit, imperante Veſpaſiano. Ejus nullæ proferuntur Epiſtolæ.

III. Poſt Linum Romanam Sedem tenuit S. CLETUS Romanus, Æmiliani filius, qui à fine Septembris anni LXXVIII. ad diem XXV. Aprilis anni XCI. Pontificiam Cathedram adminiſtravit annis 12. menſ. 7.

CAPUT XXIV.

De Clemente Romano Pontifice IV. ejuſque Epiſtolis, tum dubiis, tum veris.

1. Sancti Clementis acta.

I. CLEMENS Romanus, Fauſtini filius, ſtirpe, ut Eucherius in Epiſtola ad Valerium ſcribit, Senatoria, SS. Petri & Pauli diſcipulus fuit: qui quidem Paulus in Epiſtola ad Philemonem [a] ejus meminit. Is, licet à B. Petro per manus impoſitionem ordinatus fuiſſet, teſtibus Tertulliano [b] & Epiphanio [c], Epiſcopatum tamen recuſavit uſque ad obitum Lini & Cleti, qui Petri Coadjutores fuerant, ut tradit Rufinus [d]: unde tertius à Petro numeratus in Eccleſiæ Romanæ traditione, quam ſecutus eſt Hieronymus [e], itemque Martyrologium Romanum [f] & poſt antiqua diptycha, Sacer Canon Miſſæ. Sedit annos IX. menſes VI. cum totidem diebus, inito à morte Cleti calculo, ab anno ſcilicet Chriſti XCI. ad C. ſub initium Trajani relegatus eſt Cherſonam, quæ deſerta propè erat in Ponto civitas: ubi cùm in gratiam exulum, qui aquam è longinquo humeris deferre cogebantur, fontem commodiore loco, per agni ſignum monſtrato, precibus elicuiſſet; eo miraculo ac fidei Chriſtianæ prædicatione, veram per ea loca religio-

a Cap. 4.

b De præſcr. adverſ. hæret. c. 32.

c Hæreſi 27.

d In præfat. ad libros recognit.

e De ſcriptor. Eccleſ.

f XV. Septemb. XXVI. April. & III. Novemb.

religionem propagavit. Qua re commoto Imperatore, ancora è collo ſuſpenſa in profundum demerſus, martyrii palmam conſecutus eſt IX. Kal. Decembres, Trajano & Frontone III. Coſſ. Ejus ſepulchrum ſub aquis in ædicula marmorea divinitùs conditum, orantibus ad littus Chriſtianis, recedente ad tria milliaria mari, patuit, annuis miraculis diu celebratum; donec ejus corpus Romam tandem tranſlatum eſt, ut memorant Gregorius Turonenſis [g], Nicephorus [h], Metaphraſtes, Surius, & alii.

g De glor. martyrum, cap. 35. & 36.

h Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 18.

2. De Clementis ad Corinthios epiſt. Græca 1.

II. Is anno III. Pontificatus, *ad Corinthios* ſchiſmate in partes diviſos, ex perſona Eccleſiæ Romanæ egregiam Græco ſermone ſcripſit *Epiſtolam*, quæ autore Euſebio [i] in plurimis Eccleſiis, exemplo Apoſtolicarum Epiſtolarum, legebatur. In ea Epiſtola illum de Fide in Deum, deque Traditionibus egiſſe docet Irenæus [k]. Ejus autem Epiſtolæ fragmenta dumtaxat habebantur apud Clementem Alexandrinum [l], & apud S. Hieronymum [m]. Latuerat quippe in pulvere; donec anno 1633. Græcè cum Latina tranſlatione prodiit Oxonii in Anglia, opera Patricii Junii Carolo II. magnæ Britanniæ Regi à Bibliothecis: qui lacunas, quibus manuſcriptus codex laborabat, ita explevit, ut tamen rubricâ ſuas conjecturas à textu diſtinxerit: ſed & totum opus notis illuſtravit. De hac epiſtola extat Photii judicium [n]. Eam Euſebius [o] ab omnibus uno conſenſu receptam fatetur. Idem nihilominùs inter dubia numerare videtur, ubi dicit Clementem Alexandrinum in libris Stromatum uti teſtimonio Scripturarum ab aliis repudiatarum, in quibus epiſtolas Barnabæ, Clementis, & Judæ recenſet [p]. Verùm hæc duo facilè conciliaverimus, ſi dicamus opus illud pro legitimo Clementis partu, non tamen pro ſcripto Canonico ab omnibus agnitum. Scriptam Baronius putat circa annum Chriſti XCV.

i Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 22.

k Lib. 3. cap. 3.

l Lib. 4. 6. & 7. Strom.

m In Iſa. c. 52.

n In Biblioth. cod. 113. & cod. 126.

o Lib. 3. cap. 16. & 38.

p Lib. 3. cap. 13.

3. De 2. epiſtola Clementis ad Corinthios.

III. Ejuſdem titulo poſterior *ad Corinthios* epiſtola extabat, quam non perinde ac priorem in Eccleſia receptam fuiſſe tradunt Euſebius [q] & Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ſive Virorum illuſtrium, ubi de Clemente agit: imò ab omnibus exploſam docet Photius in Bibliotheca [r], quòd nova multa contineret, & inconcinnas ſeu parùm convenientes ſacri textus interpretationes afferret. Joannes tamen Damaſcenus [ſ], cum quibuſdam Orientalibus Eccleſiis hanc quoque inter ſacræ Scripturæ libros collocaſſe videtur. Neque ejus fidem elevare debet, quòd Dionyſius Corinthius ad Romanos ſcribens apud Euſebium [t], unius tantùm Epiſtolæ Clementis meminit. Is enim de Literis Romanorum nomine datis loquitur: at hæc non Eccleſiæ Romanæ, ſed Clementis ipſius nomen præferebat. Hujus quoque, unà cum priore ad Corinthios, Junius idem fragmenta vulgavit; ſed fragmenta dumtaxat. Illam porrò anteriorem tempore nonnulli exiſtimant apud Cotelerium [u].

q 3. hiſt. cap. 32.

r Cod. 112. & 113.

ſ Lib. 4. Orthod. fidei, cap. 18.

t Lib. 4. cap. 13.

u In notis ad hanc epiſt. to. 2. Ss. Patr. &c.

4. De Latinis Clementis epiſtolis.

IV. Præter illas, aliæ quinque Decretales Epiſtolæ ex Iſidori compilatione in corpus Canonum per varia fragmenta translatæ ſunt. Prima inſcripta eſt *ad Jacobum fratrem Domini*, primum Hieroſolymorum Epiſcopum. Ea cum ſe poſt mortem Petri ſcriptam indicet, & Jacobus frater Domini ad quem ejus juſſu ſcripta dicitur, octo annis ante Petrum Hieroſolymis mortem obierit, teſte imprimis Hieronymo in libro de Viris illuſtribus; Petro Comeſtori [x], Marcilio Patavino, Joan-

x Hiſt. ſcholaſt. cap. 10.

ni à Turrecremata, Nicolao Cuſano, Joanne Driedo, in aliiſque, etiam Catholicis, admodùm ſuſpecta eſt: Baronius tamen ac Bellarminus non ad Jacobum, ſed ad Simeonem ejus fratrem ac ſucceſſorem, qui & ipſe frater Domini dicitur, miſſam fuiſſe conjiciunt. Hujus ſanè Epiſtolæ pars prior pervetuſta eſt, cùm & à Rufino Aquileienſi è Græco in Latinum ſermonem verſa ſit, ut ipſe Rufinus teſtatur[y], & laudetur à Patribus Concilii Vaſenſis ſeu Vaſionenſis II. an. 442. habiti [z]: ſed de poſterioris partis antiquitate minùs conſtat. Aliam ab hac diverſam anno Chriſti 1555. edidit Græcè Adrianus Turnebus. Secunda Epiſtola *ad* eundem *Jacobum* Hieroſolymorum Epiſcopum, de veſtibus & vaſis ſacris agit, iiſdemque de cauſis ac prior ſuſpicionem falſi pleriſque movet. Tertia *ad Choropiſcopos* & omnes fideles, quaſi Græcè ſcripta Rufinum præfert interpretem, videturque ex libris recognitionum Clementis ab alia potiùs hauſta, quàm à Clemente ipſo repetita. Quarta ſcripta *ad Julium & Julianum* diſcipulos, eſtque tota ex ſermone Petri, qui 6. recognit. lib. habetur. Quinta *ad fratres Hieroſolymis* cum Jacobo ſuprà memorato agentes, à Bellarmino, tum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, tum alibi, Clementis non eſſe ex eo imprimis arguitur, quòd in ea laudetur rerum omnium atque adeò uxorum communio, qui Nicolai Hereſiarchæ error fuit: & libro quidem recognitionum X. à Fauſtiniano Ethnico ſecundum dogma Platonis affertur, ſed à S. Clemente rejicitur.

y In præfat. præfixa libro recognit. Clem.
z Can. 6.

5. *Clementis Encyclicæ.*

V. Scripſit & alias Epiſtolas Clemens Romanus, quæ *Encyclicæ*, id eſt Circulares dictæ ſunt, quòd ad omnes Eccleſias ſcriptæ eſſent; quas Epiphanius [a] & Hieronymus [b] memorant. Verùm has ab illis quinque diverſas fuiſſe inde manifeſtè colligitur, quòd hi Patres in iis quarum meminere, impensè laudari Virginitatem tradant, atque ex eo adverſus Ebionem illam vituperantem argumenta ſumant: quorum in his quinque Decretalibus nihil occurrit.

a Hæreſi 30.
b Lib. 1. adverſ. Jovinian.

CAPUT XXV.

De Anacleto, & ſequentibus ſecundi ſæculi Pontificibus, eorumque Epiſtolis.

1. *De Anacleti tempore.*

I. CLEMENTI ſucceſſit in Pontificatu ANACLETUS Athenienſis, Antiochi filius, à quibuſdam Patrum cum *Cleto* confuſus. Hic ordine V. Romanam Eccleſiam rexit, annos 9. menſes 3. ac dies 10. à die III. Aprilis anno Chriſti CI. ſecundum Labbeum, quem in his ſequemur, ad diem XIII. Julii menſis, anni CX. quo die martyrio coronatus eſt.

2. *Ejus Epiſtola 1.*

II. Ejus titulo tres leguntur *Epiſtolæ*: Prima eſt *ad omnes fideles*, quam ſuſpectam faciunt tum Patriarcharum, Primatum Eccleſiaſticorum, Apocriſariorum & Patriciorum nomina, quibus utitur, poſt id temporis in Eccleſiam & Rempublicam invecta: tum quòd vulgatam *ſacrorum Codicum* Verſionem laudat, quæ nondum ſeculo Anacleti prodierat;

verba-

verbaque præterea uſurpet Concilii 3. Carthaginenſis, Damaſi, Ambroſii, Auguſtini, Ruffini, Ennodii, Aniani, & aliorum qui longo poſt tempore nati.

III. Secundam *ad Epiſcopos Italiæ*, falsò tribui Anacleto Contius cenſet in nota ad Canonem *provinciæ*, *diſt.* 99. ob ſimilem nimirùm rationem, quòd Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Primatum, legum Seculi, Comitum in ea mentio fiat: illæ autem voces poſterioribus ſeculis eo ſenſu uſurpari ceperint. Adde Concilii Nicæni, Damaſi, aliorumque juniorum, & Verſionis Vulgatæ verba ſub Anacleti nomine relata. *3. Epiſtola 2. Anacleti.*

IV. Tertia ***ad omnes Epiſcopos***, iiſdem de cauſis impugnatur: & ex eo quòd in hac quoque, ut in ſuperiore, ſeptuaginta diſcipuli ab Apoſtolis electi dicantur, quos tamen conſtat ab ipſo Chriſto Domino electos fuiſſe: quod *Cepham* autor *Caput* interpretetur, cùm ſit *Petra* ſive ſaxum: quòd Sardicenſis & Romani 1. ſub Gelaſio Concilii, Canonis 35. Apoſtolorum Dionyſio interprete, Clementis Epiſtolæ interprete Ruffino, ſcriptorumque his poſteriorum, tum loquendi formas, tum ſententias interpolatas exhibeat. *4. Ejuſdem Epiſt. 3.*

V. EVARISTUS & ipſe Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda Bethlemita, poſt tredecim dies ſuffectus in locum Anacleti, ſextus Eccleſiæ Romanæ præfuit, annos 9. cum 3. menſibus, ab anno Chriſti cx. Trajani XI. ad Chriſti cxix. quo martyrii lauream die xxvi. Octobris adeptus eſt. Titulos in urbe diviſiſſe Presbyteris traditur, ac ſeptem Diaconos inſtituiſſe, qui Epiſcopo prædicanti adeſſent. *5. Evariſti tempus & geſta.*

VI. Ejus nomine circumferuntur Epiſtolæ duæ: Prior ad *Epiſcopos Africæ*, cujus fidem elevat præter alia, Conſulatus Valentis & Veteris ad finem adjectus, qui in annum Chriſti 58. incidit. *6. Evariſti Epiſtola 1.*

VII. Poſterior *ad Ægyptios* fratres, fallaci quoque nota Conſulatus Galli & Braduæ laborare videtur. Hi enim Conſules fuere anno ſalutis 110. biennio ſcilicet antequam Evariſtus Pontificatum iniret, ex Baronii calculo: quamquàm non deſunt, qui ab illo anno ejus Pontificatum auſpicentur. *7. Epiſt. 2.*

VIII. ALEXANDER I. Romanus, Alexandro natus, Sedem Romanam ſeptimus inſidere cœpit eodem anno Chriſti 121. Adriani II. præfuitque annos decem, menſes (ex lib. de Romanis Pontificibus) ſeptem, ac duos dies: ex Baronio autem menſes quinque, dies viginti. Decretum feciſſe dicitur de Aqua aſperſionis ſale benedicenda, atque ad domeſticum uſum ſanctificanda: poſt multa miracula diris cruciatibus affectus, ac tandem ſecuri percuſſus eſt pro Chriſti fide anno 132. *8. Alexandri I. tempus & acta.*

IX. Tres ejus titulo inſcriptæ feruntur Epiſtolæ, in quibus de variis ritibus Eccleſiaſticis agitur, ipſius ſcito firmatis. ***Prima*** eſt ***ad Orthodoxos per diverſas provincias***, habetque Conſules Trajanum & Ælianum, cùm tamen ultimus Trajani Conſulatus, non Æliano, ſed Africano collega, incidat in annum Chriſti 114. Ælianus autem non cum Trajano, ſed cum Vetere Conſul fuerit anno 118. at Alexander nonniſi anno 121. Pontificatum inierit. Eadem nihilominùs Conſulum nota conſignantur ejus Epiſtolæ, tum ***Secunda ad Epiſcopos per diverſas conſtitutos regiones***: tum etiam ***Tertia*** ad *omnes Dei Sacerdotes*. *9. Epiſt. ejus.*

X. Cùm ab obitu Alexandri vacaſſet Pontificia Sedes dies viginti, ejus in lo- *10. Sixti I. tempus & res.*

Digitized by Google

in locum ſubrogatus eſt SIXTUS I. patria Romanus, patre nomine Paſtore, anno Chriſti 132. Adriani Imperatoris XIII. ſedit octavus numero Pontifex, fermè decennium, nempe uno menſe minùs, ac duobus & viginti diebus: martyrium paſſus anno 3. Antonini Pii: non ex aliqua hujus in Chriſtianos conſtitutione; ſed ex priorum Imperatorum edictis, vel per calumniam, ex odio magiſtratuum Romanorum in Chriſtianam religionem.

11. *Epiſtola 1. Sixti.*

XI. Leguntur ejus titulo Epiſtolæ duæ; Prima *ad omnes Epiſcopos*: in qua ſe Archiepiſcopum ſcribit, vix uſitato iis temporibus more, cùm tituli illius mentio primùm apud Epiphanium inveniatur in Panario, hæreſi 38. & 39. Quod opus non ante annum 374. putatur exaratum. Adſcribuntur autem huic Epiſtolæ Coſſ. Trajanus, id eſt fortè Hadrianus à Trajano adoptatus, & Ælianus: nullus tamen Ælianus cum Adriano in faſtis Conſularibus occurrit. Verùm ſuffectus quis eo nomine Conſul eſſe potuit. Suffectorum autem nomina, licèt rariùs, aliquando laudantur.

12. *Epiſt. ſecunda & Decreta.*
c Lib. 4. ep. 36. & alibi.

XII. In *ſecunda* Epiſtola ſe univerſalem Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopum Sixtus vocat, quod novatoribus diſplicet, quaſi univerſalis Epiſcopus nemo dici debeat, autore Gregorio Magno [c]: Si tamen accipiatur pro Epiſcopo univerſali, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ, tolerabile Blondello videtur. Extat & in Libro de Rom. Pontificibus Sixti hujus I. Decretum de Epiſcopis, qui Romam evocati fuerint, abſque Formata Romani Pontificis epiſtola non recipiendis apud ſuos; itemque aliud ne Vaſa ſacra ab aliis quàm à ſacratis miniſtris contingerentur. Ibidem etiam ſuperiorum Pontificum decreta quædam refricantur.

13. *Commentar. in LL.*
d Ad c. 22. Hieremiæ & in c. 18. Ezechiel.

XIII. Quòd autem Rufinus Aquilejenſis Presbyter Origeniſta Sixti Philoſophi Pythagoræi commentarium in linguam Latinam à ſe translatum nomine Sixti Papæ & martyris edidit (ſive Sixtum primum, ſive ſecundum ſignificare voluerit) in eo à S. Hieronymo reprehenditur [d].

14. *Teleſphori tempus & Decreta.*

XIV. TELESPHORUS, natione Græcus, & Anachoreta, poſtquàm Romana Sedes biduo vacaſſet, nonus Pontifex eam tenuit annos 2. menſes ferè novem, à VI. Idus, ſive VIII. Aprilis anni CXLII. Antonini Pii III. ad nonas ſive ad V. Januarii anno CLIV. quo quidem anno paſſus eſt, imperante adhuc eodem Antonino. Jejunii Quadrageſimalis inſtitutum ab Apoſtolis traditum, decreto ſanxit, quo ſeptem hebdomadarum numerum Clericis præſcripſit, teſtante Alcuino. Hoc decretum, quod in Euſebii Chronico vulgato confertur in annum CXXXVI. in manuſcriptis Codicibus non invenitur, ut nec alia pleraque decreta his priſcis Pontificibus aſſignata; quemadmodum obſervat Arnaldus Pontacus. Unde Scaliger ex ſua Euſebii editione hæc decreta ſuſtulit. Traditur idem conſtituiſſe, ut in Natali Domini Miſſæ noctu celebrarentur, utque ante ſacrificium recitaretur Hymnus *Gloria in excelſis Deo*.

15. *Unica Epiſtola.*

XV. Teleſphori nomen præfert unica *epiſtola ad Epiſcopos*; quæ ex Archiepiſcopi titulo, quem ſibi in fronte vindicat Teleſphorus, ſuſpecta fortè videri poteſt; at non ex nota Conſulatus Antonini & Marci; nam Antoninus Pius Imperator quartum, & Marcus Aure-

lius

lius Cæſar iterum Conſules fuerunt anno Chriſti cxlv.

16. Hygini tempus & res.

XVI. Diſtincto (ut par eſt) Cleto ab Anacleto (contra quàm Euſebius aliique exiſtimarunt) decimus ordine creatus Pontifex invenitur HYGINUS, ſive *Hyginius*, natione Græcus, patria Athenienſis, profeſſione priori Philoſophus, qui cepit die xiii. Januarii anno Chriſti clii. Antonini Pii XIV. & poſt annos quatuor, uno aut altero die minùs, ann clvi. matyrium xviii. Kal. Februarii, ſive xi. Januarii ſubiit. Is in libro de Romanis Pontificibus memoratur compoſuiſſe Clerum, & diſtribuiſſe Gradus: quod non eò pertinet ut Hierarchici ordines antea conſtituti non fuerint (contrarium enim ex Actibus Apoſtolorum & primi ſeculi Patribus patet) ſed ut aliquid ab eo ad antiquam formam additum videatur.

17. Epiſtolæ duæ ac Decreta Hygini.

XVII. Duas ipſius nomine habemus Epiſtolas, quarum altera *ad omnes fideles* xvii. Calendas Octobris, altera *ad Athenienſes*, x. Calendas Martii, Magno & Camerino Coſſ. data, incidit in annum Incarnationis cxxxviii. & ſic in Sixti Pontificatum. Alia ejus decreta ex Gratiano collecta tomo 1. Concil. extant.

18. Pii I. tempus & res.

XVIII. Poſt necem Hygini vacavit ſedes dies tres; at xv. Januarii anno Chriſti clv. ſuffectus eſt ejus loco PIUS I. Pontifex numero xi. Aquilejenſis, Rufini filius, frater Paſtoris qui & Hermes, de quo ſuo loco. Pio tamen nonnulli Anicetum præponunt. Dicitur autem Pius apud Euſebium in Chronico, decretum de Paſchate die Dominica celebrando edidiſſe, anno II. Pontificatus; quem uſum à Petro & Paulo acceptum ſemper ſecutæ ſunt omnes Occidentis Eccleſiæ, teſte Socrate [e]. Inſtitutum illud autoritate Ignatii, qui Petro in Antiochena Eccleſia ſucceſſit, confirmatur in Epiſtolis ad Magneſios & ad Philippenſes. Sedit Pius annos 9. menſes 5. dies 26. martyrio coronatus anno clxv.

e Lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 21.

19. Ejus Epiſtolæ.

XIX. Extant ejus Epiſtolæ duæ perbreves in Bibliotheca Patrum aurea ſimplicitate ejus viri & ſeculi ſanitatem præferentes, *ad Juſtum Epiſcopum Viennenſem*. Præter has leguntur & aliæ duæ prolixiores ejuſdem titulo, *Prima ad omnes Eccleſias*, vii. idus Aprilis Claro & Severo Coſſ. Secunda *ad Italicos fratres*, idibus Martiis, iiſdem Conſulibus, qui tamen Conſulatum geſſere anno clxx. Quo tempore ſediſſe Anicetum communis ſententia eſt, & magis recepta. Collecta ſunt à Gratiano complura ejus Pontificis decreta.

20. Aniceti tempus & res.

XX. ANICETUS, aliàs *Anicius*, natione Syrus, Joannis filius, poſt Hyginum ex probabiliore ſententia, ordine xii. ſedit annos 7. menſes ferè 9. à die xxv. Julii anni clxv. poſt Chriſtum natum, M. Aurelii & Lucii Veri Imperatorum V. ad diem xvii. Aprilis, anni clxxiii. quo martyrium paſſus eſt.

21. Unica ejus Epiſtola & Decretum.

XXI. Unica ejus fertur Epiſtola *ad Epiſcopos Galliæ*, in qua Archiepiſcopalis dignitatis, Primatus, Patriarchatus mentio nonnullis ſuſpecta videtur, tanquam ex poſteriori uſu repetita. Conſules adjecti Gallicanus & Rufinus, quorum Romulus Gallicanus cum Antiſtio Vetere, an. 150. Conſulatum geſſit, Teleſphoro Pontifice. Rufini plures ante & poſt Anicetum conſules fuere. Ei adſcribitur Decretum de Coma per Clericum non alenda.

22. Soteris tempus & res.

XXII. SOTER, Fundis in Campania, patre Concordio natus, poſtquam

Digitized by Google

quàm Sedes per ſeptemdecim dies vacaſſet, ſuffectus eſt in Aniceti locum Pontifex XIII. eodem anno clxxiii. die iv. Maii, Imperatoris Marci XIII. Sedem tenuit annos fermè quatuor, minùs duodecim diebus, nempe ad xxii. Aprilis anni clxxvii. Marci XVII. quo tempore martyrium implevit.

23. *Ejus decreta & Epiſtolæ duæ.*

XXIII. Nonnulla ejus Decreta in lib. de Pontificibus occurrunt; inque his illud, ne diaconiſſa ſacram pallam contingat, nec incenſum in Eccleſia ponat. Duæ illi tribuuntur Epiſtolæ: Prima *ad Campanos* data Ruſtico & Aquilino Coſſ. quorum annus ad Chriſti clxii. & ad Pii tempus refertur. Secunda *ad Italiæ Epiſcopos*, præfert Clarum & Cethegum Coſſ. id eſt, annum clxx. Aniceto congruentem.

24. *Eleutherii tempus & res.*

XXIV. ELEUTHERUS, ſive *Eleutherius*, natione Græcus, patria Nicopolitanus, ex patre Abundio, poſt dies undecim electus eſt, xiv. inter Romanos Epiſcopos: præfuit anno 15. cum tribus & viginti diebus, ab anno clxxvii. ac II. Maii, ad diem xxvi. Maii ſive vii. Kal. Jun. anno cxcii. Commodi Imperatoris 13. paulò ante ejus necem obiit. Martyr nuncupatur in omnibus martyrologiis, ut pro Chriſto vel occiſum, vel certè cruciatum appareat.

25. *Vnica ejus Epiſtola.*

XXV. Epiſtola nomine ipſius circumfertur *ad univerſas Eccleſias per Galliæ provincias Domino militantes*, quam adulterinam vel adulteratam eſſe obſervant Jac. Contius [f], Antonius Auguſtinus [g], & Baronius [h], propterea quòd quæ in ea de judiciis dicuntur, perſpicuè deprompta ſunt ex Conſtantini conſtitutione, eique adjecta interpretatione Aniani, quæ Codicis Theodoſiani lib. 1. habentur ſub titulo de Judiciis. In ea ad Epiſtolam martyrum Lugdunenſium & Viennenſium reſpondens auctor, ſuperſtitioſam Montani ejuſque ſectarorum xerogphagiam damnat. Adſcribuntur Conſules Julius Paternus & Bradua, ſed pro Julio Paterno, legendum videtur Triarius Maternus, cujus cum Attejo Bradua Conſulatus incidit in an. clxxxv. Eleutherii VI.

f Ad Can. ult. xxx. quæſt. 5.
g In cap 8. collect. Hadriani.
h Ad an. 182. num. 2.

26. *Victor tempuſque ejus & acta.*

XXVI. VICTOR Afer, Felicis filius, poſtquàm ſedes dies quinque vacavit, ei impoſitus eſt, ordine xv. præfuitque novem annos & menſes fermè duos; auſpicatus anno cxcii. Imperatoris Commodi ultimo, Kalendis Junii, & martyrio coronatus die xxviii. Julii anno cci. L. Septimii Severi Imperatoris ix. Aſianos Quartadecima Luna, in quemcumque diem incideret, cum Judæis celebrandum ex S. Joannis Evangeliſtæ præſcripto Paſcha, contra reliquarum Eccleſiarum morem pertinaciter contendentes, graviter literis objurgatos à communione removit ann. Chriſti 198. hanc ejus ſeveritatem improbante per literas Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi.

27. *Ejus Epiſtolæ ac Decretum.*

XXVII. Ea de re Victor duas Epiſtolas: alteram *ad Deſiderium Epiſcopum Viennenſem*; alteram ad *Paracodam* ejus provinciæ in Gallia *Epiſcopum* miſit, à Baronio ex Bibliotheca Floriacenſi à Gio: Boſco relata quæ Coſſ. carent, ſed à more ac ſtylo ejus ſeculi haud ſanè abhorrent. Ex Iſidoro autem duæ illi aliæ adſcribuntur Epiſtolæ. Prior ſub titulo univerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopi *ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum* (qui tamen eo tempore nullus fuit) Commodo & Gravione Coſſ. data, ubi ſi pro Gravione legas Glabrionem, annus erit 186. Eleutherii Pontificatu. Ab eo tamen ex Euſebio [i] diſcimus ſcriptam Epiſtolam *ad Theophilum*, non Alexandrinum, ſed *Ceſareæ* in Palæſtina *Epiſcopum*, cujus meminit Beda.

i Lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 22.

Beda. Verùm hanc ab illa quæ ad Theophilum Alexandrinum ſcripta dicitur, diverſam fuiſſe conſtat, ex eo quòd ibi Theophilo Cæſarienſi vices ſuas delegaſſe Victor memoratur, ut convocato Concilio, de Paſchatis celebratione inter Orientis Epiſcopos ageretur.

Poſterior Victoris apud Iſidorum Epiſtola *ad Epiſcopos per Africam conſtitutos* ſub titulo Eccleſiæ Romanæ & urbis Archiepiſcopi, ſi Conſules ſpectes Lateranum & Rufinum, qui ad annum 199. referuntur, vera eſſe poteſt. Traditur prætereà in libro de Romanis Pontificibus Victorem conſtituiſſe, ut quocumque loco inventus gentilis in Chriſtum crederet, baptiſmate ablueretur, & perfectus cenſeretur Chriſtianus.

CAPUT XXVI.

De ſeculi tertii Romanis Epiſcopis, eorumque Decretalibus.

I. ZEPHYRINUS, ſeu *Zepherinus*, patria Romanus, Abundi filius, ab VIII. Auguſti anno Chriſti 201. ad XXVI. Auguſti ann. 219. per annos octodecim ac totidem dies Eccleſiam rexit, ordine XVI. ſub Severo, Caracalla & Heliogabalo. Is Montaniſtas, inque his & Tertullianum anathemate devovit: ſub horum Imperatorum poſtremo obiit. *1. Zephyrinus.*

II. Ejus titulo duæ circumferuntur Epiſtolæ, Saturnino & Gallicano, vel potiùs Gallo Conſ. datæ, id eſt, anno Incarnationis ſecundum vulgarem computationem 198. nam eruditorum plerique 200. numerant. Prior Epiſtola *ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*, quemadmodùm & aliæ non paucæ Pontificum ſequentium Epiſtolæ, multa de ordine judiciario continet, quæ cum conſtitutionibus poſteriorum Imperatorum adeò conveniunt, ut ex iis deſumptæ videri poſſint, niſi malimus Imperatores ex his Pontificum Decretalibus leges ſuas hauſiſſe, quæ in Codice Theodoſiano & Juſtinianæo pluribus locis extant, ut obſervat Antonius Auguſtinus [a] in collectionem Adriani I. *2. Ejus Epiſtolæ.* *a Cap. 16.*

In poſteriore verò Decretali *ad fratres per Ægyptum Domino militantes*, Legum Imperatoriarum in gratiam Epiſcoporum promulgatarum, itemque apocriſiariorum mentio poſterius ſeculum indicat.

III. CALLISTUS ſeu *Calixtus I.* & ipſe Romanus, patre Domitio, XVII. ſedem obtinuit annis quinque, menſe uno ac diebus duodecim, à 2. Septembris anni 219. ad 14. Octobris anni 224. Poſt diuturnum carcerem, quotidiana verbera, & longam famem, è feneſtra præceps actus in puteum ſub Alexandro Severo. Priſcam traditionem celebrandi ter unoquoque anno (præter quadrageſimam ſcilicet Lege Teleſphori jam ſancitam) jejunii conſtitutionem confirmaſſe ſcribitur. *3. Calliſtus I.*

IV. Ipſius nomen præferunt Epiſtolæ duæ: Altera *ad Benedictum Epiſcopum*, Conſulibus Antonino & Alexandro anno Chriſti 222. in qua jejunium per quatuor tempora ſervari præcipitur, cum anteà ter quotannis ſervaretur: altera iiſdem Coſſ. *ad fratres per Gallias*, agit de gradibus conſanguinitatis, & de ſpirituali Epiſcoporum conjugio. Sed Antonius *4. Epiſtolæ Calliſti.*

b Lib. 2. de emendat. Gratiani.

nius Auguſtinus [b] has Calliſti epiſtolas à Romanis Correctoribus rejectas fuiſſe obſervat.

5. Urbanus I.

V. URBANUS I. Pontiano patre Romæ quoque natus, ordine XVIII. Pontifex, per annos ſex, ac ſeptem menſes cum quatuor diebus, Eccleſiæ præfuit ab anno 224. die 21. Octobris, ad diem 25. Maii anni 231. quo tempore ſecuti pro fide percuſſus interiit, Imperatore Alexandro Severo. Dicitur omnia ſacri miniſterii vaſa argentea feciſſe.

6. Ejus Epiſtola.

VI. Ei aſſignatur Decretalis unica *ad omnes Chriſtianos*, ſub jam memorato Conſulatu Antonini & Alexandri, menſe Septembri (niſi potiùs legendum Novembri, cùm Pontificatum nonniſi 21. Octobris ejuſdem anni inierit.) In ea epiſtola inter cætera, quædam admixtæ ſunt Codicis Theodoſianæ ſententiæ.

7. Pontianus.

VII. PONTIANUS, patria Romanus, patre Calpurnio, in locum Urbani electus, poſtquam ſedes 30. dies vacaſſet, numero XIX. ſedit annos quatuor, cum menſibus ferè quinque, à die Junii 24. anni 231. ad diem 19. Novembris anni 235. qua fuſtibus cæſus Maximini Imperatoris juſſu, martyrium conſummavit in Sardinia, quò ab Alexandro Severo relegatus fuerat.

8. Ejus Epiſtolæ.

VIII. Duæ ipſius nomine leguntur Epiſtolæ: Prima *ad Felicem Succribonum*, aut fortè *Scribonem*: Secunda *ad omnes rectè Dominum colentes, & divinum cultum amantes*, ambæ Severo & Quintiano Coſſ. anno ejuſdem Pontiani ultimo. In iis quædam notantur quæ ex Gregorio deſumpta videri poſſunt.

9. Anterus.

IX. Cum vacaſſet Epiſcopatus dies tredecim, ſubrogatus eſt in Pontiani locum ANTERUS, natione Græcus, ex patre Romulo. Is inter Pontifices XX. vix ultra menſem in munere Pontificio implevit, martyrio decoratus 3. Januarii anno 136. quòd geſta martyrum à notariis magiſtratuum acta ſcribentibus diligenter exquireret, atq; in Eccleſia reconderet.

10. Ejus Epiſtola.

X. Unica ei tribuitur Epiſtola ſine die & conſule ſcripta *Epiſcopis provinciarum Bæticæ & Toletanæ in Hiſpania*. Nomen tamen Toletanæ provinciæ habita temporum ratione non abs re ſuſpectum eſt Antonio Auguſtino [c].

c In collectione Adriani I. cap. 61.

11. Fabianus.

XI. FABIANUS Romanus, Fabii filius, annis quindecim atque inſuper diebus quinque, Imperatoribus Maximino ac Decio, Apoſtolicum thronum Vigeſimus primus obtinuit, annos 15. dies 5. à die 15. Januarii 236. ad diem 20. ejuſdem menſis, anni 251. quo tempore martyrio perfunctus pro Chriſti fide occubuit.

12. Ejus Epiſtola.

XII. Præferuntur ejus titulo tres Epiſtolæ. Prima *ad omnes Eccleſiæ Catholicæ comminiſtros* Maximino & Africano Coſſ. id eſt, anno 238. quam ſuppoſititiam Baronius agnoſcit, quòd Novatiani per Novatum à communione ſegregati meminit, quod ſub Cornelio tantùm contigiſſe colligitur ex S. Cypriani Epiſtolis [d]. Secunda *ad omnes Orientales Epiſcopos*, Antonio Auguſtino [e] ſuſpicionem movet, quoniam curiæ ſervitutem velut Eccleſiaſticam pœnam conſtituit; & apocrypham quibuſdam videri fatetur Poſſevinus [f]. Tertia *ad Hilarium* Africano & Decio Coſſ. ubi, ſi pro Africano legas Annium Gratum, poterit eſſe annus 252. Chriſti: ſed de hac quoque dubitat Antonius Auguſtinus [g], quia quæ in ea de appellatione habentur, ea ex Aniano Codicis Theo-

d 49. 52. & 76.

e In cap. 38. collectionis.

f In Apparatu ſacro.

g In ejuſd. collect. cap. 34.

Digitized by Google

Theodoſiani interprete ad verbum videntur deprompta.

XIII. Poſt Fabiani necem vacavit Romana Sedes per annum; quo intervallo plures à S. Cypriano & Clero Carthaginenſi ad Clerum Romanum & viciſſim ſcriptæ ſunt Epiſtolæ, de quibus videndus idem Cyprianus.

13. *Epiſtolæ Cleri Romani Sede vacante.*

XIV. CORNELIUS ordine XXII. Romæ natus Caſtino patre, invitus ac reluctans divino judicio creatus eſt 30. die Aprilis ann. 251. Pontifex XXII. Eccleſiam anno uno, menſibus 4. diebus quindecim rexit, ad diem 14. Septembris anni 253. Adverſus eum Novatianus Præsbyter ſeſe efferens Romanam Eccleſiam ſchiſmate primus diviſit. Cornelius verò Centumcellas in exilium cum aliis compluribus ob fidem miſſus, tandem martyrii coronam retulit, Gallo & Voluſiano imperantibus.

14. *Cornelius.*

XV. Ei tribuuntur apud Iſidorum Epiſtolæ duæ: altera Decio & Maximo Coſſ. data, anno nimirum ſecundum Baronium 254. menſe Septembri *ad ſanctæ Dei Eccleſiæ filios*, quam, eò quòd dirutum tunc temporis S. Petri ſepulcrum, ejuſque & S. Pauli ſacra lipſana ad catacumbas translata referat, non uſquequaque exploratæ fidei eſſe, probat Baronius anno 221. Altera *ad Rufum*, aliàs *Ruſticum* Epiſcopum menſe Majo, & ipſa fidei non ſatis certæ fertur, & Tertia *ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum* non omninò dubio carens.

15. *Ejus Epiſtolæ dubiæ.*

XVI. Indubitatæ autem ipſius Epiſtolæ ad Fabianum Antiochenum fragmenta extant apud Euſebium [h], atque ejuſdem S. quoque Hieronymus meminit: ſunt & aliæ duæ ejuſdem Pontificis ad Cyprianum inter hujus opera.

16. *Epiſtola Cornelii vera.*

h Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 35.

XVII. LUCIUS I. Romanus, Porphyrii filius, unus ex Presbyteris Confeſſoribus, qui cum Cornelio, quòd fidem Chriſtianam confeſſi eſſent, in exilium miſſi fuerant, ei poſt dies 35. ſuffectus, ac brevi poſt relegatus, ſedit XXIII. numero, annum unum, & quatuor menſes ac dies decem, à 20. Octobris anni 253. ad diem 4. Martii anni 255. quo paſſus eſt, imperantibus Valeriano & Gallieno. Statuit inter cætera ut duo Presbyteri cum tribus Diaconis ſemper Epiſcopum comitarentur, ut morum ac vitæ ipſius teſtes apud Eccleſiam eſſent.

17. *Lucius I.*

XVIII. Epiſtola ei tribuitur *ad omnes Galliæ atque Hiſpaniæ Epiſcopos*, Kalendis Aprilis, Gallo & Voluſiano Conſſ. id eſt anno 255. quo quidem anno Pontificatum Lucius iniit, ſed menſe Octobri.

18. *Lucii I. Epiſtola.*

XIX. STEPHANUS I. patria Romanus, Julii filius, poſt dies 35. creatus eſt ſummus Pontifex ordine XXIV. præfuitque Eccleſiæ annis duobus, menſibus tribus ac diebus 22. à die nona Aprilis anno 255. ad ſecundam Auguſti anno 257. quo tempore martyrii palmam eſt adeptus, ſub Valeriano & Gallieno.

19. *Stephani I.*

XX. Duæ Decretales ejus nomen præferunt. Prior *ad Hilarium Epiſcopum*, menſe Majo ſub Conſulatu eorumdem Imperatorum, id eſt, anno 255. ipſius Stephani primo. Poſterior *ad omnes Epiſcopos*, iiſdem Conſſ. 9. die Aprilis, qua quidem die electus ſcribitur Stephanus.

20. *Ejus duæ Decretales.*

XXI. SIXTUS II. aliis *Xyſtus*, Athenienſis, ex Philoſopho Epiſcopus Romanus XXV. ſedit annum unum demptis octodecim diebus: poſtquam ſedes diebus 21. vacaverat, ad eam vocatus die 24. Auguſti anno 257. eamdem

21. *Sixtus II. tempus ejus & res.*

dem

dem tenuit ad ſextam Auguſti anno ſequenti: qua die pro Chriſti religione cæſus eſt, Imperatoribus iiſdem, triduo ante S. Laurentium Diaconum ſuum.

22. Ejus Epiſtolæ duæ.

XXII. Ei aſſignantur Epiſtolæ duæ: *ad Gratum Epiſcopum* Valeriano & Decio Conſulibus, quæ Conſulatus nota haud dubiè falſa erit, niſi Gallienum pro Decio legamus: II. *ad Epiſcopos per Hiſpaniarum provincias conſtitutos*, ejuſdem ſuppoſititii Conſulatus adjectione ſuſpecta.

23. Dionyſius, tempus ejus & res.

XXIII. DIONYSIUS, natione Græcus, qui monaſticam vitam in ſolitudine aliquando egerat, numero XXVI. creatus eſt duodecimo ſive pridie Idus Septembris anno 258. poſtquàm ſedes vacaſſet dies 36. Sedit ad 25. Decembris, ſive ſeptimum Kalendas Januarias ann. 270. per annos duodecim, menſes tres, & dies quatuordecim. Pacata morte defunctus ſub Aureliano in Domino obdormivit. Scripſit adversùs Sabellium ejuſve Sectatores, & Paulum Samoſatenum, teſte D. Athanaſio.

24. Duæ ejus epiſtolæ.

XXIV. Ejus nomine duæ circumferuntur Epiſtolæ Decretales, altera ad *Urbanum præfectum* nonis Februariis Aureliano & Baſſo Conſſ. id eſt anno Chriſti 272. altera *ad Severum Epiſc.* 5. Id. Sept. Claudio & Paterno Conſſ. id eſt anno 270.

25. Felix I. ejuſque Decretum.

XXV. FELIX. I. Romanus, Conſtantii filius; cùm Epiſcopatus dies quinque vacaſſet, electus eſt ordine XXVII. ſeditque annos quatuor, menſes quinque, uno die minùs, ab ultimo die anni 270. ad diem 30. Maji anno 275. quo tempore martyrio vitam finiit. Dicitur ſcripto Decreto conſtituiſſe ut ſuper Sepulcra vel Memorias martyrum Miſſæ celebrarentur.

26. Ejus epiſt. vera.

XXVI. Epiſtolam ſcripſit *adverſus errores Pauli Samoſateni & Sabellii.* Hujus fragmenta extant apud Cyrillum Alexandrinum [i], & in Concilio Chalcedonenſi [l].

i In Apologia.
l Act. 1.

27. Tres aliæ ejus epiſtolæ.

XXVII. Apud Iſidorum, aliæ tres Epiſtolæ eidem adſcribuntur. Prima *ad Paternum Epiſcopum*, Claudio & Aureliano Conſſ. ubi ſi pro Aureliano legas Placidianum, erit annus 272. Secunda *ad univerſos Galliæ Epiſcopos*, Claudio & Paterno Conſſ. III. *ad Benignum Epiſcopum* Conſſ. iiſdem, id eſt anno 268. quod tempus ad Dionyſii Pontificatum refertur.

28. Hic ceſſat diverſa annorum Pontificiorum computatio.

XXVIII. Hactenus ſupputatio Baronii, à calculo Scaligeri, Petavii, & aliorum biennio differt. Hoc diſcrimen ex eo proficiſcitur quòd alii vulgarem Chriſti æram, qua ſcilicet annos ab Incarnatione Domini numeramus, à vero Chriſti natali non diſtinguunt; alii autem contendunt verum natalem Domini biennio priorem eſſe recepto Epochæ Chriſtianæ capite.

29. Eutychianus.

XXIX. EUTYCHIANUS, natione Tuſchus, patria Lunenſis, Marino patre, poſt quinque dies ſubſtitutus in locum Felicis, numero XXVIII. ſedit annos octo, menſes ſex, dies quatuor, à 4. die Junii anno 275. ad diem 8. Decembris anno 283. quo martyrium ſubiit, Carino & Numeriano Conſulibus.

30. Ejus Epiſtolæ duæ.

XXX. Duæ ipſi Epiſtolæ aſſignantur: Altera *ad Joannem & omnes Epiſcopos per Bæticam provinciam conſtitutos*, Aureliano & Marcello Conſſ. ubi reponendum *Marcellino* pro Marcello, ut ſit anno Chriſti 274.

Altera

Altera *ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*, Conſſ. Caro iterum & Carino, id eſt, anno 283. ſcripta notatur 13. Kalendas Octobres. Hujus Epiſtolæ partem, ſi tempora paterentur, ex conſtitutione Honorii & Theodoſii[m] ſumptam eſſe ſuſpicatur Antonius Auguſtinus[n], aut eam conſtitutionem Eutychiani verbis conſcriptam eſſe. m L. ult. Cod. de accuſat. n In collect. Adriani L. cap. 7.

XXXI. CAJUS ſive *Gajus*, natione Dalmata, Cajo, vel, ut alii volunt, Maximo ſeu Maximino patre, ex Diocletiani Imperatoris genere, ſedit ordine xxx. per annos duos, menſes 4. cum diebus quinque: à die nimirum 17. Decembris anno 283. ad diem 22. Aprilis anno 296. Pro Chriſto martyrium paſſus ſub Diocletiano & Maximiano. 31. *Cajus*.

XXXII. Ejus nomine circumfertur Epiſtola unica *ad Felicem Epiſcopum*, Calendis Martiis, Diocletiano ſextùm & Conſtantio iterum Conſulibus, id eſt, anno 296. Gaii ultimo. 32. *Ejus epiſtola unica*.

XXXIII. MARCELLINUS, patria Romanus, patre Projecto, poſt dies undecim in deceſſoris locum ſubrogatus, ſeculum Chriſti tertium clauſit, & quartum aperuit, numero trigeſimus, rexit Eccleſiam annis ſeptem, menſibus undecim, ac diebus viginti ſex, à 3. ſcilicet Maii anni 296. ad 26. Aprilis anni 304. ſecuri pro Chriſti fide percuſſus, imperantibus Conſtantio Chloro & Galerio. 33. *Marcellin.*

XXXIV. Præferunt ejus titulum Epiſtolæ duæ: I. *ad Salomonem Epiſcopum*, Idibus Septembris, Diocletiano VI. & Conſtantio II. Conſulibus, id eſt, anno 296. Altera *ad Epiſcopos per Orientales provincias conſtitutos*, Diocletiano VII. & Maximiano VI. Conſulibus, anno nempè Chriſti 299. quarum neutra extra tempora hujus Pontificatus excurrit. 34. *Ejus duæ epiſtolæ*.

CAPUT XXVII.

De ſummis Pontificibus qui Eccleſiam ſeculo IV. rexerunt, & eorum Decretalibus.

I. MARCELLUS, quem nonnulli perperam cum *Marcellino* confundunt, ac pro eodem ſumunt, patria Romanus, Benedicti filius, creatus eſt Pontifex numero xxxi. poſtquàm ſedes vacaſſet 6. menſes cum diebus 25. Sedit annis quatuor, menſibus circiter duobus, à die 20. Novembris anni 304. ad diem Januarii 16. anni 309. Quo die ſub Maxentio martyrium conſummavit. 1. *Marcellus*.

II. Ejus duæ Epiſtolæ apud Iſidorum habentur. Prior *ad Epiſcopos Antiochenæ provinciæ*, Calendis Aprilis, Maxentio & Maximo Coſſ. id eſt, anno Chriſti 309. qui annus in faſtis notatur poſt Conſulatum Diocletiani & Valerii. Verùm eodem anno menſe Januario Marcellus obierat: unde falſa Conſulatus nota rejicienda videtur hæc Decretalis, niſi fortè pro Maxentio Conſtantinum cum Maximo Conſulem legamus: ſic enim erit annus 308. Poſterior Epiſtola *ad Maxentium tyrannum* (qui à Chriſtiana religione non alienum ſe ab initio ſimulaverat) 16. Calendas Februarias 2. *Epiſtolæ Marcelli*.

Digitized by Google

iiſdem Coſſ. id eſt, die quo Marcellus ex recepto calculo obiit. Hanc tamen Epiſtolam pro vera Baronius habet: ſed ita ut fateatur additamentum aliquod extrinſecùs accepiſſe, quòd cunctæ res ibi ſcriptæ non omnino ſibi cohærere videantur. Binius ſubreptitia putat, quæ interjecta ſunt ab eo loco qui incipit, *Synodorum ergo*, ad verba, *hac vobis*. Reliquorum autoritatem aliquatenus adſtruit Marcelli epitaphium à Damaſo poſtea conſcriptum, quod habetur inter antiquas inſcriptiones in appendice, pag. 1172. num. 3.

3. Euſebius.

III. EUSEBIUS, natione Græcus, patre Medico, poſt dies viginti dictus eſt Pontifex Romanus numero XXXII. die 5. Februarii anno 309. vixitque ad diem 26. Septembris anni 311. Sedit itaque Conſtantino cum Maxentio imperante, annis duobus, menſibus 7. ac diebus inſuper 21.

4. Ejus Decretales.

IV. Tres Decretales illi tribuuntur. Prima *ad Epiſcopos per Gallicanas provincias conſtitutos*, Calendis Auguſti, Conſtantino Conſule, qui Conſulatus illis tribus annis quibus ſedit Euſebius, non convenit. Secunda *ad fratres per Alexandriam* (id eſt apud Alexandriam & per Ægyptum) *Domino militantes*, Calendis Octobris eodem Conſulatu notata. Tertia *Epiſcopis per Tuſciam & Campaniam conſtitutis*, adjecta ejuſdem Conſulatus nota. In hac quæ de inventa Cruce Domini memorantur ſubdititia Binius agnoſcit.

5. Melchiades.

V. MELCHIADES, aliis *Miltiades*, natione Afer, poſtquam ſedes ſeptem diebus vacua fuit, electus, in ordine Pontificum Romanorum XXXIII. 5. Nonas, ſive 3. die Octobris anni 311. Sedit annis duobus cum totidem menſibus, ac ſeptem diebus: Obiit incruenta morte, die 10. Decembris anni 313.

6. Epiſtolæ Melchiadi attributæ, ac Decretum ejuſdem.
a Ad ann. 312. num. 8.
b In notis ad eam Epiſtolam.
c In Can. futuram XII. qu. 1.
d Practic. quæſt cap. 31. §. 1. & variar. reſolut. lib. 4. cap. 6.

VI. Duæ ipſi apud Iſidorum Epiſtolæ aſſignantur. Altera *de Primitiva Eccleſia, & munificentia Conſtantini* Magni Imperatoris erga eandem, quæ, quòd ejus Donationis & Nicæni Concilii poſt Melchiadis mortem proculdubio habiti meminerit, falſi damnatur; tum à Baronio [a] & Binio [b], tum à cenſoribus decreti Gratiani [c], & à Covarruvia [d]. Altera Epiſtola *ad Matrinum & cæteros Hiſpaniarum atque in illis partibus Epiſcopos* ſcripta notatur Calendis Martii, Coſſ. Voluſiano & Rufino, hoc eſt anno 314. poſt mortem ſcilicet Melchiadis. Ab eo Decretum fuiſſe traditur, ut Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratione Epiſcopi dirigerentur, quod appellatur *fermentum*, in ſymbolum nempe unionis & concordiæ Presbyterorum in ſuis titulis ſynaxin celebrantium cum Epiſcopo.

7. Silveſter.

VII. S. SILVESTER Pontifex, ordine XXXIV. Romæ natus, patre Rufino. Sedit annis 21. menſibus 11. uno die minùs, à Calendis Februarii anno 314. ad anni 335. diem ultimam Januarii. Sub hoc, Eccleſiam ſublevante Conſtantino, liberè celebrari *Concilia* cœperunt, univerſalia nimirum; habitumque imprimis eſt Nicææ in Bithynia œcumenicum primum anno Chriſti 325.

8. Epiſtola ac Decreta ei adſcripta.
e Ad annum 325 num. 171.
f In notis ad 3. Synodum Romanam ſub Silveſtro.

VIII. Ei à quibuſdam adſcribitur Epiſtola ſpuria, *de donatione Conſtantini*, de qua in Melchiade. Extat & ad eum Epiſtola nomine Synodi Nicænæ, cum ejuſdem ad Synodum reſponſione, Conſtantino ſepties (vel ut alii volunt octies) & Conſtantino Cæſare IV. Coſſ. id eſt, anno Chriſti 326. quam mendoſiſſimam & commentitiam cenſent Baronius [e] & Binius [f]. Præfe-

runtur

Digitized by Google

runtur quoque ejus Decreta & acta, in quibus diſputatio contra Judæos coram Conſtantino inita, draco peſtifer intra ſpecum incluſus, baptiſma Conſtantini memorantur: quæ quidem Acta Romæ aliiſque in Eccleſiis ante Gelaſium legebantur, ut patet ex ejuſdem Gelaſii Decreto in Synodo Romana: licèt non uſquequaque habeantur indubitata.

IX. MARCUS, Priſci filius, patria Romanus, cùm ſedes vacaſſet dies 15. in Silveſtri locum ſuffectus eſt die 16. Januarii: ſedit ordine xxxv. menſes 8. dies 22. imperante magno Conſtantino, ad VII. Octobris anni CCCXXXVI. *9. Marcus.*

X. Exſtat apud Iſidorum Athanaſii & Ægyptiorum Epiſcoporum ad eum Epiſtola, qua petunt Nicæni Concilii, cujus exempla cum cæteris Eccleſiæ Alexandrinæ libris ac ſupellectile combuſta fuerant, alia exemplaria ex Eccleſiæ Romanæ Tabulario ad ſe tranſmitti: adiiciunt prætereà præſentibus ipſis octoginta Capitula in ea Synodo fuiſſe tractata, ſcilicet quadraginta à Græcis Græco edita ſermone, & quadraginta à Latinis ſimiliter Latina lingua: ſed viſum eſſe 318. Patribus ejuſdem Concilii, & maximè Alexandro Alexandrino, & Apoſtolicæ Sedis Apocriſariis, ut decem Capitula adunarentur aliis, atque congruis locis infererentur, & ad formam 70. diſcipulorum, vel potius totius orbis terræ linguarum, ſeptuaginta fierent Capitula. Ex hac Epiſtola decerptus eſt Canon 12. *diſt.* 16. Legitur ibidem Marci Papæ reſponſio data x. Kal. Novembres Nepotiano & Secundo Coſſ. qua reſcribens Athanaſio ſignificat ſe exemplum ex autographo 70. Nicænæ Synodi Capitulorum, quod inventum eſſet in Eccleſiæ Romanæ Scriniis exſcriptum, apocriſariis ejus Synodi tradidiſſe. Sed ſuppoſititiam hanc utramque Epiſtolam agnoſcunt pluribus de cauſis Baronius [g], & Bellarminus [h]. Potiſſima eſt, quòd ea Bibliothecæ Alexandrinæ conflagratio nonniſi Conſtantio Imperatore contigerit, Pontifice Liberio, anno 356. quo tempore Georgius Cappadox Arianus, expulſo Athanaſio, in ejus locum per vim eſt ordinatus, ut ipſe Athanaſius [i] teſtatur. Conſtat autem ex Chronico Hieronymi Marcum Pontificem Romanum è vivis exceſſiſſe anno 336. ante annos ſcilicet viginti, & Athanaſium eo tempore non Alexandriæ degiſſe, ſed in Gallia exulaſſe. Mitto Nepotiani in Conſulatu collegam *Facundum*, non *Secundum* fuiſſe: additumque Epiſtolæ Marci nomine ſcriptæ diem x. Kal. Novembres, id eſt, 23. Octobris, cum 7. ejuſdem menſis jam obiiſſet Marcus. Sed facilis hic & condonandus Librariis error. At quis ferat pro vero certoque affirmari numerum Septuaginta Concilii Nicæni Canonum, qui Romæ & Alexandriæ exiſterent; cùm ejus rei nulla mentio fuerit in celebri controverſia quæ inter Zoſimum ac Bonifacium Pontifices Romanós & Eccleſiam Africanam agitata poſteà fuit de illorum Canonum numero? *10. Ejus Epiſtola.*

g Ad ann. 336.
h De Romano Pontifice lib. 2. c. 25. & lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. in Athanaſio.
i In Epiſtola ad omnes Orthodoxos.

XI. JULIUS I. in Pontificum Romanorum ordine XXXVI. Romanus, Ruſtici filius, die 20. à ſede vacante creatus, eam tenuit annos ſedecim, menſes quinque, à die 27. Octobris anni 336. ad diem 12. Aprilis anni 352. imperante Conſtantio, partim etiam duobus aliis magni Conſtantini filiis, Conſtantino & Coſtante. *11. Iulius.*

XII. Scripſit haud dubiè Julius anno 342. objurgatoriam Epiſtolam *ad Orientales Epiſcopos* in cauſa S. Athanaſii; ejuſdemque, aut ſaltem Synodi Romanæ tertiæ ſub eo habitæ Epiſtole ex ipſius Athanaſii apologia 2. Conciliorum collectioni eſt inſerta. Scripſit ann. 349. *ad Alexandrinos* Epiſtolam *12. Epiſtolæ ac Decreta Iulii I.*

 gratu-

gratulatoriam de Athanaſii ejuſdem reditu. At quas Iſidorus protulit quaſi *Orientalibus Epiſcopis* ſcriptas, cum horum ad priorem reſponſione, earum priorem Binius aliquatenus tuetur, Baronius & alii ſuppoſititiam utramque fatentur; quamvis ex veræ fragmentis quæ apud Socratem, Theodoritum, Sozomenum exſtant, hauſta non pauca contineant. Baronius [l] mendum chronographicum prioris obſervat imprimis, quòd Feliciano & Maximo ſeu Maximiano Coſſ. conſignata ſit, cum faſtorum conſenſu Feliciano Conſuli nullibi, niſi Titianus Collega jungatur: & quòd Romanæ ſub Julio Synodi his de rebus habitæ tempora non cohærentibus inter ſe characteribus notentur, anno ſcilicet quarto Conſtantii, Indictione 6. & prædictis conſulibus. At quartus Conſtantii annum Chriſti 340. denotat, quo Conſules erant Acyndinus & Proculus: Indictionis autem illius nimirum 13. annus 6. cadit in annum 333. Conſulatus denique Feliciani & Titiani convenit anno Chriſtiano 337. Atqui inde verò conſtat Julium ad Orientales Epiſcopos Euſebianos non antè (ipſo Athanaſio deprecante) ſcripſiſſe, quàm ei arbitrium cauſæ ab iiſdem commiſſum fuiſſet; quod nonniſi anno 339. factum: unde apparet hanc ad eos Epiſtolam non ante annum 340. ſcriptam eſſe.

l Ad ann. 337. num. 67.

Nec abſimilibus vitiis laborat altera Julii apud Iſidorum Epiſtola, eorumdem nempe Conſulum mendace nota, cum pluribus veræ rerum geſtarum hiſtoriæ adverſis, quæ Binius ipſe obſervat. His addit Antonius Auguſtinus [m] ſuppoſititios quatuor & viginti Nicæni Synodi Canones in ea Epiſtola prolatos, à viginti receptis omnino diverſos. Sed tamen quæ ad Romanæ Sedis circa celebrandas Synodos, & Epiſcoporum judicia autoritatem pertinent, ea ſanè in germano apud Athanaſium Julii ad Orientis Epiſcopos Reſcripto reperiuntur: ut nec falſarum literarum fulcris illius Sedis poteſtas indigeat, nec ex eo capite falſi arguendæ veniant Epiſtolæ aliæ antè memoratæ. Cæterùm præter indubitatas ex Athanaſio Epiſtolas ad Orientales Epiſcopos, atque ad Alexandrinos Epiſtolam, habetur etiam fragmentum Epiſtolæ Julii *ad Decimum* in actis Concilii Epheſini primi [n]: leguntur & ejuſdem Julii *Decreta* decem apud Ivonem Carnotenſem, & Gratianum, quæ in tomo 2. Conciliorum editionis Pariſienſis ann. 1671. collecta ſunt. At Epiſtola *ad Dionyſium Corinthi* Epiſcopum, de Incarnatione Domini, quam Gennadius [o] Julio Papæ adſcribit, eam Leontius [p] re diligentiùs explorata, demonſtrat Apollinaris hæreſiarchæ partum revera fuiſſe.

m Lib. 1. de emendat. Grat. dial. 20.

n Parte 2. act. 1

o De Scriptor. Eccleſ.

p De Sectis act. 8. in Biblioth. Patrum.

13. *Liberius.*

XIII. LIBERIUS, Romanus, patre nomine Auguſto, vacantem per quinque & viginti dies ſedem XXXVII. accepit 8. Maii anno 352. tenuitque ad 9. Septembris anni 367. annis quindecim, menſibus quatuor, ac die uno; idque imperantibus Conſtantio primùm, à quo dirè vexatus ob cauſam Athanaſii; tum Juliano, deinde Valentiniano & Valente.

14. *Ejus Epiſtola & Decreta.*

XIV. Exſtant Epiſtolæ Liberii nomine plures integræ, & quæ tum ex Hilarii fragmentis, tum ex actis Euſebii Vercellenſis depromptæ, quidam etiam ex Codice Vaticano prolati à Baronio Centones. Harum duæ, quarum altera *ad Orientales Epiſcopos*, altera *ad Urſacium, Valentem, & Germinium* inſcribitur, quæ in Biniana & Regia Conciliorum collectione 8. & 9. loco ponuntur, & quibus S. Athanaſii, tanquam ab eodem Liberio ſub Pontificatus primordia damnati, mentio fit, confictæ ab

Arianis

Arianis creduntur, ut refelleretur Liberii purgatio, qua conteſtatus e-
rat, ſe nonniſi vi à Conſtantio adactum ad ejuſmodi damnationem pro-
ceſſiſſe aſſeverantis: *Septimam*, quæ incipit ab his verbis, *Pro Deifico ti-
more*, ad Orientales Epiſcopos Liberius biennalis exilii tædio ac mortis
metu victus reverà ſcripſit, poſt Felicem in Pontificiam ſedem ſubroga-
tum. In ea ſignificat ſe latam adverſus Athanaſium ſententiam approbare,
ejuſque autores (Arianos) admittere ad communionem, fideique profeſ-
ſioni Sirmii editæ ſubſcribere. *Decima* pacem cum Orientalibus; *Undecima*
indulgentiam ſuadet erga eos qui fraude Arianorum circumventi apud Ari-
minum, Nicænam confeſſionem amplecterentur; eique *Duodecima* Epi-
ſtola, quæ & Græcè exſtat, ad Athanaſium ſcripta, ſe adhærere teſtatur.
Decima tertia Græco etiam exarata ſermone, Pacifica eſt ad Orientales,
quibus ſimulata Semiarianorum profeſſione deceptus, communionem
reddit. Jam quæ his ſubjungitur *Athanaſii*, & Ægyptiorum Epiſcopo-
rum ad *Liberium* Epiſtola de oppreſſionibus Arianorum, cum reſponſo-
ria Liberii, communi calculo inter falſi ſuſpectas habetur, ob fictitios
præſertim conſules: nec majorem habet fidem *Athanaſii* reſponſum ad *Li-
berium*. Proferuntur & tria Liberii *Decreta* ex vetuſto Codice ſedecim li-
brorum [q], ad jejuniorum obſervationem ſpectantia. q Lib. 13. cap. 9. 10. 12.

XV. FELIX ſecundus, patria Romanus, Anaſtaſio patre, in Liberii 15. *Felix II.*
exulantis locum factione Arianorum ſuffectus, à quibuſdam tamquam
intruſus, ab aliis XXXVIII. Pontifex numeratur. Et ſanè orthodoxæ fidei
ſe vindicem præbuit, damnato ob hæreſim Conſtantio Imperatore, à quo
Pontificia dignitate dejectus, ac morte affectus apud oppidum Tuſciæ Cæ-
tæ, die Julii 29. anno 357.

XVI. Epiſtolæ duæ, quæ ejus præferunt nomen, ſpuriæ cenſentur, tum 16. *Ipſius Epi-
ea qua ſuppoſititiæ *Athanaſii* & Ægyptiorum ex Synodo Alexandrina Epi- ſtola.*
ſtolæ *reſcripſiſſe* dicitur; tum ea quæ ad *eoſdem & reliquos Domini Sacer-
dotes* inſcripta eſt, & uno ac viginti articulis diviſa: neque enim eo tem-
pore Athanaſio in latebris agenti vacabat Synodum Epiſcoporum cogere;
neque Felici communicaturum fuiſſe colligere eſt ex ipſius Athanaſii Epi-
ſtola ad ſolitariam vitam agentes. Conſules præterea fictitii, Agarius &
Julianus, quorum ille nullibi cognitus, fidem horum omnium elevant,
aut potiùs convellunt.

XVII. DAMASUS I. Hiſpanus, Antonii filius, legitimè, non tamen 17. *Damaſus I.*
ſine ingenti Urſini fautorum tumultu, electus 15. Septembris ann. 367.
ſedit numero trigeſimus octavus, ad undecimum Decembris anno 384.
per annos 17. menſes 2. dieſque inſuper 27. imperantibus Valentiniano ſe-
niore & Valente, ac poſtea Gratiano & Valentiniano juniore, tandem-
que Theodoſio magno.

XVIII. Decem fermè exiſtunt Epiſtolæ Damaſi titulo notatæ: quarum 18. *Ejus Epiſto-
quæ *ad Aurelium Carthaginenſem* reſcripta dicitur, ab Iſidoro Mercatore læ.*
Corpori Canonum præpoſita, ea proculdubio commentitia eſt, Baronii
[r], Poſſevini, aliorumque judicio, quemadmodum & prius Hincmari r Ad ann. 374.
Rhemenſis [ſ]; utpote Gratiano III. & Equitio (malè aliàs Cyricio, qui ſ Adverſus Laudunenſem, c. 42.
nullus fuit) Coſſ. data, id eſt anno Chriſti 374. quo tempore Aurelius vix
Diaconi gradum erat adeptus. S. quippe Auguſtinus, cum quadriennio à
converſione ſua, anno ſcilicet 389. in Africam rediiſſet, illum adhuc Cartha- t Lib. 2. de Civ.
ginenſis Eccleſiæ Diaconum invenit, uti [t] ipſe teſtatur. Falſi ſuſpicione Dei, cap. 8.

laborat, quæ *ad Hieronymum* miſſa ſcribitur, de Hymnis ac Pſalmis apud Græcos in Miſſa recitari ſolitis, à Bellarmino [u], à Binio, aliiſque viris doctis atroci confixa ſtylo, cum Hieronymi reſponſo, quod Baronius [x] quoque Caſſiani maximè teſtimonio impugnat. Sic etiam reſcriptum Damaſi *ad Afros* de autoritate Sedis Romanæ in cauſis Epiſcoporum, cum *Afrorum* ea de re Epiſtola, evertitur tum, ut Crabbeus notavit, affixo Flavii & Stiliconis Conſulatu, qui annum Domini 400. non antevertit, cum Damaſus ſaltem anno 384. deceſſiſſet; tum etiam ex eo quòd eadem quæſtio paulò poſt inter Afros & Damaſi ſucceſſores Bonifacium ac Cœleſtinum controverſa fuerit. Nec certiorem fidem habet quæ *ad Epiſcopos Illyrici* ſcripta notatur Livio & Theodoſio Coſſ. quorum ille faſtis ignotus: ut & *Siricius* Conſul in Epiſtola *ad Epiſcopos Italiæ* datus Ardaburi collega, qui anno demum 427. in faſtis legitur, tertio nimirum & quadrageſimo ab obitu Damaſi. Ejus Epiſtolæ duæ, in Concilio Bonifacii tempore habito Romæ, anno ſcilicet 531. recitatæ, ab Holſtenio editæ ſunt, & in Labbeana Conciliorum collectione exſcriptæ, *ad Acholium Theſſalonicenſem*, alioſque Epiſcopos. Collecta quoque ſunt ejuſdem *Decreta* quinque, partim ex Ivone, partim ex Gratiano.

u De Miſſa lib. 2. cap. 16.

x An. 325. §. 175

CAPUT XXVIII.

De Pontificibus, quorum Decreta Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ inſerta ſunt, & primò de Siricio & Anaſtaſio.

1. Siricius. I. SIRICIUS Romanus, Tiburtii filius, creatus triginta & uno diebus poſt obitum Damaſi, non ſine Urſicini Antipapæ tumultu, trigeſimus nonus ordine Sedem Apoſtolicam tenuit annis tredecim, menſe uno, diebus quatuordecim, ab undecimo Januarii anni 385. ad 22. Februarii anno 398. ſub Valentiniano juniore, ac Theodoſio magno, & ſub Arcadio & Honorio hujus filiis.

2. Decretales Siricii. II. Decretalis ejus Epiſtola *ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem* in Hiſpania, qui de dubiis quibuſdam Damaſum conſuluerat, ſcripta Arcadio & Bautone Coſſ. id eſt, anno 385. capitib. 15. diſtincta, in Codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ relata eſt. Aliarum ejuſdem Epiſtolarum meminit Iſidorus Hiſpalenſis [a]: non tamen Epiſtolæ *ad Afros*, cujus nihilominus mentio fit à Ferrando Carthaginenſi [b], quæ extat in fragmento Concilii provinciæ Byzacenæ, & quarta numeratur apud Iſidorum: apud quem ſecunda habetur, quæ *ad Mediolanenſem Eccleſiam* adverſus Jovinianum miſſa eſt, ad quam reſpondit Ambroſius. Tertio verò loco ibidem habetur alia *ad orthodoxos per diverſas provincias*.

a Lib. de vir. illuſtrib.

b Breviarii Canonum c. 6. 130 138. & 184.

3. Anaſtaſius I. III. ANASTASIUS I. Romanus, Maximi filius, inter Pontifices maximos ordine quadrageſimus, ſedit annos quatuor, menſem unum, dies tredecim, à 14. Martii anni 398. ad 27. Aprilis anni 402. imperantibus Arcadio & Honorio.

IV. Ei-

IV. Licèt nulla ejus decretalis Epiſtola in Codicem Canonum veterum Eccleſiæ Romanæ relata ſit, conſtat tamen ex S. Hieronymo [c] plures ab eo conſcriptas fuiſſe, tum in cauſa Origeniſtarum atque adverſus errores Origenis in opere περὶ Ἀρχῶν, per Rufinum in linguam Latinam converſo; tum in cauſa Donatiſtarum. In his fuit Epiſtola *ad Joannem Hieroſolymitanum*, quæ apud S. Hieronymum [d] legitur, & cujus idem Hieronymus [e] mentionem facit in apologetico 3. adverſus Rufinum. Itemque alia *ad Urſinum* de Incarnatione Filii Dei, cujus tria extant fragmenta in appendice ad Breviarium Liberati Diaconi. Præter has apud Iſidorum duæ illi tribuuntur Epiſtolæ: Prior *ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos*: Poſterior *ad Nerianum virum religioſum*, quem ob amiſſos parentes conſolatur. Illa triplici ex capite ſuſpecta habetur, primò ex epigraphe, quòd Burgundiones nondum Galliam ingreſſi, aut ad fidem Catholicam adducti, nullos habuerint Epiſcopos ante Valentiniani III. tempora, qui anno ſalutis 425. imperare cœpit, & cujus temporibus Chriſti ſacra ab iis eſſe ſuſcepta tradit Socrates [f]: Deinde ex Conſulibus ad Epiſtolæ calcem adjectis, *Arcadio & Bautone*, qui annum indicant 385. & Siricii Pontificis initia: Denique quòd ejus Epiſtolæ magna pars, ubi de Manichæis agitur, nihil differat ab iis quæ de iiſdem leguntur in ſecunda Leonis Pontificis Epiſtola, ex qua hanc imprimis deſumptam eſſe conjiciunt, quæ & varias quoque Innocentii & Fabiani Conſtantinopolitani ſententias aſperſas habet. Hæc verò falſa Conſulatus nota conſignatur; Theodoſii Auguſti ſeptimùm, & Palladii, id eſt, anno Chriſti 416. diu poſt obitum Anaſtaſii. Verùm in manuſcriptis Codicibus abeſſe hanc notam conſularem Binius obſervat. Aliunde tamen ſtylus ætatem Anaſtaſii minùs ſapere videtur: & aliunde Innocentii, Leonis & Gregorii centonibus conſtat.

8. *Ejus Decretalis.*

c Epiſt. 78. & apolog. 1. & 2. adverſus Rufinum, & aliunde.

d Tom. 9.

e Cap. 6.

f Lib. 7. cap. 30.

CAPUT XXIX.

De ſeculi V. Pontificibus & Epiſtolis in Canonum Codicem relatis.

I. ANASTASIO, poſt cujus obitum vacavit Sedes Romana dies 21. ſucceſſit INNOCENTIUS I. Innocentio patre genitus, inter Pontifices quadrageſimus primus numero, qui ſedem tenuit ſub Honorio & Arcadio primùm, dein ſub eodem Honorio ac Theodoſio juniore, annos quatuordecim, menſes 9. dies 26. à 18. Maii anni 402. ad 12. Martii ann. 417. S. Joannis Chryſoſtomi à Græcorum Concilio apud Conſtantinopolim damnati & ſede Conſtantinopolitana pulſi, appellatione ſuſcepta, damnationem in Concilio reſcidit, ejuſque judicium in œcumenica Synodo retractandum pronunciavit, anathemate perculſis Attico Conſtantinopolitano, ac Theophilo Alexandrino. Verùm Chryſoſtomi in exilio mors, ejus reſtitutionem præcipuè impedivit. 1. *Innocentius I.*

II. Habentur Innocentii Epiſtolæ 34. quarum 21. relatæ ſunt in Codicem 2. *Epiſtolæ Innocentii II.*

 Cano-

Canonum. I. *ad Decentium Epiſcopum Eugubinum*, conſtans octo Decretis, Theodoſio Aug. VII. & Palladio Coſſ. ann. 416. II. *ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem*: cujus ſunt duodecim capita. III. *ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum*, quæ ordine temporis prior eſt, Stilione II. & Anthemio Coſſ. id eſt, anno 405. in qua ſunt ſeptem Decreta. IV. *ad Felicem Epiſcopum Nucerinum* ſeptem capita continens. V. *ad Maximum & Severum Epiſcopos* per Brutios. VI. *ad Agapetum & alios Epiſcopos* Appulos. VII. *ad Rufum* & cæteros Epiſcopos per Macedoniam conſtitutos. VIII. *ad Florentinum Epiſcopum*, ni fallor, Tiburtinum (malè enim legitur Triburienſem.) IX. *ad Probum*. X. *ad Aurelium Carthaginienſem & Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopos*. XI. *ad Julianam* nobilem. XII. *ad Aurelium* Epiſcopum Carthaginenſem. XIII. *ad Bonifacium Presbyterum* de Eccleſia Antiochena. XIV. *ad Alexandrum Epiſcopum* Antiochenum. XV. *ad Maximianum Epiſcopum*, de Attico Conſtantinopolitano. XVI. *ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum*, quæ omnes ſingulis capitibus conſtant. XVII. ad eumdem *Alexandrum*, quæ tria capitula continet. XVIII. *ad Acacium Conſtantinopolitanum*. XIX. *ad Laurentium Epiſcopum* Senenſem. XX. *ad Martianum Epiſcopum Nurſitanum*, vel Marſicanum, quæ uno etiam capite continetur. XXI. *ad Rufum*, Euſebium, & cæteros Epiſcopos Macedonas, quæ ſeptem Decreta complectitur: ut ſint ejus Decreta quinquaginta ſeptem in Codice Canonum.

3. Zoſimus. III. ZOSIMUS, Græcus, patre Abrahamo, poſt 20. dies Innocentio ſubrogatus, numero quadrageſimus ſecundus, ſedit annum unum, menſes octo, dies viginti quinque, à 2. Aprilis anni 417. ad 26. Decembris anni 418. Pelagium & Cæleſtium, ſecundum Africanorum Epiſcoporum ſententiam, generali Decreto damnavit.

4. Ejus Epiſtolæ. IV. Ejus Epiſtolæ duæ Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ inſertæ ſunt. Prima *ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum* tribus conſtans capitibus. II. Commonitorium eſt *ad Presbyteros & Diaconos qui Ravennæ ſunt*: ambo anno 418. ſive Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Extant & aliæ undecim ejuſdem Epiſtolæ, in quibus tertia & quarta ſcriptæ ſunt *ad Aurelium* & alios Africanos Epiſcopos, de Cæleſtio & Pelagio. VI. Et pleræque aliæ *ad Epiſcopos per Galliam & ſeptem provincias* de privilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, aliiſque Eccleſiæ Gallicæ rebus.

5. Bonifacius I. V. BONIFACIUS I. Romanus, Jocundis Presbyteri filius, numero quadrageſimus tertius, ſedit annis quatuor, menſibus novem, diebus 28. à 28. Decembris anni 418. quo in ſchiſmate adverſus Eulalium electus eſt, uſque ad 23. Octobris anni 423. ſub Honorio & Theodoſio II.

6. Ejus Epiſtolæ. VI. Tres ejus Epiſtolas habemus in Codice Canonum. Prima eſt *ad Honorium* Imperatorem, ut Romæ nunquam per ambitum ordinetur Antiſtes, quam ſequitur reſcriptum Honorii. II. *ad Patroclum, Remigium* & cæteros Epiſcopos *per Gallias & per ſeptem provincias conſtitutos*, de Maximo Valentino Epiſcopo diverſorum criminum accuſato, anno Chriſti 419. Monaxio nimirum Conſule. III. *ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum* de Patroclo & ordinanda Lutevenſi Eccleſia, Honorio XIII. & Theodoſio juniore X. Coſſ. id eſt, anno 422.

7. Cæleſtinus I. VII. COELESTINUS I. Priſco patre natus Romæ, poſtquam ſedes decem

Digitized by Google

tem dies vacaſſet, ſedit ordine quadtageſimus quartus, annos 8. menſes 5. die 3. à die ſcilicet 3. Novembris anni 423. ad 6. Aprilis anni 432. ſub Theodoſio juniore & Valentiniano III.

VIII. In Codicem Canonum relatæ ſunt tres ipſius Epiſtolæ. Prima *ad Venereum & cæteros Galliarum Epiſcopos*, de Proſpero & Hilario, ac de S. Auguſtino ejuſque ſcriptis adverſus Pelagianos, quæ conſtat tredecim capitibus ſeu decretis. II. *ad univerſos Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provinciam conſtitutos*, Felice & Tauro Coſſ. anno ſcilicet 428. continens ſeptem capita. III. *ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ*, Florentio & Dionyſio Coſſ. id eſt, anno 429. cujus ſunt capita tria. Extant & aliæ undecim ejuſdem Epiſtolæ extra Codicem Canonum. *8. Epiſtolæ Cæleſtini.*

IX. SIXTUS III. Romanus, Sixti filius, poſt novendiale interregnum, numero quadrageſimus quintus, ſedem tenuit annis ſeptem, menſibus undecim cum duobus diebus, à die nimirum 26. Aprilis anni 432. ad 29. Martii anni 441. imperantibus iiſdem Theodoſio II. & Valentiniano III. *9. Sixtus III.*

X. Occurrunt duæ Sixti hujus genuinæ Epiſtolæ, quarum prima eſt ad *Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum*. II. *ad Joannem Antiochenum Epiſcopum*, quæ laudatur in commonitorio Vincentii Lirinenſis ſub finem. Tertiam, quæ inſcribitur *ad omnes Orientales Epiſcopos*, planè ſubteptitiam agnoſcit Binius, tum quòd ex Epiſtola 3. Fabiani ad verbum deſcripta ſit, tum quòd data legatur Valentiniano & Floriano Coſſ. Kal. Aprilis, cùm tamen Valentiniano Florianus collega nuſquam inveniatur, & quintus Valentiniani Conſulatus Anatolio collega, qui ex Conſulatibus Valentiniani ſolus Sixti Pontificatum attingit, Kalendas Apriles habeat poſt Sixti mortem, utpote qui eo anno deceſſerit 5. Calendas Aprilis; aliiſque præterea de cauſis quas indicat Baronius [a]. *10. Epiſtolæ Sixti III.*

a Ad ann. 433. num. 36. & 37.

XI. S. LEO I. propter ingentia facta Magni cognomen meritus, in Tuſcia Quintiano Patre natus, ordine quadrageſimus ſextus, poſt interregnum unius menſis, ac duodecim dierum, Eccleſiam rexit annis 20. menſibus 11. à die decimo Maii anno 440. ad 11. Aprilis anno 461. ſub Valentiniano III. Maximo, Avito & Majoriano Occidentis, Theodoſio juniore, Martiano, & Leone Thrace Orientis Imperatoribus. Adverſus Manichæos, Pelagianos, Priſcillianiſtas ſcripſit; & Eutychetem in Chalcedonenſi Concilio damnari curavit. Attilæ ad ruinam urbis Romæ propetantis impetu repreſſo, eamdem urbem in Genſerici Vandali direptione ab incendio & cæde liberavit. *11. S. Leo I.*

XII. Ejus Decreta 49. Codici Canonum Eccleſiæ inſerta ſunt ex Epiſtolis octo. Quarum Prima *ad Epiſcopos per Campaniam, Picenum, Tuſciam, & per univerſas Italiæ provincias conſtitutos*, Maximo iterum & Paterno Coſſ. id eſt, anno 443. capitibus quinque conſtat. II. *ad eoſdem Epiſcopos Italiæ*, de Manichæis in urbe detectis, uno capite abſolvitur, ſcripta anno 444. Theodoſio nempe 18. & Albino Coſſ. III. Calepodio, ſeu Callypio & Ardabure Coſſ. ann. 447. *ad Epiſcopos Siciliæ*, habet ſeptem capita. IV. *ad Januarium* alias Julianum *Epiſcopum Aquilejenſem*, iiſdem Coſſ. uno capite continetur. V. *ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem*, complectitur ſedecim capita. VI. *ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem*, eſt undecim capitum. VII. capitum ſeptem data eſt *ad Anicetum Epiſcopum Aquilejenſem*, anno 455. *12. Decreta & Epiſtolæ Leonis I.*

Con-

Conſule ſcilicet Martiano Auguſto. VIII. *ad Epiſcopos per Cæſarienſem Mauritaniam conſtitutos* unum habet, ſed longius caput. Sunt & aliæ Leonis vel ad Leonem Epiſtolæ numero centum & tres, *ad Concilia* præſertim œcumenica *Epheſinum & Chalcedonenſe* pertinentes. De harum Epiſtolarum octogeſima octava ad *Germaniarum Epiſcopos*, an verè Leonis ſit, ambigitur: Nonageſima ſexta non Leonis Romani Pontificis eſt, ſed Leonis Bituricenſis aliorumque Epiſcoporum Gallicorum ad Epiſcopos & Presbyteros intra Tertiam (Aquitanicam nimirum aut Lugdunenſem) provinciam conſtitutos. Epiſtola 18. paucis circa finem exceptis, & 13. itemque 85. ex tertia expreſſæ videntur: magna pars 83. legitur in 97. At 24. licèt imperfecta videatur, nec in manuſcriptis Codicibus inventa ſit à curatoribus editionum Pariſienſis & Colonienſis, nihilominus vera eſt cenſenda, cùm habeatur in actis Græco-Latinis Concilii Chalcedonenſis, parte 1. Accuratus Leonis operum collector & illuſtrator Paſchaſius Queſnel Presbyter Congregationis Oratorii D. Jeſu, à germanis ſancti hujus Pontificis Epiſtolis maculas mendorum & interpolationum abſterſit, ordine mutato ad ſuos annos eas revocavit, & receptum illarum numerum acceſſione triginta prioribus additarum locupletavit. Septimam quæ *ad Septimium*, & decimam ſeptimam, quæ *ad univerſos Siciliæ Epiſcopos*, ſcripta legitur, è numero Epiſtolarum Leonis expunxit in Notis quas eruditione haud vulgari in Leonis opera dedit. Illam quæ eſt *ad Galliarum & Germaniarum Epiſcopos*, de Chorepiſcopis, omnino rejicit.

13. *Hilarus.* XIII. HILARUS ſeu *Hilarius*, ex Sardinia inſula, Criſpini filius, poſtquam ſedes vacavit ſeptem menſes, ſedit XLVII. numero, annis quinque, menſibus novem, diebus novem & viginti; à die 12. Novembris anni 461. ad 10. Septembris anni 467. ſub Leone Orientis, Severo & Anthemio Occidentis Imperatoribus. Neſtorii & Eutychetis damnationem confirmavit.

14. *Hilari Decreta.* XIV. In Codicem Canonum relata ſunt ejus Decreta edita in Synodo Romana, quæ habita eſt in Baſilica ſanctæ Mariæ, in qua recitatæ ſunt Epiſtolæ Aſcanii & reliquorum provinciæ Tarraconenſis Epiſcoporum, atque ad eas Hilari reſponſum, Baſilico aut Baſiliſco & Hermenerico Coſſ. anno 465. Exſtant & aliæ octo ejus ad varios Galliarum Epiſcopos Epiſtolæ.

15. *Simplicius.* XV. SIMPLICIUS, patria Tiburtinus, Caſtini filius, ordine XLVIII. Pontifex poſt decem à morte Hilarii dies creatus, ſedit annos quindecim, menſes 7. dies 10. à 20. Septembris anni 467. ad Idus Martias anni 483. imperantibus in Oriente Leone & Zenone, in Occidente verò Anthemio & aliis ad Auguſtulum, & poſt hunc regnante in Italia Odoacre Herulorum Rege.

16. *Ejus Epiſtolæ.* XVI. Ipſius Epiſtolæ duæ Codici Canonum inſertæ ſunt, totidem Decreta continentes: Altera *ad Joannem Epiſcopum Ravennatem*, Severino Conſule, anno ſcilicet 483. Altera *ad Florentinum* alioſque Epiſcopos poſt conſulatum Leonis Auguſti, ſive anno 473. Præter has Epiſtolas reperiuntur & aliæ ſedecim *ad Zenonem* præſertim *Auguſtum*, & *Acacium Conſtantinopolitanum*.

17. *Felix III.* XVII. FELIX quibuſdam II. Baronio aliiſque III. Romæ Felice patre Presbytero natus, XLIX. numero Sedem Apoſtolicam, poſt ſex dierum

Digitized by Google

dierum intervallum, tenuit annos octo, menſes undecim, dies viginti duos, à die 8. Martii anni 483. ad diem 25. Februarii anni 492. Zenone & Anaſtaſio Dicoro Imperatoribus Orientis, Odoacre Herulorum in Italia Rege, cum in Gallia Clodovæus Francis regnaret nondum Chriſtianis ſacris imbutus. Felix agente Joanne Alexandrino Patriarcha, Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreſeos damnavit in Synodo Romana anno 484. celebrata, cùm in alia ſuperioris anni Synodo *Petrum Cnapheum* ſive Fullonem Patriarcham Antiochenum damnaſſet.

XVIII. Extat in Canonum Codice ipſius Conſtitutum de rebaptizatis in Africa editum in Synodo Romana apud Baſilicam Conſtantinianam Flavio Boetio Conſule, id eſt, anno 487. Ejuſdem quindecim Epiſtolæ inveniuntur, quarum ſeptem, opera Philippi Labbei Societatis Jeſu, novæ Conciliorum editioni adjectæ ſunt. *18. Ejus Decreta & Epiſtola.*

XIX. GELASIUS I. Afer, Valerii filius, poſt vacationem throni Apoſtolici per quinque dies, ſedit numero L. annos quatuor, menſes octo, dies novemdecim, à die 2. Martii anni 492. ad 21. Novembris anni 496. Anaſtaſio imperante per Orientem, regnantibus in Italia Theoderico Oſtrogotho, in Gallia Clodovæo. Lupercalia quæ adhuc in urbe celebrabantur ſuſtulit, & Manichæos in urbe deprehenſos exuſtis eorum libris expulit. *19. Gelaſius I.*

XX. Habetur in Codice Canonum Epiſtola ejus ſeu generale decretum *ad omnes Epiſcopos*, de inſtitutis Eccleſiaſticis, ac præſertim de ordinationibus, conſtans viginti octo capitibus, Aſterio & Præſidio Coſſ. i. id eſt, anno 494. quo anno habitum eſt ab eo Concilium 70. Epiſcoporum, ubi libri ſacri & authentici ab apocryphis diſcreti ſunt, ex quo eſt Canon *Sancta Romana* tertius diſt. 15. Extant & aliæ tredecim ejuſdem Epiſtolæ & quædam fragmenta. Scripſit præterea hymnos exemplo B. Ambroſii, & libros quinque contra Eutychem & Neſtorium, quod opus longè diverſum fuiſſe ab eo libello quod de duabus Naturis inſcribitur ſub nomine Gelaſii, demonſtrat Baronius, atque hunc à Græco Gelaſii Cyziceni verſum eſſe putat. *20. Decreta & Epiſtola Gelaſii.*

XXI. ANASTASIUS II. patria Romanus, Petri filius, poſt ſeptem dies creatus Pontifex ordine LI. iiſdem Imperatore ac Regibus rexit Eccleſiam anno uno, menſibus undecim, diebus viginti tribus, à 28. Novembris anni 496. ad 16. Novembris an. 498. Cum Photino Theſſalonicenſi Diacono & Acacii aſſecla communicaſſe, & ſubito Dei nutu exanimatus eſſe memoratur à Schiſmaticis: quod commentum ſequutus eſt cum Gratiano Platina. Sed id refellitur à Baronio & Romanis Correctoribus ad Canonem *Anaſtaſius 9. diſt. 19.* & falſi argui poteſt ex Epiſtola ejuſdem Pontificis ad Anaſtaſium Imperatorem Codici Canonum inſerta, quæ conſtat octo capitibus, quorum tertio Acatii nomen tanquam hæretici & à Felice Pontifice anathemate percuſſi è diptychis eradi petit, nec tanquam Catholici in Eccleſia recitari. *21. Anaſtaſius II. 51.*

CA-

CAPUT XXX.

De ſeculi ſexti Pontificibus & Decretalibus in Codicem Canonum relatis.

1. Symmachus. I. SYMMACHUS, è Sardinia inſula, patre Fortunato, poſtquam ſedes quatuor diebus vacaverat, LII. numero eam tenuit annis 15. menſibus 7. ac diebus 27. à die 2. Decembris anni 496. ad 19. Julii anni 514. Anaſtaſio Imperatore, Theodorico Italiæ, Clodovæo Francorum regibus. A fautoribus Laurentii, per Schiſma adverſus ipſum electi, calumniis oneratus, ſeſe in Synodo Romana purgavit; edito etiam libello Apologetico, qui ab Ennodio Ticinenſi poſteà Epiſcopo conſcriptus, Symmacho ipſi attributus eſt.

2. Symmachi Decreta Synodalia. II. Ea Synodus ex Symmachianis ordine quarta & Palmaris dicta, Ruffio magno, Fauſto Avieno Coſſ. id eſt, anno 501. habita eſt, ejuſque acta Codici Canonum inſerta; quemadmodum & aliarum duarum Synodorum ſub eo habitarum decreta; tum *de Pontificis Romani electione* poſt Conſulatum Paulini anno ſcilicet 499. quæ Synodus quatuor capita continet; tum *de bonis Eccleſiæ non alienandis*: qua de re actum eſt in Synodo anni 502. Flavio Avieno juniore Conſule, & ſeptem capitibus conſtat. Extant etiam Symmachi Epiſtolæ circiter decem, quarum Tertia ad *Liberium Patricium* Ennodio reſtituenda eſt, cujus inter Epiſtolas lib. 5. prima habetur. IV. *Ad Laurentium Mediolanenſem Epiſcopum* eſt Ennodii ejuſdem dictio ſive oratio tertia, de qua videnda eſt Bibliotheca Patrum tomo 6. VIII. *Ad Orientales* eſt 14. lib. 2. Epiſtolarum ejuſdem Ennodii, de qua etiam videnda Bibliotheca Patrum tomo jam indicato. VII. *Ad Confeſſores* ſcripſit quoque Symmachi nomine Ennodius diaconus.

3. Hormiſdas. III. HORMISDAS Fruſinonenſis ex Campania, Juſti filius, ordine LIII. poſt vacationem ſex dierum, ſedit annos novem, dies decem; à 26. Julii anni 514. ad 6. Auguſti anno 523. ſub Anaſtaſio & Juſtino, regnantibus in Italia Theodorico Gotho, in Gallia Clodovæi filiis. Is Eutychianos, cùm adhuc reviviſcerent, damnavit.

4. Ejus Epiſtolæ. IV. Relata eſt in Codicem Canonum cum Epiſtola Juſtini Auguſti ad eum *de reſtituenda Eccleſiæ pace*, & reſponſione ipſius Hormiſdæ, cujus aliæ quoque Epiſtolæ numero fermè 8. reperiuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De aliis ſeculi VI. Pontificibus, & eorum apud Iſidorum Epiſtolis.

I. JOANNES I. Tuſcus, Conſtantini filius, poſt interregnum ſex dierum, ſedit ordine LIV. annos duos, menſes novem, dies quatuordecim; à 13. Auguſti anni 523. ad 27. Maji ann. 526. Juſtino imperante, tribus Clodovæi filiis in Gallia regnantibus, in Italia verò Theodorico ſæpius nominato, à quo Joannes in carcerem detruſus, Ravennæ obiit.

1. Joannes ejuſque res.

II. Ejus nulla Decretalis habetur in Codice Canonum: ſed apud Iſidorum ei aſſignantur Epiſtolæ duæ. Prima *ad Zachariam Epiſcopum* Coſſ. Maximo & Olybrio; quæ ut ſpuria rejicitur, tum ex ea conſulari nota, cùm Maximus & Olybrius nunquam ſimul; ille ſolus anno 523. hic anno 526. Conſules fuerint: tum etiam ex ſtylo deſumpto ex Epiſtolis Innocentii, Decretis Symmachi, aliiſque ſimilibus. II. Epiſtola *ad omnes per Italiæ provincias Epiſcopos* iiſdem Coſſ. data, de conſecrandis Arianorum Eccleſiis, falſi quoque à nonnullis arguitur, licèt ejus autoritatem ex Gregorii Turonenſis teſtimonio aſtruat Baronius in Annalib. [a].

2. Ejuſdem Ep.

a Ad an. lib. 25. & ſeq.

III. FELIX ejus nominis III. ſi priſcos ſequamur, qui Felicem Liberii æmulum & ſucceſſorem non numerant; at Baronio aliiſque recentioribus quartus; è Samnio, patre Caſtorio, poſt vacationem duorum propè menſium, numero LV. Sedem obtinuit annis quatuor, menſibus duobus, diebus 18. à die 24. Julii anni 526. ad 12. Octobris ann. 530. Imperatoribus Juſtino & Juſtiniano, regibus Italiæ quidem Athalarico, Francorum Clodovæi filius.

3. Felix IV.

IV. Ejus nomen apud Iſidorum præferunt tres Epiſtolæ. Prima *ad omnes Epiſcopos*, de conſecratione Eccleſiarum, Lampadio & Oreſte Coſſ. id eſt, anno 530. quam ex eo commentitiam eſſe vult Blondellus, quòd Scripturæ ſacræ, Leonis & Gregorii ſententiis aſperſa ſit. II. Exhortatoria *ad Sabinam*, iiſdem Coſſ. 12. Kal. Novembris: quo tempore Joannes è vivis exceſſerat. Tertia Epiſtola eſt *ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum*.

4. Ejus Epiſtolæ.

V. BONIFACIUS II. Romanus, Sunibaldi vel Sigibaldi filius, ordine LVI. ſedit annos duos, dies totidem: à 15. Octobris anni 530. ad 17. itidem Octobris anni 532. imperante Juſtiniano, regibus iiſdem quibus Felix IV.

5. Bonifacius II.

VI. Ei falſa adſcribitur Epiſtola *ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum*, de reconciliatione Eccleſiæ Carthaginenſis, cùm tamen Eulalius nullus inter Patriarchas Alexandrinos legatur, & Eccleſia Africana nullo ſchiſmate à Romana per id tempus avulſa fuerit, ut fuſiùs advertunt Bellarminus [b] & Baronius [c]: adde quòd Carthaginenſis Eccleſia non ad Alexandrinum Patriarchatum pertinet, ſed ad Romanum. Pari vitio laborat exemplum Eulalii & Juſtiniani profeſſionem fidei continens, eique Epiſtolæ adjunctum, quod notatur Coſſ. Juſtiniano III. & Ore-

6. Epiſtola ei adſcripta.

b Lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 25.

c In Annalib. ad annum 419. & in notis ad martyrologium Romanum, 16. Octobris.

Digitized by Google

& Oreſte, qui tamen Juſtiniani in Conſulatu collega nullibi legitur. Sed alia extat certior ejuſdem Pontificis Epiſtola *ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum*, qua confirmantur ea quæ in Concilio Arauſicano 2. geſta fuerant.

7. Ioannes II. VII. JOANNES II. qui & Mercurius, Romanus, Projecti filius, inter Pontifices Romanos LVII. Sedit annos 2. menſes 8. dies 3. à 23. Octobris anni 532. Juſtiniano Imperatore, Athalarico Italiæ, Childeberto & Clothario unà cum Theodeberto Francorum regibus.

8. Ejus Epiſtola. VIII. Ejus extant extra Codicem Canonum Epiſtolæ ſex, quarum Prima Coſſ. Juſtiniano & Athalarico ſuſpecta eſt, tam ex hac conſulari nota, quòd Athalaricus, rex quidem Italiæ, non tamen conſul fuerit: quàm ex diverſo ab aliis Joannis Epiſtolis ſtylo, & inſertis Leonis Papæ atque Idacii ſententiis. II. *ad Juſtinianum*, quæ incipit *inter claras*, minùs probabiliter in dubium à nonnullis revocatur, cùm in Codice ejuſdem Imperatoris habeatur ſub titulò de ſumma Trinitate, unà cum ipſius Juſtiniani ad Joannem Epiſtola.

9. Agapetus I. IX. AGAPETUS I. Romanus, Gordiani Presbyteri filius, numero LVIII. Sedit menſibus decem, cum aliquod diebus, ab initio Julii anni 535. imperante Juſtiniano: obiit Conſtantinopoli, quò legatus fuerat à Theodato Gothorum in Italia rege, vel certè in reditu ab ea legatione.

10. Ejus Epiſtola. X. Illius octo Epiſtolæ circumferuntur, quas inter non vacat impoſturæ ſuſpicione Quinta *ad Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum*, & dubiæ fidei habetur, tam ex adjecto falſo conſulatu Juſtiniani & Theodati, quàm ex ſtylo longè diverſo ab aliis ejus Epiſtolis; & quòd Leonis, Auguſtini, Hormiſdæ fragmentis magna ex parte conſtet, quemadmodum agnoſcit Baronius [d].

d Ad Ann. 535.

11. Silverius. XI. SILVERIUS, Campanus, Hormiſdæ Papæ filius, ante ejus Sacerdotium natus, Pontifex ordine LIX. Theodati opera creatus, ſed poſteà Theodora Imperatrice id agente à Beliſario in inſulam relegatus, ſubrogato in ejus locum Vigilio; ſedi præfuit per annum fermè integrum à die 20. Junii anni 536. Obiit in exilio die 20. Junii 540.

12. Ejus Epiſtola. XII. Epiſtolæ duæ ipſius nomen præferunt; Prima *ad Vigilium*, cujus temporis notam Conſule Baſilio, ſive ut alia lectio habet, Beliſario Patricio, rejicit Baronius, quòd Baſilii Conſulatus annis quatuor poſterior ſit toto Silverii Pontificatu; Beliſarii verò Conſulatus Silverii electionem præceſſerit. Sed ſi poſt Conſulatum Beliſarii, aut Beliſario Patricio (non Conſule) legatur, non abhorrebit à Silverii tempore ea nota: aliunde tamen ea Epiſtola non videtur ab omni ſuſpicione immunis, ob ſtylum minùs Latinum, alienos floſculos inſperſos; & quòd in ea Silverius qui (teſte Liberato) ſtatim ab exautoratione in exilium miſſus eſt, dicatur coacto Epiſcoporum Concilio anathema in Vigilium pronunciaſſe. II. Verò *ad Amatorem Epiſcopum Auguſtodunenſem* reſponſoria, rejicitur à Baronio [e], velut ab otioſo aliquo ex Anaſtaſii ſcriptis conſarcinata, appoſita mendaci Conſulum nota, & præterea in non paucis ab hiſtorica veritate abhorrens.

e Ad ann. 539.

13. Vigilius. XIII. VIGILIUS Romanus, Joannis Conſulis filius, die 27. Maii anni

anni 537. creatus, quamvis ſpirante adhuc Silverio, ac deinde poſt ejus obitum, à die ſcilicet 20. Junii anno 540. legitimis comitiis recepto Pontificatu, ſedit numero LX. per annos quindecim, menſes ſex, dies fermè 20. imperante Juſtiniano, regnantibus in Gallia Clothario & Childeberto iiſdem, ad 10. Januarii anno 555. quo tempore obiit Syracuſis in Sicilia, Conſtantinopoli rediens, quò à Juſtiniano evocatus, tria Capitula damnavit: ſed Synodo 5. œcumenicæ intereſſe noluit: multa ob Anthimum anathemate perculſum paſſus à Theodora Auguſtâ.

14. Vigilii Epiſtolæ.

XIV. Extant Epiſtolæ ſedecim nomen ejus præferentes: quarum Prima ejus nomine ab Eutychiano quodam ſcripta creditur. Sequentes *ad Eutherium*, qua ejus conſultationibus per ſeptem capita reſpondet, *ad Cæſarium* Arelatenſem, *ad Juſtinianum*, *ad Mennam* Conſtantinopolitanum, *ad Auxanium*, *ad Aurelianum Arelatenſes*, *& ad Epiſcopos Galliæ*. XV. Encyclica *ad univerſam Eccleſiam* de ſuo ad ſanctam Euphemiam receſſu, à Jacobo Sirmondo integrè edita eſt poſt appendicem Codicis Theodoſiani. Extat & *Conſtitutum* ejuſdem de tribus illis Capitulis, de quibus in 4. & 5. Synodis actum eſt.

15. Pelagius I.

XV. PELAGIUS I. Romanus, Joannis Vicariani filius, ex Diacono Pontifex ordine LXI. ſedit annis tribus, menſibus decem, diebus circiter octodecim, à 16. Aprilis anni 555. ad 5. Martii an. 559. imperante Juſtiniano, Clothario Francorum Monarcha.

16. Ejus Epiſtolæ.

XVI. Inveniuntur Epiſtolæ ſedecim ejus titulo inſignitæ. Earum prima *ad Vigilium* quemdam *Epiſcopum*, falſi ſuſpicione laborat apud Baronium [f], quòd data ponatur Coſſ. Joanne & Narſete, cùm tamen per hos annos poſt Baſilium, qui anno 540. Conſulatum geſſit, nulli Conſules legantur: ſed ſequentium annorum monumenta uſque ad annum 2. Juſtini junioris, id eſt Chriſti 566. nota poſt Conſulatum Baſilii anno 1. 2. ac deinceps conſignentur, ut colligitur ex Caſſiodoro & aliis hiſtoriæ Scriptoribus.

f Ad ann. 559.

17. Joannes III.

XVII. JOANNES III. Romanus, vulgò Catellinus cognominatus, Anaſtaſio viro illuſtri patre, ſedit ordine LXII. annis 12. menſibus 11. diebus 16. à 17. Julii anni 559. uſque ad 13. Julii 572. imperante Juſtino juniore, regnantibus apud Francos Clothario, ac poſt eum Chereberto, Sigeberto, Chilperico, & Guntramno ejus filiis.

18. Ejus Epiſtolæ.

XVIII. Joannis apud Iſidorum Epiſtola *ad univerſos per Germaniæ & Galliæ provincias conſtitutos Epiſcopos*, adjectam habens notam Juſtini VI. Conſulis cum Narſete, idque 14. Calendas Auguſti, pluribus ex capitibus ſuppoſititia cenſetur à Baronio, tùm quòd Juſtinus junior primum Conſulatum non ante annum Imperii ſecundum inierit, quem licèt aliquot annis poſt geſſiſſe legatur, non tamen continua ſerie: unde ſextus ejus Conſulatus vix in annum 572. cadere poſſet, quo anno Joannes hic tertius die 13. Julii à vivis exceſſit; tum quòd Chorepiſcoporum, adverſus quos velut Epiſcopalia munia uſurpantes, tota Epiſtola conſcripta eſt, nulla tunc mentio in Eccleſiæ Gallicanæ hiſtoria occurrat. Accedit quod præter fidem antiquitatis Linum & Cletum ex albo Pontificum Romanorum expungit autor ejus Epiſtolæ, aſſeritque ſolo Chorepiſcoporum titulo potitos. Nec admodum certæ fidei creditur Epiſtola tertia ejuſdem Joannis nomine

ſcripta

ſcripta *ad Edaldum Viennenſem Epiſcopum*, quam Joannes à Boſco ex Bibliotheca Floriacenſi eruit.

19. Benedictus I. XIX. BENEDICTUS I. Romanus, cognomento Bonoſus, numero LXIII. ſedit annos quatuor, menſes duos, dies quindecim, à 16. Maji anni 573. ad 31. Julii an. 578. Juſtino juniore imperante, regnantibus apud Francos Guntramno, Chilperico, & Childeberto fratris filio.

20. Ejus Epiſtola. XX. Unica ejus nomine præfertur Epiſtola, quæ ex falſo & prorſus inaudito Juſtini & Libii Conſulatu, & ſententiis ex Ithacio Claro adverſus Marimagnum Arianum cap. 1. & aliunde depromptis, ſuſpecta habetur.

21. Pelagius II. XXI. PELAGIUS II. Romanus, Vinigildi filius, ſedit LXIV. numero, annos 12. menſes 2. dies 17. à die 10. Novembris anni 577. ad 8. Februarii an. 590. Tiberio II. & Mauritio imperantibus, regnantibus verò apud Francos unà cum Guntramno ipſius fratrum filiis Childeberto & Clothario.

22. Ejus Epiſtolæ. XXII. Epiſtolæ Pelagii 2. circiter novem referuntur. Prima *ad Benignum Archiepiſcopum* de tranſlatione Epiſcoporum, ſententiis Athanaſii, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, aliorumque referta, quam ex Iſidori mercibus eſſe innuit Baronius [g]. II. *ad univerſos Epiſcopos & cunctos per Campaniæ & Italiæ provincias militantes*, de accuſationibus Epiſcoporum, conſtat Proſperi, Hilarii, aliorumque Patrum & Conciliorum, Romani ſub Symmacho, & Lateranenſis ſub Martino I. ſententiis. VIII. *ad univerſos Epiſcopos, qui vocatione Joannis ad Synodum Conſtantinopolim conveniebant*, reprobat omnia Synodi Conſtantinopolitanæ acta, præter Gregorii Antiocheni abſolutionem, & Decretum præſertim rejicit, quo Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus œcumenici titulum ſibi vindicaverat. Hæc novatoribus diſplicet, qui velut ſpuriam damnant, tum quòd multa cum Innocentii, Cœleſtini, Leonis, & præſertim Gregorii Magni ſententiis congruentia contineat: tum quòd parùm probabile videatur Gregorium, qui Epiſtolarum à Pelagio deceſſore ſuo ſcriptarum exempla Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, ſe deſtinaſſe teſtatur Epiſtolas 36. lib. 4. eadem omnino verba, quibus uſus fuiſſet Pelagius, Epiſtolæ ſuæ, quam unà cum Pelagianis mittebat, inſeruiſſe. II. *ad Galliæ & Germaniarum Epiſcopos*, de novem Præfationibus inter Miſſarum ſolemnia recitandis, ſpuriam aſſerit Blondellus, ſed levibus admodum argumentis.

g Ad ann. 581.

C A P U T XXXII.

De S. Gregorio Magno, ejuſque Epiſtolis.

1. Gregorius I. ejuſque geſta. I. GREGORIUS I. Romanus, Gordiano patre, numero LXV. ſedit annos 13. menſes 6. dies decem, à tertia die Septembris, indict. 9. id eſt, anno 590. quo die conſecratus eſt, uſque ad diem 12. Martii 604. imperantibus Mauritio ac deinde Phoca, regnantibus in Gallia Clothario II. & Theodorico ac Theodeberto Childeberti filiis. Is cùm Pontificiam digni-

Digitized by Google

dignitatem fruſtrà vitaſſet, tantas in ea res geſſit, ut Magni cognomen meruerit. Anglos imprimis Auſtralem Britanniæ inſulæ partem obtinentes, miſſo Auguſtino aliiſque Monachis, Chriſtianam ad fidem adduxit anno 596.

2. Eiuſdem Epiſtolæ ac Regeſtum.

II. Ejus Epiſtolæ ob multitudinem Codici Canonum inſertæ non ſunt, licèt maximæ in Eccleſia autoritatis ſemper ſint habitæ: itaque ſuo ſeorſim volumine continentur, quod *Regiſtrum* ſive Regeſtum vocant, quaſi digeſtum dixeris, duodecim libris diſtinctum.

3. De Privilegio Monaſterii ſancti Medardi, & aliis.

III. Inter eas Epiſtolas legitur Decretum ſive Conſtitutio de Privilegiis Monaſterio ſancti Medardi Sueſſionenſis, Ordinis S. Benedicti, conceſſis, *ad omnes Epiſcopos*; quod in prioribus operum S. Gregorii editionibus, tanquam appendix ad calcem libri 12. rejectum, in editione Romana anni 1586. & ſeqq. aliis, inter Epiſtolas 38. & 39. lib. 2. collocata. Id Privilegium non tantùm ab heterodoxis, ſed ab eruditioribus inter orthodoxos hodie velut ſuppoſititium, aut ſaltem magna ex parte corruptum rejicitur, nimirum à Jacobo Perronio Cardinali in oratione ad tertium ordinem regni Francici tempore comitiorum generalium habita, à Bernardo Vvidringtono [a], à Petro de Marca [b] Archiepiſcopo Toloſano, & imprimis à Joanne Launoyo [c]: contra verò defenditur à Roberto Quatrimario & Joanne Mabillonio [d] ſancti Germani Monachis, poſt Baronium [e], Bellarminum [f], & Theophilum Raynaudum [g]. Præcipuæ rationes Privilegium illud impugnantium petuntur, Primùm ex eo quòd in manuſcriptis Codicibus non inveniatur, nec à quoquam veterum agnoſcatur. Quòd enim Gregorius VII. & Thomas Valdenſis ex Gregorii Magni ſcriptis argumenta deſumunt ad confirmandam autoritatem Pontificiam in ſpoliandis Imperio Principibus, cujus rei in fine hujus privilegii aliquod extat indicium, illi non hoc Privilegium laudant, ſed Epiſtolam 11. libri 10. *ad Senatorem*. Secundò ex ſtylo Gallicas poſteriorum temporum phraſes præferente: Tertiò ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum ac Regis Francorum Theodorici, quorum tempora cum anno huic Conſtitutioni appoſito non congruere advertit ipſe Baronius. Alias ejuſdem Gregorii Epiſtolas aliquot convellunt heterodoxi, ac præ cæteris Jameſius in Vindiciis Gregorianis, atque imprimis vigeſimam ſecundam lib. 12. *ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem*, de propinquorum conjugiis, anno 14. datam, quo tempore Felice jamdiu mortuo (nempe anno 595.) Donum Meſſanenſi Eccleſiæ præfuiſſe oſtendit Epiſtola 39. lib. 5. aliæque. Reperiuntur & in Bibliothecis ſelectæ hujus Pontificis Epiſtolæ manu exaratæ, quas ad Eccleſiarum uſum accommodari jam olim placuit.

Epiſtolas porrò Gregorii eruditis notis illuſtravit præter alios Antonius Dadinus *Altaſerra*, Toloſanus Anteceſſor, ſpeciali volumine.

a In prolegom. Critici Auguſtiniani caſtigati.

b Lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii c. 16.

c Peculiaribus libris ſub titulo inquiſitionis in illud privilegium, ac deinde aſſertionis ejuſdem inquiſitionis.

d In reſponſionibus ſeu Apologeticis contra Launoium.

e Ad ann. 593.

f Lib. 5. de Rom. Pont. c. 8. & de poteſtate Pontificis in temporalibus adverſus Barclayum c. 40.

g In axotematis de confixione librorum.

CAPUT XXXIII.

De ſeculi VII. Pontificibus, quorum ex Epiſtolis ſententiæ à Gratiano in corpus Decretorum tranſlatæ ſunt.

1. Quorum Pontificum hic facienda mentio. I. CUM de ſequentium Pontificum Romanorum Epiſtolis haud magna ſit controverſia, præterquam de nonnullis Deuſdedit, Leonis II. & Benedicti II. atque in Codicem Canonum relata fuerint dumtaxat Gregorii II. quædam decreta: idcirco non omnium Pontificum, qui ſequuti ſunt, nomina & acta proſequemur; ſed eos ferè indicabimus quorum Epiſtolæ ſeu Decreta aut ex his fragmenta in receptum Juris Canonici corpus relata ſunt. In his ſeptimo ſeculo primus occurrit

2. Bonifacius III. II. BONIFACIUS III. Romanus, Joannis filius, qui ſedit numero LXVII. octo menſes & dies 23. à die 15. Februarii anni 606. ad diem 12. Novembris, Phoca Imperatore, Franciæ autem regibus Clothario II. Theodorico & Theodeberto. Sub eo habitum eſt Concilium Romanum de non eligendo Pontifice niſi poſt tertium à ſepulto deceſſore diem.

3. Deuſdedit. III. DEUSDEDIT Romanus, Stephani Subdiaconi filius, ordine LXIX. ſedem tenuit annis 2. menſibus 11. & diebus 26. à die 13. Novembris anni 614. ad 8. Novembris anni 617. Heraclio Imperatore, & Clothario 2. Galliæ Monarcha.

4. Ejus Epiſtola. IV. Ejus unica præfertur Epiſtola de viro, qui proprium filium in baptiſmo ſuſcepit, ab uxore ſeparando, & vice verſa, *ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum* inſcripta, qui tamen nullus eo tempore fuit: Hiſpalenſem Eccleſiam adminiſtrante B. Iſidoro ſub Recaredo & ſequentibus Gothorum in Hiſpania regibus, ad Siſenandum uſque; & à Gregorii I. Romani Pontificis ad Honorii tempora: unde & ex aliis argumentis non parùm elevatur hujus Epiſtolæ fides.

5. Honorius I. V. HONORIUS I. Campanus, Petronii Conſulis filius, numero LXXI. ſedit annis 12. menſibus 4. diebus 27. à 14. Maji anni 626. ad diem 12. Octobris 638. imperante Heraclio, regnante in Gallia Dagoberto, unà cum Sigeberto filio. Hic Pontifex inter eos qui Monothelitarum hæreſim ſecuti ſunt, à non paucis numeratur. Sed hanc ab eo calumniam amolitus eſt Joannes IV. qui ab eo tertius Pontificatum tenuit: is quippe in Epiſtola ad Conſtantium, quæ in Anaſtaſii collectaneis extat, docet Honorium Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano de una in Chriſto voluntate ſubdolè interroganti reſpondiſſe duas quidem in eo non fuiſſe voluntates ſibi invicem adverſantes, quemadmodum cæteri homines experiuntur: cæterùm duas in Chriſto naturas duaſque ex conſequenti voluntates ab eo fuiſſe agnitas.

6. Ejus Epiſtola. VI. Ejus extant Epiſtolæ ſex, quarum tertia & quarta *ad Sergium* prædictum Conſtantinopolitanum habentur Synodi 5. actione 2. & 13.

VII.

VII. S. MARTINUS I. Tudertinus, inter Romanos Pontifices LXXV. ſedit ſex annis, cum menſe uno, diebus 26. ab initio Julii an. 645. ad 16. Septembris 655. ſub Conſtante Imperatore, Francorum regibus Clodovæo II. & Sigeberto: ab eodem Imperatore per Theodorum Exarcham Conſtantinopolim abreptus, & in exilium miſſus Cherſonem, quòd Heraclii typo ſubſcribere juſſus, eum unà cum Monothelitarum errore damnaſſet. *7. Martinus I.*

VIII. Reperiuntur 70. fermè ipſius Epiſtolæ, quarum prima *ad omnes fideles*, acta Synodi Romanæ in Baſilica Lateranenſi ſive Conſtantiniana adverſus Monothelitas habitæ exponit. *8. Ejus Epiſtolæ.*

IX. AGATHO, Siculus, ex Monacho Pontifex, numero LXXX. ſedit annis 3. menſibus 6. cum 25. diebus, à 16. Junii anni 678. ad 11. Aprilis an. 681. imperante Conſtantino Pogonato, & regnante apud Francos Theodorico. Sub eo habitum eſt Concilium Conſtantinopolitanum 3. œcumenicum 6. extantque ejus Epiſtolæ duæ, quarum prima eſt ad Auguſtos Imperatores, Conſtantinum ſcilicet ejuſque filios, ad eam Synodum pertinens. *9. Agatho.*

X. LEO II. Siculus, Pauli filius, ordine LXXXI. ſedit menſes ſolùm 10. & dies 14. à 15. menſis Auguſti anni 683. qua conſecratus eſt, imperante Conſtantino Pogonato, eodemque Theodorico rege Francorum, uſque ad 28. Junii 684. *10. Leo II.*

XI. Habentur quinque ipſius Epiſtolæ. Prima reſponſum continens ad Conſtantinum Imperatorem, quam ſpuriam cenſet Baronius [a], & cum eo Poſſevinus ac Binius: quòd data dicatur 9. Maji, indictione 10. quæ incidebat in annum 682. quo tempore nondum confirmatus fuerat Leo; cùm tamen textus Epiſtolæ indictionis 10. tanquam nuper elapſæ mentionem faciat; & prætereà literarum Imperatoris ad Agathonem de cogenda ſynodo, quæ tamen literæ non ad Agathonem, ſed ad Donum, ejus deceſſorem ſcriptæ ſunt, ut ex Anaſtaſio Bibliothecario actiſque Synodi 6. & ipſius Agathonis Epiſtola conſtat: & præterea quòd Leo in hac Epiſtola Honorio Pontifici velut hæretico anathema dicat, cui tamen certum eſt Romanam Eccleſiam velut in communione Catholica defuncto parentaſſe, ejuſque corpus inter ſanctos Pontifices publico funere elatum collocaſſe. Verùm abeſt à Codice Græco indictionis nota: Honorii autem tanquam pro Monothelita damnati meminerunt Beda [b], liber Pontificalis in Leone II. Taraſius [c] Patriarcha Conſtantinopolitanus. II. quoque Leonis Epiſtolam *ad Epiſcopos Hiſpaniæ* falſi arguit ibidem Baronius, quoniam in ea dicuntur Archiepiſcopi de diverſis Conciliis ab eo deſtinati, cum tamen ad 6. œcumenicam Synodum nullus Archiepiſcopus Roma miſſus inveniatur, nec ullus omnino Præſul à Leone mitti potuerit ad eam Synodum, quæ ante Agathonis obitum abſoluta fuerat. Idem præterea Baronius improbat 3. Epiſtolam *ad Quiricum* vel Quirinum *Epiſcopum*, & 4. *ad Simplicium Comitem*, atque itidem 5. *ad Ervigium Hiſpaniæ regem*, quòd aſſerat Quiricum Archiepiſcopum Toletanum ante annos ſeptem è vivis exceſſiſſe, cùm Julianus ipſius ſucceſſor Concilio Toletano 10. anno 681. ſubſcripſerit, & nullus Simplicius inter cæteros Comites Hiſpaniæ ſubſcripſiſſe Concilio Toletano 13. legatur.

11. Ejus Epiſtolæ.

a Ad ann. 683.

b De ratione temporum & in Martyrologio.

c Synodi 7. oratione 3.

Digitized by Google

12. Benedictus II. XII. BENEDICTUS II. Romanus, Joannis filius, ordine LXXXII. ſedem tenuit menſes 8. dies 17. à die 20. Auguſti anni 684. ad 7. Maji anni ſequentis, imperante Conſtantino Pogonato, regnante apud Francos Theodorico.

13. Ejus Epiſtola. XIII. Ejus, tanquam electi, nondum tamen inaugurati Pontificis nomine duæ habentur Epiſtolæ. Prima *ad Petrum Notarium regionarium*, cui mandat ut impoſitum à Leone II. munus perſequatur, deferendi in Hiſpaniam Concilii Conſtantinopolitani œcumenici 6. definitionem cum Epiſtola Conſtantini Imperatoris, & libello acclamatorio. II. *ad Ervigium Gothorum regem* de iiſdem rebus: quæ Epiſtolæ rejiciuntur à Baronio [d]: ideo præſertim quòd in Concilio 14. Toletano anno 683. habito affirment Hiſpaniarum Epiſcopi ſe non à Benedicto, ſed à Leone, nec tantùm definitionem Concilii illius œcumenici, ſed omnia acta Synodalia ſive geſta Concilii accepiſſe.

d Ad ann. 684.

14. Sergius I. ejuſque Epiſtola. XIV. SERGIUS I. Syrus origine, natalibus Siculus, Tiberio patre, ſedit LXXXV. numero, per tredecim annos, menſes 8. dies 14. à 26. Decembris anni 687. ad diem 9. Septembris anni 701. imperante I. Juſtiniano II. deinde Tiberio Abſimaro, regnantibus apud Francos poſt Theodoricum I. Clodovæo III. dein Childeberto II. regibus verò Longobardorum in Italia Pertarido & Cuniberto. Aquilejenſis Conciliabuli præſides, qui anno 680. quintam Synodum reprobaverant ad Catholicæ Eccleſiæ conſenſum ſalutaribus monitis adduxit. Memoratur ejus Epiſtola *ad Ceolfridum in Anglia* de Beda Romam mittendo.

CAPUT XXXIV.

De ſeculi octavi Pontificibus, quorum Epiſtolæ paucæ Codici Canonum illatæ, aliæ à priſcis Collectoribus, ipſoque Gratiano excerptæ ſunt.

1. Gregorius II. I. GREGORIUS II. Romanus, Marcelli filius, ordine XC. ſedit annis 16. menſibus 6. cum 20. diebus, à 22. Martii anni 714. ad 11. Februarii anni 731. imperante Leone Iſauro Iconomacho, & regnantibus apud Francos Dagoberto II. Chilperico II. Theodorico itidem II. à Cala nuncupato; rege autem Longobardorum Luitprando, quem ab urbis Romanæ obſidione deterruit Gregorius; qui & miſſo trans Rhenum Bonifacio Monacho Germanos ad fidem Chriſti traduxit.

2. Ejus Decreta & Epiſtolæ. II. Ejus Decreta 19. numero in Synodo Romana anno 721. conſtituta Codicem Canonum Romanæ Eccleſiæ veterem claudunt. Extant & ejuſdem Epiſtolæ 15. quæ magna ex parte ſcriptæ ſunt ad Francos vel Germanos, niſi quòd quædam ad Græcos, ac præſertim ad Conſtantinum Imperatorem Leonis filium deſtinatæ ſunt, quem cùm ab impugnandis ſacris Imaginibus avertere nequiret, anathemate percuſſit, Romamque & magnam Italiæ partem à Græcorum abſtraxit Imperio. Extat & ejuſ-

& ejuſdem Capitulare *Martiniano Epiſcopo* in Germaniam miſſo traditum.

III. GREGORIUS III. Syrus, Joannis filius, numero XCI. ſedit annis 10. menſibus 9. & diebus 12. à 16. Februarii anni 731. uſque ad diem 28. Novembris ann. 741. ſub Conſtantino Copronymo Imperatore, regente Franciam Carolo Martello, qui Gregorii III. precibus motus Luitprandum Longobardum Romanæ infeſtum Eccleſiæ minis coercuit. *3. Gregorius III.*

IV. Septem ejus Epiſtolæ reperiuntur, pleræque de rebus Germanorum recens ad Chriſtum converſorum, ac præterea excerptum ex Patrum dictis & Canonum ſententiis de diverſis criminibus, eorumque remediis. *4. Ejus Epiſtolæ.*

V. ZACHARIAS Græcus, Polychronii filius, ordine XCII. ſedit annis 10. menſibus 3. diebus 10. aut circiter; à die 2. vel 6. Decembris anni 741. ad 15. Martii anno 752. ſub Conſtantino Copronymo, Childerico rege Francorum, à quibus poſteà electum in regem Pipinum probavit Zacharias, regnantibus apud Longobardos poſt Luitprandum, Hildebrando, Rachi, & Aſtulpho. Epiſtolæ ipſius 15. extant ad Francos præſertim ſcriptæ. *5. Zacharias.*

VI. STEPHANUS II. (vel potius III. ſi quatriduanum Stephanum alium, qui immediatè præceſſit, juxta Baronium numeremus) ſedit XCIV. ordine, annis quinque, diebus 9. à die 29. Aprilis anni 752. imperante Conſtantino Copronymo eodem, regnante apud Francos Pipino, ad quem Stephanus, Aſtulphi Longobardorum regis injurias fugiens, in Galliam venit, atque omni cultu exceptus eum ad inferendum Longobardis bellum impulit; ab eo deinde Ravenna & Pentapoli donatus. *6. Stephanus II. aliàs III.*

VII. Sex ejus habemus Epiſtolas ad Pipinum vel Francos, & reſponſa 19. in Gallia edita apud Cariſiacum. *7. Ejus Epiſtolæ.*

VIII. STEPHANUS III. (aliis IV.) Siculus, exturbato Conſtantino Romanæ Sedis invaſore, eam numero XCVI. obtinuit annos 3. menſes 5. & dies 27. à 5. Auguſti anno 768. ad Kalendas Februarii ann. 722. imperante Conſtantino jam nominato, & dominante apud Francos Carolomanno cum Carolo Magno, Longobardorum verò rege Deſiderio. Tres ejus Epiſtolæ ad Reges Reginamve Francorum extant, ex Codice Carolino per Jac. Gretſerum edito. *8. Stephanus III. aliàs IV.*

IX. HADRRIANUS I. Romanus, numero XCVII. ſedit annos 23. menſes 3. dies 17. à 10. Februarii anni 772. ad 26. Decembris anni 795. imperante Conſtantino Copronymo, ac deinde Leone IV. & poſt eos Conſtantino VII. cum Irene matre: Rege verò Francorum Carolo Magno, qui devicto Deſiderio, Sabinum agrum & Spoletanum ac Beneventanum Ducatus Eccleſiæ Romanæ eſt largitus. *9. Hadrianus I.*

X. Referuntur à Baronio ex Bibliotheca Vaticana Index & argumenta Epiſtolarum Adriani ſeptemdecim, quarum pleræque ſcriptæ ſunt ad Carolum Magnum. Epiſtolæ ipſæ magnam partem integræ habentur in Codice Carolino Gretſeri, & apud Sirmondum [a], atque in Labbeana omnium Conciliorum editione, ſervato temporum ordine exſcriptæ. *10. Ejus Epiſtolæ.*

a Tomo 2. Concil. Galliæ.

11. Leo III. XI. LEO III. Romanus, Azuppii filius, Pontifex numero XCVIII. Eccleſiam rexit annos 20. menſes 5. dies 7. à 26. Decembris anni 795. ad 12. Julii an. 816. imperantibus in Occidente Carolo Magno & Ludovico Pio, in Oriente Conſtantino cum Irene matre, Irene ſola, ac deinde Nicephoro, Michaele Curopalate, & Leone V. Armeno. Hic Leo III. anno 799. oculis & lingua mutilatus per ſeditionem, horum membrorum uſum inuſitato Dei beneficio recepit, & coram Carolo Magno objecta crimina jurejurando diſcuſſit, eumque die Dominici Natalis anno 800. Imperatorem Romanorum ſalutavit. Præter tres ejus Epiſtolas priùs editas, alias aliquot dedit nobis editio Conciliorum, quæ à Ph. Labbeo adornata eſt.

CAPUT XXXV.

De Pontificibus ſeculi noni, quorum Decretis uſus eſt Gratianus.

1. Paſchalis I. & Epiſtola ipſius. I. PASCHALIS I. Romanus, Bonoſo patre natus, ſedit numero centeſimus, annis 7. menſibus 3. diebus 7. à 27. Januarii anni 817. uſque ad diem 13. Maii ann. 824. imperantibus Ludovico Pio in Occidente, Leone Armeno, & poſt eum Michaele Balbo in Oriente. Paſchalis ſcripta ad Ludovicum Pium Epiſtola, Pontificiam dignitatem eo inconſulto acceptam excuſavit; Ludovicus autem reſcripto ſuo ſeu conſtitutione in gratiam Paſchalis emiſſa, liberam impoſterum Romani Epiſcopi electionem permiſit: ut refertur *Can. 30. diſt. 63.* Reperiuntur Paſchalis Epiſtolæ duæ.

2. Eugenius II. ejus Decreta. II. EUGENIUS II. itidem Romanus, Boemundi filius, Pontifex ordine CI. ſedit annis 3. menſibus 2. & 23. diebus, à 15. Maji anni 824. ad 7. Auguſti ann. 827. iiſdem imperantibus. Extant aliquot Canones Concilii Romani ſub eo celebrati.

3. Gregorius IV. & ejus Epiſtolæ. III. GREGORIUS IV. Romanus, Joanne genitus, ſedit CIII. numero, annis 6. à die 7. Calend. Februarias anni 828. quo populi electione per Ludovici Francorum Regis & Imperatoris legatum examinata, ordinatus eſt, ad diem 25. Januarii aut circiter anno 844. imperantibus in Occidente poſt Ludovicum Pium Lothario I. in Oriente verò Theophilo, ac deinde Michaele cum matre Theodora, Carolo autem Calvo per Gallias regnum obtinente. Reperiuntur Epiſtolæ 3. hujus Pontificis ad Galliæ vel Germaniæ præſules.

4. Leo IV. IV. LEO IV. & ipſe Romanus, Rodoaldi filius, ſedit CV. numero, annos 8. menſes 3. dies 5. à 12. vel certè 13. Aprilis anni 847. ad 17. Julii an. 855. Imperatoribus Francorum Lothario, ejuſque deinde filio Ludovico; Græcorum verò Michaele Potore; rege Galliæ Carolo Calvo. Hic, Saracenis Italiam vaſtantibus, veteri Romanæ urbi novam adjecit, que Leonina eſt dicta. Duæ treſve inveniuntur ipſius Epiſtolæ cum aliarum fragmentis.

V. Inter

V. Inter hunc & Benedictum III. inſeritur in Mariani Scoti & Sigeberti Chronicis [a] Joannes VIII. quem fœminam fuiſſe diſſimulato ſexu ad Pontificatus culmen evectam creduli quidam Scriptores vulgarunt. Sed in caſtigatis utriuſque exemplaribus Joannes iſte, ſeu Joanna Papiſſa nuſquam legitur; & Anaſtaſius Bibliothecarius, ipſeque Photius, qui ætate illa vixerunt, Leoni IV. Benedictum, nullo interjecto, ſubſtituunt, huic Nicolaum: unde apparet hanc fabulam ab otioſis nugatoribus eſſe confictam: eamque refellunt imprimis Onufrius Panvinius [b], Leo Allatius, & Philippus Labbe ſingularibus tractatibus, atque adhuc inter Calvinianos ipſos David Blondellus. *5. De fabuloſa Ioanna Papiſſa.* a Ad ann. 854. b In notis ad Platinam.

V. NICOLAUS I. Romanus, Theodori regionarii filius, ſedit CVII. ordine, annis 9. menſibus 6. diebus 21. à 24. Aprilis anni 858. qua coronatus eſt, uſque ad 13. Novembris anni 867. imperantibus Ludovico II. & Michaele Potore ſive Scurra, regnantibus apud Francos Carolo, Ludovico, & Lothario juniore: cujus divortium cum Theutberga, & conſortium cum Valdrada damnavit, exautoratis Epiſcopis, qui has nuptias probaverant. In Photium quoque, qui pulſo Ignatio ſedem Conſtantinopolitanam invaſerat, anathema pronunciavit. *5. Nicolaus I.*

VI. Editæ ſunt in poſtrema Conciliorum Collectione Pariſienſi Epiſtolæ Nicolai duplici ſerie: Primò quidem exſcriptæ ſunt 670. tum 24. in appendice, præter quædam aliarum fragmenta. Primo loco collocantur quæ ad Græcos ſcriptæ ſunt, quarum præcipuæ 8. & 9. ad Michaelem Imperatorem; poſt ſequuntur quæ miſſæ ſunt ad Francos, & *Reſponſa* ipſius 106. ad conſulta Bulgarorum: tum aliæ ſparſim ad Gallos Epiſtolæ. *Decreta* ipſius ex Gratiano collecta in titulos 20. diviſa ſunt à Joanne Coclæo. *6. Ejus Epiſtolæ.*

VII. HADRIANUS II. Romanus, Talari filius, numero CVIII ſedit annis 5. diebus 12. à die 14. Decembris anni 867. uſque ad Kalendas Novembris anni 872. imperantibus Ludovico II. in Occidente, & Baſilio Macedone in Oriente; regnantibus in Gallia occidua Carolo Calvo, in Auſtraſiæ parte ac Germania Ludovico ejus fratre qui Germanicus dictus. Sub hoc celebrata 8. Synodus œcumenica, in qua damnatus eſt Photius. Epiſtolæ ipſius habentur 34. magnam partem ad Gallos ſcriptæ. *7. Hadrianus II. & ejus Epiſtolæ.*

VIII. JOANNES VIII. Romanus, Vidone patre, ordine CIX. annis decem cum uno aut altero diebus ſedem tenuit, à 14. Decembris anni 872. ad 14. vel 15. Decembris ann. 882. imperantibus in Occidente poſt Ludovicum II. Carolo Calvo, & Carolo Craſſo, in Oriente Baſilio, regnantibus in Francia poſt Carolum Calvum Ludovico Balbo & Carolomanno. Extant ejus Epiſtolæ ter centum viginti in editione regia Conciliorum, cum aliarum aliquot fragmentis. *8. Ioannes VIII. ejuſque Epiſtolarum numerus.*

CAPUT XXXVI.

De ſeculi decimi Pontificibus, quorum mentio apud veteres Canonum Collectores.

1. *Joannes XII.* I. JOANNES XII. Alberici filius ex Tuſculanis Comitibus, Octavianus priùs appellatus, anno 955. Pontifex CXXXI. numero creatus cum annum ageret 18. Primus Pontificum nomen mutaſſe fertur: & tum ob ætatem faciemque minùs virilem, tum ob probroſè cum ſcortis atque imprimis cum Joanna quadam actam in Pontificatu vitam, fabulæ de Joanna Papiſſa anſam præbuiſſe creditur ab Onuphrio. Sedit annos ferè 10. ad 14. Maii anno 964. temporibus Ottonis I. Germanorum Imperatoris (quem diademate imperatorio inſignivit) itemque Francorum regis Lotharii, Imperatorum autem Græcorum Romani, & Nicephori Phocæ. Extat ejus Epiſtola ad Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem, de conceſſione pallii: & alia ad Ottonem in actis Concilii Romani anno 963. habiti, in quo Germanorum factione depoſito Joanni ſubſtitutus eſt Leo, qui 8. à quibuſdam numeratur.

2. *Silveſter II.* II. SILVESTER II. Aquitanus, cui priùs nomen Gerberto, ex Monacho Aureliacenſi in Arvernia, Archiepiſcopus primùm Remenſis, deinde Ravennas, tandem Romanus Pontifex ordine CXL. à die 2. Aprilis anni 999. ſedit annos 4. & menſes circiter duos ad diem 14. Maji ann. 1003. imperante Germanis Ottone III. & poſt eum Henrico II. qui & Claudus & Sanctus: cum Græcis imperarent Baſilius & Conſtantinus Porphyrogenitus fratres, regnaret apud Francos Robertus Hugonis Capeti filius. Plurimæ ipſius Epiſtolæ ante Pontificatum ſcriptæ habentur apud Duchenium. Duæ inveniuntur ſcriptæ poſt Pontificatum, altera ad Laudunenſem Epiſcopum, ad Remenſem Archiepiſcopum altera.

CAPUT XXXVII.

De Pontificibus undecimi ſeculi, quorum Decretis uſus eſt Gratianus.

1. *Leo IX.* I. LEO IX. Germanus, ex Comitibus Dagsburgenſibus, Bruno anteà dictus, Epiſcopus primùm Tullenſis, dein Pontifex CI. numero, ſedit annis 5. menſibus 2. diebus 7. à 12. die Februarii anni 1049. qua omnium conſenſu ob eximiam doctrinam & morum integritatem conſecratus eſt, ad diem 19. Aprilis anni 1054. dominatum obtinentibus, apud Germanos Henrico III. nigro, apud Gallos Henrico I.

apud

apud Græcos Conſtantino Monomacho. Ab Imperatore Beneventum accepiſſe ſcribitur ea lege, ut Bambergenſis in Germania Eccleſiæ tributum remitteret. Normannorum in Apulia ducem Rogerium ope Germanorum aggreſſus, ab eo victus, atque in caſtello quodam obſeſſus: inde tamen Beneventum honorificè perductus, tandemque dimiſſus eſt. Extant in nupera Conciliorum Collectione Epiſtolæ quatuordecim Leonis IX.

II. STEPHANUS IX. aliis X. Godefridi Lotharingiæ (inferioris ſcilicet) Ducis frater, Federicus anteà dictus, ex Abbate Caſſinenſi electus à Clero Romano Pontifex numero CLII. die 2. Auguſti anni 1057. ſedit menſes fermè octo, ad 4. Kalendas Aprilis anni 1058. regnante in Gallia Henrico I. in Germania Henrico IV. in Græcia Michaele Stratiotico. Ejus habetur Epiſtola ad Remenſem Archiepiſcopum, non Guilielmum, ut eſt apud Binium, ſed Gervaſium, ut notat Labbeus: in ea mentio inter cætera fit Concilii Regis conſenſu celebrandi. *2. Stephanus IX*

III. NICOLAUS II. natione Allobrox, Gerardus anteà dictus, ex Florentino Epiſcopo, creatus eſt Pontifex menſe Januario anni 1059. & CLIII. numero, ſedit annis 2. menſibus circiter 6. ad 3. Julii anni 1061. aut paulò ultrà, imperante in Græcia Conſtantino Duca, regnantibus in Gallia Philippo I. in Germania Henrico, qui inter Reges IV. inter Imperatores III. numeratur, qui cum Epiſcopatuum & Abbatiarum Inveſtituram ſibi vindicaret, graves ac diuturnas eo nomine ſimultates cum ſui temporis Pontificibus exercuit. Quinque Nicolai II. extant Epiſtolæ ad Gallias in editione regia Conciliorum quibus tres additæ à Labbeo. Exſtat & apud Gratianum conſtitutio qua jubentur eligi à Cardinalibus Romani Pontifices. Sub eo habitum Romæ Concilium ann. 1059. in quo Berengarius Andegavenſis hæreſi ſuæ de Sacramento Euchariſtiæ tertiùm renunciavit. *3. Nicolaus II*

IV. ALEXANDER II. Mediolanenſis, antea dictus Anſelmus, ex Epiſcopo Lucenſi Pontifex CLIV. electus eſt Kal. Octobr. an. 1061. ſeditque annis 11. menſibus 6. diebus 22. ad 22. Aprilis anni 1073. iiſdem qui ſuprà regnantibus. Epiſtolæ ipſius 28. exſtant, præter quarumdam fragmenta, majori ex parte ad Galliæ Epiſcopos. *4. Alexander II.*

V. GREGORIUS VII. Svanenſis è Tuſcia, patre Bonitio Fabro, Hildebrandus priùs appellatus, ex Cluniacenſi Monacho Pontifex ordine CLV. eodem die, quo Alexander obierat, nempe 22. Aprilis anni 1073. ſummo conſenſu creatus, Eccleſiæ Romanæ præfuit annis 12. cum uno menſe, ad diem 25. Maii 1085. imperantibus Henrico IV. cui oppoſitus Rudolfus Suevus; in Germania Nicephoro Botoniata, & Alexio Comneno in Græcia, Rege autem Francorum Philippo I. Hic Gregorius Henricum prædictum Imperatorem diris devovit, & primus regni etiam transferendi jus uſurpavit, anno 1076. ab eodem poſtea Romæ in arce S. Angeli incluſus, & in conciliabulo depoſitus, ſubrogato ejus in locum Guiberto Ravennate. Verùm à Roberto Guiſcardo Normanno anno 1084. liberatus. Habetur ejus Epiſtolarum 361. *Regiſtrum* in 11. diſtinctum libros, quorum tamen decimus Epiſtolis vacabat in manuſcripto exemplari, ſed appendix Regiſtri aliquot adhuc complectitur Epiſtolas. *5. Gregorius VII.*

6. Vrbanus II. VI. URBANUS II. Gallus, Odo de Lageriaco priùs nominatus; poſtquam Romana ſedes morte Victoris III. viduata, per 5. menſes cum *16.* diebus vacua fuiſſet, electus, à 12. Martii anni 1088. ad diem 22. Julii anno *1099.* ſedit clvii. numero, annis 11. menſibus 4. diebus 18. imperantibus hinc Rudulfo Suevo, inde Henrico IV. apud Germanos, apud Græcos Alexio Comneno, rege autem Francorum Philippo 1. qui ab eo propter Berthæ uxoris repudium, atque aſcitam in conjugium Bertradam, ſacrorum uſu eſt interdictus. Ab eodem celebrata eſt, præter alias, Synodus apud Clarummontem Arverniæ civitatem anno 1095. in qua ipſe Urbanus, Petri Eremitæ ſuaſu, Chriſtianos ad ſacram expeditionem adeò efficaciter adhortatus eſt, ut eo velut claſſico excitati Franci cæteræque Occidentis nationes in Syriam ſeſe effuderint, à quibus recepta de Saracenis Hieroſolyma anno *1099.* electo in regem Gothofredo Bolonienſi, qui vulgo Bullionius. Ejus Epiſtolæ fermè 40.in nupera Conciliorum Collectione editæ ſunt: ſed aliæ in manuſcriptis Codicibus reperiri dicuntur.

CAPUT XXXVIII.

De ſeculi duodecimi Pontificibus, quorum Decreta apud Gratianum aut etiam apud Gregorium IX. collecta habentur.

1. Paſchalis II. I. PASCHALIS II. Hetruſcus, dictus anteà Rainerius, ordine clviii. Romanam ſedem tenuit annis 18. menſibus 5. cum diebus 4. ab idibus Auguſti anni 1099. uſque ad 15. Kal. Februarii ann. 1118. Imperatoribus Henrico V. apud Germanos, Alexio Comneno apud Græcos, rege autem Francorum Ludovico VI. cognomento Graſſo. Paſchalis ab Henrico captus, omnia jura, de quibus inter Imperatorem & Pontifices dudum certabatur, ei conceſſit; quod tamen poſteà irritum à Romana Synodo eſt pronunciatum. Ejus extabant Epiſtolæ 32. jam editæ: aliæ Philippi Labbei opera Collectioni Conciliorum adjectæ ſunt appendicis loco.

2. Gelaſius II. II. GELASIUS II. anteà Joannes vocatus, patria Cajetanus, ex Caſſinenſi Monacho Pontifex ordine clix. ſedit annum unum, ac dies quatuor, à die 25. Januarii anni 1118. ad diem *29.* Januarii anni ſequentis, regnantibus iiſdem. Referuntur quatuor ejus Epiſtolæ.

3. Calliſtus II. III. CALLISTUS II. priori nomine Guido, Stephani Burgundiæ Comitis frater, filius Guilielmi cui à capite audaci cognomen inditum, in Cluniacenſi cœnobio Romanus Pontifex electus Calendis Februariis anni 1019. ſedit clx. numero, ad 13. Decembris anni 1124. annis 5. menſibus 10. diebus 13. ſub Henrico V. & Joanne Comneno Im-

Digitized by Google

no Imperatoribus, rege Gallorum Ludovico VI. Celebratum ſub ipſo eſt Concilium Lateranenſe primum generale, in quo ſancita eſt Calliſtum inter & Henricum concordia quantùm ad inveſtituras Epiſcopatuum. Extant novem aut paulò plures ejus Epiſtolæ.

IV. HONORIUS II. Bononienſis, anteà Lambertus de Fagnano dictus, ſedit ordine CLXIV. annis 5. menſe 1. & diebus 17. à 21. Decembris anni 1124. uſque ad diem 14. Februarii an. 1130. Regnantibus Lothario II. Saxone, Cæſare Germanico, Alexio Comneno Græco, Ludovico VI. Craſſo Franco. Ad quatuor ejus Epiſtolas quæ extabant, alias Labbeus adjecit. *4. Honorius II.*

V. INNOCENTIUS II. Romanus, cui priùs Gregorio Papareſco nomen, CLXII. ſedit annis 13. menſibus 17. diebus 20. à 24. Martii anni 1130. electus in ſchiſmate cum Petro Leonis qui dictus eſt Anacletus II. ad uſque diem 24. Septembris anni 1143. imperante apud Græcos, poſt patrem Alexium, Manuele Comneno, apud Germanos poſt Lotharium Saxonem Conrado II. in Gallia Ludovico VII. ſeu Juniore. Hic Pontifex à Rogerio Siciliæ Comite, Apuliæ & Calabriæ Duce, bello captus, Regium ei titulum attribuit. *5. Innocentius II.*

Ipſius Epiſtolæ circiter viginti leguntur. Ab eodem celebratum fuit Lateranenſe II. generale Concilium.

CAPUT XXXIX.

De Pontificibus ejuſdem ſeculi, ex quorum præcipuè ſcriptis conflata eſt Collectio Decretalium Gregoriana.

I. DECRETA Pontificum, quorum hactenus meminimus, magnam partem in corpus Canonum Gratiani, quorumdam etiam in Gregorii IX. Decretalium Collectionem illata ſunt, tum ex priſcis dubiæ fidei epiſtolis, tum ex poſterioribus. Sequuntur nunc ii, quorum Decretalibus maximè conſtat Gregoriana Compilatio, quorum & nonnulla decreta ſequentibus collectionibus inſerta ſunt. *1. De poſteriorū Pontificum Decretalibus in genere.*

II. IN his primus occurrit *Cæleſtinus* II. Tifernas, priùs Guido de Caſtello dictus, qui numero CLXIII. ſedere cœpit die 24. Septembris anni 1143. ſeditque menſibus ferme 6. ad 8. Martii anni 1144. Manuele & Conrado Imperatoribus, Rege Ludovico Juniore. *2. Cæleſtinus II.*

III. LUCIUS II. Bononienſis, antea Gerardus Caccianimicus, CLXIV. ordine ſedit menſibus 2. & diebus 24. à 9. Martii anni 1144. ad diem 25. Februarii anni ſequentis, iiſdem Principibus. *3. Lucius II.*

Præter aliquot ejus Decreta apud Gregorium, extant ejus epiſtolæ tres.

IV. EUGENIUS III. Piſanus, Bernardus Paganellus priùs appellatus, *4. Eugenius III.*

tus, Beati Bernardi diſcipulns, ex Abbate ſancti Anaſtaſii trium fontium Ordinis Ciſtercienſis, Pontifex ordine clxv. à die 25. Februarii anni 1145. ſedem Romanam tenuit annis octo, menſibus 4. & diebus 13. uſque ad diem 8. Julii anni 1153. imperante apud Græcos eodem Manuele Comueno, regnantibus in Germania Friderico I. Ahenobarbo, in Gallia Ludovico eodem juniore. Ei oblatum fertur à Gratiano monacho Decretorum opus. Habentur autem 10. ejus Epiſtolæ.

5. Alexander III. V. ALEXANDER III. Senenſis, dictus anteà Rolandus Bandinellus, clxviii. Eccleſiam rexit à die 6. Septembris anni 1159. ad 27. Auguſti anni 1181. per annos 21. menſes 2. & dies 21. Imperatoribus Alexio Comneno juniore & Friderico eodem Barbaroſſa, Rege verò Francorum Philippo Auguſto. Ei à Friderico Imperatore in Papienſi conciliabulo oppoſitus eſt Victor, atque obtriti Ligures & præſertim Mediolanenſes, qui Alexandri partes ſequebantur. Verùm iterata Ligurum defectione Fridericus, accepta ex improviſo clade, Pontifici Conciliatus eſt, Venetis pacis inter eos autoribus. Hic Alexander Juriſconſultus fuit magni nominis, habenturque ipſius Decreta ingenti numero apud Gregorium. Vulgatæ autem ſunt in regia Conciliorum editione hujus Alexandri III. epiſtolæ 63. tum à Sirmondo ad calcem Petri Cellenſis operum, 56. ac præterea à Duchenio diverſæ à ſuperioribus circiter 144. Adjicienda eſt appendix 35. epiſtolarum, quarum pars major ſcripta eſt ad Gallos. Congregavit Alexander III. Concilium œcumenicum Lateranenſe 3. anno 1179. Ejuſque Pontificatus initium dedit colligendis Decretalibus Pontificum extra Gratianum ſparſis.

6. Lucius III. VI. LUCIUS III. Lucenſis, anteà Humbaldus Allucingulus, Pontifex ordine clxix. ſedit annis 4. menſibus 2. diebus 18. à 29. Auguſti anni 1181. uſque ad 25. Novembris anni 1185. imperantibus Andronico, Alexii II. filio, & Iſaacio Angelo apud Græcos, Friderico antè memorato apud Germanos, apud Francos Philippo Auguſto. Hujus, præter Epiſtolas duas, quæ in tomis Conciliorum habentur, Decreta complura referuntur in appendice ad Concilium Lateranenſe 3. niſi ea ſunt Lucii II.

7. Vrbanus III. VII. URBANUS III. Mediolanenſis, Lambertus Cribellus anteà dictus, ſedit clxx. numero à die 26. Novembris anni 1185. ad 20. Octobris anni 1187. id eſt anno uno, menſibus 10. diebus 25. iiſdem Imperatoribus ac Rege: audito captæ à Saracenis Hieroſolymæ nuncio ex mœrore obiit. Vulgatæ ſunt 4. ejus Epiſtolæ extra Decretales Gregorii cura collectas.

8. Gregorius VIII VIII. GREGORIUS VIII. Beneventanus, priùs Albertus Mora, clxxi. numero ſedit 57. dies; à 20. Octobris ad 16. Decembris anni 1187. iiſdem Principibus. Tres extant hujus Epiſtolæ.

9. Clemens III. IX. CLEMENS III. Romanus, dictus antea Paulinus ſeu Paulus Scholaris, clxxii. in ordine Pontificum, ſedit tribus annis, menſibus 2. & diebus 19. à die 6. Januarii ann. 1188. ad 25. Martii, anni 1191. Græcis imperante Iſaacio Angelo, Regibus Franciæ Philippo Auguſto Germaniæ & Siciliæ Henrico VI. cui Aſpero cognomen. Habentur ipſius Epiſtolæ ſeptem, extra Decretales collectioni Gregorianæ inſertas.

X. CÆ-

X. CÆLESTINUS III. Romanus, anteaHyacinthus Bobo ex Urſinorum ut creditur familia, numero clxxiii. ſedit annis 6. menſibus 8. diebus 28. à die 12. Aprilis anni 1191. ad diem uſque 8. Januarii, ſub Alexio Angelo Græciæ tyranno, & Franciæ Rege Philippo Auguſto, Romanorum Imperatore Henrico VI. Ahenobarbi filio. Ejus Epiſtolæ ſexdecim inveniuntur. *10. Cæleſtinus III.*

CAPUT XL.

De ſeculi decimi tertii Pontificibus.

INNOCENTIUS III. Anagninus Traſimundi filius ex familia Comitum Signienſium, Lotharius anteanominatus, ſedit clxxiv. numero, per annos 8. menſes 6. dies 9. ab 8. Januarii anni 1198. ad 16. Julii anni 1216. Obiit Peruſii, dum pacem conciliare conatur inter Piſanos & Genuenſes, vacante Orientali Imperio poſt Henrici obitum, & de Occidentali certantibus Ottone 4. ac Friderico 2. regnante in Gallia Philippo Auguſto. Is Lutetiæ operam dederat Theologiæ & Juris ſtudiis; jus etiam publicè profeſſus fuerat ante Pontificatum, dictus audax Juriſconſultus. Sub eo habitum eſt 4. Concilium generale apud Lateranum anno 1215. in quo imprimis confirmatum eſt Tranſubſtantiationis vocabulum, & dogma. Ejuſdem tempore duæ Decretalium Compilationes compoſitæ ſunt. A Binio unica ejus Epiſtola edita eſt: Sed aliæ non paucæ reperiuntur tomo 5. Ducheniana collectionis Hiſtoricorum Franciæ, & apud Raynaudum, alioſque rerum Eccleſiaſticarum ejus temporis ſcriptores: Prætereà libri duo Epiſtolarum hujus Pontificis ad ann. 1198. duoſque inſequentes ſpectantium in lucem exierant anno 1543. opera Guilielmi Sirleti, poſtea Cardinalis: Deinde Toloſæ anno 1635. editi ſunt libri quinque, hoc eſt, Regeſtorum decimus tertius, ſequentes quatuor, ex manuſcripto codice Bibliothecæ Collegii Fuxenſis, curante Franciſco Boſqueto, qui poſt Lutevenſis, ac tandem Montiſpeſſulani Epiſcopus fuit: à quo adjectæ eruditæ notæ. Cum his Regeſtis edita ſunt anno 1682. per V. Cl. Stephanum Baluzium, Epiſtolarum ejuſdem Innocentii liber 5. ex parte, ad annum ferè 1202. pertinens; ac Regiſtrum ſuper negotio Romani Imperii: itemque Regeſta ſive Epiſtolarum Libri x. xi. & xii. de quibus omnibus videnda ejuſdem Baluzii præfatio. Idem aliorum annorum regeſta magna cura, ſed fruſtrà conquiſiit. *1. Innocentius III.*

II. HONORIUS III. Romanus, anteà Cencius Sabellus, ordine clxxv. ſedit annis 10. & menſibus 8. diebus duobus, à die 17. Julii anni 1216. ad diem Martii 19. anni 1227. Imperatoribus Roberto Conſtantinopolitano, & Friderico 2. Germaniæ, Rege autem Francorum S. Ludovico. Honorius Friderico Imperatori ſacris interdixit: Sed deprecante Joanne Brennæo, in gratiam cum eo rediit. Ejus Epiſtolæ tres in collectione Conciliorum habentur: Sed aliæ occurrunt apud Raynaudum, Ducheſnium, & reliquos Eccleſiaſticos illius ſeculi ſcriptores, præter compilationem *2. Honorius III.*

nem integram Decretalium ab Innocentio Cironio Cancellario Eccleſiæ Toloſanæ editam anno 1645.

6. Gregorius IX. III. GREGORIUS IX. Anagninus, è Signiæ Comitibus, Hugolinus anteà dictus, Innocenti III. fratris filius, clxxvi. inter Romanos Pontifices, ſedit à die 20. Martii anni 1227. uſque ad diem 22. Auguſti anni 1241. nimirum annis 14. menſibus 5. cum tribus diebus, Imperatoribus in Oriente Balduino II. in Occidente Friderico II. Rege Francorum S. Ludovico. Ipſe quoque Fridericum in Palæſtinam proficiſci cunctantem Chriſtianorum ſocietate ſemovit. Sedecim hactenus Gregorii hujus Epiſtolæ inter Pontificias relatæ fuere: aliæ non paucæ variis locis vulgatæ reperiuntur. Ejus juſſu Raymundus Decretalium Libros quinque ex prioribus compilationibus collegit, anno 1230. vulgatos.

CAPUT XLI.

De Pontificibus ejuſdem ſeculi XIII. ex quorum maximè Decretalibus compoſitus eſt liber 6. Bonifacii 8. mandato.

1. Ex ſuperiorum Pontificum Decretalibus quædam Sexto inſerta.

I. EX iis Pontificibus, quorum Decretales Gregorianam collectionem majori ex parte componunt, nonnulli ſunt, quorum alias adhuc Epiſtolas ſeu Decreta Bonifacius 8. ſuæ inſeruit, quam Sexti Decretalium titulo inſignivit. Ii ſunt *Alexander III. Clemens* & *Innocentius III.* & *Gregorius IX.* verùm uſus eſt imprimis poſteriorum Decretalibus, quorum nomina ſequuntur.

2. Innocentius IV.

II. INNOCENTIUS IV. Genuenſis, Sinibaldus Fliſcus priùs appellatus, ex Lavaniæ Comitibus, ordine clxxviii. ſedit annis 11. menſibus 5. diebus 14. à 24. Junii anni 1243. qua poſt longam Pontificiæ ſedis vacationem communi Cardinalium conſenſu electus eſt. Iiſdem Imperatoribus & rege. Sed in locum Friderici II. ſubrogati ſunt Henricus Turingiæ Lantgravius, & Guilielmus Comes Hollandiæ. Innocentius hic IV. inter Juriſconſultos celebris priùs fuerat, & in Pontificatu Lecturam ſeu commentarios ſcripſit in libros Decretalium Gregorii IX. Sub eo celebratum eſt Concilium Lugdunenſe 1. generale 13. adverſus Imperatorem Fridericum & de ſuſcipienda in Saracenos expeditione. In eo primùm Concilio inſtitutum proditur ut Romanæ Eccleſiæ Cardinales rubro pileo pro inſigni uterentur; ejuſque Concilii Decreta in Sextum Decretalium collata ſunt. Innocentii IV. Epiſtolæ in Collectione Conciliorum vulgatæ ſunt tantùm duodecim: Aliæ apud Duchenium [a] reperiuntur.

[a] Tom. 5. collectionis hiſtoricorum Franciæ.

3. Alexander IV.

III. ALEXANDER IV. Anagninus, anteà Raynaldus, vel Rolandus nuncupatus, ex Signiæ Comitibus, ordine clxxix. Pontifex ſedit annis 6. menſibus 5. cum diebus 4. à 21. Decembris anni 1254. ad 25. Maii anni 1261. Balduino II. Græcis adhuc imperante, Regibus Galliæ Ludovico IX. Germaniæ Ricardo Anglo Comite Cornubiæ. In editione Conciliorum tres, ac tomo 4. collectionis Duchenianæ quinque illius extant

Epiſto-

Epiſtolæ, præter eas quarum mentio fit à Ph. Labbeo in ſpecimine novæ Bibliothecæ librorum manuſcriptorum.

IV. URBANUS IV. anteà Jacobus Pantaleon, Trecenſis, ordine clxxx. ſedit annis 3. menſe 1. cum 4. diebus, à die 29. Auguſti anni 1261. ad 2. Octobris anni 1264. Principibus iiſdem qui ſuprà. Ejus edicto inſtitutum eſt anniverſarium Dominici Corporis feſtum. Duæ dumtaxat ejus Epiſtolæ in editione Conciliorum habentur: alias undecim collegit Duchenius tomo 4. præter privilegia ſivè indulgentias S. Ludovico ejuſque familiæ conceſſas. *4. Urbanus IV.*

V. CLEMENS IV. priùs Guido Fulcodius ſeu Groſſus, ex Narbonenſis provinciæ oppido cui à S. Ægidio nomen, clxxxi. numero, à die 5. Februarii anni 1265. ſedit annos 3. menſes 9. ac 2. dies, ad 29. Novembris anni 1268. Ejus Epiſtolarum Regiſtrum manu exaratum apud Cl. atque omni literarum genere excultum Ægidium Menagium, alioſque extant. Collectores Conciliorum tres dumtaxat ediderunt. Aliæ in S. Victoris Pariſienſis cœnobio reperiuntur. Poſt ipſius mortem vacavit Romana ſedes annis duobus, menſibus 9. & diebus aliquot. *5. Clemens IV.*

VI. GREGORIUS X. Theobaldus anteà dictus, è Placentiæ Vicecomitibus, Leodienſis Archidiaconus, cum in Palæſtina verſaretur electus eſt abſens Kalendis Septembribus, anni 1272. ſeditque clxxxii. numero, ad diem 10. Januarii anni 1276. annos 4. menſes totidem ac dies 10. Imperatoribus Rodulpho I. apud Germanos, & Michaele Palæologo apud Græcos: Galliæ verò rege Philippo III. cognomento audace. Paucæ occurunt ejus Epiſtolæ extra geſta Concilii Lugdunenſis 2. generalis 14. quod ab eo congregatum anno 1274. ad inſtaurandam Græcorum cum Latinis concordiam, & recuperandam è Saracenorum manibus Syriam. *6. Gregorius X.*

VII. MARTINUS II. vulgò IV. Gallus è tractu Brienſi, Simon anteà dictus, numero clxxxvii. electus die 22. Februarii anni 1281. ſedit annis 4. menſe uno, diebus 7. ad diem 28. Martii anni 1285. Imperantibus Rodulpho I. apud Germanos, Andronico apud Græcos, Rege Galliæ Philippo III. Hujus aliquot extant Epiſtolæ inter Extravagantes communes, & in collectione Conciliorum, itemque apud Duchenium [b]. *7. Martinus II.*

b Tom. 5. hiſt. Franc.

VIII. BONIFACIUS VIII. Anagniæ natus, priùs Benedictus Cajetanus appellatus, ſedit cxci. ordine, annis 8. menſibus 9. diebus 28. à 24. Decembris anni 1294. qua S. Cæleſtino ejus nominis V. Pontifici ſponte ſe abdicanti ſubrogatus eſt Neapoli, ad diem uſque 11. Octobris anni 1303. Imperatore Andronico, regnantibus in Germania Alberto Auſtriaco, in Gallia Philippo Pulcro: quem quòd ſacram militiam in Saracenos ejus arbitrio non ſuſciperet, anathemate percuſſit. Ipſe deinde à Sarra Columnio & Felice Nogaretio ex Gallia in Italiam profecto Anagniæ comprehenſus, ac Romam perductus, ubi 35. die poſt vita exceſſit. Autor hic fuit Collectionis Decretalium, cui Sexti Decretalium nomen eſt inditum, quo cum ipſius Conſtitutionibus continentur ſuperiorum Pontificum Decretales non paucæ. Habentur nonnullæ ipſius Epiſtolæ in editione Conciliorum: ſed ejuſdem aliæ Bullæ, anno ſcilicet 7. ad Hoſtienſem Epiſcopum Nicolaum, reperiuntur in Codice manuſcripto Bibliothecæ Mazarinæ. Edita ſunt etiam *8. Bonifacius VIII.*

nuper acta ad diſſidium Bonifacii ejuſdem cum Philippo Pulcro pertinentia.

CAPUT XLII.

De Pontificibus ſeculi decimi-quarti Clementinarum aut Extravagantium Autoribus.

1. Benedictus XI. I. BENEDICTUS XI. (qui à nonnullis X. tantùm numeratur, expuncto nimirùm 10. velut Schiſmatico & Antipapa) anteà Nicolaus Bocaſinus ex Tarviſina civitate, Ordinis Prædicatorum generalis præfectus, ſedit ordine CXCII. à die 22. Octobris anni 1303. ad 7. Julii anni 1304. menſes octo & dies 17.

2. Clemens V. II. CLEMENS. V. è Vaſatenſi Aquitaniæ diœceſi, priùs Bertrandus de Gotho dictus, ex Archiepiſcopo Burdigalenſi Romanus Pontifex CXCIII. Sedit à die 5. Junii anni 1305. quâ, abſens licèt, Peruſii electus eſt, ad diem 20. Aprilis anni 1314. annis 8. menſibus 10. diebus 16. Imperatoribus apud Græcos Andronico Seniore, apud Germanos Henrico VII. Rege verò Francorum Philippo Pulcro. Hic Pontificiam ſedem tranſtulit Avenionem, & Concilium Viennenſe adverſus Begardos hæreticos atque Templarios celebravit. Ex ejus verò Concilii Decretis aliiſque ejuſdem Epiſtolis concinnata eſt Clementinarum compilatio. Poſt ejus mortem interregnum Pontificium fuit annos 2. cum 3. menſibus ac diebus 17.

3. Joannes XXII. III. JOANNES XXII. vulgò dictus, (quamvis revera 20. numerandus videatur, excluſis duobus Pſeudo-Pontificibus) priùs Jacobus de Oſſa nominatus, Sutoris filius, patria Cadurcenſis, Lugduni electus eſt poſt biennale interpontificium, die Sabbati 7. Auguſti anni 1316. ſeditque CXCIV. annis 18. menſibus 3. & diebus 28. uſque ad diem 4. Decembris anni 1334. Andronico Juniore & Ludovico Bavaro Imperatoribus, Rege Galliæ Philippo VI. Valeſio. Is autor fuit Epiſtolarum Decretalium ſeu Bullarum, quæ ſub titulo *Extravagantium Joannis XXII.* poſt Clementinas inſertæ ſunt corpori Juris Canonici. Sex prætereà ejuſdem Epiſtolas edidere Conciliorum collectores: aliarum mentio fit apud recentiores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores.

4. Benedictus XII. IV. BENEDICTUS XII. (aliàs 11.) Jacobus Fornerius priùs appellatus, ex oppido Toloſanæ tunc Diœceſis Saverduno, Borbonenſis primùm monachus ordinis Ciſtercienſis, dein Cardinalis, tandem electus Pontifex die 20. Decembris anni 1334. numero CXCV. ſedit annis 7. menſibus 4. diebus 6. uſque ad 25. Aprilis anni 1342. Imperantibus, in Oriente Joanne palæologo, in Occidente Ludovico Bavaro, in Gallia Philippo Valeſio. Is Scaligeris Veronæ, Ateſtini ſivè Eſtenſibus Ferrariæ, Gonzagis Mantuæ, aliiſque aliarum Italiæ civitatum, quas quiſque per Pontificum abſentiam occupaverat, poſſeſſionem permiſit, quò eorum auxilia contra Imperatorem haberet parata. Ejus unica Epiſtola in Conciliorum collectione edita eſt: habentur & nonnulla ipſius Decreta

ſive

ſive conſtitutiones inter Extravagantes Communes, quemadmodum & Benedicti XI. & eorum Pontificum, qui ſequuntur.

V. CLEMENS VI. anteà Petrus Rogerius, Lemovicenſis, electus die 7. Maji anno 1342. Sedit CCXCVI. annis 10. menſibus 6. & diebus 29. uſque ad diem 6. Decembris ann. 1352. Imperantibus Conſtantinopoli Joanne Palæologo, & Joanne Cantacuxeno, Carolo quarto Romanorum, & Joanne Francorum regibus. *5. Clemens V.*

VI. URBANUS V. Gallus, dictus anteà Guilielmus de Griſaco, Grimoardi filius, Mimatenſis ſeu Gabalitanus, exeunte Octobri anni 1362. ſedit ordine CCXCVII. annis 8. menſe uno & diebus 23. ad diem 19. Decembris anni 1370. Imperatoribus Joanne Palæologo & Carolo IV. Luxemburgio, Gallorum regibus Joanne & Carolo V. *6. Urbanus V.*

CAPUT XLIII.

De Pontificibus ſeculi decimi quinti, quorum extravagantes corpori Juris Canonici adjectæ ſunt.

I. MARTINUS V. vulgò dictus, cùm revera III. fuerit, priùs Odo ſive Otto de Columna, Romanus, electus die 11. Novembris anni 1417. poſtquam Pontificatus de Concilii Conſtantienſis ſententia Joanni 23. & Benedicto 13. abrogatus fuerat, ſedit CCVI. ordine, annis 13. menſibus 3. cum 12. diebus ad 20. Februarii 1431. Imperatoribus Græcorum Joanne VII. & VIII. Rege Romanorum ſive Germaniæ Sigiſmundo, Francorum Regibus Carolo VI. & VII. Is in illo Concilio multas edidit conſtitutiones, præſertim adverſus Vviclefi & Huſſi errores. *1. Martinus V.*

II. EUGENIUS IV. priùs Gabriel Condulmerius, Venetus, ordine CCVII. à die 3. Martii anni 1431. ad 23. Februarii anni 1447. ſedit annis 15. menſibus 11. diebus 20. imperantibus apud Græcos Joanne VIII. & Conſtantino Manuelis filiis, apud Germanos Sigiſmundo, Alberto Auſtriaco, & Friderico III. Francorum Rege Carolo VII. Cùm Epiſcopos Baſileæ congregatos ultrà progredi vetuiſſet, adverſus eum creatus eſt Pontifex ejus Concilii Seſſ. 38. Amedæus Sabaudiæ Dux, *Felix V.* appellatus, die 5. Novemb. anni 1439. qui decennio fermè poſt Pontificatu ſe abdicavit. Interim Eugenius aliud Concilium Ferrariæ primùm, deinde Florentiæ indixit, cui interfuere Græci, interque ipſos Joannes Palæologus Imperator, & Joſephus Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui cum Latinis in concordiam venerunt. *2. Eugenius IV.*

III. CALLISTUS III. qui anteà Alfonſus Borgia Hiſpanus, electus die 8. Aprilis anni 1455. ſedit CCIX. numero, annis 3. menſibus 5. ac diebus 29. ad diem 6. Auguſti 1458. Imperante Friderico III. regnante apud Francos Carolo VII. cùm biennio priùs expugnata fuiſſet Conſtantinopolis à Mahomete II. Turcarum Principe. *3. Calliſtus III.*

IV. PAULUS II. Venetus, anteà Petrus Barbus, à die 31. Auguſti *4. Paulus II.*

anni 1464. ordine ccxi. ſedit annis 6. menſibus 10. ac diebus 26. ad 25. Julii 1471. Rege Francorum Ludovico XI. Germanorum Imperatore Friderico III.

5. Sixtus IV.

V. SIXTUS IV. dictus anteà Franciſcus Roboreus, Savonenſis, ex Ordine Minorum Generalis Cardinalis, electus die 9. Auguſti anni 1471. Sedit annis 13. diebus 5. uſque ad diem 13. Auguſti an. 1484. Imperatore Friderico III. Francorum rege Carolo VIII. Hujus duo imprimis habentur Decreta de Conceptione B. Mariæ Virginis immaculata.

6. De cæterorum Extravagantibus.

VI. Poſteriorum Pontificum, tum *Innocentii VIII.* qui Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ autor præcipuus habetur, tum cæterorum, ad hæc noſtra tempora complures extant Extravagantes Conſtitutiones in Bullario: ſed nulla earum autoritate Pontificia prodiit ordinata collectio. De his ſub finem quarti hujus operis Libri pleniùs agendum erit.

C A P U T XLIV.

De Sanctorum Patrum ſcriptis, eorumque autoritate.

1. Magna SS. Patrum autoritas, in iis quæ ab Eccleſia ſunt recepta.

I. CANONUM etiam titulo decorantur ſententiæ Sanctorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum, veterumque ſacræ Scripturæ interpretum, quos Tractatores vocant autore Leone Pontifice [a]. Licèt enim non omnia eorum ſcripta pro legibus habeantur [b], quoniam ſcilicet non ſufficiunt ad condenda jura doctrina & ſanctitas, ſed neceſſaria quoque autoritas eſt [c]: tamen ſecundum eumdem Leonem [d] quæ à Juris Pontificii autoribus ſelecta, ejuſque Corpore incluſa, aut etiam Conſtitutione alicujus Pontificis comprehenſa ſunt, parem cum eis vim & robur ſortiuntur. Ut enim tradit Juſtinianus [e] ex quo repetit Bonifacius VIII. [f] noſtra facimus quæ probamus, & quibus autoritatem noſtram impertimur.

a Can. 1. diſt. 20.
b Can. 3. 4. 5. & 9. diſt. 9.
c In ſum. ſive pr. diſt. 20.
d Can. 2. ead. diſt.
e In l. 1. §. neque Cod. de vet. Jure enucl.
f Cap. 22. de præb. in 6.

2. Per ſe quoque Patrum ſententiæ tertium obtinent autoritatis locum.

II. Sed & citra juris diſpoſitionem ſententiæ Patrum probationis cauſa rectè adducuntur, ex Panormitano [g], quod & ex Clementina prima de ſumma Trinitate aliiſque innumeris Juris noſtri locis facilè colligitur. Itaque Sanctorum Patrum dicta in definiendis morum & fidei rebus tertium, poſt Conciliorum nempe & Pontificum Maximorum Decreta, locum obtinent; illiſque deficientibus, inſtar ſacræ Legis habentur [h], adeo ut priſcorum Patrum communis conſenſus certam faciat fidem Catholicorum dogmatum: majoris verò eorumdem Doctorum partis, ſi non indubitatam, certè maxime probabilem inducant, ut probat Melchior Canus, [i] & tam Græcorum Latinorumque Patrum, quàm Synodorum etiam Generalium exemplo confirmat & autoritate.

g Ad Capit. certificari 9. ex. de ſepulturis.
h Cann. 1. & 3. diſt. 20.
i Locor. Theol. lib. 7. c. præſertim 3.

3. Probatur Patrum autoritas ex ſacris literis.

III. Et verò cùm Paulus Apoſtolus [l] vetet nos circumferri omni vento doctrinæ, & [m] neget omnes eſſe Doctores; par eſt eorum nos veſtigiis inhærere, qui ab Apoſtolis, eorumve diſcipulis Chriſtianæ religionis doctrinam

nam hauſerunt: ut hìc imprimis locum habeat illud Deuteronomii [n] *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Ea de cauſa Textum Scripturarum à Patribus acceptum ac velut per manus ſequentibus traditum Petrus Apoſtolus apud Clementem [o] *Clavem* vocat *Verbi Dei*.

IV. Gregorius autem magnus de ſanctis Doctoribus [p] exponit quod habetur 38. cap. Job. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt*. Hac de cauſa recenſentur vetuſtiores Eccleſiæ Doctores, tum Græci, tum Latini, in Concilio Romano ſub Gelaſio [q].

V. Nos itaque de eorum cujuſque ſcriptis, habita temporum ratione, diſſeremus, adjectis præterea ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui ibi omiſſi ſunt. Nam ex aliorum quoque operibus Juris Canonici compoſitores inſerendas collectionibus ſuis ſententias cenſuerunt, & eorumdem autoritate non tarò Theologi quoque utuntur. Quia ergo, ut priſcis Pontificibus adulterinæ Epiſtolæ aſſignatæ ſunt, ita Sanctorum Patrum titulum falsò præferunt opera non pauca, opus eſt à nobis hæc etiam diſcuti, ne in errorem Speculatricis æquè ac Practicæ ſive Canonicæ Theologiæ cupidi lectores inducantur.

l Ad Epheſios cap. 4.
m Primæ ad Corinth. c. 12.
n Cap. 32.
o Lib. 10. recognit.
4. Probatur & ex Pontificum ſcripsis autoritas Patrum.
p Lib. 8. moral. cap. 9.
q Can. 3. Romana 3. diſt. 15.
5. Propoſitum noſtrum in diſcutiendis autorum Eccleſiaſticorum operibus.

CAPUT XLV.

Examen Scriptorum Eccleſiaſticorum primi à Chriſto nato Seculi.

I. INTER antiquiſſimos autores Chriſtianos, qui primi ab Apoſtolis ſcripſerunt, occurrit Hermas ſive HERMES, (hæc enim duo nomina dialecto tantùm differunt). Is autor fuit Græci operis Latinitate donati, cui titulus *Paſtor*, vel *Liber Paſtoris* ſive *Paſtoralis*. Hoc opus tribus libris diſtinctum reperitur in Bibliotheca Patrum, & ſeorſim editum à Gaſpare Barthio. Eorum librorum primus *Eccleſia* inſcribitur, eò quòd quatuor de Eccleſia viſiones contineat. 2. propriè *Paſtoris* titulum præfert, quòd in eo Angelus Paſtor & cuſtos Hermæ vitæ bene agendæ præcepta duodecim tradat. Tertius, quoniam decem ſimilitudines ſive allegorias ab eodem Paſtore explicatas complectitur, *Similitudinum* titulo notatur.

1. Hermes ſive Hermas.

II. Hoc volumen quis Hermas conſcripſerit ambigitur. Hermam & Hermen memorat B. Paulus Apoſtolus, [a] velut diſcipulos ſuos: *Salutate*, inquit, *Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patroban, Hermen, & qui cum eis ſunt fratres*. Atque hunc Hermam S. Paulo memoratum libri Paſtoris autorem faciunt Origenes [b], Euſebius, [c] Hieronymus, [d] aliique. At in libro de Romanis Pontificibus traditur [e] ab Herme Pii Pontificis fratre compoſitum fuiſſe librum ſub Paſtoris titulo: qui titulus ea de cauſa inditus fuerit, quòd Angelus ſub Paſtoris habitu Hermeti apparens, quæ in eo continerentur revelaſſet. Ex his conjicere eſt cum Bellarmino & Baronio duos Hermas vel Hermetes duorum diverſorum operum ſub eadem *Paſtoris* inſcriptione autores fuiſſe. Vix enim, ac ne vix quidem credibile eſt Pii fratrem, qui circa Chriſti annum 159. ſcripſerit, eumdem

2. Quis ille libri Paſtoris autor Hermes.
a Epiſt. ad Rom. cap. 16.
b 10. In Epiſt. ad Rom.
c Lib. 3. hiſtor. Ecclеſ. c. 3.
d Lib. de Scriptorib. Eccleſ.
e In vita Pii I.

eſſe cum eo quem B. Paulus anno Chriſti 58. centum ſcilicèt annis priùs, Romam ſcribens, tanquam virum gravem ſalutari mandaverat. Prætereà in libro à fratre Pii Pontificis exarato obſervat autor libri de Pontificibus, comprehenſum imprimis fuiſſe mandatum Domini per Angelum internuncium de Paſchate die Dominica celebrando datum: cujus rei nulla mentio fit à Patribus, à quibus liber Paſtoris, tanquàm opus illius Hermæ S. Paulo cogniti, laudatur. Nullum etiam ejus rei veſtigium exiſtit in eo libro qui ad nos uſque pervenit: in quo tamen Clementis (S. Petri diſcipuli) tanquam coætanei mentio habetur Viſione ſecunda: ita ut hic liber Hermæ à Paulo memorati opus eſſe videatur; illius verò qui frater fuit Pii Pontificis liber jamdiù interierit: niſi malimus hunc Pii fratrem in libro Pontificali nominatum pro ficta perſona, totamque eam narrationem pro fabula accipere cum doctiſſimo Cotelerio. Quin Hermæ quoque Paſtoris nomine cenſetur Libellus de rebus geſtis S. Praxedis: qui quidem Paſtor, Presbyter fuit, nec potuit acta illa ſcripſiſſe ante annum 164. quo tempore paſſa eſt ſancta illa & nobiliſſima virgo. Junius apud Andream Rivetum lib. 1. Criticæ ſacræ cap. 12. *Paſtoris*, παστόρος, nomine intelligit librum Simonis ſeu Tertium Machabæorum apud Hieronymum in Prologo Galeato, ἀπὸ τῆς παστάδος, ab atrio nempe, in quo Sacerdos cum Hebræis interceſſit, ne rex Antiochus Sanctuarium ingrederetur.

III. De illo libro Paſtoris, quem Hermæ Pauli coætaneo aſſignari diximus, variè Patres ſenſere. Ejus teſtimoniis ad adſtruendam veritatem Catholicam uſi ſunt Clemens Alexandrinus, [a] Origenes, [b] Athanaſius, [c] aliique. Quinetiam Irenæus [d] eum librum nomine Scripturæ laudat: Origenes [e] quoque Scripturam vocat, quam ut valdè utilem & divinitùs inſpiratam commendat. At verò Euſebius, à plurimis non receptum hoc volumen, ab aliis neceſſarium eſſe judicatum, propter eos qui primis ad fidem inſtitutionibus imbuuntur, & in nonnullis Eccleſiis legi ſolitum teſtatur: quod Hieronymus [f] tradit ſuo adhuc tempore apud quoſdam Græciæ Eccleſias ſolenne fuiſſe, licèt Latinis penè ignoratus eſſet hic liber. Idem in prologo Galeato, cum Rufino in explanatione Symboli, *Paſtoris* volumen, quod à quibuſdam *Viam vitæ*, vel judicium Petri nominatum fuiſſe obſervat, inter Eccleſiaſtica ſcripta, unà cum libris Tobiæ, Judith, ac ſimilibus enumerat; quamvis neget eos eſſe in Canone. Sanè Tertullianus [g] ſcripturam Paſtoris rejicit, tanquam ab omni Concilio Eccleſiarum inter apocrypha & falſa judicatam. Origenes à nonnullis contemni fatetur: Athanaſius [h] agnoſcit Arianos ad ſuam hæreſim confirmandam ejus libri auctoritate uſos fuiſſe; Hieronymus [i] non abſque trepidatione citari conſueviſſe: Proſper Aquitanus [l] nullius auctoritatis eſſe pronunciat, Gelaſius [m] Paſtorem Apocryphum cenſet, itemque Nicephorus Conſtantinopolitanus [n]: & Novatores eum tanquam Novatianorum & Pelagianorum fontem, ſuperſtitionum Montaniſticarum gurgitem, fautorem Arianorum exagitant: cùm tamen tempore Zephyrini Pontificis ac Tertulliani à Catholicis ad jugulandam Montani hæreſin adhiberetur.

3. *Laudatur à priſcis Patribus liber ille Paſtoris.*

a Stromatum lib. 1. & 6.
b Homil. 8. in Numeros, & alibi.
c In lib. de Incarnat. Verbi.
d Lib. 4. cap. 37.
e Lib. 10. in Epi. ad Romanos.
f In Catal. Scriptor. Eccleſiaſt.
g Libri de Pudicitia, cap. 10.
h In Epiſt. ad Afros apud Theodoret. 1. hiſt. c. 8.
i In caput 7. Amos.
l Lib. contra Caſſianum c. 3.
m In Can. 3. diſt. 15.
n In fine Chronographiæ.

Verùm cùm duo ſint Apocryphorum genera, alia rejecta quidem ex Canone ſacræ Scripturæ, ſed tamen aliunde probata in Eccleſia; alia omnino improbata: in priorum claſſem referendus videtur hic liber Paſto-

ris, antequam fabulis, fortè & hæreſibus aliquot ab interpolatoribus eſſet aſperſus: (quale tamen tunc non fuit, quod ab eo dicitur de unica pœnitentia): libri corruptio effecit, ut opus Paſtoris, quod nunc extat, ſuppoſititium à viris doctis habeatur apud Poſſevinum [o]. o Apparatus ſacri tomo 2. in voce *Paſtor*.

IV. ILLIUS è Græco interpretem, ſeu potiùs breviatorem Barthius [p] non Rufinum, ut alii viri eruditi, ſed Anaſtaſium bibliothecharium putat. *4. Quis interpres Latinus libri Paſtoris.* p In animadverſionibus.

V. CLEMENS Romanus Pontifex, præter Epiſtolas, de quibus jam diximus, multa Græcè ſcripſiſſe fertur, atque imprimis *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, ſeu præceptionum Epiſcopalium libros octo, & *Recognitionum* libros decem. *5. Clemens Romanus ejuſque opera.*

VI. CONSTITUTIONUM Apoſtolicarum opus, quorum titulus apud Photium eſt Διαταγαὶ τῶν Ἀποστόλων, alias διαταγῶν Ὀκτάβιβλον, *6. Conſtitutiones Apoſtolicæ.* S. Athanaſius [q] & Epiphanius [r] pro germano Clementis opere agnoverunt, earumque teſtimonium adhibuere celebres Eccleſiaſtici Scriptores, tum veteres, tum recentiores, à Franciſco Turriano earum propugnatore adverſus Centuriatores Magdeburgenſes citati. Et ſanè ſi integræ extarent, quales nempe ab autore prodierunt, fatendum eſſet cum Epiphanio [ſ] in ipſis omnem Canonicam ordinationem contineri, nihilque occurrere à fide aut Eccleſiaſtica regula & gubernatione alienum. Sed aliqua ipſe in eis perperam ab hæreſi expoſita notat, & Quiniſextæ Synodi Canon 2. multa in iis ab hæreticis corrupta fuiſſe teſtatur: unde mirum non eſt, ſi à Gelaſio [t] hoc opus unà cum Itinerario S. Petri, inter apocrypha cenſeatur. Hoc *Conſtitutionum Apoſtolicarum* opus V. Cl. J. B. Cotelerius, ſingularis eruditionis Theologus, noſter ex regia profeſſione Collega atque amicus, & apocryphum & pſeudepigraphum, nec ab Apoſtolis profectum affirmare non dubitat in ſuis ad eas notis, nec Apoſtolicum Clementem ejus eſſe autorem, ut pote quem prima Eccleſiæ tempora latuerint: ipſæ Conſtitutiones pleriſque ſanctorum Patrum ignoratæ aut neglectæ, ſexcenta contineant cum veritate, cum veriſimilitudine pugnantia, recentiora temporibus Apoſtolicis, atque ab Apoſtolico charactere remotiſſima. Eaſdem poſt primam compoſitionem interpolatricibus manibus ſubjacuiſſe, quod & ex ſupradictis confirmatur. His adjecti in quibuſdam Codicibus Canones, qui vulgò dicuntur Apoſtolorum, de quibus ſuo loco.

q In Synopſi.
r Hæreſi 45. & 70.
ſ Hæreſi 70.
t In d. Can. 3. diſt. 15.

VII. *Recognitionum* Clementis duæ fuere editiones, quæ ſingulæ libris decem conſtabant: priores deſiderantur: poſteriores, quos Gennadius teſtis eſt à Rufino tranſlatos. Ii aliqua fabuloſa & cum orthodoxa fide pugnantia continent, aliiſque de cauſis ſuſpecti ſunt, tanquam Clementi falsò attributi, aut certè ab hæreticis vitiati. Non ejuſdem auctoris eſſe hoc Syntagma cum illo Conſtitutionum, & ex Photii judicio colligitur, qui prærogativam ſanioris doctrinæ tribuit priori; poſteriori verò aſſignat Polymathiæ laudem, cùm illius ſcriptor Sanctarum Scripturarum rituumque Eccleſiaſticorum callentior fuerit, hujus in his rudior: nec conveniunt utriuſque dogmata. Hujus operis autorem Cotelerius putat virum doctum quidem ac diſertum, ſed Philoſophum magis & Philologum, quàm Theologum, qui ſecundo ſeculo vixerit, alioſque libros apocryphos, partim ſub Petri, partim ſub Clementis larva effuderit. Nec verò cum illis quicquam commune habent *Clementinæ*; id eſt homiliæ novem-

decim, quæ in Epiſtolis aliiſque opuſculis, Petri & Clementis nomine ad Jacobum inſcriptis, inveniuntur in MSS. ſub nomine Clementis, reverà hominis ejuſdem farinæ cum parente Ἀναγνωσίων, quibus hæc in multis ſimilia ſunt: reſperſa ſcilicet erroribus à Philoſophia Semichriſtiana & præcipuè Ebionitica ortis. Nec tamen mirandum quòd in Synopſi Athanaſii, Chronico Alexandrino, Hiſtoria Eccleſiaſtica Nicepori, & apud Joannem Damaſcenum cum laude memoretur opus ejus nominis: illi enim alium librum ejuſdem tituli, ſed tamen diverſum laudaſſe, aut minùs depravatum exemplar nacti fuiſſe videntur viro eruditiſſimo & ſagaciſſimo: cujus curæ ac labori non modò Hermæ, & Clementis, ſed & aliorum quoque SS. Patrum qui Apoſtolorum tempore floruerunt, Barnabæ, Ignatii, Polycarpi opera cum priùs editis inedita è MSS. eruta & notis illuſtrata debemus. Horum poſteriores in confinio utriuſque ſeculi I. & II. vixere.

CAPUT XLVI.

De Græcis Secundi Seculi Patribus.

1. De Patribus 2 ſeculi in genere.

I. ETSI ex ſacris hujus ſeculi Scriptoribus nullus Canon depromptus eſt: quia tamen ex eorum maximè ſcriptis vera primitivæ Eccleſiæ ab Apoſtolis conſtitutæ facies eluceſcit, & magnæ apud Theologos autoritatis habentur eorum teſtimonia, nonnulla de præcipuis in medium proferemus.

2. S. Ignatius.

II. S. IGNATIUS Epiſcopus Antiochenus, martyrium ſub Trajano ſubiit circa annum Chriſti 110. & plures Apoſtolico more Epiſtolas ſcripſit, quarum meminere Irenæus [a], Athanaſius [b] Theodoritus, aliique Græci; Hieronymus & alii Latini Patres. Septem dumtaxat priores Epiſtolas, nimirum ad *Epheſios*, ad *Magneſianos*, ad *Trallianos*, ad *Romanos*, ad *Philadelphios*, ad *Smyrnæos*, ad *Polycarpum* memorant Euſebius [c], & Hieronymus [d]: quæ à S. Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo collectæ, atque ad Philippenſes, poſt Ignatii è Macedonia Romam verſus diſceſſum, miſſæ, teſte ipſo Polycarpo in Epiſtola ad Philippenſes ſcripta apud Euſebium [e]. Sed præter has aliæ quinque reperiuntur in pleriſque vetuſtiſſimis codicibus Græcis, teſte Photio: quæ ex charactere, ſtylique & ſententiarum ſimilitudine parem apud eruditos fidem invenere, & à Perionio ac Meſtreo unà cum reliquis editæ ſunt. Quamvis Iſaacus Voſſius ſeptem è Codice Florentino, Uſſerius ſex tantùm priores, quas uterque ex manuſcripto eodem Medicæo edidere, genuinas cenſeant; Blondellus tamen & Salmaſius ac Dalliæus omnes velut ſpurias æquè repudiant, ex eo præſertim quòd à Theodorito [f] quædam ex Epiſtola ad Epheſios, ab Hieronymo [g] alia ex Epiſtola ad Polycarpum adducantur loca, quæ partim aliter, partim nullatenus habentur in iis quæ hodie extant. Sunt quæ Latinè ſolùm habentur ejuſdem Ignatii titulo Epiſtolæ, tum duæ *ad S. Joannem* Apoſtolum, tum tres *ad beatiſſimam Virginem*, cum ejuſdem Virginis ad eum reſponſo, velut adulterinæ, aut ſaltem incertæ

a Lib. 5.
b De Synodis.
c 3. Hiſt. cap. 3.
d In catal. ſcriptor. Eccleſiaſt.
e Loco jam laudato.
f Dial. 1. & 3.
g Dial. 3. adverſus Pelagianos.

certæ fidei, à Baronio & Bellarmino, atque in indice Romano librorum expurgatorio rejiciuntur, etſi à S. Bernardo [h] citentur. De his omnibus vide præ cæteris Cotelerium [i] ſæpè citatum.

h Serm. 1. in pſalmum 90.
i Col. 441. &c.

III. S. DIONYSIUS Areopagita, anno à natali Domini circiter 50. ad Chriſti fidem converſus à S. Paulo, martyr haud dubiè fuit. Ejus paſſionem juxta Lutetiam Pariſiorum conjicit Baronius in annum 2. Adriani, qui reſpondet anno Chriſti 119. vel ut alii cenſent 117. cùm alii Athenis longè priùs, nempe ſub Domitiano, paſſum aſſerant: qua de re an primus Pariſiorum Epiſcopus idem cum Areopagita Epiſcopo Athenienſi fuerit, Roma in Galliam miſſus ab Apoſtolis, videndæ Doctorum virorum lucubrationes, qui nuper de his ſcripſerunt: hinc Sirmondus & Launojus: inde Andreas Sauſſæus, Tullenſis poſteà Epiſcopus; tum Hugo Menardus, & Joannes Samblancatus. Græco-Latina editio Operum quæ ſub ejus nomine recepta ſunt, cum ſcholiis Maximi Monachi, & Georgii Pachymeræ [l] paraphraſi, prodiit Antuerpiæ ann. 1634. ſtudio Balthazaris Corderii è Societate Jeſu, duobus voluminibus: quorum primus continet libros ſingulares *de Cæleſti Hierarchia*, *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, & *de divinis Nominibus*: alter *de Myſtica Theologia*; qui ſinguli tractatus ſuis capitibus diſtincti ſunt, cum Epiſtolis decem, rejecta ſecundùm eruditorum judicium ea quæ ad ſanctum Paulum ſcripta dicebatur. Hæc cuncta, poſt Hypatium Epheſinum Epiſcopum in Collatione Conſtantinopoli inter Catholicos & Severianos habita anno 532. Cajetanus & Valla [m], Eraſmus [n] & Heterodoxi vulgò negant eſſe ſancti Dioniſii Areopagitæ; tum quòd eorum nulla mentio fiat ab Euſebio, aut à S. Hieronymo, aliove ullo ante S. Gregorium magnum ſub exitum ſexti ſeculi: tum præterea quòd liber de *Divinis Nominibus* apud Suidam, & in editione Lugdunenſi, inſcriptus legatur ad Timotheum Epiſcopum Epheſinum, B. Pauli diſcipulum, qui ante S. Ignatii ad Romanos Epiſtolam ipſo teſte jam è vivis exceſſerat; & quem præter morem Epiſcoporum non fratrem, ſed filium vocat. Accedit quòd in eo libro teſtatur autor, ſe unà cum Jacobo & aliis ſanctis Fratribus adfuiſſe ad contuendum corpus illud quod autorem vitæ Deum conceperat, id eſt, Beatam Virginem Chriſti matrem nuperrimè defunctam: quæ tamen animam Deo reddidit ex communi Patrum traditione anno ætatis 63. poſt Chriſti aſcenſum 15. cum Dionyſii converſio juxta ſacrorum Chronographorum calculum, non ante annum 17. contigerit. In libro autem *De Eccleſiaſtica Hierarchia* multa referuntur de templis Chriſtianorum, de altaribus & choro, deque Catechumenis & monachis, quæ temporibus Dionyſii nondum in Eccleſia videntur recepta fuiſſe: atque in eodem libro laudatur Clemens Alexandrinus, qui tamen longè Dionyſio junior fuit. Verùm hujus Dionyſii defenſores Euſebii ſilentium affectatum fuiſſe putant [o], quòd ſcilicet Dionyſii ſcripta tela adversùs Arianos potentiſſima ſubminiſtrarent. Hieronymum verò ex inſtituto, in præfatione ad Dexterum explicato, eos antiquos ſcriptores attingere voluiſſe cenſent, quos inveniſſet ab Euſebio recenſitos, additis tantùm iis qui poſt Euſebium ad ſua tempora floruiſſent: & potuiſſe opera Dionyſii ab Arianis ſuppreſſa eum latere. Jam Timotheum, ad quem ſcribitur liber de divinis nominibus, non ita certum eſſe fuiſſe Pauli diſcipulum, cum alii Timothei eo tempore no-

3. S. Dionyſius.
l In cap. 17. act.
m In Epiſt. præfixa paraphraſi in 1. ad Corint.
n In Catal. ſcriptor. Eccleſiaſt.
o Maximus mō. in Commentar. ad hæc opera.

Digitized by Google

men Chriſto dediſſe inveniantur; nec in omnibus Dionyſii Codicibus Timotheus ille dicatur Epiſcopus Epheſinus. Tempus autem migrationis Deiparæ Virginis non adeò fixum eſſe, ut ex anni unius aut alterius à vulgari ſententia diſcrimine, falſi argui autor debeat. Ritus verò ſacros & monachorum inſtitutum (licèt non iiſdem regulis obſtrictorum, quibus poſteà devincti ſunt) antiquiſſima eſſe in Eccleſia, nec Apoſtolicis temporibus multò poſteriora, oſtendit Baronius [p]: idemque Clementem Philoſophum, non autem Epiſcopum Alexandrinum, apud Dionyſium citari obſervat. Certè à Dionyſio Alexandrino ſcripta fuiſſe quædam ſcholia in Areopagitæ opera teſtatur Maximus monachus: niſi potiùs Dionyſium Rhetorem confundit cum Alexandrino. Eundem à Cyrillo memorari Liberatus [q], à Chryſoſtomo dictum eſſe Volucrem cœli Anaſtaſius Bibliothecarius annotavit. Prodiit anno 1603. Coloniæ, Gerardi Voſſii ſtudio, ad calcem tomi 3. operum Ephræmi, ſermo S. Joannis Chryſoſt. antea parùm cognitus, in quo leguntur ea verba, quorum Anaſtaſius meminerat. Photius [r] ait ſe legiſſe librum Theodori presbyteri, quo demonſtrabat genuina eſſe opera S. Dionyſii, quæ habemus. Et verò Gregorius magnus [ſ] Dionyſium hunc vocat antiquum & venerabilem patrem: ejuſque autoritate utuntur Martinus Papa I. [t] Agatho [u], & Catholici Doctores multi: videndi præter cæteros Delrio [x], Petrus Janſenius [y], Petrus Halloix [z], & Joannes Morinus [a], qui cum doctis pleriſque hæc Areopagitæ abjudicat.

IV. S. JUSTINUS Samarita, poſtquam veræ ſapientiæ ſibi comparandæ cauſa Philoſophorum Græcorum omnes penè ſectas didiciſſet, Chriſtianam tandem veritatem ab homine ignoto, agente Numine, accepit; eamque amplexus, Romam profectus eſt, ubi inſtigante Creſcente Philoſopho, morte pro eadem Chriſti fide eſt affectus, ſive circa exitum Antonini Pii, & anno Chriſti 161; ſive ut alii malunt, ſub initia Marci Aurelii & Lucii Veri fratrum anno 163. Scripſit *Apologias duas* pro Chriſtianis, quarum quæ nunc vulgò prior cenſetur ad Senatum inſcripta, reverà tempore poſterior eſt ſcripta ad Antoninum Pium, ut probant quæ ex ea ſub titulo libri 2. adducit Euſebius [b], ubi & aliorum ejuſdem operum meminit, ut & Hieronymus [c]. Ex ejus operibus ad nos pervenere *dialogus cum Tryphone* Judæo Epheſi habitus, *Oratio* parænetica *ad Gentes* ſive ad Græcos, & liber *de Monarchia Dei*: quem tamen Perionius in dubium revocare voluit, quamvis ejus præterea mentio fiat apud Photium & Svidam. Præter hos libros ſub Juſtini titulo circumfertur *Ariſtotelicorum* quorumdam *dogmatum everſio*; quo in opuſculo nullam falſi notam ſe deprehendiſſe teſtatur Bellarminus, ejuſque meminiſſe idem Photius videtur: Baronio tamen & Poſſevino, aliiſque ſuſpectus eſt, quemadmodum & *Expoſitio Fidei de recta Confeſſione*, Epiſtolæ *ad Zenam & Serenum* de vita Chriſtiana, *Solutio quæſtionum* ac dubitationum centum quadraginta ſex ad Orthodoxos, atque alia, in quibus memorantur Manichæi, & Irenæus Martyr, quibus antiquior fuit Juſtinus: & paulò apertiùs quàm ejus ætatis conſuetudo ferret, de fidei myſteriis diſſeritur, ſtylo etiam à Juſtini oratione aliquantùm diverſo: ut ea opuſcula ab hominibus quarti quintive ſeculi vel compoſita, vel ſaltem interpolata videantur.

p Ad ann. 64. & alibi.
q In Breviario.
r In Bibliothec.
ſ Homil. 24. in Evangelia.
t In Synodo Romana.
u In Epiſt. ad Conſtantinum. Imper. & Conc. 3. Conſt. œcum. 6. act. 6.
x In vindiciis Areopagiticis contra Scaligerum.
y Diſputatione Apologetica.
z In quæſtionib. 4. de S. Dionyſio Areopagita.
a In 2. parte Commentarii de ſacris Eccleſiæ ordinationibus.
4. *S. Juſtinus.*
b Lib. 3. cap. 15. & 17.
c De ſcriptorib. Eccleſ.

V. IRE-

5. Irenæus.

V. IRENÆUS Epiſcopus Lugdunenſis, à S. Polycarpo Smyrnæorum Epiſcopo, cujus auditor fuerat, cum aliis miſſus in Galliam, Lugduni ſubſtitit, & Pothini ejus Urbis Epiſcopi Martyrium paſſi ſucceſſor electus eſt circa annum 178. Is licèt habita Synodo Paſcha die Dominica celebrandum ſanxiſſet, ægrè tamen tulit quòd Aſianos contra ſentientes ea de cauſa Victor Pontifex per nimiam ſeveritatem anathemate percellere vellet. Tandem cum omnibus ferè ſuæ civitatis Chriſtianis mortem pro fide ſubiit anno 201. aut circiter. Plurima ſcripſit Opuſcula, quæ ab Euſebio [d] per plura capita, & à S. Hieronymo [e] recenſentur: ex quibus ſuperſunt præter *Epiſtolam ad Florinum*, quæ apud Euſebium extat, Libri *adverſus Valentini & Gnoſticorum hæreſes*, qui & ipſi diutiùs apud Latinos obſcuri fuerunt, ut colligitur ex Gregorio Magno [f]: quòd nempe homo Græcus ſua lingua ſcripſiſſet, ut Beatus Rhenanus contra Eraſmum & alii oſtendunt: nam & ab Hieronymo inter Græcos Patres numeratur, & à Græcis frequentiùs quàm à Latinis citari ſolet. Non invenitur tamen Authenticum Græcum, ſed Latina dumtaxat antiqua verſio & rudis, cum Græcis fragmentis, ex Epiphanio præſertim [g]. Ea habetur in editione Colonienſi anni 1596. quæ Franciſci Fevardentii opera prodiit. In hunc invehitur Rivetus [h], quaſi is Irenæum corruperit in iis quæ de Euchariſtia ejuſque oblatione à Chriſto inſtituta, de libero arbitrio, de fide & operibus, de primatu Eccleſiæ Romanæ in Irenæi operibus inveniuntur. Verſionem ipſi Irenæo adſcribere videtur cum Fevardentio Poſſevinus; ſed minùs probabiliter, cùm ex iis libris duo loci à B. Auguſtino paulò aliter laudentur, quàm in ea verſione ſint poſita. Ex opere illo patet Irenæum cum Millenariis ſenſiſſe, quod ipſi cum aliis veterum Patrum commune, illo errore nondum ab Eccleſia damnato.

d Lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt.
e Cap. 35. Catalogi.
f Lib. 9. Epiſt. 5. ad Ætherium Epiſcopum Viennenſem.
g Critici ſacri lib. 2. cap. 6.
h In Panario hæreſi 35.

CAPUT XLVII.

De Latinis Tertii Seculi autoribus Eccleſiaſticis.

1. Tertullianus.

I. QUINTUS Septimius Florens TERTULLIANUS, Carthagine natus ex Centurione, viro proconſulari, cunctorum ſui temporis Latinorum diſertiſſimus, omniumque ſcientiarum ac præſertim Romanarum legum peritiſſimus: ſub Severo Chriſtianam amplexus religionem, Eccleſiæ Romanæ Presbyter ordinatus eſt: initio cauſæ Catholicorum ferventiſſimus defenſor; ſed poſtea (qua de cauſa parùm conſtat) ab orthodoxis deſcivit, in Montani & novæ Prophetiæ deliria priùs à ſe damnata delapſus ſub vitæ exitum, & annum Chriſti, ut quidam notant, 208. cùm ad 215. perveniſſe credatur. Ejus Opera in Pamelii editione dividuntur in quinque tomos: Bellarminus diſtinguit in certa, & dubia vel ſuppoſititia, qualia exiſtimat librum *de Trinitate*, in quo Sabelliana hæreſis Tertulliano poſterior refutatur: atque Epiſtolam *de Cibis Judaicis*. Obſervat Hieronymus ab eo jam tum hæretico adverſus Eccleſiam Catholicam ſcripta eſſe Opuſcula *de exhortatione*

tatione Caſtitatis, *de Monogamia*, *de Fuga in perſecutione*, *de Jejunio adverſus Pſychicos* (id eſt Catholicos) & *de Pudicitia*. An liber *de Patientia* verè Tertulliani ſit, ambigunt Eraſmus & Rhenanus: affirmant Baronius, Pammelius, & Rigaltius, quòd præſertim librum illum ſub Tertulliani nomine laudet Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, ad Sympronianum ſcribens contra Novatianos. Cum judicio legendos eſſe non tantùm eos libros, quos teſte S. Hieronymo poſt lapſum ſcripſit contra Eccleſiam Tertullianus: ſed eos quoque qui inſcribuntur *adverſus Praxeam*, *adverſus Hermogenem*, *de Anima*, *de carne Chriſti* & *de Pœnitentia*, oſtendunt paradoxa ex iis à Pammelio collecta atque diſcuſſa. Unde nihil mirum ſi Can. 3. diſt. 15. Tertulliani opuſcula inter apocrypha numerentur.

2. S. Cyprianus. II. S. CYPRIANUS Afer, ac primùm Rhetor Ethnicus, deinde autore Cæcilio Chriſtianus (ex quo etiam Cæcilii cognomen adeptus eſt,) Epiſcopus Carthaginenſis creatus eſt anno 248. ac poſt decennium mortem pro Chriſto pertulit ſub Valeriano & Gallieno. Ejus ſcripta in omnium manibus habentur: in quibus ſunt Libri *quatuor Epiſtolarum*: reliqui libri ſunt ſingulares, quorum aliqui ex communi ſententia falsò attribuuntur Cypriano, præſertim *de cardinalibus Chriſti operibus*, *de Aleatoribus*, *Symboli Expoſitio*, *de Judaica incredulitate*, *de Revelatione capitis Sancti Joannis*, *de duplici martyrio*, *de duodecim abuſionibus ſeculi*, *de Cœna diſpoſitione*. In primo enim opere ad Cornelium Papam *de cardinalibus operibus Chriſti*, quod ſermones duodecim continet pietate & eruditione refertos, traditur de cœlo cecidiſſe diabolus ante hominis creationem, cùm tamen in libro *de zelo & livore*, contrarium affirmet Cyprianus. Præterea ejus operis autor aliter S. Cornelium compellat, deque ſuis ſcriptis ſubmiſſiùs diſſerit, quàm pro more Cypriani. Hunc Librum Cocus Arnoldo Bonævallis Abbati aſſignat ex fide manuſcripti Codicis Oxonienſis. In libro *de Aleatoribus*, qui tractatus utilis, nec indoctus, cùm indicet autor ſe univerſali Eccleſiæ præſidere, apparet ab aliquo Romanorum Pontificum Cypriani ſtylum affectante magis, quàm aſſequente, conſcriptum. *In ſymbolum Apoſtolorum expoſitio* nomine Rufini Aquileienſis habetur inter opera beati Hieronymi. Liber *de incredulitate Judaica* præfatio eſt Celſi cujuſdam in altercationem, Græcè ſcriptam, atque antiquiſſimam inter Jaſonem Chriſtianum & Patiſcum Judæum, ut ex poſtremis verbis apparet. Tractatus *de Revelatione capitis S. Joannis* autorem non eſſe Cyprianum vel ex eo conſtat, quòd Athanaſii, Cyrilli, Theodoſii Imperatoris, qui Cypriano poſteriores fuerunt, quin & Pipini Aquitanorum Regis mentionem faciat. Liber *de duplici martyrio* ad Fortunatum recentior eſt; meminit enim belli Cæſarei contra Turcas: Pamelius aliique periclitandi ſtyli gratia confictum ab Eraſmo exiſtimarunt. Liber *de duodecim abuſionibus ſeculi* Cyprianum autorem habere non poteſt, cùm ſacrorum Codicum autoritatem paſſim ex B. Hieronymi verſione adducat. *Diſpoſitio Cœnæ* ineptis ſententiis & futilibus narratiunculis alium à Cypriano autorem prodit, eſtque nullius elegantiæ aut eruditionis. Ex ſtyli prætereà magna diverſitate rejiciuntur à Bellarmino velut ſpurii, tractatus *de monte Sina & Sion*, *de ſingularitate Clericorum* (qui à nonnullis B. Auguſtino tribuitur) & liber *de Judæis*, ſive adverſus Judæos, qui

inſe-

Digitized by Google

inſecuti ſunt Chriſtum. Eadem de cauſa in dubium ab erudito Cardinali vocatur egregius alioqui liber *de Spectaculis*: qui tamen librum *de diſciplina & bono Pudicitiæ* & librum *de laude Martyrii*, itemque librum ad Novatianum *de ſpe veniæ danda lapſis* in cenſum germanorum Cypriani operum refert: quamvis eorum ſtylus paulùm à cæteris ejus operibus diverſus Eraſmo videatur. Jam *de Carminibus & Orationibus*, quæ huic Patri adſcribuntur, dubitat idem Bellarminus. In libro *de unitate Eccleſiæ*, vulgò *de ſimplicitate Prælatorum*, quædam addita vel detracta à typographis aliiſve qui editioni præfuerunt, obſervat Poſſevinus [a]. Epiſtolam, quæ in editione Pammelii 67. numeratur Joannes de Launoy adversùs Joannem Samblancatum contendit non eſſe Cypriani, tum quòd à pluribus optimæ notæ manuſcriptis codicibus eam abeſſe dicat, tum aliis de cauſis, parùm ni fallor validis, quas perſequitur in opuſculo de duobus Dionyſiis. In libris tribus *teſtimoniorum contra Judæos ad Quirinum* notat Sculteus laudari Evangelium *Catà Lucam*, & *Vaſſilion librum primum*, ſecùs ac in aliis Cypriani operibus fiat: unde ſuppoſititios exiſtimat, aut certè interpolatos. Quòd autem Cypriani Opuſcula apocrypha dicuntur à Gelaſio [b], id non ita eſt accipiendum, quaſi veræ ejus lucubrationes ab Eccleſia rejiciantur: ſed quòd de rebaptizandis hæreticis aliter alicubi ſcripſerit, quàm in Eccleſia Catholica poſtea fuerit definitum.

[a] In apparatu ſacro.

[b] In can. 3. diſt. 15.

CAPUT XLVIII.

De Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis Græcis ejuſdem Tertii Seculi.

I. TITUS Fabius CLEMENS Athenienſis fuiſſe creditur, licèt vulgò Alexandrinus cognominetur, quòd Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter, & magni Pantæni ex Philoſopho Stoico Chriſtiani diſcipulus ac ſucceſſor, Eccleſiaſticam ſcholam ea in urbe rexerit, & Catecheſeon fuerit magiſter, teſte S. Hieronymo [a] poſt Euſebium [b]. Vixit Clemens ſub Imperatore Severo, initio tertii à Chriſto ſeculi: quidam ad Alexandrum Severum perveniſſe putant ultra annum 220. De eo agit idem Euſebius in Chronico ad annum 194. & 204. itemque in libris de Præparatione, & de Demonſtratione Evangelica. Sanctus Maximus martyr eum vocat Philoſophum Philoſophorum. Ex plurimis ejus voluminibus, extant tantummodò Græcè & Latinè ex interpretatione Gentiani Herveti à Daniele Heinſio recognita in editione Pariſienſi, cum emendationibus Franciſci Ducæi, opuſcula tria, nimirum *Stromatum* libri octo; *Pædagogi* libri tres *cum hymno Chriſti ſervatoris*; & *Protrepticon*, ſive oratio exhortatoria ad gentes. Græcè dumtaxat inveniuntur ex *Theodoti doctrina* Epitomæ, quædam etiam *Eclogæ*. Ejus etiam nomine circumferuntur Latinè tantùm in Bibliothecis Patrum *commentariola in Epiſtolas Canonicas S. Petri, priorem Judæ & Joannis*: quæ an eadem ſint cum explanatione Clementis Alexandrini in

1. Clemens Alexandrinus.

[a] Cap. 38. de Scriptorib. Eccleſ.

[b] Lib. 5. hiſtor. cap. 11. & 13.

c Elucidarii Deiparæ Virginis lib. 4. tract. 4.

d In Concil. Romano, ex quo eſt Canon. 3. diſt. 15.

ni in Epiſtolas Canonicas, cujus meminit Caſſiodorus, ambigunt eruditi. Conſulendus præ cæteris Joannes Baptiſta Poza [c]. In hoc inſigni autore occurrunt ſententiæ quædam quæ errorem ſapiunt, ſive illæ Clementi ex humana fragilitate exciderunt, ſive ab hæreticis inſertæ ſunt ejus operibus; qua de cauſa à Gelaſio [d] ejus opuſcula inter apocrypha recenſentur.

2. *Origenes.*

e Hæreſi 64.

f Can. 13. diſt. 15.

II. ORIGENES *Adamantius*, Leonidæ martyris filius, Clementis Alexandrini auditor, atque in Eccleſiaſticæ ſcholæ magiſterio ſucceſſor, obiit Tyri in Phœnicia anno Chriſti 234. ætatis 69. Is omnium ſui ſeculi eruditiſſimus; ex Platonis tamen Philoſophia in multos incidit errores, unde ab Epiphanio [e] in hæreticorum numerum refertur, & in 5. generali Synodo ei ejuſque ſcriptis, quemadmodum Ario, Macedonio, & ſimilibus anathema dicitur: quod judicium Hieronymus, Caſſiodorus, Beda & Catholici ſcriptores vulgò ſequuntur. Ejus tamen apologiam ſcripſerunt Euſebius ſub nomine Pamphili martyris, & Rufinus: nec defuerunt his poſterioribus ſeculis qui eum excuſare aggreſſi ſint, quemadmodum Joannes Picus, Gilbertus Genebrardus, ac noviſſimè etiam paulò audaciùs Petrus Halloetius. At Patres Synodi Romanæ ſub Gelaſio [f] Origenis nonnulla tantùm opuſcula ſuſcipienda definiunt quæ B. Hieronymus non repudiat; reliqua omnia cum autore ſuo rejiciunt. Operum Origenis quamplurima perierunt: extant nunc Latinè editorum tomi duo, quorum primus *homilias* continet in omnes ferè veteris teſtamenti libros, cum *Libris* quatuor *Periarchon*, & aliis quibuſdam tractatibus: in 2. tomo varii ſunt *Commentarii* in plures libros novi fœderis, unà cum libris octo *contra Celſum* Epicureum, & *Philocalia*. Hæc autem opera duo poſtea Græcè & Latinè ſimul non ſemel prodierunt: & primò quidem *Libri contra Celſum* planè aureum pro fide Chriſtiana adverſus Epicureos opus, interprete Sigiſmundo Gelenio, cum aliis opuſculis excuſi ſunt anno 1605. Auguſtæ Vindelicorum, adjunctis Davidis Hoeſchelii notis. Deinde *Philocalia*, de obſcuris ſacræ Scripturæ locis, à SS. Baſilio & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta, in lucem exiit Pariſiis anno 1618. interprete Joanne Tarino qui poſteà regius Eloquentiæ Profeſſor. Ambo deinde hæc opera utraque lingua conjunctim in Anglia recuſa ſunt Guilielmi Spenceri Cantabrigienſis ſtudio, anno 1658. Sed & *Commentariorum* Origenis *in Scripturam* Tomos duos edidit atque illuſtravit V. Cl. Petrus Daniel Huetius nunc Alnetenſis Abbas, Rothomagi anno 1668. Inveniuntur prætereà *Homiliæ* octo *in Jeremiam* Græcè & Latinè inter commentarios Michaelis Ghiſlerii Theatini, in eum prophetam, cum Catena Græcorum Patrum anno 1623. Lugduni editos: & *Epiſtolæ* ad Julium Africanum de Hiſtoria Suſannæ fragmenta, alterum Auguſtæ vindelicorum anno 1602. Græcè tantùm poſt Hadriani Iſagogem ſacrarum Literarum excuſum: alterum verò poſt Catenam Græcorum Patrum in Job Græcè & Latinè Londini à Patricio Junio editum. Totam Epiſtolam cum reſponſo edidit Baſileæ Vetſtenius: & Commentarius in libri 1. Regum cap. 28. de Engaſtrimytho, Græcè & Latinè Lugduni anno 1629. Leo Allatius. Origenis denique vel certè coætanei autoris ſcholia in *Orationem Dominicam*, & *Cantica B. Mariæ Virginis*, *Zachariæ*, & *Simeonis*, Græcè & Latinè anno 1601. à Friderico Morello emiſſa.

emiſſa. Homiliæ porro ſedecim *in Leviticum* quæ tomo 1. Origenis inſertæ ſunt, inter opera quoque S. Cyrilli habentur: cui falsò à quibuſdam aſſignatæ fuerunt. Hæ, itemque *in Numeros, Librum Judicum* ſedecim, & *librum Regnorum*, alioſque inſtrumenti Moſaici libros *Homiliæ*, quòd autorem Latinum ex phraſi redolere nonnullis videntur, id ex Rufini audacia factum videri poteſt, qui in peroratione adjecta commentario in Epiſtolam ad Romanos, cùm dicat ſe vertiſſe Origenis Homilias in *Geneſim, Exodum, Leviticum*, item in *Jeſu Nave*, & in *librum Judicum*, profitetur eas, quæ in Leviticum ſcriptæ fuerant, ſe liberiùs tranſtuliſſe, id eſt, ut loquitur Eraſmus, multa de ſuo attexuiſſe: quod ſanè Rufino familiare. Ex his quædam à Gratiano laudantur: & cum Hieronymum habeant interpretem, malè à Coco aliiſque heterodoxis rejiciuntur. Tractatus tres in *librum Job* Eraſmus, alia itidem in eum commentaria à Perionio verſa Sixtus Senenſis, Bellarminus, Baronius, Poſſevinus, non eſſe Origenis pluribus argumentis docuerunt; ac præſertim quòd utroque in opere Homouſianorum meminerit autor, quod nomen ab Arianis poſt Origenem Catholicis inditum eſt. *Homilias in pſalmos 36. 37. & 38.* Rufinus non indicato autoris nomine de Græco in Latinum à ſe affirmat eſſe translatas. Eraſmus earum ſcriptorem ſuſpicatur Latinum fuiſſe; plerique ab ingenio & phraſi Origenis non parùm diſtare fatentur, quamvis aliud ſentiat Genebrardus in hujus autoris editione. In *Cantica Canticorum* homiliæ duæ, itemque aliud opus in capita 1. & 2. ejuſdem libri, continenti oratione diſertè conſcriptum, quod tamen in Homilias quatuor diviſere, pium quidem omnium confeſſione habetur; ſed neque ab Origene compoſitum, neque a S. Hieronymo translatum plerique cenſent. Ex eo tamen citantur à Petro Lombardo [g] & à S. Thoma [h] teſtimonia quædam ſub nomine B. Ambroſii. Conjicit Eraſmus autoris eſſe Latini, & ejuſdem cujus extant libri *de Vocatione gentium*: quod opus vulgò nunc Proſpero tribuitur. *Lamentum* ſive *Threni* (diverſum ab opere *de Pœnitentia Origenis*) à Gelaſio apocryphum opuſculum pronunciatur: Baronius quoque & alii velut adulterinum reſpuunt. Dialogus *de recta in Deum fide*, qui idem eſt cum diſpoſitione adverſus Marcionitas, ſub priore titulo à Joachimo Perionio ex Græco Bibliothecæ regiæ Codice; ſub poſteriore ex Codice Frobeniano, ſinceriore, & uberiore, à Laurentio Hunfrido, & à Vetſtenio Græcè editum opus, an Origenis ſit, valdè ambiguum videtur, ex eo præſertim quòd nec ab Euſebio, nec ab alio veterum ſcriptorum ullum hujuſmodi opus memoretur; & quòd in eo dicatur principes, qui piè credunt, cum Eccleſia congregari; quod vix cadit in Origenis tempora. Tractatus *in Matthæum* Bellarminus Latinum habere autorem exiſtimat, propterea quòd in 5. tractatu notet autor in Græco Spiritum Sanctum neutrius eſſe generis, quod ſanè parum veriſimile eſt obſervatum fuiſſe à Græco ſcriptore. Ex ejuſdem Bellarmini ſententia, quam alii quoque Catholici vulgò ſequuntur, homiliæ *in diverſa loca novi teſtamenti* ſine dubio non ſunt omnes Origenis. Certè in nona inveniuntur fragmenta, tum ex S. Hieronymo in Iſaiæ prophetæ caput ultimum, tum ex S. Gregorio [i], quæ ab his ex Origene mutuò ſumpta non eſſe ſtylus ipſe ſatis oſtendit. Tractatus etiam ſive homiliæ *in Evangelium Joannis* non creduntur verè Origenis eſſe, cùm ad caput

g Lib. 3. ſentent. diſt. 29.

h Secundæ ſecundæ quæſt. 26.

i Lib. 15. moral. cap. 14.

caput 1. mentio fiat Manichæorum & Arianorum, qui poſt Origenem orti. Qui de Origenis operibus plura volet, tum ex priſcis Euſebium, Hieronymum, ac deinde Photium, tum ſupra laudatos adeat, atque imprimis Sixtum Senenſem.

3. S.Gregorius Thaumaturgus.

III. S. GREGORIUS *Thaumaturgus*, ante Epiſcopatum Theodorus dictus, in adoleſcentia diſcipulus fuit Origenis, à cujus tamen erroribus immunis perſtitit. Poſtea Epiſcopus Neocæſareæ in Ponto creatus, vel anno 233. Chriſti, Alexandri Severi 10. vel certè anno 240. obiit anno 265. *Thaumaturgi* nomen adeptus ex magnitudine & frequentia miraculorum, quæ patravit. Ejus Opera quæ reperiri potuerunt, Moguntiæ anno 1604. Græcè & Latinè typis mandata ſunt, interprete & ſcholiaſte Gerardo Voſſio Tungrenſi Præpoſito; ac deinde Pariſiis anno 1621. In his eſt *Expoſitio fidei*, quo titulo conſcriptum fuiſſe ab hoc Gregorio tractatum adverſus Elianum conſtat ex Baſilii Epiſtola 64. & quidem ex revelatione ſancti Joannis Evangeliſtæ, juſſu B. Virginis ſcripta, quæ S. Gregorio apparuiſſe traditur ab altero Gregorio Nyſſeno in ejus vita. Sed quam Voſſius ſub Neocæſarienſis nomine protulit, eam Bellarminus & alii facta collatione cum iis quæ à Baſilio referuntur, probant diverſam eſſe ab ea cujus ille meminit; cùm longè aliter in hac atque in illa de Chriſti cum Patre unitate diſſeratur, videaturque hæc Voſſiana contra Arianos ſcripta, & ſic poſt tempora Thaumaturgi. In dubium etiam vocantur *duodecim capitula cum anathematiſmis*, quæ velut appendix ad Expoſitionem fidei videntur Neſtorii & Eutychetis (qui poſt Arianos ſequuti ſunt) erroribus oppoſita, quemadmodum & *alia fidei Expoſitio* latinè dumtaxat edita. Quod attinet ad *Sermones tres in Annunciationem* ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, aliumque *in ſancta Theophania* & *diſputationem de Anima ad Titianum*, anceps hæret Bellarminus. Et verò ſermones illi nec Poſſevino, nec Sixto Senenſi cogniti fuerant: & eorum ſecundus Proclo Patriarchæ Conſtantinopolitano, non tamen ſine dubitatione, adſcribitur à Vincentio Ricardo [1]. Tertius verò ſub nomine Chryſoſtomi habetur latinè apud Lipomanum, & Surium. *De Epiſtola Canonica*, quæ eſt de iis qui in Barbarorum incurſione idolothyta comederant, & alia quædam peccata commiſerant, non eſt quòd ambigatur, cùm eam Græci pariter & Latini agnoſcant, ſaltem orthodoxi.

[1] In notis ad 6. Procli orationem.

CAPUT XLIX.

De Græcis ſeculi IV. Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis.

1. Petrus Alexandrinus.

I. PETRUS Alexandrinus poſt Theonam Epiſcopum, in perſecutione, quæ à Diocletiano cœpta uſque ad Conſtantini duravit Imperium, cùm multi Chriſtianorum lapſi eſſent, *de Pœnitentia* eorum Canones conſcripſit, qui apud Zonaram & Balſamon extant. Exagitatus eſt à Meletio Epiſcopo ſchiſmatico cui adhæſit Arius; & circa Chriſti annum

annum

annum 310. abſciſſo capite ultimus inter Alexandrinos Præſules martyrium ſubiit.

II. EUSEBIUS Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus, ob familiarem amicitiam cum Pamphilo martyre contractam, Pamphili cognomento inſignis, in Diocletiani perſecutione defeciſſe dicitur à fide; deinde Arianos, non minùs quàm Euſebius alter Nicomedienſis, propugnavit; inter quos Tyrio conciliabulo adverſus S. Athanaſium præfuit: hæreticus & ipſe habitus non ſolùm ab eodem Athanaſio, ſed à B. quoque Hieronymo in Rufinum, & à legatis ſedis Apoſtolicæ in 7. Synodo, act. 5. unde nihil mirum ſi acta martyrum ejus temporis, & res ad Arium ejuſque ſectam pertinentes minùs ſincerè narraverit in *hiſtoria Eccleſiaſtica*, quam libris decem ab initio naſcentis Eccleſiæ ad annum ferè 320. perduxit. Ea, ob ſparſos in ea Arianiſmos & nimias Origenis laudes, inter Apocrypha rejecta eſt à Gelaſio. Præter eam alia quamplurima ſcripſit vir apprimè doctus: ex his ſuperſunt libri *de Vita Conſtantini*, *de Præparatione*, *deque Demonſtratione Evangelica*, & *Chronicon* ab Abrahamo ad annum Chriſti 318. pertingens, ab Hieronymo verſum & continuatum; cujus pars tantùm Græcè invenitur: & alia quædam opuſcula, de quibus nulla controverſia eſt. De eo vide Valeſium. *2. Euſebius Cæſarienſis.*

III. EUSEBIUS Emeſæ in Phœnicia Epiſcopus, inde dictus *Emiſenus*, & ipſe Arianæ factionis ſignifer ab Hieronymo [m] dictus, tempore Conſtantii Imperatoris ſcripſit eodem teſte, *in Evangelia Homilias breves*, ſed plurimas. Ejus nomine hodie circumferuntur *Homiliæ in Evangelia totius anni*, & aliæ circiter quinquaginta variorum argumentorum, diſertiſſimæ: ſed harum Homiliarum autorem, Bellarmini, Poſſevini, Baronii judicio, Latinum hominem fuiſſe, & Abbatem in inſula Lirinenſi juxta Maſſiliam, tandemque Epiſcopum, colligitur ex harum Homiliarum quinta imprimis *de ſancto Maximo & de ſancta Blandina*: unde non difficilis eſt conjectura *Fauſtum* Regienſem vel *Cæſarium* Arelatenſem, ex Lirinenſibus monachis Epiſcopos, eas compoſuiſſe. Sed Fauſtinis adjectæ putantur homiliæ aliquot Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis; qui tres Antiſtites in Gallia ſeculo 5. floruerunt. Illas autem in Evangelia totius anni Homilias ſivè *ſermones* 145. *de tempore ac de ſanctis* Beato Brunoni Aſtenſi, qui Caſſinenſis primùm monachus, deinde Epiſcopus Signinus & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis fuit, vindicant indices Vaticani & Caſſinenſes, cum Petro Diacono, Caſſinenſi Bibliothecario. *3. Euſebius Emiſenus.* *m Cap. 91. Catalogi.*

IV. S. ATHANASIUS Eccleſiæ Alexandrinæ adhuc Diaconus, in Nicæna Synodo adverſus Arium ſtrenuè pro Catholica veritate dimicavit. Anno ſequenti, defuncto Alexandro ejuſdem civitatis Patriarcha, ejus in locum ſuffectus eſt: in qua dignitate multis Arianorum Ethnicorumque inſidiis appetitus. Orientalium aqud Tyrum Conciliabulo damnatus, & ſæpiùs exilium perpeſſus; tamen inter tot procellas invictus, & Romanorum Pontificum autoritate ſublevatus, ad tempora Valentis Imperatoris, atque annum Chriſti 373. pervenit, abſoluto ſcilicet 46. anno Pontificatus ſui, mortuus, ut colligitur ex Epiſtola Proterii Patriarchæ Alexandrini ad Leonem. Ejus Opera priùs Latinè tantùm quatuor voluminibus edita; deinde Græcè & Latinè tum anno 1601. apud Commelinum, tum Pariſiis anno 1627. in duos tomos diſtributa haben- *4. S. Athanaſius.*

habentur. Ex iis tomo 1. ***Oratio contra Idola***, & ***Liber de incarnatione Verbi*** Bellarmino videntur eſſe duo libri contra gentes, quorum meminit ſanctus Hieronymus. Dubitat idem cum Baronio an ***diſputatio cum Ario*** habita ſit, ſive in Concilio Nicæno ut præſert inſcriptio, ſive alibi: imò & an Athanaſium habeat autorem. ***Teſtimonia ex Scriptura de naturali communione ſimilis eſſentiæ inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum***, ab alio eſſe collecta patet ex eo quòd quædam ad Verbum tranſcripta ſint ex quæſtionibus ad Antiochum, quæ non putantur eſſe germanum Athanaſii opus. ***De Expoſitione fidei*** ambigit quoque Bellarminus, quòd cum Symbolo B. Athanaſii ex adverſo pugnet, quantùm ad diſtinctionem perſonarum ſive hypoſtaſim. Idem ***Liberii*** Papæ ***Epiſtolam*** ad Athanaſium, atque ***ejus Reſponſum*** planè in dubium revocat, eò quòd Liberius in ea Epiſtola videatur de Athanaſii fide dubitare, & nihilominùs eum de fide conſulat; quorum neutrum veriſimile eſt: in confeſſione verò Athanaſii dicatur, caro Chriſti ſuſpenſa in cruce, non ipſe Chriſtus: cùm tamen S. Petrus Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, & S. Paulus Dominum gloriæ crucifixum affirment. ***Epiſtolam de Synodis Arimini & Seleuciæ*** accipit Bellarminus pro libro contra Valentem & Urſacium, qui apud Hieronymum memoratur; etenim adverſus eos ibi reverà ſcribitur. ***Epiſtolam ad Marcellinum de interpretatione pſalmorum*** conjicit eumdem eſſe librum cum eo quem Hieronymus vocat de titulis pſalmorum, & Caſſiodorus de varia excellentia pſalmorum. Sermo ſive tractatus ***de Annunciatione***, ſive de ſanctiſſima Virgine Deipara, Baronio & Bellarmino non videtur eſſe Athanaſii, quòd in eo de duabus Chriſti naturis & operationibus in una hypoſtaſi, deque appellatione Deiparæ adeo accuratè diſſeratur, ut facilè appareat autori cognita fuiſſe *3. 4.* & *6.* Synodorum generalium Decreta contra Neſtorium, Eutychetem, & Monothelitas. Libri ***de Virginitate*** ſive de meditatione, ſtylum dejectum Eraſmus notat: ſententias ipſas reſpuunt Scultetus & Rivetus, præſertim quòd hominibus præcepta ſervantibus locum in tertio Angelorum ordine polliceatur. Iidem Homiliam ***de Semente*** rejiciunt, quòd in Anglicano tantùm Codice reperiatur, & vix quicquam habeat laude dignum: nec orationem ***contra omnes hæreſes*** admittunt, quòd ſermo videatur vilior, & confuſus. Tom. 2. libri ***de Aſſumptione Chriſti*** floridior ſtylus Sculteto ſuſpectus eſt. Epiſtolam ***ad Serapionem de Spiritu ſancto***, cujus initium ***Literæ tuæ ſacræ diſpoſitionis redditæ mihi ſunt in Eremo***, idem poſt Eraſmum cenſet ingenio Athanaſii minimè dignam; ſed Athanaſii imitamentum. ***Symbolum*** incerto ſed antiquo interprete, licèt in multis vetuſtis Athanaſii Codicibus non repertum, vix quiſquam dubitat, quin Athanaſii ſit, cùm ſub ejus nomine citetur à B. Auguſtino. Dicitur & ***Confeſſio*** ſive ***expoſitio Catholica fidei***, & à quibuſdam Vigilio Africano perperam tribuitur. Sed de variis illius Symboli apud veteres appellationibus conſulendus Sirmondus [n]. Videnda & Voſſii atque Uſſerii opuſcula de Symbolis. Epiſtolæ ***ad Ammum*** cum Epiſtola ***ad Dracontium***, in matrimonii cum cælibatu comparatione repugnantiam, quam putat Scultetus, diſtinctione facilè tolli Rivetus agnoſcit. Definitiones quædam ſeu Liber ***de definitionibus Theologicis*** maximam partem excerptus eſt ex Anaſtaſii Sinaitæ ὁδηγῷ ſeu duce viæ, ut obſervat Ph. Labbeus: & alio quàm Athanaſio compoſitus videtur

Bellar-

[n] In notis ad Theodulphum Aurelianenſem.

Bellarmino, quòd in iis Gregorii Nyſſeni, cujus ſcripta operibus Athanaſii poſteriora fuerunt, autoritas adducatur. *Dialogi quinque de Trinitate* creduntur magna ex parte eſſe Maximi monachi Conſtantinopolitani, cui ejus generis diſputationes tribuit Baronius [o]; vel Theodoriti cui adſcribit Photius [p], potiùs quàm Athanaſii. *Colloquium Orthodoxi & Macedoniani*, ac ſequentes diſceptationes Theodorito quoque vindicantur à Photio [q]. *Quæſtiones ad Antiochum*, quamvis propugnent Turrianus & Malvenda, tamen repudiat Bellarminus [r]; quia in iis laudatur Epiphanius, itemque Chryſoſtomus, Maximus, Nicephorus Athanaſio juniores: quin & quæſt. 23. citat autor ipſum Athanaſium, atque ab eo diſſentit. *Dicta & interpretationes Parabolarum ſancti Evangelii*, aliqua ſaltem ex parte de ſumpta ſunt ex Chryſoſtomo, Cyrillo Alexandrino, ac Gregorio Nyſſeno, ut videre eſt quæſtionib. 36. 37. & 86. *Quæſtiones* alias *viginti* anonymas probabilis conjectura eſt Græci cujuſdam recentioris opus eſſe, cum in iis negetur Spiritus ſancti ex Filio proceſſio. *Vita S. Antonii Eremitæ* ſcripta eſt procul dubio à B. Athanaſio, teſte S. Gregorio Nazianzeno [ſ], Hieronymo [t], ſancto Auguſtino [u]. Sed quæ nunc extat, eam non eſſe Athanaſii contendunt Centuriatores ac reliqui heterodoxorum critici, ex eo imprimis quòd Pauli Eremitæ cum Antonio congreſſi non meminerit, cui tamen petenti donatum ab Antonio pallium refert Hieronymus [x]; cum in hac Antonii Vita, quæ Athanaſii nomen præfert, dicantur fratres ab Antonio in extremis agente juſſi pallium idem ad Athanaſium deferre: tum etiam quòd ea regulas vitæ Monaſticæ non contineat, quas teſtatur Nazianzenus voluiſſe Athanaſium eo in opuſculo ſub ſpecie narrationis promulgare: quòd præterea indoctus ibi deſcribatur Antonius, quem tamen nonnulli cauſidicum priùs fuiſſe memorant: denique quòd fabulis ſimilia narrentur. Contrà Bellarminus eam ipſam Antonii Vitam eſſe aſſerit, quam inter Athanaſii opera recenſet Hieronymus, quòd inſigni volumine, ut Hieronymus appellat, Vitæ monaſticæ perfectum exemplar in actis Antonii tradat, quorum nonnulla hominibus ab eo vitæ genere & Chriſtiana pietate alienis fabuloſa cenſeantur. Et verò in ea occurrit revelatio illa de anima Ammonis, quam ex vita S. Antonii ab Athanaſio ſcripta referunt Palladius, & Socrates, aliaque plurima ab Auguſtino adducta miracula. Nec ſilentium de congreſſu Pauli certum eſt falſi argumentum: potuit enim vel neſcire, vel omittere Athanaſius quæ ad Paulum ſpectabant: potuit etiam poſt pallium Paulo donatum, aliud à morituro Antonio ad Athanaſium mitti; neque enim veriſimile eſt Antonium extremo vitæ tempore omnino nudum vixiſſe. De imperitia Antonii vel ſimplicitate, Athanaſio potiùs credendum: & novitii ſæpenumerò ſunt in ſtudiis Eccleſiaſticis homines forenſes. *De Deitate ad Theophilum* liber, cum aliis decem ſub variis titulis ad Catholicæ & Arianæ confeſſionis dilucidationem pertinentibus, ſive *Libri undecimi de Trinitate*, non ex Græco Athanaſii verſi, ſed Latino ſermone ſub ejus nomine ſcripti ſunt à Vigilio Afro Diacono, qui circa annum 550. vixit, & à nonnullis cum Vigilio Epiſcopo Tridentino confunditur: qua de re Sirmondus in notis ad Theodulphum Aurelianenſem, apud quem citatur hic Vigilius Thapſenſis. Idem eſto judicium *de diſputatione* quæ ſub nomine B. Athanaſii

o Ad ann. 657.
p Cod. 145. biblioth.
q Cod. 46.
r De Scriptor. Eccleſiaſt.
ſ Orat. in Athanaſium.
t De Scriptorib. Eccleſiaſt.
u Lib. 8. confeſſ. cap. 7.
x In vita Pauli.

velut, cum Ario Laodiceæ habita extat, ipſo Vigilio [y] ſe illius opuſculi autorem fatente. Eadem ratione ſuppoſititia videri poteſt *exhortatio ad Monachos*, quæ Latinè tantùm reperitur. *Epiſtolas Athanaſii ad Marcum Papam*, & *Marci ad Athanaſium*, ſpurias eſſe ratio temporis evincit, ut ſuprà poſt Baronium oſtendimus. Liber *de Paſſione Imaginis Jeſu Chriſti* crucifixæ apud Berytum, præmiſſis duabus narrationibus Græcis, etſi laudetur tanquam Athanaſii in 2. Synodo Nicæna act. 3. alterius junioris Athanaſii ſit oportet, cùm miraculum illud Sigebertus [z] ad annum 766. referat, Jacobus autem de Voragine in hiſtoria Longobardica ad annum 750. de qua conſulendus Baronius [a]. Quæ alia extra editionem Pariſienſem in magna Bibliotheca veterum Patrum, ejuſque Auctario, ſub titulo Athanaſii occurrunt, ſatis incerta ſunt. *Commentarium* verò *in Epiſtolas B. Pauli* qui primis Athanaſii editionibus inſertus fuerat, compertum poſtea eſt revera ſcriptum fuiſſe à Theophylacto.

y Lib. 5. in Eutychetem.
z In Chronico.
a In Annalibus.

5. *S. Baſilius.*

V. S. BASILIUS Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus anno 369. Arianis & in his ipſi Valenti imperatori ſtrenuè obſtitit, ac poſt multos pro religione Catholica labores ad Dominum migravit ineunte anno. 378. Ejus opera Græcè & Latinè Pariſiis edita ſunt anno 1618. cum notis Frontonis Ducæi in duos tomos diſtincta. In I. tomo ſunt *Homiliæ novem in hexameron*; quibus adjectæ *aliæ duæ*, videntur ab alio autore elucubratæ: in his enim agitur de hominis opificio, quod Baſilius non attigit, teſte S. Gregorio Nyſſeno: Et verò novem tantùm ejuſmodi homilias memorant B. Hieronymus & Suidas. *Præfationem in Pſalmos* quæ Baſilio aſſignatur, ex Latina S. Auguſtini in Græcum ſermonem tranſlatam fatetur Ducæus. *Homiliam poſteriorem de jejunio* Eraſmus Baſilio abjudicat, cui contrà vindicat Poſſevinus, ut potè Baſilii nomine à Joanne Damaſceno & Euthymio citatam. *Commentarios in capita ſedecim Iſaiæ* tuetur adverſus Eraſmum Godefridus Tilmannus in Apologia ſuæ interpretationi præfixa; & cum eo Ducæus, quòd à Maximo monacho, Joanne Damaſceno, Taraſio Patriarcha, Oecumenio & aliis, quædam ex illis deſcripta vel laudata ſunt. Nec refert quòd caput VIII. horum Commentariorum aliter cenſeat de anima Samuelis, quæ Sauli apparuit, quàm de eadem diſſeratur *in Epiſtola* 80. *ad Euſtachium* medicum: quoniam hæc Epiſtola non eſt revera Baſilii, ſed tractatus Gregorii Nyſſeni de Trinitate. Tomo 2. ex *libris quinque ad Eunomium* Eraſmus duos poſtremos, quaſi Baſilio indignos, expungit; alii tamen ſervandos exiſtimant. Librum *de Spiritu ſancto ad Amphilocium*, admodum inæqualem, & in iis quoque quæ erudita alunde ſunt, à ſtylo Baſilii diſcrepantem judicabat Eraſmus jam nominatus in Epiſtola nuncupatoria ad Joannem Dantiſcum, eumque ſequitur Cocus & alii heterodoxi; quibus id opuſculum ex eo præſertim capite diſplicet, quòd Traditionem aſſerat neceſſitatem. Propugnant Bellarminus [b], Coſterus & Ducæus: ipſeque Rivetus fatetur pro genuino Baſilii citari à Theodorito, tam in dialogo 1. quàm in anathematum Cyrilli refutatione. *Aſcetica* ſive *Regulæ monaſticæ* duplici opere tractatæ inveniuntur, quæſtionibus ſeu definitionibus aliis fuſius, aliis compendio explicatis. Illas Baſilio vindicat Baronius ex aſſertione Gregorii Nazianzeni: poſteriores indubitatas non eſſe agnoſcit Bellarminus & Poſſevinus:

b Lib. 4. de Verbo Dei cap. 7.

nus: deque his videndi tum Photius, qui eas adſcribit Baſilio; tum Sozomenus, qui refert à nonnullis attributas fuiſſe Euſtachio Sebaſteno, cujus errores damnati ſunt in Concilio Gangrenſi. Adde *Epiſtolas Canonicas*, tum ad Amphilochium, tum alias.

VI. S. GREGORIUS Nazianzi in Cappadocia natus, S. Baſilii tum *6. S. Gregorius Nazianzenus.* ſtudiorum Athenis, tum vitæ monaſticæ in ſolitudine Pontica, propè individuus comes; ab eo deinde Saſimorum Epiſcopus creatus, eo Epiſcopatu paulò poſt ceſſit, & patris vice Nazianzenam Eccleſiam adminiſtravit: unde *Nazianzeni* cognomen accepit. Inde Conſtantinopolim à Catholicis evocatus, plures de fide orationes ibi habuit adverſus Arianos: unde Theologi titulum meruit. Verùm ob turbas à Maximo Cynico excitatas, ſponte Nazianzum ſeceſſit, ubi anno 389. vivere deſiit. In ſcriptis ſuis, quæ ſanctus Hieronymus ad triginta millia verſuum acceſſiſſe teſtatur, eloquentiam cum ſapientia mirificè conjunxit. Idem Hieronymus eo magiſtro ſe Scripturas didiciſſe teſtatur. Græco-Latina operum ipſius editio Pariſienſis anni 1609. in duos Tomos diviſa eſt, cum Nicetæ, Serronii, Pſelli, Nonni, & Eliæ Cretenſis Commentariis, Jacobo Billio Prunæo interprete. Tomo 1. *Oratio* 23. in laudem *Heronis*, laus eſt *Maximi Philoſophi* ſub eo titulo, autore Hieronymo jam laudato: *Orationem* 45. ad Evagrium monachum *de Divinitate* non eſſe revera S. Gregorii Nazianzeni arbitratur Petavius [c] ob ſtyli diverſitatem, tum quòd pedeſtris illius & plebeius ſermo minimè Nazianzeni elegantiam & granditatem redoleat. De ſignificatione ſive *annotatione in Ezechielem*, dubitant Græci, ut obſervat Billius, tum ex ſtylo involuto, atque confuſo, tum ex eo quòd præter titulum, aliarum quoque ſacræ Scripturæ partium expoſitiones, velut ſcopas diſſolutas, contineat. Tractatus *de Fide* & alius Tractatus *de fide Nicæna* quæ Latinè tantùm ex verſione Rufini reperiuntur, neque Gregorii genuinum opus, neque Græci autoris, ſed Latini, licèt antiqui, eſſe Morello videtur. *Metaphraſis* ſeu tranſlatio *in Eccleſiaſten* opus eſt Gregorii Thaumaturgi Neocæſareæ in Ponto Epiſcopi, ex Hieronymo & Rufino. In appendice ad 1. tom. *Orationem* 48. *in SS. Martyres* & contra Arianos, Nicolaus Faber teſte Morello cenſuit excerptam eſſe ex aliqua Chryſoſtomi oratione. *Teſtamentum* ipſius S. Gregorii, Eucherio & Evagrio Coſſ. à Baronio aliiſque viris eruditis probatur: illud labefactare conatur Rivetus argumentis haud multùm ſolidis. *Tragœdiam*, cui titulus *Chriſtus patiens*, in dubium revocant Poſſevinus & Bellarminus, cui non videtur habere gravitatem Nazianzeno dignam: Baronius [d] Apollinaris Laodiceni potiùs, quàm Gregorii opus exiſtimat.

c Tom. 1. Theologicor. dogm. lib. 2. cap. 6. numero 3.

d Tom. 1. ad ann. 34.

VII. S. GREGORIUS *Nyſſenus* cognominatus, quòd Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus fuerit, S. Baſilii frater natu minor: vir fuit facundiſſimus, utpotè ex eloquentiæ Profeſſore ad Præſulis dignitatem evectus: *7. S. Gregorius Nyſſenus.* interfuit Concilio Conſtantinopolitano I. & *Symbolum* in eo editum conſcripſiſſe creditur: è vivis exceſſiſſe putatur circa annum 395. Ejus opera Græcè & Latinè Pariſiis edita anno 1615. cura Frontonis Ducæi, in duos tomos diſtincta ſunt. Tomo 1. orationes quæ *in procreationem hominis* falsò à quibuſdam Baſilio adſcriptæ, vel ab hoc Gregorio adhuc juniore, vel ab alio ejuſdem ferè autoritatis atque ætatis ſcriptore tum non indocto compoſitæ Ducæo videntur

Epiſtolam Canonicam ad Letoium Melitenes Epiſcopum non eſt quòd Scultetus & Rivetus ab aliquo recentiore Græculo confictam affirment, cùm Joannis Zonaræ & Theodori Balſamonis in eam Commentarii Gregorio vindicent. Nec major eſt cauſa repudiandæ *Orationis in eos qui differunt Baptiſma*. Tomo 2. *Oratio de Trinitate* nihil eſt aliud, quàm Epiſtola 80. B. Baſilii ad Euſtathium medicum, ut monuit Bellarminus. Tractatus *de differentia ſubſtantiæ & hypoſtaſeos* eſt ejuſdem Baſilii: Epiſtola 43. ad ipſum Nyſſenum; *Vita* itidem *ſanctæ Macrinæ*, eadem eſt cum Baſilii Epiſtola ad Olympium monachum. At *Catechetica magna oratio* germanus eſt Nyſſeni partus, utpotè à Theodorito ſæpiùs laudata in dialogis adverſus hæreticos; fatente etiam Caſaubono in notis ad Epiſtolam Gregorii hujus ad Ambroſiam & Baſiliſſam, eam orationem opus eſſe eximium, ſi dogmata nonnulla excipias, ab Origenis ſectatoribus aſperſa. Idem cenſendum de *Oratione de Virginitate*; itemque *de dialogo cum ſorore Macrina*, ubi agitur de anima & reſurrectione; itemque de *oratione* inſcripta, *de Infantibus qui præmaturè abripiuntur*: in quibus opuſculis quòd errores aliquot, præſertim Origenis,
e Lib. 11. c. 19. occurrunt, cauſa traditur à Nicephoro [e], quòd ſcilicet quædam ab hæreticis inſerta fuerint Nyſſeni operibus. Orationem *de occurſu Domini* quidam rejiciunt apud Poſſevinum, quòd in aliquibus immutata & plenior edita ſit per Simeonem Metaphraſten. Orationem *de vita S. Gregorii Thaumaturgi*, quam Suidas aliique agnoſcunt, unus Scultetus in dubium revocat; ut & Orationem *de laudibus S. Theodori martyris*. Oratione *de iis qui adeunt Hieroſolymam*, quæ Guilielmi Morelli, deinde Petri Molinæi opera Græcè & Latinè prodiit, Centuriatores & critici heterodoxi ad impugnandas religioſas peregrinationes utuntur. Verùm Baronius exiſtimat eam ad Anachoretas & fœminas pertinere; Bellarminus & Gretſerus dubitant an ſit Gregorii, indeque deſumpta argumenta refellunt. In Epiſtola *ad Euſtathiam, Ambroſiam & Baſiliſſam* Caſauboni interpretis notas in multis corrigunt Ducæus & Gretſerus.
In Appendice Oratio *de Pœnitentia*, & Oratio *in principium jejuniorum* Aſterio Amaſeæ Epiſcopo à quibuſdam adſcribitur apud Photium. In prioribus editionibus habebantur ſub nomine Gregorii Nyſſeni libri octo *de Philoſophia*: ſed Nemeſii Philoſophi Chriſtiani & Epiſcopi eſſe agno-
f In lib. de Scriptorib. Eccleſ. ſcunt Poſſevinus ac Bellarminus [f]. Et verò illud opus ſub Nemeſii titulo invenitur tomo IX. Bibliothecæ Patrum.

8. *Timotheus*. VII. TIMOTHEUS *Alexandrinus* poſt Petrum fratrem Patriarcha, Concilio 2. œcumenico præfuit, eoque deſinente turbas movit adverſùs S. Gregorium Nazianzenum. Extant ejus *Reſponſa Canonica* apud Balſamonem, aliosque Græcos.

9. *Cyrillus Hieroſolymitanus*. IX. S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS Epiſcopus creatus anno 350. ex Magiſtro Catecheſeon, ſede ſua ſæpiùs dejectus, ſæpiùs in eam reſtitutus, vixit ad annum 386. *Catecheſes* ſcripſit junior priſcis Scriptoribus cognitas; extantque octodecim *ad Illuminatos* ſeu baptizatos, & quinque *Myſtagogicæ*: quas tamen Joanni Epiſcopo Hieroſolymitano aſſignant heterodoxi: atque interpolatas contendunt autoritate indicis librorum Græcorum, quos Reſpublica Auguſtana emit ab Antonio Eparcho Corcyræo.

10. *Didymus*. X. DIDYMUS Alexandrinus claruit ſub Valentiniano & Valente, vitam-

vitamqne perduxit ad Theodoſium, atque ad annum Chriſti ſaltem 392. quo B. Hieronymus Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum ſcribebat. Idem ejus ſe diſcipulum fuiſſe profeſſus, etſi à prima ætate cæcum plurima egregia Opera dictaſſe ſcribat tanquam magiſtri ſui admirator; nihilominus eum in quibuſdam errores Origenis ſecutum non inficiatur. Præter breves *Enarrationes in Epiſtolas Canonicas*, quæ habentur tomo 9. Bibliothecæ Patrum, & *librum contra Manichæos*, quem Henricus Caniſius [g] vulgavit: extat *liber de Spiritu ſancto* inter opera S. Hieronymi, ab eo Latinitate donatus.

g Tom.5. antiq. lectionum.

11. *S. Epiphanius.*

XI. S. EPIPHANIUS, Eleutheropoli natus, Salaminæ ſive Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, quinque linguarum peritus, iiſdem temporibus floruit ad annum 403. Omnia illius opera Græcè & Latinè duobus tomis excudi Pariſiis anno 1622. curavit Dionyſius Petavius cum eruditis uberibuſque animadverſionibus. Tomo 1. continetur opus *adverſus* LXXXI. *hæreſes*, quod *Panarium*, ſive *Arcula* inſcribitur. 2. *Ancboratus*, Ἀγκυρωτὸς, in quo Doctrina Fidei exponitur: & *de Ponderibus ac Menſuris*: opuſculum quod inſcriptum eſt *de vita Prophetarum*, & *orationes octo* falsò ejus nomen præferre exiſtimat idem Petavius, & alii.

12. *Amphilochius.*

XII. Addatur *Amphilochius*, Iconienſis in Lycaonia Epiſcopus, ad quem eſt Epiſtola Canonica S. Baſilii; cujus, ut & S. Gregorii Nazianzeni æqualis, adhuc anno 392. vivebat Hieronymo teſte [h]. Opera illi à variis attributa in unum volumen congeſta, & Græcè ac Latinè Pariſiis edita ſunt anno 1644. In his *Homilia in Sanctam Deiparam & Simeonem*, atque aliæ fortè nonnullæ adſcribuntur à quibuſdam alteri Amphilochio Epiſcopo Sidenſi, qui Concilio Epheſino interfuit. *Vita* autem *ſancti Baſilii*, à Baronio, Bellarmino, Poſſevino, aut ſpuria cenſetur, aut in pleriſque corrupta.

h De Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 133.

CAPUT L.

De Latinis Seculi Quarti Patribus atque Autoribus Eccleſiaſticis.

1. *Conſtantinus deque ejus Donatione.*

I. CONSTANTINI MAGNI, qui primus inter Imperatores Chriſtiana ſacra amplexus eſt, præter *Epiſtolas* quaſdam, & *Orationem ad Sanctorum cœtum*, legeſque in Codicibus Theodoſiano & Juſtiniano ſparſas, circumfertur *Donatio* ſive *Edictum* à Gratiano [a] relatum, quo Romanus Pontifex non ſolùm Sacerdotum Princeps conſtituitur aut agnoſcitur, ſed ei præterea Imperatorium diadema, Lateranenſe Palatium ſive Baſilica Conſtantiniana, atque adeo urbs Roma cum Italia & Occidentalibus provinciis conceduntur: quibus ut commodiùs fruatur, Byzantium transferenda proponitur Imperii ſedes. Hoc Edictum ex actis B. Silveſtri Pontificis (quæ à Catholicis in urbe & alibi ſuſcipi & legi teſtatur Gelaſius [b]) deſcriptum, extat Græco etiam ſermone apud Balſamonem [c]. Donationis illius meminere imprimis ex vete-

a In Can. Conſtantinus diſt. 96.

b Can.3.diſt. 15.

c In Photii nomocanonem tit.9. cap.1.

Digitized by Google

veteribus Leo IX. Papa [d], & Petrus Damianus [e]: ſed illius fidem elevat præſertim, quòd in actis Silveſtri memoratur hæc conceſſio Conſtantino IV. & Gallicano Coſſ. facta, id eſt, anno vel nullo, (neque enim invenitur ille Conſulatus) vel 317. Conſtantini imperantis 12. quo tempore Gallicanus & Baſſus conſules leguntur. Adjicitur id 4. die poſt ſacrum baptiſma Romæ à Conſtantino Silveſtri manibus acceptum; cùm tamen eum ſub exitum vitæ anno ſcilicet 337. ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo prope Nicomediam baptizatum referant non modò Græci autores Euſebius, Socrates, Theodoritus, Evagrius; ſed Latini quoque Patres S. Ambroſius, S. Hieronymus, &c. His aliiſque de cauſis in dubium non immeritò revocatur hoc Edictum ab eruditis, etiam orthodoxis, Laurentio Valla, Ænea Sylvio, Nicolao Cuſano, Melchiore Cano, Joanne Morino, ipſoque Baronio [f].

d In libello adverſus Michaelem Conſtantin. Patriarcham & Leonem Acridanum.

e In diſceptatione Synodali inter regium Advocatum & Romanæ Eccleſiæ defenſorem.

f Ad an. 324.

2. S. Optatus, & Phœbadius.

II. S. OPTATUS *Milevitanus* Epiſcopus in Africa eodem fermè tempore floruit quo *Phœbadius* Aginnenſis in Gallia: atque ut hic *contra Arianos* & Sirmienſem Fidei formulam; ita ille *adverſus Schiſma Donatiſtarum* egregiè ſcripſit. Uterque Hieronymo cognitus, utriuſque opus in Bibliothecis veterum Patrum habetur. Phœbadii liber P. Pithæi ſtudio primùm prodiit Pariſiis cum aliis priſcorum Galliæ Theologorum ſcriptis: Optati quoque opera ſeorſim edita ſunt, Lutetiæ imprimis anno 1631. cum Gabrielis Albaſpinæi Epiſcopi Aurelianenſis obſervationibus.

3. Hilarius.

III. HILARIUS Pictavienſis in Aquitania Epiſcopus, Eccleſiæ ac fidei Catholicæ adverſus hæreticos acerrimus propugnator, ideoque Arianorum factione à Concilio Biterenſi relegatus in Phrygiam anno 336. deinde Conſtantii Imperatoris juſſu, poſt quadriennium reſtitutus: veram adhuc doctrinam damnatis Ariminenſis pſeudoſynodi actibus ubique per Gallias aſſeruit, donec anno 367. aut circiter migravit ad Dominum. Ejus Opera Pariſiis accuratè edita ſunt anno 1605. In his indubitatæ fidei ſunt *de Trinitate* libri duodecim, libri tres *adverſus Conſtantium Auguſtum*, quorum duos ipſo Conſtantio ſuperſtite ſcriptos putat Bellarminus, tertium paulò poſt ejus mortem, cùm tamen ejus nuncium nondum accepiſſet Hilarius in Gallia. Sed eum cujus meminit Hieronymus, tanquam compoſiti poſt Conſtantii obitum, non extare Baronius putat. *De Synodis* etiam adverſus Arianos liber, aliaque opuſcula: in quorum numero *Epiſtola & Hymnus* ad Afram filiam, cujus meminit Venantius Fortunatus Hilarii ſucceſſor, in ejus vita: eoque teſtimonio refellitur contraria Eraſmi ſententia. *Commentaria* in pleroſque *Pſalmos* ex Origene verſa exiſtimat idem Eraſmus. *Epiſtolæ* duæ *ad Auguſtinum* de reliquiis Pelagianæ hæreſis, nondum Hilarii noſtri tempore ortæ, alterius Hilarii ſunt, qui cum Proſpero Semipelagianos impugnavit. *Carmen* in *Geneſim* ad Leonem Papam, autorem habere creditur Hilarium Epiſcopum, non Pictavienſem, ſed Arelatenſem, qui eam Eccleſiam ab anno fermè 430. ad 454. rexit. Liber *de Patris & Filii unitate*, & liber *de Eſſentia Patris & Filii*, rapſodiæ ſunt ex libris de Trinitate, paucis aliunde inſertis, conſarcinatæ: Prior quidem ex 2. & 9. Poſterior ex 7. & 8. De fragmento *Hiſtoriæ Concilii Ariminenſis* anno 1598. Nicolai Fabri opera edito, videndus Baronius [g].

g Ad ann. 352. & 357.

VI. S. AM-

IV. S. AMBROSIUS, Mediolanenſis Epiſcopus, natus Patre Ambroſio præfecto prætorio Galliarum, atque ab Anicio Probo ad Liguriam præſidis titulo regendam miſſus tempore Valentiniani; mortuo Auxentio Ariano Epiſcopo, licèt adhuc Catechumenus, tamen miro Cleri & populi conſenſu, vel potiùs divinitùs, Mediolanenſis Eccleſiæ Præſul eſt renunciatus anno 374. Quò pertinet Capitulum *Valentinianus* 3. *diſt.* 63. Is omnem Italiam, teſte Hieronymo, ad fidem rectam convertit, ac tandem ſanctè obiit anno 387. Opera ejus in poſterioribus editionibus Pariſienſibus diſtincta ſunt in quinque tomos. Tomo 1. indubitati habentur Libri de *Paradiſo*, *de Abel & Cain*, de *Noe & Arca*, de *Abraham Patriarcha*, aliique in diverſa Geneſeos & quædam ſequentium Pentateuchi librorum capita. *Poſterior apologia David*, ut & Liber *poſterior de interpellatione David* à Poſſevino, Bellarmino, & Nicolao Fabro ſuppoſititia cenſentur. Eorum tamen argumenta diluit Theophilus Rainaudus [h]. To. 2. Liber *de Tobia* repudiatur ab Eraſmo. To. 3. *Commentaria in Epiſtolas S. Pauli* Hilario Diacono Romano, qui Damaſi tempore Luciferianum ſchiſma propagavit, tanquam vero autori aſcribunt Bellarminus, aliique. Et verò multa in his ſunt contra ſententiam S. Ambroſii, aliis in operibus explicatam, dicta. Uſſerius tamen de ſolis commentariis *in Epiſtolam ad Hebræos* dubitavit, quæ ex S. Chryſoſtomi in eandem Epiſtolam Homiliis Latinè redditis ſint excerpta. Tomo 4. Librum *de Filii divinitate contra Arianos*, S. Gregorii Nazianzeni eſſe; verùm à ſancto Ambroſio Latinitate donatum Joannes Coſterus demonſtrat [l]: quamvis Geſnerus interpretem faciat Rufinum. *De Sacramentis* Libri ſex acriter oppugnantur à Coco, Salmaſio, aliiſque Calviniani dogmatis aſſertoribus, qui ſtyli barbariem criminantur, nec ab ullo Patrum ætate proximorum citari ajunt; voluntque conſarcinatos ex ejuſdem Ambroſii Libris *de iis qui myſteriis initiantur*: contrà tamen Catholici eos utpote à Paſchaſio, Lanfranco, Guitmundo ſatis antiquis Scriptoribus laudatos, tuentur. *De ſacerdotali dignitate* Liber Anſelmi ſtylum redolere videtur. Libri duo *de Pœnitentia* contra Novatianos, vocantur in dubium à Petro Soto [m], defenduntur à Bellarmino & Rainaudo. Tractatum *de Virginis forma vivendi* ſuſpectum habent ſectariorum nonnulli, haud ſatis idoneis argumentis. Sed tractatus *de Virgінis lapſu*, ſive *ad Virginem lapſam* ambiguus eſt Poſſevino & Bellarmino, quòd, juxta Novatianorum errorem, petenti veniam denegare videatur: cæterùm extat magna ex parte in B. Hieronymi Epiſtola ad matrem & filiam. Liber *de Viduis* Perkinſio heterodoxo improbatur. Libros duos *de Vocatione Gentium* Bellarminus atque alii Proſpero, alii ejus in impugnandis Pelagianis ſocio Hilario, Queſnellus Leoni Papæ aſſignat: Eraſmus non abhorrere ait à phraſi Eucherii. Tomo 5. *Sermones* non pauci veteribus editionibus inſerti, dubii ſunt: ille imprimis qui eſt *de Baptiſmo Auguſtini* meritò rejicitur à Baronio. Inter *Epiſtolas* verò, quæ primis in editionibus erat 84. ſcribiturque *ad Demetriadem*, non Ambroſii eſt, ſed Proſperi, ut Coſterus & Suares putant; aut Pelagii, ut exiſtimat Baronius. Suſpecta quoque eſt Epiſtola 82. in qua mentio fit Venetiarum in multitudinis numero; qui uſus videtur poſteriorum temporum poſt conditam ſcilicet Venetorum civitatem. *Precationes* duas præparantes *ad Miſſam*

4. Ambroſius.

h Tract. de libror. confix. p. 123.

l Ex epiſt. 111. B. Auguſtini ad Fortunatianum.

m In inſtitutione Sacerdotum, titulo de neceſſitate confeſſionis. 2.

refert Theophilus ad S. Anſelmum autorem, cujus nominis prima litera eadem cum prima nominis B. Ambroſii, cùm ſola eſſet adſcripta, errori locum dedit. *Hymnorum*, qui tribuuntur Ambroſio, quidam ejus verè ſunt, teſte Auguſtino; quidam Fortunati: alii neutro digni. Tractatum etiam *in Apocalypſin*, & Librum *de vitiorum virtutumque conflictu* ad Simplicium, non eſſe Ambroſii docent Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Bellarminus, alii: Et ſanè in poſteriore memorantur Longobardi Italiam invadentes, quod duobus atque ampliùs ſeculis poſt mortem Ambroſii contigit. *Expoſitio fidei contra Arium*, eſt epitome ex lib. 1. de fide ad Gratianum Auguſtum concinnata, ut monuit Baronius. Liber *de Pœnitentia* cum adjuncta ad eam cohortatione, à Poſſevino adſcribitur Victori Cartennæ in Mauritania Epiſcopo; à Philippo verò Labbeo ex fide Codicum manuſcriptorum, Victori Tununenſi in Africa quoque Epiſcopo. Libros quinque Hegeſippi nomine vulgatos *de Excidio Hieroſolymitano*, ſunt qui Ambroſio adſcribunt.

CAPUT LI.

De Scriptoribus Græcis Eccleſiaſticis, qui Seculo Quinto floruerunt.

1. S. Ioan. Chryſoſtomus.

I. HOc ſeculum, cum ſuperiore, inſignium doctrina & pietate Patrum copia fœcundiſſimum fuit. In Græcis primus occurrit S. JOANNES, CHRYSOSTOMUS, ſive *Os aureum*, ob eloquentiam cognominatus. Is natus Antiochiæ anno 354. aut circiter, à forenſi tumultu ad monaſticam quietem tranſiit circa annum ætatis 22. at quinquennio ferè poſt, ad Eccleſiaſticam vocatus militiam, Presbyter ordinatus eſt à Meletio Antiocheno Patriarcha, & Marcionitis ac cæteris ejus temporis hæreticis bellum indixit, eoſque diſputando conſutavit: tum anno Chriſti 398. poſt Nectarii mortem ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ regimen evectus Arcadio imperante. Verùm agente Eudoxia Auguſta, & Theophili Alexandrini aliorumque Epiſcoporum conſpiratione, in Synodo ad Quercum damnatus ac ſede ſua dejectus anno 403. tamen paulò poſt ad eam eſt revocatus. Verùm iterùm pulſus, & Cucuſum (quod eſt Armeniæ oppidum) deportatus, poſt graves ærumnas apud Comana Pontici tractus villam, anno 407. ætatis 53. ſanctè obiit, cùm ab adepto Patriarchatu nondum effluxiſſet decennium. Ejus Opera Latinè dumtaxat primùm edita, hoc ſeculo Græcè prodierunt, Etoniæ in Anglia anno 1613. opera Henrici Savvilii typis excuſa. Græco-Latina editio nulla per ſe omnibus partibus abſoluta reperitur: ſed conflari poteſt hinc ex voluminibus ſex à Frontone Ducæo Lutetiæ anno 1609. & 1614. editis, inde ex quatuor apud Commelinum excuſis anno 1603. quæ poſtea Pariſiis quoque recuſa ſunt. In Ducæi tomo 1. ſunt *Homiliæ ad populum Antiochenum* ἀνδριάντες dictæ, ſive *de ſtatuis*, quas ab eo habitas ut Antiochenos, profecto ad placandum Imperatorem Flaviano Patriarcha, conſolaretur, ſcribit Nicephorus

rus [a]. Sed priores tantùm 21. in manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ regiæ ſe offendiſſe teſtatur Ducæus apud Poſſevinum: unde coniicit reliquas, quæ in Latinis editionibus reperiebantur, uſque ad 80. ex aliis ejuſdem Chryſoſtomi homiliis in varios novi fœderis libros coagmentatas, & quaſi ex diverſis laciniis conſutas eſſe; ſelectis nimirum cujuſque moralibus concluſionibus, quod & exemplis ipſe ac Bellarminus confirmant. Tomo 2. habentur imprimis homil. 67. in Geneſis cap. 1. quarum decem in dubium revocantur à Sixto Senenſi. In his homilia *de Adamo & Heva*, quæ incipit *Deus inſtitutor mundi*, manifeſtè collecta eſt ex centonibus S. Auguſtini, adeo ut integra duo capita contineat ex libro de dogmatibus Eccleſiaſticis tranſcripta, caput nempe 31. & 32. cujus quidem libri de dogmatibus autor proculdubio poſterior eſt Chryſoſtomo. *Sermones de interdictione arboris & de lapſu primi hominis*, Joa. Poza à ſtylo B. Chryſoſtomi alienos putat, ut & ſermones *de verbis quibuſdam David*, *de Abſalon*, *de Elia*, *de Nahaman Syro*, *de beato Job*, & ultimam *homiliam in Pſalm.* 142. Tomo 3. ex *homiliis in Pſalmum*, 41. ſunt Sixto Senenſi ambiguæ: *Commentarius* præſertim *in Pſalmum* 22. ſic abhorret à S. Chryſoſtomi phraſi, ut Poſſevino & Bellarmino [b] videatur eſſe autoris Latini: nec Rivetus Chryſoſtomo vindicare auſus eſt. De *homiliis duabus in Pſalmum* 11. litigant inter ſe Critici: rejicit Ducæus, aſſerit ut legitimas Max. Margunius: Savilius dubitat. Sed *commentarios in eundem Pſalmum* 11. itemque *in* 101. *& ſex ſequentes*, idem cum Ducæo pro germanis non agnoſcit: & verò hi commentarii, ut & *in Pſalmum* 118. magna ex parte ſunt Theodoriti. *Liturgiam ſancti Joannis Chryſoſtomi* ab Eraſmo verſam, quæ tomo quoque 2. auctarii Græco-Latini Bibliothecæ veterum Patrum inſerta eſt, impugnant Pleſſæus [c] Hoſpinianus, & poſt eos Rivetus cæterique heterodoxi, eò maximè quòd exemplaria non planè inter ſe conveniant, quòd in ea nomen legatur ipſius Chryſoſtomi, preceſque adjiciantur pro Nicolao Papa & Alexio Imperatore, qui pluribus ſeculis poſt Chryſoſtomum vixerunt: quòd denique Carolus Calvus in Epiſtola ad Eccleſiam Ravennatem, ubi meminit Miſſæ in Conſtantinopolitana Eccleſia receptæ, eam Baſilio autori adſcribit, non Chryſoſtomo. Verùm hæc argumenta leviora ſunt: neque enim tanta eſt exemplarium diverſitas, ut non maxima ex parte invicem congruant: Chryſoſtomi mentio poſteà adjecta fuit ab exſcriptore, ut & oratio pro Nicolao ac pro Alexio; neque hæc obſtant quominùs corpus ipſum Liturgiæ à Chryſoſtomo compoſitum fuerit: nihil etiam vetat vel lapſum fuiſſe Carolum Calvum, vel plures fuiſſe apud Græcos Liturgiæ formas, quarum quæ Baſilium habebat autorem, uſu magis recepta fuerit, poſt tempora Chryſoſtomi. Tomo 6. *Sermones* tres & ſeptuaginta *de diverſis utriuſque Teſtamenti locis* cenſet Ducæus ab autoribus aut coævis, aut certè proximæ antiquitatis, aliis tamen à Chryſoſtomo, compoſitos; quod ſtyli diverſitas facilè ſuadet. Oratio quoque perpetuis ferè proſopopæis conſtans, ſæpè conciſa eſt, atque ad allegorias plerumque detorta: comparationibus prætereà ſive ſimilitudinibus caret, aliiſque leporibus B. Chryſoſtomo familiaribus: & præter ejus morem tum exordiis in ingreſſu, tum adhortationibus & precationibus in fine deſtituuntur hi ſermones. Ex his quatuor & quinquaginta velut ſpurios repudiat Sixtus Senenſis [d], quorum catalogus apud eum videndus. Homilia 26. in *Decol-*

a Lib. 12. cap. 33.

b Lib. 2. de Euchar. c. 22.

c In epiſt. ad Davidem Hœſchelium.

c De Miſſ. lib. 1. c. 6.

d Lib. 4. Biblioth. ſanctæ.

e quæſt. 63. in Scripturam.

Decollationem ſancti Joannis Baptiſtæ citantur ab Anaſtaſio [e]: itemque 31. *in ſanctum Thomam Apoſtolum* à Synodo Lateranenſi ſub Martino I. Papa anno 650. & à Synodo generali 6. ſub Agathone an. 681. Ex 33. *in Salvatoris noſtri nativitatem*, inter opera S. Cyrilli Alexandrini, & in Concilio Epheſino editionis Romanæ pag. 159. monet Ducæus proferri teſtimonium, laudatum in libro ad Reginas ſcripto. Jam tomo 1. Commeliniano, Commentarii ſive *Homiliæ* una & nonaginta *in Evangelium S. Matthæi* Aniano interprete, pro genuinis agnoſcuntur. At *Opus Imperfectum in* eumdem *Matthæum*, quod diviſum eſt in quinquaginta quatuor Homilias, doctum quidem ac diſertum eſt opus, & lectu dignum, modò ab erroribus immixtis caveatur: verùm pro Chryſoſtomi legitimo partu non habetur à Sixto Senenſi, Bellarmino, & Savilio. Petrus Vaſteſius Carmelita Joanni Hieroſolymitano aſſerit: ſed communis ſententia eſt à Latino ſcriptum, non è Græco eſſe converſum. Apparet certè legentibus, vel autorem fuiſſe Arianum, vel ejus ſaltem ſcriptis non pauca ab Arianis aliiſque hæreticis aſſuta: ideoque Baronius [f] non dubitat eum Scriptorem hæreticis accenſere. Nihilominùs eam ipſi autoritatem conciliat antiquitas, & cum interpretandi ſubtilitate conjuncta eruditio, ut à Catholicis paſſim laudari ſoleat: quemadmodum obſervat Maldonatus. [f] Neque his quæ de eo allata ſunt adverſatur, aut Joſephus à Coſta [g], qui doctrinam ejus commendat, aut Alphonſus Salmeron [h], qui elegantiam laudat in celebranda ſacræ Scripturæ ad cognoſcendam Eccleſiam utilitate. Tomus 2. habet commentarios ſive *Homilias* 87. *vel* 88. *in Evangelium S. Joannis*.

f Ad ann. 407.

f In c. 8. Matthæi.

g Lib. 2. de temporibus noviſſimis. cap. 12.

h Lib. 1. in Epiſt. Pauli ad Rom. part. 3. diſp. 3.

Tom. 3. Commentarios ſive *Homilias* 53. *in Acta Apoſtolorum*. Tomo 4. *Homiliæ ſunt* 244. *in Epiſtolas Beati Pauli* tredecim, *cum Commentariis in Epiſtolam* ejuſdem *ad Galatas*, à pleriſque receptæ. Sed *Homiliæ* triginta & una *in varia loca Matthæi*, quatuordecim *in Marcum*, ſeptem *in varia loca Lucæ*, in varia loca *Joannis*, & duæ treſve ex 14. in diverſa loca *Epiſtolarum Pauli*, minùs certæ habentur: *Expoſitio* quidem *in Marcum* Bellarmino judice, quem alii quoque ſequuntur, eſt cujuſdam monachi fratribus ſuis Evangelium explanantis, quod ex ipſa lectione deprehenditur. Ejuſdem etiam putantur *reliqui ſermones*, qui Græcè extant; alii deſumpti ſunt ex Homiliis S. Chryſoſtomi, aut ex opere imperfecto. Suppoſititios recenſet Sixtus * jam nominatus, & Savilius. Habentur & quædam alia ejuſdem S. Doctoris, tum in additis ad ſex tomos antiquarum lectionum Henrici Caniſii, & Tomo 2. auctarii Græco Latini Bibliothecæ Veterum Patrum; tum ſeorſim Pariſiis edita ſtudio Fr. Combefis Dominicani & Jo. Bat. Cotelerii. Sed B. Chryſoſtomo adſcriptus à quibuſdam Heterodoxis liber ſive *Epiſtola ad Cæſarium monachum contra Apollinarem*, &c. inter opera Chryſoſtomi non invenitur.

* Biblioth. lib. 4

2. *Theophilus*.

II. THEOPHILUS *Alexandrinus*, poſt Timotheum Patriarcha, ſedem illam obtinuit ab anno 385. aut circiter, ad 412. Monachos nonnullos Origenis ſectatores atque alios hæreticos perſecutus, cum B. Joanne Chryſoſtomo contentiones exercuit, adeo ut in gratiam Eudoxiæ Auguſtæ eum Epiſcopatu amoverit in Synodo ad Quercum haud procul Conſtantinopoli: cujus tamen facti pœnitentiam præ ſe tuliſſe dicitur, è vivis ſublato Chryſoſtomo. Ejus Opuſcula, quæ

ab

ab utraque Eccleſia recepta ſunt, à Latina in ſynodo Romana Gelaſii, à Græca in Trullana ſynodo, plura olim fuere: ex iis extant hodie apud Zonaram & Balſamonem *Reſponſa* ſive *decreta Canonica* Græcè & Latinè: ac præterea in Bibliothecis Patrum *Paſchales Epiſtolæ tres*, à S. Hieronymo Latinè redditæ, qui eum laudibus effert. [i].

i In ep. ad eund. ſcripta, & in apolog. 2. contra Rufinum.

III. ISIDORUS *Peluſiota* presbyter ac monachus Ægyptius, S. Chryſoſtomi diſcipulus, vixit ultra annum 431. ac permulta compoſuit, præſertim decem Chiliadas Epiſtolarum, in quibus eruditè ac dilucidè ſacram Scripturam univerſam expoſuerat, eaque expoſitione mores hominum omnis generis inſtituerat. Extant nunc *Epiſtolarum* ipſius *libri quinque*, qui Græcè & Latinè Pariſiis anno 1638. prodierunt.

3. Iſidorus Peluſiota.

IV. CYRILLUS *Alexandrinus* Patriarcha, in ea dignitate Patruo Theophilo ſucceſſit, anno 413. Deceſſit anno 444. Vir fuit tum ſanctiſſimus, tum doctiſſimus. Cœleſtini Romani Pontificis nomine Concilio Epheſino anno 431. præfuit, & Neſtorium ſcriptis confutatum, autoritate damnavit. Operum ejus editionem Græco-Latinam curavit Jo. Aubertus Pariſiis ann. 1638. quæ ſex tomis conſtat. Tomo 1. *de adoratione in ſpiritu & veritate* libri ſeptemdecim, ſuſpecti ſunt Riveto nulla idonea cauſa. Continentur ibidem *Glaphyra* ſive elegantia *commentaria in quinque libros Moſis*, quorum libri undecim in Geneſim priùs Latinè tantùm in vulgus exierant. Tomo 2. *Commentariorum in Iſajam* libri 5. ab Humfredo Anglo latinitate donati fuerant, in cujus interpretatione emendata ſunt nonnulla, quæ ab eo addita & minimè Cyrilli eſſe videbantur. Tomo 4. ſunt libri decem *Commentariorum in Joannis Evangelium*, quorum 5. & 6. tum primùm utraque lingua editi ſunt cum fragmentis 7. & 8. Quatuor enim intermedii reliquis germanis Cyrilli libris inſerti à Jodoco Clichotore in prioribus editionibus, ejus imitatione ſæculo ſuperiore conſcripti fuerant. Tomo 5. *Theſaurus de ſancta & conſubſtantiali Trinitate* libris 14. conſtans, Cyrillo abjudicatur ab heterodoxis, contrà vindicantibus Petavio & Theophilo Rainaudo [l]: verùm hoc opus ad nos imperfectum perveniſſe demontrant loci complures ex eo citati à B. Thoma [m], quibus Primatus Romanæ Sedis evidentiſſimè aſſeritur. Et verò deſiderari ex eo non pauca inde quoque evincitur, quòd ejus operis liber 32. laudetur in 6. ſynodo. Sequuntur *Dialogorum ad Hermiam de Sancta Trinitate & Incarnatione* libri novem, cùm anteà ſeptem tantùm in vulgus exiſſent. Tomo 6. eſt explanatio duodecim capitulorum ſive *anathematiſmorum contra Neſtorium*, cum *Apologetico* & defenſione adverſus Theodoritum, ex Concilio Epheſino. *Epiſtolam ad Caloſyrium adverſus Anthropomorphitas & Meſſalianos*, dubiæ fidei habet Perkinſius, quòd non extaret inter opera Cyrilli. Librum *de Sacroſancta Trinitate* poſterioris alicujus autoris eſſe exiſtimat Bellarminus, quòd in eo fusè diſputetur de duabus Chriſti naturis & voluntatibus; quæ tamen quæſtio diu poſt in 6. Synodo & circa ejus tempora cœpit agitari & disertè explicari. *Dicta veteris Teſtamenti anagogicè expoſita* ex Cyrillo & aliis deprompta ſunt: *breves Anagogæ* an Cyrilli ſint haud ſatis conſtat. Præterea *Homilias* 19. in *Hieremiam* edi Antuerpiæ curavit Corderius è S. J. anno 1648. Sed *Apologi morales* ejuſdem nomi-

4. Cyrillus. Alexandrinus.

l In diſſertationib. Eccl. In heteromaris.

m In opuſculo de erroribus Græcorum.

nomine Viennæ excuſi anno 1631. Latinum autorem produnt. Libri 16. *in Leviticum*, quos priores editiones Cyrillo aſſignabant, Origenis reverà ſunt; cujus & inter opera inveniuntur, ejuſdemque erroribus ſcatent. Quod hunc Cyrillum inter Carmelitici Ordinis decora Trithemius & alii numerant, quemadmodum alii Cyrillum Hieroſolymitanum, id Baronius [n] refellit. Huic commento vel errori locum dedit alius Cyrillus multò junior, utpotè qui circa annum 1200. ejus Ordinis Prior Generalis fuerit numero tertius.

n Ad ann. 444.

5. Theodoritus. V. THEODORITUS Cyri in Euphrateſia Epiſcopus, ordinatus circa annum 433. interfuit Concilio Epheſino, & S. Cyrilli anathematiſmos ſcriptis antitheſibus confutavit pro Neſtorio condiſcipulo ſuo: à Dioſcoro deinde in altera Epheſina pſeudoſynodo Epiſcopatu dejectus, à Leone tamen Pontifice abſolutus eſt, cùm eum in facto tantùm erraſſe conſtitiſſet: nam & Neſtorium inter hæreticos poſteà recenſuit [o], & contra Eutychianos egregiè decertavit. Poſt ſynodum Chalcedonenſem, cui interfuit, vixit ad annum ſaltem 446. ex Marcellini Comitis chronico. Ejus Opera Jacobus Sirmundus in quatuor tomos diſtributa Pariſiis utraque lingua edidit anno 1642. Tomus 1. complectitur *Quæſtiones in libros Hiſtoricos veteris Teſtamenti & Pſalmos*. 2. *Interpretationes in Prophetas*. 3. Elegantem *expoſitionem in Pauli Epiſtolas: & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros quinque* ſuperſtites ex decem, quos Gennadius memorat, ac *Philotheon* ſive *hiſtoriam religioſam*, & *Epiſtolas* 147. Ex *commentario in caput* 3. *epiſtolæ* 1. *ad Corinthios* S. Thomas in opuſculo adverſus errores hæreticorum citat locum *de Purgatorio*: cujus verba fatetur Poſſevinus à ſe non eſſe inventa, ſive à Græcis poſterioribus detracta ſint, ſive alio ex opere à B. Thoma deſumpta.

o Lib. 4. hæretic. fabularum.

Utramque hiſtoriam Cocus & Rivetus ſuppoſititiam contendunt, vel certè interpolatam, quòd ambas dicant fabellis quibuſdam ineptis ac Theodorito indignis aſperſas; & præterea quòd in poſteriore memoretur obitus Simeonis Stylitæ, cùm tamen Theodoritus priùs deceſſiſſe credatur, nimirum anno 453. paulò poſt Concilium Chalcedonenſe, poſt cujus tempora non facilè occurrit ejus mentio; quorum priùs Gentianus Hervetus annotavit, poſterius cenſuit Jac. Sirmondus. Verùm fabulas illas neuter eorum obſervat, & Gennadius cap. 89. autor eſt Theodoriti hiſtoriam Eccleſiaſticam perveniſſe ad Imperium Leonis ſenioris, ſub quo is mortuus fuerit. Marcellinus verò Comes Theodoriti meminit adverſus Eutychen Leonis 3. Conſulatu ſcribentis. Inter *Epiſtolas* autem illius non reperitur ea, quæ legitur ſynodi generalis act. 5. *de obitu Cyrilli ad Joannem Antiochenum*, quæ proinde ſuſpecta eſt: Et verò Baronius [p] à Neſtoriano quodam confictam demonſtrat, tum quòd Cyrillus ſeptem annos vixerit poſt Joannem Antiochenum, tum quòd ex indubitatis aliis Theodoriti epiſtolis conſtet cum Cyrillo reconciliatum.

p Ad annos 444. & 453.

Tomo 4. *Eraniſtes* ſeu *Polymorphus* continetur, in tres dialogos diſtinctus. Deinde *Hæreticarum fabularum* libri quinque, quorum priores quatuor brevem ſingularum hæreſeon hiſtoriam complectuntur, quintus Divinorum decretorum Epitomen *adverſus Gentiles*, ſive *de curandis Græcorum affectionibus*, libros 12. dubios habere audent Cocus & Patrologus, quòd eorum cum aliis non meminerit Nicephorus Calliſtus [q]: Rivetus tamen quoniam eorum librorum ſtylus à Theodoriti

q Lib. 14. c. 44.

riti loquendi forma ex eruditorum judicio non abhorret, nonnulla iis addita vult. Meminit tamen hujus ſui operis ipſe autor non uno loco [r]. Quædam alia ejuſdem opera edita ſunt cum libris B. Athanaſii. De *Nomocanone* autem ſeu *Canonum Collectione* ſuo loco dicemus.

r Quæſt. 1. in Leviticum, epi. 112. ad Leonem Papam, & 116. ad Renatum R. E. diaconum.

CAPUT LII.

De Latinis ejuſdem Seculi quinti Autoribus Eccleſiaſticis.

I. AURELIUS PRUDENTIUS *Clemens* Calaguritanus in Hiſpania, argumenta ſacra metro tractavit, in quibus *Cahtemerinon* ſive *Diurnarum rerum opus*, ſcriptum ann. 405. patet ex præfatione Stilicone & Aureliano Coſſ. data. Eo in opere hymni, qui in aliquibus codicibus inſcribitur *ad incenſum cerei Paſchalis*, veriùs titulus eſt *ad accenſionem lucernæ*. Inter ejuſdem opera eſt etiam *Enchiridion veteris & novi teſtamenti*, quod quidam Sedulio Bibliotheca Patrum amæno cuidam poetæ ejuſdem ætatis, adſcribunt contra Gennadii autoritatem, & contra fidem omnium manuſcriptorum, teſte Giſelino. *1. Prudentius.*

II. S. CHROMATIUS Aquilejenſis, aliàs Romatianus Epiſcopus, quem ſui temporis Epiſcoporum doctiſſimum & ſanctiſſimum vocat S. Hieronymus [a]. *Homilias* aliquot ſcripſit circa annum 400. quarum tres cum fragmentis aliarum ſuperſunt in Bibliotheca Patrum. At *Epiſtolæ* ſub nomine *Chromatii & Heliodori ad Hieronimum*, & hujus reſponſio, in quibus agitur de nativitate Beatæ Virginis, & de Martyrologio quæ inter opera S. Hieronymi relatæ habentur, ſuppoſititiæ ſunt, ut Baronius probat. *2. Chromatius.*

a Præfat. in libros Paralip.

III. RUFINUS *Toranus*, Monachus, & Aquilejenſis Eccleſiæ preſbyter, B. Hieronymo primùm probatus, deinde exortis inter utrumque ſimultatibus, ab eodem exagitatus tanquam Origenis defenſor, & Pelagianorum amicus, ſancto antagoniſtæ, de quo mox, ſupervixiſſe non creditur. De ipſius Operibus Eccleſiaſticis, quæ plurima compoſuit, ſenſit cum Hieronymo Gelaſius Pontifex in Synodo Romana, & nonnulla approbavit, reliqua damnavit. In iis magna copia eſt librorum è Græca lingua, ſed paulò liberiore ſtylo verſorum, ut *S. Clementis Recognitionum* libri, *Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica*, & ſub Pamphili titulo *Apologia Origenis*: hujus quoque Libri non pauci, ac præſertim, περὶ Ἀρχῶν ſive de Principiis: item *Sexti Pythagoræi* Philoſophi ethnici *ſententiæ* ſub falſo Sixti 2. Pontificis & martyris nomine. Proprio autem marte conſcripti ſunt *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad Euſebianum adjectæ* libri duo, qui ad obitum Theodoſii, & annum 695. perveniunt. Eſt & *expoſitio Symboli*, aliàs Cypriano, aliàs Hieronymo attributa. Verùm *Commentarii in Pſalmos* 75. qui Rufini nomine circumferuntur, centones potiùs *3. Rufinus.*

ſunt

ſunt ex S. Auguſtino, ſancto Gregorio, aliiſque excerpti.

4. S. Hieronymus. IV. HIERONYMUS, circa annum Chriſti 329. natus Stridonæ, quæ civitas eſt ſeu oppidum in Pannoniæ & Dalmatiæ finibus, peragratis Italia, Gallia, & Græciæ parte in eremo Syriæ monachum profeſſus, & Antiochiæ à Paulino Patriarcha presbyter ordinatus eſt anno 378. ita tamen ut nulli Eccleſiæ ſeu titulo adſcribi voluerit. Inde Romam denuò profectus, Damaſo Pontifici (à quo Cardinalem creatum nonnulli falsò comminiſcuntur) in ſcribendis epiſtolis operam navaſſe dicitur, donec eo defuncto in Orientem reverſus anno 385, in Monaſterio apud Bethlehem conſenuit, & nonagenario major circa annum 422. expiravit; ex Proſperi chronico: quanquam anno 420. annos tantum duos & 70. natum exceſſiſſe putat Baronius. Linguarum quibus ſacer uterque textus conſtat, peritia, indefeſſis laboribus quæſita, eximiaque omnis generis doctrina cum pari pietate conjuncta, ſatis ſuperque refellunt futilia & perverſa Luteri & Chemnitii de hoc ſancto Scriptore judicia, in iis tantùm quæ ad Grammaticam & hiſtoriam ſpectant, ejus autoritatem ſequendam jactantium. Fatendum tamen eſt non pauca in ejus ſcriptis cautè legenda, quòd dum ex Origenis, Apollinarii, Didymi, aliorumque ſententias commentatur, quorum judicem initio cujuſque tractatus proponere ſolet, quædam nonnunquam profert à receptis Eccleſiæ dogmatibus aliena, quæ tamen ipſe minimè probat: ideoque Hieronymiana ab alienis diſtinguenda. Operum ejus in editione Pariſienſi anni 1623. tomi ſunt novem. Tomo 1. continentur *Epiſtolæ* 49. quarum decimaquarta *ad Celantiam* à quibuſdam adſcribitur B.Paulino: quadrageſima ad Auguſtinum dubia videtur. Tomo 2. dubiæ quoque habentur Epiſtolæ tum 56. ad Apronium, & 61. ad Pammachium, quæ nonnullis videntur Pelagianorum errori favere: tum 62. ad Thophilum, & 98. ad Auguſtinum. Tomo 3. mutuæ Hieronymi & Damaſi Papæ Epiſtolæ à quibuſdam vocantur in controverſiam; imprimis 142. cum tribus ſequentibus; & præterea 126. ad Evagrium. *Quæſtiones* ſeu *traditiones Hebraicæ* in *libros Regum & Paralipomenon* à Nicolao Lirano, Sixto Senenſi, aliiſque, Judæo cuidam Neophyto adſcribuntur, & Hieronymo certè abjudicantur: tum quòd ipſe Hieronymus [b] ubi teſtatur ſe ſcripſiſſe *traditiones* ſive quæſtiones Hebraicas in Geneſin, & alias veteris Teſtamenti partes, hujus tamen operis non meminerit; tum quòd vix ſemel aut iterum in his quæſtionibus referuntur vocabula Hebraica, vel Græca ſacræ Scripturæ, quod in aliis quæſtionibus ei eſt ſolenne: quarum & ſtylus gravior videtur.

b In lib. de Scriptoribus Eccleſ. cap. ult.

Appendicem de Actis Apoſtolorum Hieronymi non eſſe, cum Hottingero & Riveto fatentur paſſim Catholici Doctores, quia inter venerabilis Bedæ opera reperitur, ipſumque Hieronymum citat.

Tom. 4. *de commentariis in Threnos*, id eſt lamentationes Hieremiæ, meritò dubitavit Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus, Sixtus Senenſis & Bellarminus non meritò ſuſpicantur eorum autorem eſſe Rabanum Maurum, ut potè inter cujus opera reperiantur, & ex quibus loca nonnulla ſub Rabani nomine adducantur à ſancto Bonaventura ex opuſculis S. Gregorii decerpta. Tomo 6. *Commentarii myſticæ expoſitionis in Marcum*, qui in antiquis editionibus occurrebant, optimo jure rejecti & omiſſi ſunt, quòd à S. Hieronymo minimè conſcripti cen-

Digitized by Google

ſeantur à Maldonato, Baronio, Bellarmino, &c. Nam & eorum autor Hebraicæ ac Græcæ linguæ omnino imperitus apparet, & falſa atque inepta non pauca profert, præſertim in expoſitione cap. 4. & 14.
Tomo 7. *Commentaria in Pſalmos* alium ab Hieronymo autorem habere demonſtrarunt Sixtus Senenſis & Bellarminus, licèt aliter ſentiant Marianus & Scultingus. Quanquam enim ex prima contra Rufinum Apologia certum ſit ab eo ſcriptos eſſe commentariolos in omnes Pſalmos; & quæ ibi ea 2. pſalmi expoſitione citantur, ita poſita ſint in his commentariis, quemadmodum & quæ ex Pſalmi 39. expoſitione laudantur à S. Auguſtino [c], & quæ ex Pſalmi 4. pœnitentialis commentario adducit S. Gregorius in eundem Pſalmum: nihilo minùs multa hìc continentur cum Hieronymi placitis pugnantia, & in commentario ad Pſalm. 13. citatur Eucherius, Hieronymo ignotus, utpotè longè poſterior: deinde ad Pſalm. 108. ſcribit autor ſuo tempore fuiſſe annum 400. ab excidio Hieroſolymitano; ex quo conſequens eſt eum vixiſſe anno Chriſti 475. diu poſt Hieronymum: deinde hi non *Commentarioli* ſunt, ut vocat ipſe Hieronymus; ſed ampliſſimi ſæpè commentarii, præſertim in Pſalmos 86. 91. 132. & 133. ut appareat commentarios qui nunc ſub Hieronymi titulo circumferuntur, vel nullo modo eſſe Hieronymi, vel certè Hieronymianis adjectas ingentes lacinias ex Hilario imprimis, Ambroſio, Ruffino, & Auguſtino. Reverà rapſodiæ ſunt, & conſuti ſimul variorum autorum centones, quibus inſperſæ Hieronymi notæ: quod ſive plurium, ſive unius excerptoris opera factum, certè in eam formam, qua nunc ſunt, redactum opus apparet à quodam monacho Pſalmos monachis ſuis explicare ſolito. Idque probari poteſt imprimis ex Pſalmor. 89. 111. & 115. Commentariis. Tomo 8. *Commentarii in Job ad Vecterium*, non ab Hieronymo, ſed à Beda compoſiti ſunt, cujus tempore Vecterius Epiſcopus fuit in Anglia; quemadmodum ex Bedæ ipſius hiſtoria colligitur: idque argumentis evincunt Marianus Victorius, Poſſevinus, Bellarminus, & alii. Nec aliud cenſent iidem autores de *Commentariis in Proverbia Salomonis*, cùm in expoſitione capitum 21. & 31. ſanctus Gregorius citetur; in expoſitione verò capitis 30. ipſe Hieronymus. Præterea Bedæ titulo in antiquis exemplaribus hi Commentarii prænotantur, ut loquitur Sixtus Senenſis. Nec verò Hieronymiani ingenii ſubtilitatem, aut parem doctrinæ præſtantiam præ ſe ferunt. De *Homiliis quatuor Origenis in Cantica*, an Origenis ſint, an ab Hieronymo verſæ, an verò ab alio compoſitæ vel tranſlatæ, controvertitur. *Commentarios in Epiſtolas ſancti Pauli* Marianus, Sixtus itemque Ambroſius Catharinus negant eſſe Hieronymi: Bellarminus Pelagio hereſiarchæ aſcribit, tum ob ſententias omnino Pelagianas quas ipſe indicat, tum quòd D. Auguſtinus [d] profitetur ſe legiſſe brevia Pelagii commentaria in omnes Pauli epiſtolas: & quædam adducat ex commentario in cap. 7. epiſt. ad Romanos, quæ in his commentariis inveniuntur. Tomo 9. *Epiſtola ad Demetriadem virginem* eſt ejuſdem Pelagii, cujus nomine citatur à S. Auguſtino. [e]
Epiſtola quoque 3. *ad Gerontii filias de contemnenda hereditate*, Bellarmino & aliis videtur Pelagiana, quemadmodum & 8. qua *inſtituitur amicus in* ſcientia ſeu *cognitione Dei*. *Epiſtolam* 10. ad Paulam & Euſtochium, ſive ſermonem *de Aſſumptione Domini*, Sophronii eſſe putavit Marianus: at Baronius [f] oſtendit junioris alicujus eſſe partum, qui poſt Neſto-

c In epiſt. ad Fortunatianum.

d Lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſ. v. cap. 12.

e In epiſt. ad Julianam, & lib. de gratia Chriſti c. 22. aliiſque pluribus capp.

f ad ann. 448.

Neſtorii & Eutychetis hæreſes vixerit, idque eò magis eſt veriſimile, quòd multa contineat ad verbum deprompta ex ſancti Leonis epiſtola ad Flavianum anno 448. miſſa, ad quem annum vix credibile eſt perveniſſe Sophronium, qui jam ab anno 392. inter Eccleſiaſticos ſcriptores recenſetur ab Hieronymo. Falsò quoque Hieronymo tribui creditur *Epiſtola* 11. ſive *Sermo* alius *de aſſumptione B. Virginis Mariæ*: *Epiſtola* 13. ſeu liber *de ſeptem gradibus Eccleſiæ*, quamvis ab Hincmaro, à Micrologi autore, aliſque ſub Hieronymi titulo citetur; non poteſt ab eo eſſe compoſitus, cùm multa ex Iſidoro Hiſpalenſi hauſta contineat, qui anno adhuc 630. vivebat. Creditur ergo ejus autor circa annum 650. vel 660. ſcripſiſſe. *Symboli explicationem ad Damaſum*, quæ extat Epiſtola 17. Bellarminus aſſerit eſſe libellum à Pelagio miſſum ad Innocentium Papam, de quo B. Auguſtinus [g], qui eadem ipſa verba ſub Pelagii nomine refert: quod & Joannes Launojus Theologus Pariſienſis nuper libello ſingulari comprobavit. *Epiſtola* 19. *ad Præſidium diaconum de Cereo Paſchali* antiqui auroris eſt: ſcripta quippe intra annum à cæde Gratiani Imperatoris, ann. ſcilicet 84. prout ex contextu apparet. *Epiſtola* 36. *de obſervatione vigiliarum* autorem habere putatur Nicetam Epiſcopum in Dacia, ad quem S. Paulinus Epiſcopus Nolanus ſcripſit.

g Lib. de gratia Chriſti c. 30. & ſeqq.

Epiſtola 40. *de duobus filiis frugi & luxurioſo*, inter opera S. Joannis Chryſoſtomi reperitur; nec tamen ejus magis eſt, quàm Hieronymi, [à] cujus vera de eodem argumento Epiſtola ad Damaſum, & ab ejuſdem charactere in genere non parum diſcrepat; ſed incerti eſt auroris. Bellarminus uti Pelagianam damnat. *Epiſtolam* 51. *ad Oceanum, de vita Clericorum*, Hieronymo vindicat Baronius [h], & Thomas Maſſutius contra Marianum Victorium. Epiſtolæ 52. & 53. *Damaſi ad Hieronymum & Hieronymi* ad Damaſum, tanquam ſuppoſititiæ vulgò repudiantur. Epiſtolam *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſive *Catalogum* eorum, Hieronymi non eſſe probare videntur non pauca, imprimis encomia Origenis, Joviniani, Pelagii, qui inter Eccleſiæ [i] lumina ibi recenſentur; & mentio Hilarii Papæ, qui nonniſi anno 461. Pontificatum iniit, defuncto jamdiu Hieronymo. *Regula Monachorum fæminis ſcripta* eſt, ut patet ex titulis capitis 7. & 8. *Epiſtolarum Chromatii & Heliodori ad Hieronymum*, S. *hujus ad illos reſponſio* cum tractatu *de Ortu ſeu Nativitate B. Mariæ* autorem antiquum quidem, ſed alium ab Hieronymo demonſtrant ſanctus Antoninus [k], Baronius [l], Sixtus Senenſis, Melchior Canus, Peravius, & alii. Jam *Euſebii Epiſtola de morte Hieronymi ad Damaſum* manifeſtè ſuppoſititia eſt, cùm nec Euſebius, nec Damaſus Hieronymi ſuperſtites fuerint. Falsò quoque aſſignatæ ſunt S. Auguſtino & S. Cyrillo Hieroſolymitano Epiſtolæ Amœbææ *de laudibus & miraculis S. Hieronymi*: nam & Hieronymum Cyrillo ſupervixiſſe conſtat, & ex ipſo Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum deducitur: & præterea Monothelitam ſe non obſcurè prodit, qui ipſius nomen in ea Epiſtola uſurpavit. Extant præterea Tomo 3. Bibliothecæ magnæ Pariſienſis veterum Patrum, *Epiſtolæ quatuor S. Hieronymi ad Theophilum Alexandrinum*. Sed *Indiculus de hæreſibus*, qui ejus nomine prodiit, vel Hieronymi non eſt, vel ei multa ex Gennadio & Iſidoro addita fuerunt.

h In notis ad martyrol. Rom. die 23. Sept.

i Lib. 4. de vita S. Pauli cap. 9.

K In hiſt.

l Ad ann. 388.

Liber *de vitis Sanctorum Patrum* ex Hieronymi & aliorum opuſculis eſt conſarcinatus.

V. SE-

Digitized by Google

V. SEVERUS SULPICIUS natalibus ac literis illuſtris, in Aquitania, partim in Nitiobrigibus ſub Phœbadio Aginnenſi Epiſcopo presbyter vixit, partim Toloſæ: ſanctis Martino, Auguſtino, & Paulino familiaris; alius à *Sulpicio Severo Epiſcopo Bituricenſi*. In ſenectute à Pelagianis deceptus, poſteà reſipuit; & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut loquitur Gennadius [m]. Scripſit *dialogos tres* Poſtumiani & Galli nomine, qui à Gelaſio inter apocrypha referuntur [n]. Scripſit etiam *Hiſtoriæ ſacræ libros duos* à mundi exordio ad annum Chriſti 400. *5. Severus Sulpitius.* *m Cap.19.* *n Can.3.diſt.15.*

VI. S. AURELIUS AUGUSTINUS, Tagaſtæ in Numidia natus anno 355. à Manichæorum hæreſi ad fidem Catholicam converſus, Mediolani à ſancto Ambroſio Epiſcopo baptizatus anno 388. ac poſt Monicæ matris obitum in Africam reverſus, anno 391. presbyter primùm ordinatus à Valerio Hipponenſi Epiſcopo, deinde ab eo in Epiſcopali munere adjutor aſcitus, eam Eccleſiam per annos 35. rexit ad annum 430. quo, Vandalis Hipponem obſidentibus, animam Deo reddidit. *6. S. Auguſtinus.*

Ejus Operum decem Tomis diſtinctorum editiones in pretio ſunt, præſertim tres, Baſilienſis Frobeniana anni 1529. Antuerpienſis Plantinia anni 1577. à Lovanienſibus Doctoribus adornata, & Pariſienſis anni 1586. quibus duorum adhuc voluminum *Supplementum* adjecit Hieronymus Vignier Congregationis Oratorii Jeſu eruditus Presbyter anno 1654.

Opera ipſius, & in Retractationum libris duobus enumerantur (quibus tamen ſuperſtes multa adhuc ſcripſit); & poſt ejus mortem Poſſidius Calamenſis Epiſcopus ejuſdem diſcipulus accuratè recenſuit. Venerabilis autem Beda *ex Auguſtini ſententiis* commentarios in Epiſtolas S. Pauli concinnavit. Tomo 1. Editionis Antuerpianæ ſunt *Regulæ Monaſticæ tres*, quarum prima, aliàs tertia, verè à S. Auguſtino ſcripta eſt, ſed fœminis tradita, non viris, ex ejus Epiſtola 109. & ex Indiculo Poſſidii. Nam *Regulæ Clericis datæ Fragmentum*, & *Regula* 2. communi Doctorum calculo rejiciuntur, ob ſtyli ab Auguſtiniano diſcrepantiam. Librum quoque *de vita Eremitica ad ſororem*, Auguſtini eſſe negant non modò voces quamplures ei incognitæ, ſed etiam Patres longè poſteriores eo in opuſculo citati, veluti Gregorius & Benedictus. Tomo 2. *Epiſtolæ ſancti Auguſtini, vel ad eum aliorum*, 222. continentur; quarum licèt in Retractationibus ſeptem dumtaxat indicentur, reliquæ tamen ex eo capite rejiciendæ non ſunt. Etenim agnoſcit autor extremo lib. 2. neque Epiſtolas, neque Sermones ſuos omnes fuiſſe in Retractationibus comprehenſos. At *mutuæ S. Auguſtini & Bonifacii* Comitis nomine ſedecim breves Epiſtolæ ab Auguſtini ſtylo non mediocriter diſtare videntur Eraſmo, Lovanienſibus, & Bellarmino. *Epiſtola ad Demetriadem* Pelagii eſt, aut certè Juliani Pelagiani, ut ex eodem Auguſtino [o] non uno loco ſuprà monuimus, in Hieronymo ad tom. 9. Quod & Proſperi ad eandem virginem Epiſtola confirmat. Falſas quoque ibidem oſtendimus *Auguſtini ad Cyrillum*, & hujus ad Auguſtinum Epiſtolas, de laudibus, obitu & miraculis B. Hieronymi. At verò Epiſtolas ab Eraſmo editis adjectas à Lovanienſibus ex optimæ notæ codicibus, quæ numero ſunt viginti, repudiant Perkinſius & Rivetus, nulla reddita cauſa, ſaltem idonea. Tomo 3. Liber *de mirabilibus Sacræ Scripturæ* Poſſidio ignotus, indignuſque eſt ingenio & gravitate ſancti Auguſtini,

o Epiſt. 143. ad Julianã Demetriadis matrẽ, & lib. de gratia Chriſti.

. Prænot. Canonic. Doujat. R atque

atque ideò S. Thomas [p] parùm valere ait, cujus judicium ſecuti ſunt Lovanienſes: Bellarminus quoque negat eſſe S.Auguſtini, cum præſertim[q] differat de computo annorum per Cyclos, qui ante annum 600. in uſu non fuere: unde opuſculi ejus autorem poſt annum 700. vixiſſe credibile eſt: Henricus Fitzſimon [r] S. Marchiano Hiberno adſcribit.

Liber *de Eccleſiaſticis dogmatibus*, ſive *de definitionibus orthodoxæ fidei*, quamvis magna ex parte conflatus ſit ex Auguſtini ſententiis, tamen dicta quoque admiſcet Pontificum Innocentii, Zoſimi, & Cœleſtini; itemque Concilii Milevitani, & Arauſicani, quod habitum eſt poſt Auguſtini exitum. Adrianus Papa in epiſtola ad Carolum Magnum, Valafridus Strabo, Algerus ſcribens de corpore & ſanguine Domini [ſ] Magiſter ſententiarum [t], & alii ejus operis autorem nominant Gennadium Maſſilienſem presbyterum circa annum 490. Sed capita poſteriora à 21. ad 52. non reperiri in manuſcriptis Codicibus teſtantur Lovanienſes.

Liber *de Spiritu & Anima* doctus & pius eſt, ſed recentioris autoris; quippe qui cap. 37. citet Boetium anno 524. interemptum juſſu Theodorici Gothorum in Italia regis, teſte Mario Epiſcopo Aventicenſi. [u] Trithemius numerat inter opera Hugonis à S. Victore, & S. Thomas Ciſtercienſi cuidam attribuit [x]. Liber *de fide ad Petrum Diaconum*, ſive regula veræ fidei, autorem habet S. Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem, cui amiciſſimus legitur Diaconus nomine Petrus: idque præter ſtylum, tradunt Bertramnus presbyter & monachus Corbejenſis, qui tempore Caroli Calvi circa ann. 850. ſcripſit de corpore & ſanguine Domini; itemque Breviarium Romanum recognitum, in homiliis feſti SS. Trinitatis, à quibus ſub Fulgentii nomine hic liber citatur apud Bellarminum.

Quæſtiunculæ de Trinitate, numero 33. ex libris S. Auguſtini de Trinitate excerptæ ſunt incerto autore. *Interrogatio de benedictionibus filiorum Jacob* ex S. Hieronymi quæſtionibus Hebraicis in Geneſim:

Liber Sententiarum 388. ex operibus ſancti Auguſtini decerptus eſt à Proſpero Aquitanico, qui ejus ſententias non tantùm ſoluta oratione, ſed & metro complexus eſt. At *Speculum ex utroque Teſtamento*, de quo fuere qui dubitarent, memoratur in indice Poſſidii.

Tomo 4. liber 21. *Sententiarum* ſive quæſtionum & *dialogus 65. quæſtionum*, non ſunt ſancti Auguſtini, ex Eraſmo, Bellarmino, & reliquis; nec enim in retractationibus aut indiculo Poſſidii memorantur, & à gravitate Auguſtini non parùm abſunt. *Quæſtiones veteris & novi Teſtamenti*, etſi ſub nomine Auguſtini citentur à Patribus Concilii Pariſienſis anno 824. habiti, Benedictus tamen Juſtinianus [a] aliique apud Lovanienſes, quos ſequuntur Heterodoxi Blondellus & Rivetus, ejus operis autorem faciunt Hilarium diaconum Luciferianum, cui tribuuntur commentarii in Epiſtolas S. Pauli inter opera ſancti Ambroſii. Certè hæreticum eſſe plura evincunt, in quibus eſt quòd ait quæſtione 109. Melchiſedech eſſe Spiritum ſanctum, & eſſe ſacerdotem, ſed non ſummum, ut ex oblatione, inquit, præſumunt antiſtites: quibus verbis reprehendit *Canonem Miſſæ*, ubi legitur ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech. Atque hunc locum notare videtur ſanctus Hieronymus [b]. Paulò antiquiorem eſſe B. Auguſtino colligitur ex eo quòd quæſt. 44. dicit ab excidio Hieroſolymæ ad ſua tempora fluxiſſe annos 300. indicans annum Chriſti 370. Libri duo *de Incarnatione verbi* ad Januarium, ſive de

deita-

p 3. part. quæſt. 45. art. 3.
q Lib. 2. cap. 4.
r In catal. ſanctorũ Hiberniæ.
ſ Lib. 1. cap. 22.
t Lib. 2. diſt. 8.
u In Chronico.
x Opuſculo 72. quæſt. un. de anima art. 12.
a Diſput 2. de epiſtolis Apoſtolorum cap. 4.
b In epiſt. ad Evagrium.

Digitized by Google

deitate & incarnatione; Liber *de Trinitate Dei*, & liber *de eſſentia Divinitatis* rejiciuntur è numero lucubrationum S. Auguſtini, quòd deſiderentur in libris Retractationum & indiculo, nec ſancti Antiſtitis phraſim ac doctrinam ſapiant. Liber *de fide rerum inviſibilium*, conflatus quidem eſt Auguſtini ſententiis, ſed alterius opera. Liber *de ſubſtantia dilectionis & amoris*, quantumvis pius, alium nihilominus habet autorem, iiſdem de cauſis. Liber *de vera & falſa Pœnitentia* dubius eſt; Auguſtino aſſerunt Navarrus [c], & Andreas Sauſſæus Epiſcopus Tullenſis [d]. Contrà verò abjudicant Trithemius, Lovanienſes, Bellarminus: nam præterquam quòd non invenitur ejus mentio in Retractationibus, aut indice Poſſidii; quandam præterea S. Auguſtini ſententiam adducit autor cap. 17. atque ab eo diſſentit. Liber alioqui pietatem redolens, *de ſalutaribus documentis*, & Liber *de Amicitia* abſunt ab indiculo, & abhorrent à ſtylo Auguſtini: unde vulgò repudiantur. Librum *annotationum in Job* ipſe S. Auguſtinus vitio librariorum adeò corruptum ſe deprehendiſſe teſtatur, ut vix auderet pro ſuo agnoſcere. Liber *de octo Dulcitii quæſtionibus* rejicitur ab Eraſmo: verùm ejus mentio fit lib. 2. Retractationum cap. 65. Librum quoque *de cura pro mortuis gerenda* agnoſcit autor ejuſdem Libri cap. 64. Liber de *Continentia*, Liber *de Patientia*, Liber *de bono Viduitatis* (quem nonnulli Juliano attribuunt) à Poſſidio memorantur, citanturque à Beda & aliis veteribus pro Auguſtini opuſculis, ut parùm conſtet Eraſmi, Riveti & cæterorum in eos cenſura. Tomus 5. continet *Libros 22. de Civitate Dei*, occaſione captæ ab Alarico urbis conſcriptos, quos pro ſuis agnoſcit Auguſtinus [e]. Quòd quædam addita dicuntur lib. poſtremi capite 8. obſervat Ludovicus Vives non ad omnia miracula ibi relata trahendum (quod facit Rivetus) ſed de gloſſematis aliquot intelligendum, declarandi cauſa adjectis.

c Tomo 1. Commentar. in diſt. 5. de pœnit.

d De laudibus S. Andreæ Apoſt.

e Lib. 2. retractat. c. 43.

Tomo 6. Libro *de hæreſibus ad Quodvultdeum* additæ ſunt à Gennadio hæreſes quatuor, Neſtoriana, Eutychiana, Prædeſtinatiana, & Timotheana: reliqua ſunt Auguſtini ex indiculo Poſſidii, & Gregorio magno, à quo liber ille ſub Auguſtini nomine laudatur [f]. Oratio *de quinque Hæreſibus*, ſive libellus *contra quinque hoſtium genera*, eſt in eodem indiculo, & citatur à Beda [g]; licèt S. Chryſologo aſſignetur ab autore libri de Virginitate & parturitione B. Virginis, eamque Auguſtino ereptum eat Eraſmus. De *Concione ad Cathecumenos*, & de oratione *adverſus Judæos*, quarum meminit Poſſidius, idem eſt Bellarmini judicium. Contrà verò Liber *de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ*, & Liber doctus *de Fide ſeu unitate Trinitatis contra Manichæos*, nec in Retractationibus aut indice memorantur, & phraſes habent Auguſtino inſolitas. Hujus autorem Sirmondus [h] demonſtravit Evodium Epiſcopum Uſalenſem in Africa. Sed Libri tres *contra Maximinum Arianorum Epiſcopum* ſunt in Indiculo, & citantur [i] ex Epiſtola Agathonis Papæ, atque à Beda [k]. Eadem eſt ratio libri *Contra Felicianum Arianum* ad Optatum, quamvis Eraſmus reclamet. Tractatus quoque *de Epicureis, & de eo quod dictum eſt, ego ſum qui ſum*, Bellarmino probantur, tanquam Auguſtino digniſſimi; quorum & poſterior citatur à Beda. Omiſſi quidem ſunt in retractationum & Poſſidii catalogis: ſed revera Sermones ſunt, quorum cenſum exactè initum non eſſe teſtatur Auguſtinus. Tomo 7. *dialogi contra Fulgentium Donatiſtam*

f Lib. 6. epi. 179.

g In 1. c. epiſtolæ ad Romanos.

h Hiſt. Prædeſtinat. c. 1.

i 6. Synodi œcumenicæ act. 4.

k In c. 8. epiſtolæ ad Romanos.

natiſtam non ſit mentio in retractationum libris, aut apud Poſſidium; nec à veteribus laudatur ſub nomine Auguſtini, licèt alioqui eo autore indignus non videtur. Liber *de Prædeſtinatione & Gratia* qui alicubi Semipelagianis favere dicitur, S. Fulgentio Ruſpenſi vindicatur à Sirmondo, & Theophilo Rainaudo. Ab-Auguſtini ſanè ſtylo & ſenſibus diſcrepat; nec teſtimonio Poſſidii aut Bedæ munitur. Opuſculum quoque de *Prædeſtinatione Dei* putat Bellarminus non eſſe Auguſtini, tum quòd prætermiſſus ſit in Retractationibus, & Indiculo; tum quòd in iis quæ pertinent ad præviſionem meritorum, videatur doctrinæ B. Auguſtini adverſari. *Reſponſio ad articulos ſibi falsò impoſitos* eſt ſancti Proſperi Aquitani, cujus & inter opera invenitur. *Hypognoſticon contra Pelagianos* libri ſex ignoti Auguſtino, & Poſſidio, incerti ſed vetuſti ſunt autoris. At liber *de perfectione Juſtitiæ* probatus eſt teſte Poſſidio, ipſoque Auguſtino, ſub cujus nomine citatur à Beda & Proſpero. Tomus 8. complectitur *Enarrationes* ſive *tractatus in omnes Pſalmos Davidis*, qui partim concionando, partim dictando compoſiti, quorum mentio apud Poſſidium. Ex Tom. 9. *Tractatus* 124. *in Evangelium S. Joannis*, *Tractatus* 10. *in Epiſt.* 1. *ejuſdem*, Liber *de diſciplina Chriſtiana*, Liber *de decem chordis*, Liber *de Paſtoribus & de ovibus*, Liber *de utilitate Pænitentiæ*, ac Liber *de convenientia* 10. *præceptorum &* 10. *plagarum*, ſunt in indiculo Poſſidii. Præterea librum *de quatuor virtutibus charitatis*, librum *de urbis excidio*, & librum *de Pænitentiæ medicina* laudat Beda. Suppoſititii haud dubiè ſunt Liber *de Speculo*, in quo negatur Spiritus ſanctus à Filio procedere, & citantur verſus Boetii. Compoſitum quidem eſſe ab Auguſtino librum ſub Speculi titulo non ambigitur. Verùm illud habetur in ſupplementi tomo 1. Liber *de conflictu virtutum & vitiorum* qui regulam ſancti Benedicti commendat, non eſt Auguſtini: nec Liber *de Antichriſto*, ubi mentio translati ad Francos Imperii; nec expoſitio ſive *homiliæ octodecim in Apocalypſim*, cujus caput 21. explicatur de præſenti Eccleſiæ Statu, quod tamen nimiæ impudentiæ eſſe ait Auguſtinus [l]. Tychonii eſſe ajunt illud opuſculum Zegerus apud Lovanienſes, & Fr. Ribera S.J. Tractatus *de Triplici habitaculo* citatur nomine S. Fulgentii à D. Bonaventura [m]. *Scala Paradiſi* eſt inter opera S. Bernardi. Liber *de bono diſciplinæ* à Melchiore Goldaſto & Sirmondo putatur eſſe Valeriani Cemelenenſis Epiſcopi. Tractatus autem *de Cognitione veræ vitæ* S. Anſelmo aſſignatur à Thoma Argentinate [n]. Libelli *de vita Chriſtiana ad ſororem* vetus autor perhibetur Faſtidius Epiſcopus Britannus. *Libellus de rectitudine Catholicæ converſationis* eſt Concio ſancti Eligii Noviomenſis Epiſcopi, ut notat Sirmondus [o]. Reliqua Opuſcula ignotorum ſunt autorum. Tomo 10. comprehenduntur 1. *Sermones de verbis Domini*, ſive de verbis Evangelii, ut Beda & Poſſevinus vocant. 2. *Sermones de verbis Apoſtoli* Pauli, & aliorum, & de Actibus Apoſtolorum. 3. Liber *quinquaginta Homiliarum*. 4. Sermones *de tempore*, quibus admixtæ ſunt complures Homiliæ, quæ alios autores præ ſe ferunt, vel ex aliis Auguſtini operibus deſcriptæ ſunt circiter 118. 5. Sermones *de Sanctis*. 6. *Sermones ſeptemdecim* à Pariſienſibus additi. 7. *Sermones de diverſis* additi à Lovanienſibus Theologis. His in Appendice adjecti *de Miraculis B. Protomartyris Stephani*, libri duo; & inter alia Sermonum atque homiliarum additamenta. *Sermones*

l Lib. 20. de civit. c. 17.

m Cap. 4. Soliloquiorum.

n in 2. diſt. 37. q. 1. art. 2.

o Ad Concilium Autiſſiodorēſe.

mones ad fratres in Eremo commorantes, & quoſdam alios. *Sermonum de Tempore* nonnulli alios autores habent. Dubius eſt valdè Sermo 7. *in Feſto* Sanctiſſimæ *Trinitatis*. Suſpecti quoque ſunt Perkinſio & Riveto *Sermo* 2. *feriæ* 3. *poſt Dominicam* 3. *Quadrageſimæ*, & Sermo 1. *Dominicæ* 3. *poſt Trinitatem*: Itemque Sermo 26. *poſt Trinitatem*; & 49. in *Anniverſario dedicationis Eccleſiæ*. Inter Sermones *de Sanctis* primus de *S. Stephano* & 2. *de Annunciatione Dominica* S.Fulgentio attribuitur; ex Sermonibus in *feſtis plurium Martyrum* 3. Leoni aſſignatur.

Sermones 123. *de diverſis* à Theologis Lovanienſibus additos rejicit Rivetus, etſi magna ex parte vel habeantur in indiculo Poſſidii, vel à Beda citentur, & graves & docti ſint, ac B. Auguſtino digniſſimi ſecundum Bellarminum. Sermo *de verbis Domini* 14. in mſſ. Codd. inſcribitur, Sermo Eradii presbyteri. 19. Sancti Maximi Taurinenſis inter Ambroſianos 7. Sermo autem 28. eſt ex Cap. 4. lib. 5. S. Ambroſii de Sacramentis: ſed *de verbis Apoſtoli* 25. Sermo eſt ſancti Maximi inter Ambroſianos 9. Homilia 4. inter *quinquaginta* ex Ambroſii ſcriptis: Tomo 7. inter quinquaginta, ex Sermone 19. de verbis Apoſtoli. 21. quæ fuit 9. de tempore, pleræque ſententiæ ſunt ex homiliis ſancti Bernardi. Sic & ſequentes ſive Homiliæ ſive Sermones magna ex parte aliunde corraſi, ac decerpti, ex ſancto ſcilicet Maximo, Fulgentio, Hilario, Leone, Chryſoſtomo, Euſebio, Gregorio, Fulberto Carnotenſi, Alcuino, aut ex aliis ipſius Auguſtini operibus deſumpti. Verùm eorum plerique, licèt alios habeant autores, tamen à piis & antiquis Scriptoribus compoſiti ſunt.

Excipiendi Sermones 76. *ad Fratres in eremo*, qui ſi duos *de vita Clericorum* excipias, nempè 52. & 53. confictì ferè ſunt ab indocto neſcio quo, ut Baronius an. 382. & 385. oſtendit, ac poſt eum Bellarminus.

Supplementi à Vignerio collecti 1. parte continentur quæ ſeorſim, vel à Lovanienſibus edita, in Baſilienſibus, aliiſque editionibus deſiderabantur. In his *Sermones novi* 40. à Sirmondo editi an. 1631. quorum aliquos habet indiculus, eruditis vulgò probantur, quamvis Rivetus nonnullis fidem detrahere conetur. *De geſtis Pelagii* contra adverſarios gratiæ librum Auguſtinus agnoſcit lib. 2. Retract. cap. 47. & Poſſidius Indicis cap. 4. Tomus 2. priùs inedita complectitur, imprimis *contra Julianum hæreticum Pelagianum operis perfecti, ſeu poſtremæ libros* 6. quorum duo tantùm, iique admodum imperfecti Pariſiis anno 1617. prodierant. Sermones item 46. & alia. Præter hæc in magna Patrum Bibliotheca Pariſienſi Tomo XI. extat tractatus brevis *de Trinitate*, Græcè & Latinè, qui Auguſtino adſcribitur: & Tomo XV. *excerpta de arbitrii libertate*.

Sed ne quid ſancti Hipponenſis Antiſtitis operum deſit, ſub prælo eſt Pariſiis ab anno 1679. nova eorum & ſupra omnes priores accurata Editio, ad miſſ. fidem caſtigata, opera & ſtudio Monacorum Ordinis Benedictini è Congregatione ſancti Mauri, quæ ad ſeptimum pervenit Tomum, & intra annum proximum ad finem perducenda ſperatur.

VII. S. PAULINUS Aquitanus, Burdigalà oriundus, ex Conſule, ac Presbytero Barcinonenſi, Epiſcopus Nolanus, à Gothis captus, atque inde reverſus, obiiſſe putatur anno Chriſti 431. Ejus Opera Typis Plantinianis edita an. 1622. in quibus plures *Epiſtolæ*, quas Gerardus Jenenſis in ſua Patrologia ſuppoſititias nulla ratione cenſet; & *Poemata*. Sed omiſſi libri *7. Paulinus.*

ſex *de Vita S. Martini*, quorum autor eſt Paulinus alius Petrocorius, huic ſuppar; omiſſa & alterius Paulini *Epiſtola ad Fauſtum Regienſem* Epiſcopum.

8. Sedulius.

VIII. SEDULIUS Presbyter, in Italia Philoſophiam & Poeſim didiciſſe legitur, tum in Achaja de Jeſu-Chriſti rebus ſcripſiſſe; ſed duo ejus de argumento eodem opera exſtant: nimirum *Paſchale carmen* de Chriſti miraculis, verſibus Heroicis, & *Paſchale opus* ſoluta oratione: utrumque libris quinque diſtinctum, ad Macedonium Presbyterum, idque circa annum 430. Operis illius *Paſchalis* cum laude meminit Gelaſius Papa. [p] Sunt & alia ejuſdem *Carmina* tomo 8. Bibliothecæ Patrum Pariſienſis 1624. & alibi. Quemadmodum & *Collectionem* aliud *in Matthæum*, contendit Philippus Labbeus; ſed *Collectaneum*, ſeu Explanatio *in omnes Epiſtolas Pauli* eſſe alterius Sedulii Epiſcopi Scoti, qui poſt annum 700. vixit.

p in can. Sancta Romana diſt. 15

6. S. Proſper.

IX. S. PROSPER Aquitanus, S. Auguſtini diſcipulus, aut certè defenſor, Notarius B. Leonis Papæ, cujus nomine Epiſtolas adverſus Eutychen dictavit ex Adone: à multis falsò Epiſcopus habitus, cùm ne Presbyter quidem fuerit, ut colligi poteſt ex *Can. ſancta Romana diſt.* 15. ubi neutro titulo donatur à Gelaſio, quemadmodum Auguſtinus Epiſcopi titulo, Hieronymus Presbyteri. Proſper verò dicitur tantùm vir religioſiſſimus. Scripſit contra Joannis Caſſiani collationem 13. *pro ſancti Auguſtini doctrina de gratia Dei & libero arbitrio.* *Chronicon* item poſt B. Hieronymum, aliaque præter collectionem *ſententiarum ſancti Auguſtini*, de qua ſuprà in Auguſtino.

10. Sidonius Apollinaris.

X. *Cajus Solius* SIDONIUS APOLLINARIS, eruditorum ſui temporis diſertiſſimus, ex Præfecto urbi & Patricio, Arvernorum Epiſcopus, eam Eccleſiam difficillimis temporibus, Gothis nempè aliiſque Germanicis populis per vicinas Galliæ Provincias graſſantibus, egregiè per decennium adminiſtravit, pièque obiit anno 422. Ejus Opera, quæ *Epiſtolarum libris 9. & carminibus* 20. conſtant, à Joanne Savarone & Jacobo Sirmondo eruditis Commentariis illuſtrata ſunt.

11. S. Leo.

XI. De S. LEONIS per hæc tempora Romani Pontificis Epiſtolis diximus cap. 29. hujus libri. In iis celeberrima eſt decima ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcripta adverſus Eutychetis hæreſim, quam qui uſque ad unum jota non recipiunt, iis anathema dicit Gelaſius in decreto de libris ſacris & apocryphis. Ea tamen à Proſpero ſcripta ſeu dictata traditur. Quadrageſimæ octavæ inſcriptionem *ſanctæ Synodo apud Chalcedonem conſtitutæ* notat Baronius ad ann. 451. ſtare non poſſe cum ſubſcriptione *Adelphio Conſule*, cum nondum conſtitutus fuiſſet Synodi locus: ſed nimirum ad futuram Synodum deſtinata, loci deinde annotationem ab Amanuenſi aut à Collectore accepit. In 46. 84. & 92. aliiſque faſtum arguunt Perkinſius, & cæteri heterodoxi, quòd pro Sedis Romanæ dignitate res fidei definiant. Extant quoque *Sermones* ejus complures ſtylo, ut ea tempora ferebant, eleganti: Qui inſcriptus eſt *in Evangelium Feſti omnium Sanctorum*, dictus eſt in Evangelium illud, quod poſteà inſtituto eo Feſto aſſignatum eſt; unde titulus ab exſcriptoribus adjectus: nec Sermo ea de cauſa repudiandus eſt, ut Rivetus dicit, nec rejicienda ex cauſa ſimili *homilia unica de Transfiguratione Domini.* Extat prætereà ejuſdem Pontificis Tractatus *adverſus*

errores

errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum. Vide Queſnelli editionem, de qua ſuprà.

XII. Silentio tranſmittendus non videtur hoc loco JOANNES CASSIANUS, origine Scyta, ſed Athenis natus, in Bethleemitico cœnobio educatus. Ægypto peragrata, Diaconus creatus eſt à S. Joan. Chryſoſtomo: inde presbyter Romæ ordinatus ab Innocentio Pontifice. Urbe autem ab Alarico capta, Maſſiliam migravit circa ann. 403. ubi Monaſterium inſtituit, cui à S. Victore nomen inditum, atque ibi ſanctè vixit ad annum 448. quo nonagenario major deceſſit è vita. Ejus ſunt Libri duodecim *de inſtitutis Cœnobiorum, & octo principalium vitiorum remediis*: itemque *Collationes Patrum* 24. & *de Chriſti Incarnatione adverſus Neſtorii hæreſim* libri 7. juſſu Leonis Papæ conſcripti; omnia Latinè, licèt quædam poſteà è Græcis translata, ut ex Photii cod. 197. conſtat. 12. *Caſſianus*.

XIII. VINCENTIUS Abbas *Lirinenſis* in Stæcludibus inſulis ad oram Maſſiliæ, ſcripſit *Commonitorium adverſus prophanas omnium hæreſeon novitates, &c.* anno 434. 13. *Vincentius*.

XIV. FAUSTUS, ex ejuſdem Monaſterii Abbate, *Regienſis* Epiſcopus ſub annum 455. *de Gratia Dei* libros duos ſcripſit, aliaque, quorum pars in Bibliotheca Patrum extat. 14. *Fauſtus*.

XV. SALVIANUS Maſſilienſis presbyter, floruit ab anno 440. ad 495. Scripſit octo libros *De Providentia & Gubernatione Dei*, terſo ac Latino Sermone: & ſub Timothei nomine libros quatuor *de avaritia præſertim Clericorum & Sacerdotum*. Sed *Quæſtiones veteris & novi Teſtamenti*, quæ in editionibus quibuſdam poſt Salviani Opera habentur, ab eruditis S. Juliano Toletano Epiſcopo adſcribuntur. 15. *Salvianus*.

CAPUT LIII.

De Sacris Scriptoribus Latinis Seculi ſexti.

I. PASCHASIUS Eccleſiæ Romanæ *Diaconus*, duos Libros, eoſque luculentiſſimos *de Spiritu Sancto* ſcripſit circa annum 500. qui collati ſunt in veterum Patrum Bibliothecam. 1. *Paſchaſius Diaconus*.

II. *Marcus Felix* ENNODIUS, Epiſcopus Ticinenſis, ab anno 490. ad 521. Libellum *Apologeticum pro Symmacho* Pontifice, & 4. ſub eo Synodo Romana, conſcripſit anno 503. approbatum in Synodo quinta; qui liber ſub nomine Symmachi laudatur: *Epiſtolarum* præterea libros novem ſcripſit, aliaque. 2. *Ennodius*.

III. S. FULGENTIUS, Epiſcopus Ruſpenſis in Byxacio Africæ Provincia, in Sardiniam inſulam cum aliis Præſulibus amandatus à Thraſimundo Vandalorum rege, ſub Hilderico revocatus, vixit ad annum 529. ex Chifletio, qui ejus Opera accuratiùs prioribus edidit. *De rebus fidei* plura ſcripſit, *ad Monimum* Libros tres, *contra Arianos* Librum unum, *ad Thraſimundum* regem Libros tres, *ad Donatum* Librum unum, item *de fide ad Petrum* Librum etiam unum, aliaque præter *Epiſtolas* & *Sermones*. 3. *S. Fulgentius*.

4. Primaſius. IV. PRIMASIUS, Adrumetinus vel Uticenſis in Africa Epiſcopus; Commentaria *in Epiſtolas ſancti Pauli* ex priorum Patrum monumentis collegit, & *Myſticæ expoſitionis in Apocalypſim* Commentaria compoſuit circa annum 540. Interfuit enim Synodo 5. Oecumenicæ, atque ad eum Junilius Epiſcopus itidem Africanus ſcripſit Librum *de partibus Divinæ Legis*.

5. Caſſiodorus. V. *Magnus Aurelius* CASSIODORUS *Senator*, Conſulatum ſolus geſſit anno 514. Theodorico, & Athalarico Oſtrogothorum regibus carus atque à Secretis: ſed tandem publicis negotiis valere juſſis Monachum profeſſus eſt in ſuo Vivarienſi ſeu Caſtellenſi in Calabria Monaſterio, ubi vivere deſiit anno Chriſti 562. nonagenario major. Præter *Variarum Epiſtolarum* libros duodecim, & Tractatum *de ſeptem diſciplinis*, ac *Chronicon*, ſcripſit *de Anima*, & *Inſtitutionis ad Divinas Lectiones* libros duos; Commentarios item *in Pſalmos*, atque *in Cantica*, & *Tripertitam Hiſtoriam* ex tribus Græcis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus, Socrate, Sozomeno, & Theodorito, per Epiphanium Scholaſticum Latinè verſis, concinnatam.

6. S. Gregorius Turon. VI. S. GREGORIUS *Turonenſis* Epiſcopus, ab anno 572. ad annum 594. præter libros decem *Hiſtoriæ Francorum*, ſcripſit *de Miraculis SS. Martyrum*, *& de gloria Confeſſorum*, & ſpeciatim *de Miraculis S. Martini* Turonenſis quoque Epiſcopi.

7. Victor, Tununenſis. VII. VICTOR *Tononenſis*, vel *Tununenſis* in Africa Epiſcopus, trium Capitulorum acerrimus propugnator, eaque de cauſa in Ægyptum deportatus jubente Juſtiniano, ac tandem Conſtantinopolim tranſlatus, & Monaſterio incluſus, exceſſit è vita circa annum 566. *Ex Chronico*, quod ab initio mundi ad initia Juſtini junioris exaraverat, teſte Iſidoro Hiſpalenſi [a], ſupereſt tantùm poſtrema pars, quæ ab anno 444. in quo deſierat Proſper, ad annum 565. pertinet: quod Chronicon continuavit Joannes, ex Biclarienſi Abbate Gerundenſis in Hiſpania Epiſcopus ad ann. 590.

a Cap.25. de Script. Eccleſ.

8. S. Gregorius Papa. VIII. S. GREGORIUS *Magnus*, Papa ejus nominis I. de cujus Epiſtolis dictum ſupra libri hujuſce cap. 32. non pauca prætereà Opera elucubravit, nimirum *Expoſitionis in Librum* 1. *Regum* libros ſex: *Expoſitionis in Job, ſive Moralium* libros 35. Expoſitionem in ſeptem *Pſalmos penitentiales*, *in Cantica Canticorum*, *Homiliarum in Ezechielem Prophetam* libros duos; item 40. *Homilias de diverſis Lectionibus Evangelii*: Librum *Paſtoralis curæ Dialogorum de Vita & Miraculis Patrum Italicorum*, *& de æternitate animarum* libros quatuor, quos Melchior Canus dubios cenſet, ac poſt eum heterodoxi: ſed adverſus objecta argumenta Baronius tuetur *in notis ad diem* 23. *Decembris Martyrologii Romani*: addendus *Antiphonarius*, ſive Gradualis ordinatus per circulum anni, cum Hymnis aliquot; *& Sacramentarium*, ſive liber Sacramentorum de circulo anni ab eo expoſitus, quem correctiorem edidit, notiſque eruditis illuſtravit Hugo Henardus Ordinis ſancti Benedicti Congregationis ſancti Mauri monachus, Pariſiis anno 1642.

CAPUT LIV.

De Græcis Autoribus Seculi ſexti.

I. JOANNES JEJUNATOR, patria Cappadox, Conſtantinopolitanus Patriarcha, ab anno 585. ad 596. ſcripſit *Homiliam de Pænitentia & continentia*: & prætereà duos libellos *Pænitentiales*, qui extant apud Jo. Morinum, poſt eruditum de Pœnitentia Tractatum. 1. Joannes jeju.

II. EVAGRIUS *Scholaſticus*, in Syria natus, poſt Socratem, Sozomenum, & Theodoritum, ſex libros *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* conſcripſit ab anno 431. & Concilii Epheſini tempore, ad annum 597. Imperatoris Mauritii 12. 2. Evagrius Scholaſt.

III. ANASTASIUS, *Sinaita* dictus, quòd in monte Sinai vitam monaſticam profeſſus eſſet, Patriarchatum Antiochenum obtinuit anno 561. ſed à Juſtino juniore in exilium actus anno 572. locum fecit Gregorio, donec poſt ejus obitum anno 595. in priſtinam dignitatem eſt reſtitutus, eàmque ad ann. 599. tenuit, in qua ſucceſſorem habuit Anaſtaſium alterum, Martyrem cognominatum. Plura commentatus eſt *de Trinitate*, *Incarnatione*, aliiſque myſteriis: & *Quæſtiones in ſacram Scripturam*, atque imprimis librum, cui nomen *Duæ viæ*, in Acephalos ſive Severianos hæreticos: quibus operibus nonnulla per recentiores Græcos poſt annum 1000. inſperſa, dubiam fecerunt Autoris ætatem, & aliqua ex parte autoritatem. 3. Anaſtaſius Sinaita.

CAPUT LV.

De Græcis Scriptoribus Seculi VII.

I. HESYCHIUS Patriarcha Hieroſolymitanus fuit tempore Gregorii magni, ut conſtat ex ejus Epiſtola ab hoc ad illum ſcripta, quæ eſt 40. libri 9. in ejuſdem regiſtro. Alius fuerat Heſychius, ſive Iſicius, Epiſcopus Salonitanus in Dalmatia tempore Zoſimi Papæ, & S. Auguſtini, quorum extant ad eum Epiſtolæ. Neuter tamen videtur Autor *Septem librorum explanationis in Leviticum*, licèt ab hoc Perronius Cardinalis, ab illo Bellarminus poſt alios, ſcriptam exiſtimaverit: ſed intermedius quidam Heſychius presbyter Hieroſolymitanus, Patriarcha paulò antiquior, at Epiſcopo Salonitano poſterior; quem exeunte ſeculo 5. vixiſſe probabilibus argumentis conjicit Philippus Labbeus, & Græcè ſcripſiſſe; licèt poſteà ejus opus à ſemibarbaro aliquo hoc vel ſequenti ſeculo verſum fuerit, qui fortè eodem nomine dictus & Presbyter Salonitanus fuerit; ſic enim in quibuſdam Codicibus priſcis nominatur illius enarrationis ſcriptor. 1. Heſychius.

II. JOANNES MOSCHUS, Eviratus aliàs dictus, diu in nova Laura, ſive Monaſterio magni Sabæ in deſerto ad Jordanem egit, ubi *Pratum Spirituale* compoſuit, Græcè Λειμωνάριον, quod opus obtulit 2. Joannes Moſchus.

Sophro-

Sophronio; unde & *Paradiſus Sophronii* aliquando appellatur: qui Sophronius ſi idem ſit cum Epiſcopo Hieroſolymitano ejus nominis, ſcripſerit Moſchus circa annum Chriſti 630. Non pauca parùm tutæ fidei eo in opere occurrunt, quæ Aloyſii Lipomani Veronenſis Epiſcopi ſtudio ad ſingulorum Capitum calcem annotata ſunt, quaſi adhibito ad venenum antidoto.

CAPUT LVI.

De Patribus Latinis Septimi Seculi.

1. S. Iſidorus Hiſpalenſis. I. S. ISIDORUS *Hiſpalenſis* in Hiſpaniæ Provincia Bætica poſt Leandrum fratrem Epiſcopus, ab anno 595. ad annum 636. ſive æram 674. & initia Chintilani Viſigothorum regis: Junior dictus eſt ad diſtinctionem Iſidori Cordubenſis, qui ſub Honorio Imperatore floruerat; quamquam alius quoque fuit Iſidorus adhuc junior cognominatus, Pacenſis in Luſitania Epiſcopus. Laudantur imprimis Hiſpalenſis *Etymologiarum ſive Originum* 20. libri, quos cum Autor perficere non potuiſſet, abſolvit ac digeſſit S. Braulio Epiſcopus Cæſarauguſtanus. Scripſit etiam Iſidorus idem *de Differentiis & proprietate verborum*, *de Contemptu Mundi*, *& Epiſtolam ad Maſſanum ſeu Maſonem*, *de lapſu Sacerdotii & reparatione*; *Chronicon ab orbe condito* ad annum Chriſti 626. ex quo derivata videntur quæ ſub finem libri 5. Etymologiarum traduntur de ſerie temporum: *Hiſtoriam* item *Gothorum*, *Vandalorum*, *Suevorum*, quam ampliorem edidit Ph. Labbeus: librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, librum *de vita & morte Sanctorum*, ſive *de ortu & obitu Patrum*, cujus Braulio meminit; ſed corruptus videri poteſt ex iis quæ obſervavit Baronius. [a] Librum præterea *de Divinis Officiis*, *de Epiſcopi & Clericorum Officio* ad Leudefredum, aliaque, ut videre eſt in editione Pariſienſi Jacobi Breulii cæteris prioribus accuratiore & uberiore. De *Corpore Canonum* Iſidori dicetur libro proximo.

[a] Ad ann. 816. & alibi.

2. S. Eligius. II. S. ELIGIUS Veromanduorum, ſive Noviomenſis Epiſcopus ab anno 646. ad 665. *Homilias* ſcripſit de diverſis argumentis, & *Sermonem ad plebem*, qui habetur in appendice tomi 9. Operum S. Auguſtini, ut ex S. Audoeno Rothomagenſi Epiſcopo collegit ac docuit Sirmondus. [b].

[b] In not. ad Tom. 1. Concil. Gallic.

3. S. Idelphonſus. III. S. IDELFONSUS Toletanus Epiſcopus ab anno Chriſti 658. ad 667. Compoſuit librum *de illibata Virginitate Sanctæ Dei Genitricis* contra Infideles, & ejuſdem argumenti *Sermonem de Sancta Maria*, quem Joannes Euſebius Nierembergius edidit. Reliqua Opera ſub ejus titulo Pariſiis excuſa pro ſuppoſititiis habet Joannes Poza.

Digitized by Google

CAPUT LVII.

Eccleſiaſtici Scriptores Latini, qui Octavo Seculo floruerunt.

I. BEDA ex Angloſaxonum genere in Britannia natus, ab ineunte *1. Beda.*
ætate Monachum profeſſus, longiſſimam vitam egit in cœnobio
Sanctorum Petri & Pauli ad Tinam fluvium in Diœceſi Dunelmenſi: un-
de Romam evocatus falsò ſcribitur à nonnullis. Obiit anno 735. vulgò
Venerabilis dictus & *Presbyter Anglus*. Plurima conſcripſit tomis
8. diffuſa, quorum ipſe indiculum confecit in vita ſua ad annum 59.
deſcripta poſt *Hiſtoriam gentis Anglorum*: ſed ita ut ad illum indicu-
lum adjicienda videantur opuſcula non pauca, poſt eam ætatem ab
ipſo compoſita. Duo priores tomi ea fermè complectun-
tur, quæ pertinent ad illuſtrandas liberales artes & prophanam Lite-
raturam. Tertius continet *Hiſtoriam Gentis ſuæ*, *Vitaſque Sanctorum*,
& ſimilia; cæteri ſpectant ferè ad explanationem ſacræ Scripturæ: com-
plectuntur enim *Commentaria in Epiſtolas B. Pauli* ex S. Auguſtini ſenten-
tiis & verbis excerpta. Quæ in tomum 6. collata ſunt, Baronius [a] *a Ad ann. 562.*
negat eſſe Bedæ, & Petro cuidam Tripolitano Abbati vindicat, cui Caſ-
ſiodorus ſimile opus tribuit. Bellarminus contrà ex præfatione his com-
mentariis præfixa, atque ex ejuſdem Bedæ verbis in vita ſua, oſtendit
genuinum eſſe hujus autoris opus, quamvis Petrus Abbas pari ratione in
Epiſtolis Pauli ex mente & verbis Auguſtini enarrandis deſudare potue-
rit. Inter Bedæ opera quædam extant, quæ vel temporum ratio, vel
ſtyli diverſitas ſpuria evincunt. Certè *Vita S. Patricii* à Probo ſcripta eſt;
Vita S. Columbani à Jona: *Vita S. Arnulphi* à Paulo Diacono. At ve-
rò excerpta & collectanea, quæ occurrunt tomo 3. vix quicquam Bedæ
ingenio & doctrina dignum præferunt. *Martyrologium* ejus minùs ſin-
cerum ad nos perveniſſe conjiciunt viri eruditi ex Præfatione Uſuardi.
Perierunt autem Commentaria *in Iſaiam*, *Hieremiam*, *Danielem*, *ac duo-
decim Prophetas minores*, quorum Commentariorum in indiculo men-
tio fit.

II. S. BONIFACIUS Anglus, Vinfridus anteà dictus, à Gregorio *2. S. Bonifacius.*
II. Pontifice Romano miſſus in Germaniam Epiſcopus anno 722. ut Chri-
ſti fidem Turingis, Bavaris, finitimiſque aliis populis annunciaret: de-
inde Moguntinus Archiepiſcopus creatus anno 745. tandem à Friſiis pa-
ganis cæſus anno 754. *Epiſtolas ſcripſit* ad Gregorium II. Gregorium III.
& Zachariam Pontifices, atque ad proceres Francorum, quæ collectæ
ſunt à Nicolao Serario.

III. PAULUS *VVarnefridi*, DIACONUS Aquileienſis, cum Deſi- *3. Paulus Dia-*
derio rege Longobardorum, cui à ſecretis erat, captus à Carolo Magno, *conus.*
à quo in exilium miſſus, ac tandem monachus Caſſinenſis, obiiſſe credi-
tur anno 801. Præter *Hiſtoriam Longobardorum*, ſcripſit aliquot *San-
ctorum vitas*, & juſſu Caroli Magni convenientes unicuique Feſto per an-
ni circulum *Lectiones ex ſanctorum Patrum ſcriptis* excerptas, quæ in Ec-
cleſia recitarentur, digeſſit. Autor etiam exiſtimatur *Hymni ſancti*
Jo-

Joannis, qui incipit *Ut queant laxis*: imò & *Hiſtoria Miſcella*, quam Trithemius vult ab eo additam ad Eutropii chronicon, rogante Aldeburgi Deſiderii regis filia: ſed falsò; ut ex eo apparet, quòd hiſtoria miſcella non tantùm ex Eutropio & Oroſio, ſed magnam partem ex Anaſtaſio Bibliothecario deprompta & conſarcinata eſt: Anaſtaſius autem vix dum natus erat, cum Paulus Diaconus è vivis exceſſit: itaque hiſtoria illa à quibuſdam Joanni Diacono, ab aliis Landulpho ſagaci attribuitur.

4. *Flaccus*. IV. *Flaccus Albinus* ALCUINUS, venerabilis Bedæ & Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi diſcipulus, ac Diaconus ejus Eccleſiæ, deinde Caroli Magni magiſter, pluribus ab eo Abbatiis locupletatus, obiit anno 804. Ejus operum prima pars *Quæſtiones & commentaria* continet *in Geneſin*, *in Pſalmos* aliquot, *in Eccleſiaſten*, & *in Joannem*. Secunda, præter Tractatus *de fide Trinitatis*, libros 7, *contra Felicem Urgelitanum* Epiſcopum, qui ſub nomine Paulini Aquileienſis falsò vulgati fuerunt in Bibliotheca Patrum. Epiſtolas etiam *contra Elipandum* Epiſcopum Toletanum, & alia in quibus eſt liber *de Divinis Officiis*, *ſeu de Romani ordinis expoſitione*; qui tamen junioris ſcriptoris vel certè interpolatoris non pauca indicia præferre viſus eſt viris eruditis, & à nonnullis aſcribitur Remigio Antiſſiodorenſi. Tertia parte habentur *vita* quædam *Sanctorum*, *Epiſtolæ* & *Poemata*; præter hæc *Confeſſionem fidei*, ſive *Defloratiunculam ex ſanctis Patribus*, Divione nuper cum aliis veterum Autorum de fide, ac præſertim Ferrandi opuſculis edendam curavit Petrus Franciſc. Chifletius.

V. USUARDUS Monachus, ut creditur, Gallus, *Martyrologium* ſcripſit hoc ſeculo, quod Eccleſia Romana, aliæque ſecutæ ſunt.

CAPUT LVIII.

Græci Scriptores ejuſdem Octavi Seculi.

1. *S. Joannes Damaſcenus*. I. S. JOANNES DAMASCENUS Presbyter & Monachus, cognomento Græcè Chryſorrhoas, quem Suidas aliique Manſurum cognominant, anno 740. floruit in Syria, atque adverſus Leonem Iſaurum, Conſtantinum Copronymum Imperatores, cæteroſque Iconoclaſtas ſtrenuè dimicavit eruditiſſimis ſcriptis, in quibus eminent *libri quatuor de fide orthodoxa*, quibus univerſam Theologiam certum in ordinem redigere aggreſſus, & Magiſtro ſententiarum, & cæteris ſcholaſticis viam præiviſſe videtur. Ejus *Hiſtoriam Barlaam* & *Joſaphat*, atque *Orationem de iis qui in fide dormierunt*, nonnulli in dubium revocnt, quòd in illa aſſeratur Spiritus ſanctus ex Patre & Filio procedere, cùm tradat Damaſcenus [a] Spiritum ſanctum non procedere ex Filio, ſed per Filium: in hac verò ſcribatur Falconilla primi Martyris, & anima Trajani precibus S. Gregorii Papæ ab inferni ſuppliciis liberata, quæ narrationes fabulis quàm hiſtoriæ ſimiliores videntur. Sed in caſtigatioribus Billii editionibus voces illæ, *ex Filio*, non inveniuntur in hiſtoria Barlaam; & narrationibus illis de Falconilla & Trajano, licèt dubiæ admodum fidei ſint, potuit tamen Damaſcenus fidem adhibere.

[a] Lib. 1. de fide orthodoxa cap. 11.

II. AN-

II. ANTONIUS monachus & Abbas Ægyptius, *ſententiarum ſive capitum Theologicorum*, aut locorum communium ad virtutes ſequendas & vitia fugienda, ex Patribus collectorum, duos libros conſcripſit, qui loci *Meliſſa* ſive Favi inſcribuntur: unde ipſe quoque Autor *Meliſſa* eſt appellatus. Ultimum è Patribus citat Joann. Damaſcenum, ut videatur non diu poſt vixiſſe: unde patet alium eſſe à vitæ Monaſticæ autore. *2. Antonius.*

C A P U T LIX.

Scriptores Eccleſiaſtici Latini Seculi Noni.

I. AMALARIUS FORTUNATUS, Treverenſis Archiepiſcopus; Conſtantinopolim à Carolo Magno ad Michaelem Curopalatam legatus anno 811. obiit anno 814. edito libro *de ſacro Baptiſmate*; qui falsò attribuebatur Alcuino, donec verum Autorem indicavit Jacobus Sirmondus in notis ad Theodulphi Aurelianenſis Opera. Contrà libri quatuor *de Eccleſiaſticis ſeu Divinis Officiis*, aliàs *Officiales* dicti, Ludovici Pii juſſu conſcripti anno 827. non Amalarii Epiſcopi Treverenſis, ſed *Amalarii Diaconi Metenſis* ſunt, quemadmodum liber *de ordine Antiphonarii*, in quo Autor ſe à Ludovico Pio miſſum fuiſſe ſcribit ad Gregorium IV. Pontificem, ad cujus tempora non pervenit Amalarius Treverenſis. Ejuſdem Amalarii Metenſis eſſe videtur forma *Inſtitutionis Clericorum & Sanctimonialium*, in Aquiſgranenſi Concilio probata anno 816. *1. Amalarius.*

II. THEODULFUS Italus, ex Abbate Floriacenſi Epiſcopus *Aurelianenſis* ab anno ſaltem 794. ad annum 818. ſuſpectus Ludovico Pio conjurationis cum Bernardo Italiæ rege in carcerem detruſus eſt apud Andegavos: unde rediens in Epiſcopatum ſuum obiit anno 821. Ejus opuſcula collecta & notis illuſtrata ſunt per Jacobum Sirmondum; ex quibus ad canonicam diſciplinam ſpectant *Capitula ad Presbyteros* parochiæ ſuæ ſcripta circa annum 797. *2. Theodulphus.*

III. SMARAGDUS, aliàs Ardo, presbyter & monachus apud Anianam, quod eſt monaſterium in Diœceſi Montiſpeſſulani, aliàs Magalonenſi, obiit anno 843. Scripſit Commentarium ſive expoſitionem *in Regulam S. Benedicti*: *Diadema Monachorum de vitandis vitiis, & virtutibus tenendis*; Commentarios item *in Evangelia & Epiſtolas*, quæ in Eccleſia per totum annum leguntur, ex ſanctis Patribus collectos, vulgò *Poſtillæ* titulo cognitos, atque in univerſum quoque *Pſalterium*, & alia quædam, quæ tamen à Bellarmino ejuſque ſequacibus tribuuntur *Smaragdo* alteri *Abbati S. Michaelis ad Moſam*. *3. Smaragdus.*

IV. PASCHASIUS RATBERTUS, monachus, ac tandem Abbas Cœnobii S. Petri Corbeienſis in Ambianenſi Diœceſi, librum *de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, ex quo validiſſima in Novatores argumenta depromuntur, compoſuit circa annum 818. ut ex prologo colligitur. Scripſit & ejuſdem argumenti *Epiſtolam*, & Commentarios *in Matthæum*, *4. Paſchaſius Ratbertus.*

thæum, aliaque nonnulla, quæ Sirmondus in unum volumen collegit anno 1618.

ymo. V. HAYMO, ex Fuldenſi monacho & Abbate Hirsfeldenſi, Epiſcopus *Halberſtadenſis* in Saxonia, obiit anno 853. Præter Commentarios *in aliquot Scripturæ libros* ex prioribus tractatoribus defloratos, & *Homilias*, ſcripſit *de Chriſtianorum rerum memoria*, ſive hiſtoriæ ſacræ libros.

6. Rabanus Maurus. VI. RABANUS MAURUS, diſcipulus Alcuini, Fuldenſis primùm monachus, deinde Abbas, tandem Moguntinus Archiepiſcopus ab anno 847. ad 856. Plurima ſcripſit ſex tomis edita Coloniæ anno 1627. quorum Primo continentur præſertim de univerſo, ſive *Etymologiarum* libri 22. & *de laudibus ſanctæ Crucis* libri 2. partim ſoluta oratione, partim carmine operoſiſſimo conſcripti. Tribus ſequentibus commentarii *in omnes veteris Teſtamenti libros*: Quinto commentarii *in Matthæum & Paulum* cum *Homiliis*, aliiſque tractatibus nonnullis: Sexto denique *de Clericorum inſtitutione & cæremoniis Eccleſiæ* libri tres ad Heiſtulphum Archiepiſcopum, compoſiti anno 819. Præterea *de ſacris Ordinibus*, *Sacramentis Divinis*, & *veſtimentis ſacerdotalibus*, liber unus in multis conveniens cum primo de inſtitutione Clericorum libro. *De Diſciplina* quoque *Eccleſiaſtica* libri tres, quorum in prioribus capita quædam cum libris quoque de inſtitutione Clericorum non parùm congruunt. Tum *de Quæſtionibus Canonum Pœnitentialium* ad Heribaldum libri tres, cum Tractatibus aliis de *Pœnitentia & Pœnitentibus*: itemque *de conſanguineorum nuptiis*, & alia: ex quibus Commentarius *in Regulam S. Benedicti* reddendus eſt Smaragdo, de quo ſuprà.

7. Lupus Ferrarienſis. VII. LUPUS, cognomento *Servatus*, Abbas FERRARIENSIS, ſive S. Petri *ad Ferrarias*, Diœceſis Senonenſis, diſcipulus Rabani Mauri, vivere deſiit circa ann. 853. Extat ejus liber *Epiſtolarum*, liber *de tribus Quæſtionibus*, nimirum *de libero arbitrio*, *de Prædeſtinatione bonorum & malorum*, & *de ſanguinis Chriſti* quadam ſuperflua taxatione uſque ad ſalutem impiorum; & quædam alia.

8. VValafridus Strabo. VIII. VVALAFRIDUS *Strabo*, ſive Strabus ab oculorum vitio dictus, natione Germanus, profeſſione monachus Ordinis S. Benedicti, aliquandiu in monaſterio Fuldenſi ſub Rabani Mauri diſciplina inſtitutus, ac tandem Abbas Divitis ſive majoris Augiæ ad Rhenum, vulgò *Reichenavv* in Conſtantienſi Diœceſi, ab anno 824. ad 849. Scripſit librum *de Officiis Divinis*, ſive *exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſticarum*; cujus operis capite 8. mentio habetur Ludovici Pii anno 840. defuncti: unde apparet falli Trithemium, qui VValafridum ad Tiberii Abſimari tempora revocat, circa annum ſcilicet 700. Reperiuntur alia ejus opuſcula, quædam etiam carmine exarata: ſed ordinem ducit *Gloſſa Ordinaria in ſacram Scripturam*, quæ & *Magiſtralis* dicitur, ex uberioribus aliorum, ac præſertim Rabani Mauri Commentariis coagmentata, poſtea ab Anſelmo Laudunenſi aliiſque aucta, & adjectis Patrum ſententiis atque expoſitionibus locupletata. Quamvis enim alteri Strabo Fuldenſi monacho hoc opus adſcribant Trithemius, Sixtus Senenſis, Poſſevinus & Bellarminus; Caniſius tamen & Voſſius Fuldenſem Strabum eundem faciunt cum hoc Strabo Augienſi Abbate.

9. Ado. IX. ADO, *Viennenſis* in Gallia Archiepiſcopus, ab anno 859. ad 874. quo obiiſſe dicitur, ideoque *Breviarium Chronicorum de ſex mundi ætatibus*

ab

ab Adami ortu ultra hunc annum producere non potuit: & verò reliqua ab ignoto, nec admodum perito eorum temporum autore, adjecta fuiſſe Lectores facilè animadvertunt. Scripſit & *Martyrologium Sanctorum* per circulum anni, prolixis Martyrum Elogiis refertum; quod ab Heriberto Roſvveido emendatum eſt, notiſque illuſtratum. Id Aloiſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, aliique *Udoni* Treverenſi Archiepiſcopo perperam tribuunt, qui anno demum 1078. in vivis eſſe deſiit.

X. ANASTASIUS Romanus, Abbas, & Eccleſiæ Romanæ BIBLIOTHECARIUS, floruit ſub Nicolao I. & ſequentibus Pontificibus, ad annum fermè 886. Alius ab Anaſtaſio presbytero Cardinali S. Marcelli, Bibliothecario Gregorii IV. qui à Leone IV. anno 850. ob deſertam per quinquennium Eccleſiam ſuam exautoratus eſt. Plurima partim ex Græca in Latinam linguam tranſtulit, partim Latinè ſcripſit. Latinè *Concilium* quidem *generale* 8. cui interfuit anno 869. at è Græco *Concilium generale* 7. *Nicænum* 2. atque etiam *generale* 6. *ſive Conſtantinopolitanum* 3. *Vitam* præterea S. Joannis *Eleemoſinarii* Patriarchæ Alexandrini, Collectanea *de Hiſtoria Monothelitarum* Sirmondi ſtudio edita. Sed *Hiſtoria de vitis Pontificum*, & *Hiſtoria Eccleſiaſtica* maximè celebrantur, quarum pars prior ad Liberium uſque Damaſo Pontifici vulgò tribuitur: poſterior quoque Anaſtaſii tota non eſt. Eum certè in Nicolao I. deſiiſſe cenſet Onufrius & alii, licèt refragante Baronio, qui Adriani II. & Stephani VI. geſta ab eodem ſcriptis mandata affirmat; non, ut illi volunt, à Guilielmo Bibliothecario. In hiſtoria verò Eccleſiaſtica, *Chronographica Tripertita*, profitetur Anaſtaſius ſe Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani temporum ſeriem, & maximam partem Chronici à Georgio Syncello ac Theophane ab orbe condito ad Leonis Armeni Imperatoris tempora producti eſſe interpretatum. *10. Anaſtaſius.*

XI. HINCMARUS, nobili genere apud Francos ortus, ex monacho Sandionyſiano *Rhemenſis* Archiepiſcopus, anno 841. annitente Carolo Calvo in locum Ebbonis promotus, inter eruditiſſimos ejus ætatis viros habitus, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ retinentiſſimus, licèt ex humani ingenii fragilitate in nonnullis aberraſſe videatur. Obiit anno 882. cùm annos 37. ſediſſet. Ejus Operum Pariſiis ſtudio Sirmondi editorum Tomus primus continet imprimis diſſertationem & collectanea *de Prædeſtinatione Dei & libero arbitrio* adverſus Gotheſcalcum, & plura *Capitula ad Diſciplinam Parochiæ* ſeu diœceſis *ſuæ pertinentia*. 2. *Regis perſonæ, & regio miniſterio* admonitiones, & *Epiſtolas* ad ejus temporis hiſtoriam, juraque & politiam tum Eccleſiaſticam, tum civilem ſpectantes; in quibus una Epiſtola *Caroli Calvi* nomine Adriano Papæ reſpondet paulò commotiori ſtylo, & altera ejuſdem nomine eſt ad Joannem 8. Scripſit quoque opuſculum *Capitulorum* 55. ad Hincmarum Laudunenſem, & alia. *11. Hincmarus Remenſis.*

XII. Non prætermittendus *Agobardus* Chorepiſcopus primùm, deinde Archiepiſcopus Lugdunenſis anno 813. qui adverſus laicos rerum Eccleſiaſticarum invaſores ſcripſit circa annum 823. ſed in iis quæ ad cultum Imaginum ſpectant, aliquatenus erraſſe creditur. Antiphonarium quoque reſtituit, ſed paulò ſcrupuloſius: idem in Concilio apud Theodonis Villam habito damnatus propter conjurationem in Ludovicum Pium anno 835. ſed triennio poſt reſtitutus obiit apud Santonas in Expeditione Regia circa annum 840. Ejus opera in unum collecta, editaque ſunt ſtudio V. Cl. Stepha-

ni

ni Baluzii anno *1666.* apud quem in præludiis ejus Editionis, itemque apud Theophilum Raynaudum in Sanctorum Lugdunenſium Indiculo, atque apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, ubi de Archiepiſcopis Lugdunenſibus, alioſque plura videre eſt.

CAPUT LX.

De Græcis ejuſdem Seculi IX. Scriptoribus.

1. Theodorus. I. THEODORUS *Studites*, ſic dictus, quòd Abbas ſeu præpoſitus eſſet monaſterii à Studio conditi initio ejus ſeculi: multa paſſus eſt pro defenſione ſanctarum Imaginum ſub Leone Armeno, & Michaele Balbo; & tandem deceſſit anno *826.* Extant ejus Sermones Catechetici à Jo. Livineo Belga non ſine mendis Latinè tranſlati, Oratio *de Honore & adoratione ſanctis Imaginibus adhibenda*, & alia quædam. *Epiſtolas* ejuſdem, aliaque opera Jacobus Sirmondus utraque lingua in lucem edere parabat: nunc perficiendam ſuſcepit R. P. Arduinus ex eadem Societate.

CAPUT LXI.

De Latinis Autoribus Seculi Decimi.

1. Regino. I. REGINO *Prumienſis* in Diœceſi Trevirenſi Abbas, electus anno 829. verùm potentia æmulorum dejectus; edidit *Chronicon* in duos libros diſtinctum ab adventu Domini ad annum 908. ut ipſe teſtatur in præfatione ad Metenſem Epiſcopum Adalberonem, cui addita Appendix pertingit ad annum 967. Ejus Tractatus *de Diſciplinis Eccleſiaſticis ac Religione Chriſtiana* juſſu Ratbodi Trevirenſis Archiepiſcopi exaratus, atque in 900. fermè capitula diviſus teſte Trithemio, collectio eſt Canonum, de qua libro proximo.

2. Flodoardus. II. FLODOARDUS, Rhemenſis Canonicus & Culminiacenſis parochus: ſcripſit *Chronicon* ab anno 917. ad 966. quod à fronte tribus quatuorve annis mutilum prodiit: primùm opera P. Pithæi, adjecta aliquot annorum appendice. Scripſit & *Hiſtoriam Antiſtitum Rhemenſis Eccleſiæ*, libris quatuor comprehenſam, ad annum 948. quæ Sirmondo primùm curante Typis mandata eſt; aliaque nonnulla.

3. Luitprandus. III. LUITPRANDUS, ex Ticinenſi Diacono, Epiſcopus Cremonenſis, ſub Berengario 2. Italiæ Rege atque Imperatore (cui à ſecretis fuiſſe dicitur) & Othone itidem Imperatore, à quibus Conſtantinopolim legatus eſt. Sripſit *Rerum ſuo tempore* ab Europæ regibus & imperatoribus *geſtarum* libros 5. quibus additus eſt ſextus liber, ſed alterius autoris, quemadmodum ſuadet tam ſtyli diverſitas, quàm ipſius

Luit-

Luitprandi, tanquam ab autore diverſi, mentio. Opus univerſum, exordium ſumit ab Arnulpho Imperatore: ſed Liber *de Pontificum Romanorum geſtis* à S. Petro ad Formoſum, qui ſub ejus nomine unà cum Anaſtaſii Bibliothecarii Pontificali, & Abbonis Floriacenſis epitome de vitis eorumdem Pontificum, Moguntiæ opera Jo. Buſæi publica luce donatus eſt, non abs re ſuſpectus Voſſio, videtur autorem habere monachum quemdam Germanum, qui circa annum 895. & Formoſi Papæ tempore deſierit vivere: ſuppoſititium quoque ab eruditis creditur *Chronicon*, quod Luitprando neſcio cui Subdiacono Toletano aſſerunt Hieronymus Higuera & Laurentius Ramires de Prado, quemadmodum Juliani ac ſimilium *Chronica* Hiſpanico-Gothica.

CAPUT LXII.

De Græcis Seculi X. Scriptoribus.

I. LEo Sextus, cognomento *Sapiens*, ſive *Philoſophus*, Imperator Orientis, præter opus Baſilicorum, & Tactica, compoſuit *Orationes ſacras*, quarum meminit Baronius, [a] & quæ à Pontano, Gretſero, Combefiſio, & Poſſino, editæ ſunt: ac præterea *Epiſtolam de fidei Chriſtianæ myſteriis & veritate* ad Omarum regem Saracenorum, quæ ex Chaldaica lingua in Latinam converſa, extat tomo 3. Bibliothecæ Patrum apud Margarinum Binium. Extant & varia de Conſtantinopolitanis rebus *Vaticinia* poſt Georgii Codini excerpta Regiis Typis edita. *1. Leo Sophus.* *a Ad ann. 911.*

II. SIMEON *Metaphraſtes*, vir illuſtris æquè ac eruditus & pius; utpote Secretariorum princeps & Patricius, ac deinde Logotheta ex Michaele Pſello; floruit ad annum 950. aut ulteriùs, præſertim ſub Conſtantino Porphyrogenito, ut colligitur ex eo quòd in Vita S. Theoctiſtes Lesbiæ Leonem Imperatorem Porphyrogeniti patrem defunctum appellat. Scripſit imprimis *Vitas Sanctorum* magno ſtudio & labore undique collectas, quæ in duodecim menſes ſive ab ipſo, ſive ab alio quopiam diſtributæ ſunt, & Latinè dumtaxat editæ, atque à Surio ſuis locis inſertæ. *2. Simeon Metaphraſtes.*

III. OECUMENIUS autor eſt *Catenæ* ſive *Commentariorum perpetuorum* ex Patribus excerptorum *in Acta Apoſtolorum, in Epiſtolas S. Pauli, & in Epiſtolas canonicas*, quæ catena concinnata putatur hoc aut ſequenti ſeculo: licèt à poſteriore aliquo ſcriptore nonnulla ei admixta cenſeat Fronto Ducæus apud Poſſevinum. *3. Oecumenius.*

IV. OLYMPIODORUS, monachus vel Diaconus Græcus, qui hoc itidem vel ſequenti ſeculo vixiſſe creditur, aliuſque eſt ab Olympiodoro, cujus habentur excerpta hiſtorica. Scripſit elegantem Commentarium *in Eccleſiaſten*, & *Catenam in Librum Job*; alioſque ſacræ Scripturæ Tractatus contexuit, licèt illam quæ eſt in Librum Job, Nicetæ Heracleenſi Metropolitæ vindicet F. Patricius. *4. Olympiodorus.*

a *Pranot. Canonic. Donjat.*

CAPUT LXIII.

Latini Scriptores Eccleſiaſtici, qui Seculo XI. floruerunt.

1. *Fulbertus.* I. FULBERTUS, vir religioſus, & liberalium artium peritiſſimus, Epiſcopatum Carnotenſem rexit ab anno 1007. ad annum 1028. aut circiter. Quidam Roberti Francorum regis Cancellarium fuiſſe volunt. Scripſit *Epiſtolas*, *Sermones*, *Canones*, & alia quæ tomo 11. Bibliothecæ Patrum edita ſunt.

2. *Berno.* II. BERNO *Augienſis* Abbas ab anno 1014. ad 1045. diverſus à Bernone Cluniacenſi Abbate I. qui Hincmari ſenioris auditor fuerat. Ejus eſt liber *de Officio Miſſæ*, ſive de rebus ad Miſſæ Officium pertinentibus.

3. *Humbertus.* III. HUMBERTUS Tullenſis primùm monachus, ob doctrinam eximiam & literas præſertim Græcas, à Leone IX. Pontifice Romam evocatus, & Sylvæ Candidæ Epiſcopus *Cardinalis* creatus: inde anno 1051. Conſtantinopolim Legatus, ſive Romanæ Sedis Apocriſiarius, ibi ſæpè, tum voce, tum ſcripto, cum Græcis feliciter conflixit. Extat imprimis apud Bibliothecas Patrum ejus liber *adverſus calumnias Michaelis Cerularii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Leonis Acridani in Bulgaria Archiepiſcopi, *de azymo*, & *de jejunio*, cum commemoratione geſtorum ab Apocriſiariis Sedis Apoſtolicæ contra eundem Michaelem, qui diris devotus eſt; & *refutationem Tractatus contra Latinos* editi à Niceta Pectorato presbytero, & monacho Cœnobii Studitani, quem præſente Conſtantino Monomacho Imperatore ad Palinodiam compulit. Poſt hæc in Urbem reverſus, in Concilio Romano, quod anno 1059. ſub Nicolao II. habitum eſt, *formulam* compoſuiſſe dicitur, *qua Berengarius* Archidiaconus S. Mauritii Andegavenſis *hæreſim ſuam damnavit*, quæ habetur in *Can. ego Berengarius*, *diſt. 2. de Conſecrat.*

4. *Petrus Damiani.* IV. PETRUS *de Honeſtis*, DAMIANI cognominatus à fratre, quem parentis loco habebat, Ravennæ natus, ex monacho Fontis Avellanæ, inſtitutus à Stephano IX. Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis anno 1052. mortuus verò anno 1057. Ejus Opera tres in tomos diſtributa, complectuntur in Prima parte libros octo *Epiſtolarum*. In 2. *Sermones* juxta menſium ordinem digeſtos (quorum quinque aut ſex ſuppoſititios eſſe probat Theophilus Rainaudus [a]) & aliquot *Sanctorum vitas*. In 3. varia *opuſcula*, Tractatum nempè *de Fide Catholica* ad Ambroſium; antilogum *contra Judæos* librum, qui appellatur *Gratiſſimus*, & alium cui nomen *Dominus vobiſcum*; item *de Horis Canonicis*, alioſque Tractatus ad pietatem, aut ad Monachorum & Clericorum ſtatum & ſimilia pertinentes, qui tamen non omnes illius eſſe putantur ab eruditis. Obſervat certè idem Theophilus librum *de correctione Papæ & Epiſcopi* ſub hujus Petri Damiani nominè Argentorati vulgatum anno 1562. ſuppoſititium eſſe.

a In heteromatis.

5. *Leo 9. P. P.* V. LEO IX. Pontifex maximus, de quo ſuprà cap. 57. præter *Decretales*, alias

alias etiam *Epiſtolas* ſcripſit, ac *Sermones*: ejuſque opera cum operibus Leonis I. in diverſis editionibus reperiuntur.

VI. GUITMUNDUS, ſeu *VVitmundus*, ex monacho S. Leofredi in Diœceſi Ebroicenſi, Epiſcopus Averſanus in Italia, ſcripſit imprimis libros tres *de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti* in Euchariſtia, adverſus Berengarium Turonenſem, Archidiaconum Andegavenſem circa annum 1060. ad eundem quoque argumenti ejuſdem *Epiſtolam* ſcripſerat circa id tempus *Adelmannus* Fulberti diſcipulus, ex Leodienſi Scholaſtico, Brixienſis in Italia Epiſcopus. *6. Guitmundus.*

VII. MICROLOGI, qui liber eſt *de Eccleſiaſticis obſervationibus*, circa annum 1085. compoſitus, (ut evincit Gregorii 7. & Anſelmi Lucenſi, velut hominum coætaneorum mentio) quis autor fuerit, non ſatis compertum. *Bernoni Augienſi* aſcribit Claudius Spenſeus, *Guidoni Abbati* S. Crucis Avellanæ notarum muſicarum repertori Poſſevinus, quos refellit Theophilus Rainaudus. [b] *7. Micrologus.*

VIII. LANFRANCUS Papienſis, ex Priore Beccenſi, & Abbate Cadomenſi, Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia, ab anno 1070. ad annum 1089. Plura ſcriptis mandavit, ac præſertim libellum *de Corpore & Sanguine Domini* contra Berengarium. *8. Lanfrancus.*

IX. S. ANSELMUS, apud Auguſtam Salaſſorum in Alpibus natus, poſt magiſtrum ſuum Lanfrancum, ex Beccenſi Abbate Cantuarienſis Archiepiſcopus, ab anno 1093. ad 1109. Plurima compoſuit opuſcula, in quatuor tomos ſive partes diſtincta, quorum quæ in quarta parte Lugdunenſis editionis continentur, planè ſuppoſititia ſunt, & aliorum autorum, veluti *Elucidarium*, ſive *dialogus ſummam totius Chriſtianæ Religionis complectens*, quod Trithemius non immeritò aſſignat Honorio Auguſtodunenſi, ut & libros duos de *Imagine mundi*, teſte ipſo Honorio. *9. S. Anſelmus.*

X. ANSELMUS *Laudunenſis* Eccleſiæ Scholaſticus, convenientes ex ſcriptis SS. Patrum ſententias excerpens, totum *vetus ac novum Teſtamentum interlineari & marginali gloſſa* illuſtravit, quæ cum gloſſa ordinaria *Hugonis à ſancto Caro*, & *Nicolai de Lira* Franciſcani, aliorumque additamentis edi ſolet. *10. Anſelmus Laudunenſis.*

CAPUT LXIV.

Autores Græci ejuſdem Seculi Undecimi.

I. THEOPHYLACTUS Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopus, vixit ætate Alexandri II. Pontificis, & Romani Diogenis Imperatoris Græcorum, circa annum 1070. Extant plura ejus *in ſacros Libros Commentaria* ex uberioribus S. Joannis Chryſoſtomi Commentariis delibata; præſertim *in Evangelia*, *in Acta Apoſtolorum*, & *Epiſtolas B. Pauli*. Ejuſdem ſunt etiam *Epiſtolæ*, & alia opera, in qui[illegible] [illegible]maticum ſe ipſe prodit, & in proceſſione Sancti Spiritus er[illegible] *1. Theophylactus.*

terea ab interpretibus corruptum, in iis quæ ad poteſtatem Romani Pontificis pertinent, obſervat Poſſevinus.

CAPUT LXV.

De Seculi Duodecimi Scriptoribus Eccleſiaſticis Latinis.

1. Honorius Auguſtodunenſis. I. HONORIUS *Auguſtodunenſis* presbyter & ſcholaſticus, floruiſſe memoratur tempore Henrici V. Imperatoris, videturque vixiſſe ad annum uſque 1152. Plurima ſcripſit, ex quibus excuſa ſunt liber *de luminaribus Eccleſiæ*, ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *de Mundi imagine* libri tres, *Elucidarium* (quæ duo opuſcula perperam S. Anſelmo tributa ſunt) *de Mundi Philoſophia* libri quatuor, *Series Romanorum Pontificum* ad Innocentium II. *Hæreſeon ab ortu Eccleſiæ catalogus*, *Gemma animæ*, *ſive de Divinis Officiis*, aliaque quæ tomo 12. Bibliothecæ Patrum Colonienſis habentur; præter *Inevitabile*, id eſt, dialogum de prædeſtinatione & libero arbitrio.

2. Gofridus Vindocinenſis. II. GOFRIDUS *Vindocinenſis* Abbas, Cardinalis S. Priſcæ creatus ab Urbano II. multa pro Eccleſia Romana perpeſſus pericula, vixit ad annum 1130. Scripſit libros 5. *Epiſtolarum*, *Opuſcula* 8. *Sermones* 11.

3. Algerus Leodienſis. III. ALGERUS *Leodienſis* primùm Scholaſticus, dein monachus Cluniacenſis circa annum 1130. Poſt Lanfrancum & Guitmundum pleniſſimè ſcripſit adverſus hæreſim Berengarii *de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini* libris 3. Sed in quibuſdam fallitur, quòd nimirum putaverit ſpecies ſacramentales corrumpi non poſſe; Carnem ſine Sanguine non ritè communicari, aut vice verſa; & jure divino conſecrationem in azymo niti.

3. Rupertus. III. RUPERTUS Abbas Tuitienſis in diœceſi Colonienſi, obiit anno 1135. Plurium operum autor, in quibus ſunt Commentariorum *de ſanctiſſima Trinitate*, *& operibus ejus* libri 42. *De Victoria verbi Dei* libri 13. *De divinis Officiis* libri 12. (de quorum autoritate diu dubitatum) & *in* multos *ſacræ Scripturæ libros* Commentaria. Idem circa myſterium Euchariſtiæ non rectè ſenſit, exiſtimans panem aſſumi à Verbo Divino, quemadmodum aſſumpta eſt humanitas.

4. Hugo à S. Victore. IV. HUGO S. Victoris Pariſienſis Canonicus Regularis, natione Saxo, magnus S. Auguſtini imitator, obiit anno 1140. Ejus Opera Rothomagi emendatiora prodiere anno 1648. idque Tribus voluminibus, quorum Primum complectitur annotationes *in diverſos ſacræ Scripturæ libros*; Secundum plures *Tractatus Morales*: Tertium *Didaſcali* libros ſeptem & *Tractatus Theologicos*, veluti *Speculum de myſteriis Eccleſiæ*, libros tres *de Cerimoniis*, *Sacramentis*, *& Officiis Eccleſiaſticis*; Libellum *de Canone myſterii libaminis*, & *Summam Sententiarum* Tractatibus ſeptem comprehenſam, quo velut exemplari uſus ſequenti poſtea ſe-

culo

culo videtur Petrus Lombardus cum univerſam Theologiam in artem redegit.

V. Claruit eodem fermè tempore in eodem Monaſterio RICHARDUS, *à ſancto Victore* ideò cognominatus, Scotus natione, Hugonis auditor, ingenio, ſanctitate, & eruditione conſpicuus. Cujus opera Theologica, & Scripturarum enarratoria, quatum myſticum præſertim ſenſum inveſtigat, duobus tomis edita ſunt. In primo *Exceptionum* libri quatuor, Bellarmino ſuſpecti habentur quaſi ſubdititii: à Labbeo defendi poſſe creduntur. Obiit anno 1173. *5. Richardus à S. Victore.*

VI. S. BERNARDUS, Burgundus, ex Ciſtercienſi monacho Abbas Claræ vallenſis in Lingonenſi diœceſi ab anno 1115. ad annum 1153. magnum Eccleſiæ decus & columen. Ejus Opera tomis ſex diſtincta ſunt. Primus habet *Epiſtolas*. Secundus magna ex parte, ac Tertius *Sermones*. Quartus libros quinque *de Conſideratione* ad Eugenium III. Papam, verè aureos; diverſoſque præterea Tractatus *de moribus & officio Epiſcoporum, de vita & moribus Religioſorum, de inſtitutione & converſatione Clericorum, de Præcepto & Diſpenſatione.* Tomi Quintus & Sextus continent ſuppoſititia ei aſſignata, cùm alios habeant autores. *6. S. Bernardus.*

VII. PETRUS BLESENSIS, Bituricenſis primùm Canonicus, deinde Archidiaconus Bathonienſis in Anglia, anno 1169. nomine Alexandri III. Papæ *Epiſtolam* ſcripſit ad Sultanum Iconii *de Inſtitutione fidei Chriſtianæ*; præterea *Epiſtolas, Exhortationes*, aliaque opera, tum ad expoſitionem librorum aliquot veteris Teſtamenti, tum ad ſacramentum *Pœnitentiæ*, & ſatisfactionem à Sacerdote injungendam *ſpectantia*. Perveniſſe creditur ad annum 1200. *7. Petrus Bleſenſis.*

VIII. *Stephanus Tornacenſis* Epiſcopus, ex Abbate Sanctæ Genovefæ Pariſienſis, præter Epiſtolas, & Conciones, *prolixum Commentarium in Decretum Gratiani ſcripſit*: qui manuſcriptus habetur in locupletiſſima talium monumentorum Bibliotheca Colbertina, itemque in Bibliotheca S. Victoris. Hic cum anno 1203. obiiſſe dicatur, atque ita Gratiano coætaneus aut ſuppar fuerit, antiquiſſimus ejus Interpretum aut certè inter antiquiſſimos eſt habendus. Epiſtolæ auctiores, emendatiores & Notis illuſtratæ denuò prodierunt Pariſiis anno 1679. ſtudio R. P. Claudii diu Molinet, Canonici Regularis Congr. Gall. qui & Proœmium in Decretum edidit. *8. Stephanus Tornacenſis.*

CAPUT LXVI.

De Latinis Seculi Decimitertii Scriptoribus Eccleſiaſticis.

I. AGMEN ducet INNOCENTIUS III. Pontifex Romanus, de cujus Decretalibus epiſtolis dictum Cap. 40. hujuſce libri. Alia ejus Opera ſeorſim edita in duos tomos conjecta ſunt: quorum priori continentur imprimis *Sermones*, variique pii Tractatus, ut *1. Innocentius 3.*

Prænot. Canonic. Doujat. S 3 *de My-*

de Myſteriis Miſſæ, de contemptu Mundi, de Sanctorum veneratione, & acta atque decreta Concilii Lateranenſis, Hymnus etiam *in Chriſtum & ejus Matrem*. Quòd autem inter acta illa, mentio alicubi habetur Concilii, quaſi jam peracti; non ex eo ſequitur, Concilii Lateranenſis ſub illo habiti decreta ab eo ſolo condita; nam eo loci agitur de Lateranenſi 3. quod celebratum fuerat ab Alexandro III. Id autem cui præfuit Innocentius, quartum eſt Lateranenſe generale.

2. Humbertus, Vienneſis. II. HUMBERTUS, *Vienneſis* dictus, Hugonis à S. Caro Cardinalis diſcipulus, quintus Ordinis Prædicatorum Præpoſitus: multa Opera pia ſcripſit, in quibus eſt *Expoſitio Regulæ ſancti Auguſtini*, liber *de Votis eſſentialibus Religioſorum, de eruditione Concionatorum, de Officiis Ordinis Prædicatorum, de Vitis priorum Patrum ſui Ordinis, multique Sermones, Inſtitutionum Spiritualium* libri ſex, quod Opus inſcribitur etiam *Speculum Religioſorum*.

3. Vincentius Bellovacenſis. III. VINCENTIUS BELLOVACENSIS, ex eodem Prædicatorum Ordine, ſcripſit opera admodum laborioſa, præſertim *Specula* quatuor, *Doctrinale, Hiſtoriale, Naturale & Morale*. Vixit Innocentii IV. temporibus.

4. Albertus magnus. IV. ALBERTUS, MAGNUS cognomine, ob ſingularem ſapientiam, ejuſdem Ordinis, poſteà Ratiſbonenſis Epiſcopus creatus ab Urbano IV. Magiſter fuit *S. Thomæ Aquinatis*; utriuſque opera ad Philoſophiam & Theologiam præcipuè referuntur, ut & Sancti *Bonaventuræ & Scoti* Dunenſis, ex Ordine B. Franciſci, alio fortè loco cum ſimilibus à nobis annotanda. Libri *de Mirabilibus, & de Secretis mulierum*, qui vulgò Alberto tribuuntur, tanti viri gravitatem minùs ſapiunt.

Hactenus de Scriptoribus Eccleſiaſticis actum, paulò etiam ultra propoſitum: eos enim memorare conſtitutum erat, ex quibus in collectiones Canonum aliquid conjectum fuiſſet. Sed quorumdam celebre nomen, & opera ad ſtudioſorum Juris Canonici utilitatem conducentia, ultra metas aliquantum excurrere ſuaſerunt.

CAPUT LXVII.

De Libris Juris Civilis, quibus uſi ſunt Canonum Collectores, eorumque Autoribus.

1. De Autoribus præcipuis collectionum Iuris Civilis in genere. I. NON modò è Scriptoribus Eccleſiaſticis centones ſyſtematum ſuorum concinnarunt Collectores noſtri: ſed ex Civilium quoque conſtitutionum voluminibus; ex quibus deſumptæ & in corpus Juris Pontificii relatæ leges, *Canonizatæ* vulgò dicuntur. Juris autem illius *Civilis* Romanorum, ſive, ut noſtri homines loquuntur, *Mundani & Secularis*, autores & compilatores præcipui fuere hinc Theodoſius junior, inde Juſtinianus.

2. De Codice Theodoſiano. II. THEODOSIUS *junior*, Orientis Imperator, Arcadii filius, pluri-

plurimorum retro Principum Chriſtianorum ſanctiones & ſcita in unum Codicem redegit ſedecim libris diſtinctum, anno Imperii ſui 28. Chriſti 435. cùm ipſe decimum-quintum ageret Conſulatum, imperante per Occidentem Valentiniano III. Hic CODEX de autoris nomine vocatus eſt THEODOSIANUS; & ſub nomine *Legis Theodoſianæ*, *ac Legis Romanæ* diu in Gallia & Hiſpania receptus fuit, quanquam à Gothis ibidem regnantibus interpolatus.

3. De Iuris Corpore Iuſtinianeo.

III. JUSTINIANUS, Juſtini Sororis filius, Jus Romanum univerſum poſteà quadruplici opere complexus eſt. Poſt primam enim Codicis ſui editionem, tertio ſuo Conſulatu, id eſt, anno Chriſti 533. Imperii 7. *Inſtitutionum* ſive elementorum Juris libros quatuor edidit, & *Digeſtorum ſive Pandectarum* libros quinquaginta, ex veterum Juriſprudentum Reſponſis & Commentariis collectos, & juxta ſeriem Edicti perpetui ferè diſpoſitos. Anno deinde proximè ſequenti, Imperii ſcilicet 8. emendatiorem edidit *Codicem*, ex ſuperiorum Cæſarum, ſuiſque Conſtitutionibus, eodem ferè ordine, conflatum, & libros duodecim diviſum; quem Codicem *Repetitæ prælectionis*, id eſt, ſecundæ editionis appellavit, atque hic ſolus ad nos pervenit, abolito ſuperiore. His poſtea novas ſubinde conſtitutiones adjunxit Græco ſermone exaratas, quæ *Novellæ* dictæ, atque in unum volumen congeſtæ, quartam Corporis Juridici partem conſtituunt. Eas Julianus anteceſſor in compendium redactas Latinè expreſſit, ordine aliquantùm diverſo. Sed quoniam hæ Novellæ, non ut Codex, per certas materiarum ſedes fuerant digeſtæ; ſed temporis fermè, quo unaquæque promulgata fuerat, ordine ſervato: idcirco ſelecta ex his ſumma quædam Capita Codici, ſuis quæque locis, inſerta ſunt, opera Irnerii ſeu VVernheri Juriſconſulti, quæ *Authenticæ* dicuntur, quaſi ſummæ decerptæ ex volumine Authentico. Sic vocatur Novellarum Collectio.

4. De quibuſdam ſpecialibus Imperatorum conſtitutionibus.

IV. Referuntur prætereà apud Gratianum Conſtitutiones quædam Imperatorum Romanorum, Francorum, Germanorum, Conſtanti ni putà, Honorii, Caroli Magni, Ludovici pii, Lotharii, Othonis I. Harum, Conſtantinianæ illæ duæ, tum quæ ad Epiſcopalem audientiam, tum quæ ad donationem in Pontificem Romanum collatam ſpectant, minùs certæ fidei, à non paucis habentur: ſed de priore à nobis actum hujus Libri cap. 2. de poſteriore cap. 50. Addi poſſunt tanquam ad Jus Eccleſiaſticum pertinentes, *Conſtitutiones* Imperatorum Græcorum non paucæ, quæ in Jure Græco Romano inveniuntur; & Conſtitutio Friderici Imperatoris Germani, *de pace Conſtantiæ*, qua hæreticis pœnas imponit.

CAPUT LXVIII.

De Libro Diurno, & Ordine Romano.

1. Libri Diurni prima editio.

I. OMITTENDA non ſunt hoc loco duo ſine autorum nomine opuſcula. Primum eſt *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, qui etſi Collectoribus Canonum non ignotus, ad hæc noſtra tempora in Bibliothecis latuerat: donec ex antiquiſſimo Codice in lucem editum fuit Pariſiis anno 1680. opera & ſtudio Joannis P. Garnerii Presbyteri è Societate JESU, qui notas diſſertationeſque addidit.

2. Quando conſcriptus videatur.

II. CONSCRIPTUM hunc Librum optimis rationibus putat eruditus editor ſeculo 8. ſub annum 714. idque præter alia ſuadet mentio Literarum, ſive *Nuncii ad Exarchum*, tum de tranſitu ſive obitu, tum de Electione Pontificis. Deſiit enim Exarchorum Ravennatium, ad tutandum Græcorum per Italiam Imperium ab Imperatoribus mitti ſolitorum poteſtas, poſt captam per Luitprandum Longobardorum Regem Ravennam: id verò confert Onufrius in annum 752. Quòd autem in Profeſſione Fidei, ex hoc libro deſumpta apud Ivonem Carnotenſem, Pontifices cum ſuperioribus Oecumenicis Conciliis etiam Octavum nono ſeculo habitum ſervare promittunt; id facilè addi potuit poſt annum 870.& à Librariis poſteà exſcribi.

3. Cur ſic dictus, & quid contineat.

III. DICTUS videtur Liber Diurnus quòd eorum formulas continet, quæ in uſu ferè quotidiano apud Romanam Eccleſiam erant, Epiſtolarum nempè à Pontificibus ad Principes atque ad Epiſcopos ſcribendarum, & cum his Ritus ordinandi Summi Pontificis, Epiſcopi cum omnibus earum ordinationum adjunctis Ætas, Profeſſiones quoque fidei, Privilegia, Præcepta, Conceſſiones, aliaque hujuſmodi non pauca.

4. Differt à Marculfi Formulis.

IV. VIDETUR hic Liber poſterior formulis Marculfi, quæ circa annum 660. ſcriptæ creduntur. Ab illis etiam differt, quòd in rebus Eccleſiaſticis tantùm & Pontificiis receptas formulas habeat, cum Marculfianæ ad Regalia fermè jura pertineant. Latinitate quoque præſtare videntur Formulæ hoc libro comprehenſæ, quòd ex antiquioribus excerptæ ſint: ex Epiſtolis putà Gregorii Magni, aliorumque Pontificum deſumptæ, partim integræ, partim paucis immutatis.

5. Ordo Romanus antiquus æque incognitum autorem habet ac liber Diurnus.

V. SED neque Libri hujus Diurni autor cognitus eſt, neque *Ordinis Romani*, de quo pauca dicenda ſunt. Editus eſt in lucem cum aliis autoribus qui de Divinis Officiis ac miniſteriis ſcripſerunt, & ſimul editi ſunt curante Melchiore Hittorpio jam anno 1568. Georgio Ferrario, qui eorum autorum collecta in unum volumen opera Gregorio XIV. dicavit anno 1591. Iſidori nimirum Hiſpalenſis, Albini, Flacci Alcuini, Amalarii Fortunati, Rabani Mauri, Valafridi Strabonis, Bernonis Augienſis, Petri Damiani, Micrologi, Ivonis Carnotenſis, Hildeberti Cenomanenſis, Ruperti Tuitienſis, Petri Cluniacenſis, Hugonis de ſancto Victore, interpoſitis anonymis duobus, ſcilicet Miſſæ expoſitione brevi, & Gemma animæ. Hittorpius, antiquiſſimum eſſe hunc *Ordinem Romanum* variis argumentis probat, videturque ad tempora prope-

propemodum Gregorii Magni referre: ſed in Galliam miſſum cum Antiphonario Romano & Sacramentario ſancti Gregorii conjicit ex Amalario. Hic ſe à Ludovico Pio ad Gregorium IV. Pontificem fuiſſe Legatum ſcribit, ut ab eo Antiphonarios acciperet; & reſponſum retuliſſe à Pontifice, ſe quos mitteret nullos habere: ſed qui illic aliquando fuiſſent, perlatos eſſe in Franciam, cum nomine Imperatoris VVala eò legatione functus eſſet. Hæc verò ad Sacramentarium, atque ad Ordinem Romanum pertinere exiſtimat: cum Alcuinus, qui in tempus mutati in Gallia Divini Officii, atque à Romanis accepti incidit, non minùs Ordinem Romanum explicet, & Sacramentarium quàm Antiphonarium.

VI. Hic porrò *Ordo Romanus* antiquus de Divinis Catholicæ Eccleſiæ Officiis & miniſteriis per totius anni circulum, diviſus in tres libros, agit de Proceſſionibus & celebratione Miſſæ, ejuſque Officii, ac librorum qui in Eccleſia Romana leguntur: Orationes ſive Preces cujuſque feſti, & ritus ac cærimonias cuique miniſterio aptas, denunciationes quatuor temporum, & inſtructiones baptizandorum, dedicandæ Eccleſiæ, conſecrandi Epiſcopi, benedicendi Imperatorem, Abbatem, Abbatiſſam, & alia hujus generis. *6. Quid contineatur in Ordine Romano.*

PORRO de SS. Eccleſiæ Patribus, aliiſque Autoribus Eccleſiaſticis, & ſingulorum operibus, ex profeſſo ſcripſit imprimis *ſanctus Hieronimus*: ſequutus medio ævo *Honorius Auguſtodunenſis*: poſtremis temporibus Joannes *Trithemius*, Robertus *Bellarminus*, ſervato temporum ordine, & poſt eum ordine alphabetico Philippus *Labbe*, Catholici: inter Heterodoxos autem *Rivetus* & *Scultetus*. In eodem argumento verſati ſunt data occaſione Annalium Eccleſiaſticorum Scriptores, hinc Baronius, inde Centuriatores Magdeburgici, aliique quos ſubinde indicavimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

LIBER TERTIUS.

POSTQUAM ea executi ſumus ex quibus coagmentatum eſt totum Canonici Juris ſyſtema, quæque vicem obtinent Materiæ; ſacros dico utriuſque fœderis Codices, Concilia, Decreta Pontificum Romanorum, & SS. Patrum opera eò ſpectantia: ſequitur ut quam illud Formam primùm habuerit, quam progreſſu temporis, ad Gratianum uſque, acceperit, inſpiciamus.

CAPUT I.

De Collectionibus Canonum in genere.

1. Variæ artes, varia præceptorum ſuorum habent ſyſtemata, quæ artis nomen ſibi vindicant.

I. CERTA Præceptorum ſive Regularum ſerie ad ſcientiarum cognitionem, quaſi gradibus quibuſdam, perducimur. Hinc fit, ut ejuſmodi præceptorum Syſtemata ſuarum quæque Artium ſibi vindicent nomen. Ita *Juris Civilis* appellatione cenſentur Leges in ordinem à Juſtiniano digeſtæ atque collectæ: pari ratione *Jus Canonicum* vocamus Collectiones Regularum Eccleſiaſticarum.

2. Hæc non ſtatim perficiuntur & cur.

II. SED nec artificibus, nec Legislatoribus momenta rerum omnia ſe ſtatim aperiunt; & in iis præſertim quæ ad mores & politiam pertinent, non eadem ſemper & ubique ſive Regentium, ſive ſubjectorum utilitas eſt; quæ tamen habetur juſti propè mater & æqui. Solent prætereà homines ab obſervatione eorum, quæ rectè cõſtituta ſunt, facilè deflectere. Quamobrem prioribus Conſtitutionibus novas ſubinde adjici neceſſe eſt, per quas vel non ſatis ab initio proviſa dirigantur; vel quæ progreſſu temporis minùs utilia facta ſunt, utilioribus mutentur; vel denique neglecta inſtaurentur. Inde igitur factum eſt, ut quemadmodum primis Legum Codicibus novi additi: ſic antiquis Canonum Collectionibus aliæ à recentioribus adjectæ paulatim, Canonicam diſciplinam à tenuibus admodum initiis in immenſam propemodum molem produxerint.

3. Diverſa Collectionum Canonicarum nomina, & progreſſus.

III. HARUM Collectionum uſus ab Orientalibus cœpit, à quibus ad Occidentales brevi manavit: eaſque illi modò Βίβλος Κανόνων, modò συναγωγὰς, modò Syntagmata, aut etiam Nomo-Canones, aliiſque nominibus dixere. Latini, Codices Cãnonum; item Collectiones, Compilationes, Collectanea, Excerptiones, tandem & Corpora Canonum ſeu Decretorum appellarunt.

4. Earum diviſiones variæ.

IV. COLLECTIONUM autem hujuſmodi, ſi ordinem ac methodum ſpectes, non unum eſt genus. Vetuſtiſſimæ ſimpliciori methodo temporum ferè ſeriem ſequutæ, ſub unoquoque Concilio proprios ejus Canones deſcribebant, eo ſcilicet ordine quo à cujuſque Patribus editi fuerant. Verùm deinde aucto Conciliorum numero, poſterioribus conducibilius eſt viſum arteis aliquid adhibere, ac certa in capita & velut claſſes diſtributa Eccleſiaſticæ Diſciplinæ materia univerſa, ſub unamquamque claſſem variorum Conciliorum placita, hiſque addita Pontificum & Patrum ſcita atque ſententias redigere. Alii expanſos & integros Canones retulere: alii Summis & Breviationibus eorum contenti fuerunt. Quibuſdam ſatis fuit ſelecta duntaxat, ſuoque uſui accommodata, vel certi alicujus argumenti capita in unum conferre. Nec defuerunt qui cum Eccleſiaſticis Regulis Leges Civiles componerent. Hæc nos omnia quàm accuratiſſimè fieri poterit, in hoc Tractatu perſequi & enucleare conabimur.

CAPUT II.

De Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum.

1. Hæc videtur 1. Canonum Collectio.

a Cap. 15.

I. CERTUM eſt à temporibus Apoſtolorum, atque adeò ab ipſis Apoſtolis de rebus Fidei ac morum haberi cœpta Concilia, ut vel ex Apoſtolorum Actibus liquet. Unde nihil mirum ſi antiquiſſima Regularum Eccleſiaſticarum Collectio, aut Collectionis inſtar ſub Canonum Apoſtolicorum nomine prodierit, quam J. C. Beveregius, qui nuper in Anglia Synodicon edidit, Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ meritò dici poſſe, opere proprio [a] contendit.

2. S. Clementi Romano, imò ipſis Apoſtolis aſſignatur à quibuſdam.

b Nov. 6. in fine præfat.

c In Can. 2. Synodi Trullanæ.

d In præfat. nomo-Canonis.

II. HÆC ſub Clementis Romani Epiſcopi titulo, unà cum octo libris Apoſtolicarum Conſtitutionnm vulgata eſt: nec deſunt qui Apoſtolis has regulas aſſignaverint: atque in eo numero eſſe videtur Juſtinianus [b] & Balſamon [c] Eaque de cauſa inter Hagiographa recenſentur à Joanne Damaſceno & aliis. Turrianus & Salmeron è Societate JESU in Concilio Hieroſolymitano, quod in Actibus Apoſtolorum memoratur, editas arbitrantur; & Collectio Arabica, è Bibliotheca Bodlejana à jam nominato Beveregio laudata, in ſummo Sionis conditas, atque à Clemente Petri diſcipulo enunciatas refert. Contrà [d] Photius, Hincmarus, aliique, in quibus ipſi Quini-ſextæ Synodi Patres, non Canones Apoſtolorum vocant, ſed *Canones qui dicuntur Apoſtolorum.*

3. Clemens Roman. non videtur horum Canonum autor aut Collector.

e Can. 65.

III. CLEMENTEM ſanè eorum autorem aut editorem fuiſſe plurima ſunt quæ diſſuadeant; præſertim verò quòd non pauca his Canonibus contineantur, partim ab Eccleſiæ Romanæ uſu aliena, ut prohibitio jejunandi Sabbato [e]; partim quæ tempore ſancti Clementis recepta fuiſſe, ac certo jure conſtituta non facilè probari poſſit: qualia fortè Provinciarum Eccleſiaſticarum, & Parochiarum ſeu Diœceſeon Epiſcopalium diſtributio, Concilia Metropolitanorum annua, bonorum ad Eccleſiam pertinentium ab Epiſcopi bonis diſtinctio, quò pertinent Canones 14. aliàs 15. 35. 38. & 40. Sed quamvis eruditorum ferè conſenſu, nec Canones illi, nec Conſtitutiones, & alia Clementi adſcripta opus eſſe credantur, aut Apoſtolorum, aut etiam Clementis Papæ: nihil tamen ambigitur, quin tum hæ, tum illi ſatis expreſſa ſervent antiquæ diſciplinæ veſtigia, quæ autorem oſtendunt non doctum modò, & pium, ſed priſcum quoque, nec tertio Chriſti ſeculo poſteriorem.

4. Hæc Canonum Collectio, prior Concilio Nicæno 1.

f Can. 2. Chalced. ex 30. Apo.

IV. DE tempore vetuſtæ hujus Collectionis parum conſtat. Dubitari quidem non poteſt, quin non modò ante Chalcedonenſem [f] & Epheſinam univerſales Synodos cogniti eſſent, cùm in illis Synodis horum Canonum aliqui non obſcurè indicentur: ſed & ante Concilium Antiochenum, quod eorum non paucos innovavit; atque adeò ante Nicænum Oecumenicum 1. in lucem prodiiſſe, facilè probari poteſt, cùm in hoc Canones illi partim inſinuentur, partim etiam palàm laudentur. Canon quippe Apoſtolicus ſextus deſignatur Canone 9. Concilii Nicæni, ubi de criminis alicujus reis ad Ordines præter Canonem

nem promotis agitur. Canon 15. ſive 14. Apoſtolorum de migrationibus Epiſcoporum & Clericorum, indicatur Canone 15. & 16. Nicænis. Canon quoque 62. Apoſtolorum de Lapſis non promovendis Canone Nicæno 10. demonſtratur. Apertè verò repeti videntur Nicæno 1. Canon Apoſtolicus 21. & ſeqq. Eunuchis per vim factis à Clero non arcendis. Canone autem 2. Nicæno qui eſt de recèns baptizatis non ſtatim promovendis contra Canonem Eccleſiaſticum, quid aliud quàm Canon Apoſtolorum 80. ſcribitur? Canone denique Nicæno 15. qui tradit de excommunicatis ab Epiſcopis unius Provinciæ ſervandum eſſe Canonem qui ab aliis Epiſcopis eos admitti prohibet, nonne manifeſtè ad Canones Apoſtolorum 12. aliàs 13. & 32. aliàs 33. refertur.

V. NONDUM innotuiſſe hanc Collectionem anno Chriſti 258. quo agitabatur controverſia de Baptiſmo hæreticorum inter Stephanum Summum Pontificem illorum Baptiſma recipientem, interque B. Cyprianum Carthaginenſem, Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum illud reſpuentes, ex eo inducit Illuſtriſſimus Petrus de Marca [g], quòd Firmilianus cum ſanctorum Petri & Pauli quædam loca non ſatis perſpicua in ſuam ſententiam adduceret, eamque conſuetudine Aſiaticorum tueretur; non tamen meminit Canonum Apoſtolorum 46. & 47. quos profectò, ſi jam tum in lucem prodiiſſent, minimè omiſſurus fuiſſet, utpote qui ejus ſententiam manifeſtè adſtruerent. Damnantur enim Canone 46. Epiſcopus & Presbyter hæreticorum Baptiſmum admittentes; & Can. 47. deponi jubetur is, qui pollutum ab impiis (id eſt ab hæreticis baptizatum) non baptizaverit, non minùs, quàm is qui ritè & ſecundum veritatem baptizatum adhuc baptizaverit. Hinc conjicit eruditiſſimus Præſul paulò poſt illam Firmiliani adverſus Stephanum contentionem, fortè & ejus occaſione, editos aut collectos fuiſſe hos Canones, paulò ſcilicet poſtquam Iconii in Lycaonia vicinarum Orientis regionum Epiſcopi frequenti Synodo conveniſſent; quæ Synodus eadem ſanxerat, quæ duobus illis Canonibus Apoſtolorum 46. & 47. continentur.

5. Poſterior anno 258. hæc Collectio.

g Lib. 3. de Concord. Sacerd. & Imp. c. 2.

VI. VERUM nuperus Synodici Editor antè laudatus probat horum Canonum aliquos antiquiſſimis, tum Græcis, tum Latinis Patribus, longè antè Iconienſe Concilium cognitos fuiſſe, Clementi Alexandrino ac Tertulliano circa annum Chriſti 195. Origeni non multò poſt, & Cypriano, qui anno 255. paſſus legitur. Indicantur ab eis v. g. Canone 7. 17. 31. 47. 50. 61. 81. deque iis rebus habita jam ante Concilia. Nam Cypriano teſte in Epiſtola ad Jubajanum, jam ejus tempore ſtatutum fuerat, ut hæretici ad Eccleſiam Catholicam converſi baptizarentur; *Cum, inquit, jam multi anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi hoc ſtatuerunt*: quod de Epiſcopis Africanis accipiendum eſt. Agrippinus enim Carthaginenſis Epiſcopus fuerat. Idem autem, ut diximus, Can. Apoſolorum 47. conſtitutum reperitur. Paſcha quoque cum Judæis celebrari non debere, quò pertinent Canon Apoſtolicus 7. aliàs 8. Synodi plures ante annum 198. ſanxerant. Romana ſub Victore I. Palæſtina, Pontica, Gallica, Oſroena, de

6. Nonnullos tamen horum Canonum ante Iconienſe Concilium cognitos credibile eſt.

h Lib. 5. Eccleſ. Hiſt. c. 22.

na, de quibus Euſebius [h], & Beda: ex quibus patet rectè Hincmarum conjeciſſe, editos fuiſſe aut collectos Canones qui dicuntur Apoſtolorum, iis temporibus quibus nondum liberè Concilia celebrabantur.

7. Condita videtur hæc Canonū Collectio in Syria.

VII. QUOD attinet ad horum Canonum autores, locumve ubi primùm prodierint, ex 1. illorum Canonum colligi poteſt conditos non eſſe ab Epiſcopis Aſianæ diœceſeos, ut qui 14. Luna Paſcha celebrarent à temporibus ſancti Polycarpi. Et, ſi quidem omnes ſimul, eodemque loco eſſe compoſitos conſtaret, minùs impeditam quæſtionem faceret *Hyperberetæi* menſis habita mentio Can. 38. quo nomine cùm October lingua Syro-Macedonica, uſu tunc per Syriam & Orientem recepta, ſignificetur, apparet hunc Canonem in Syria conceptum; unde ſequeretur cæteros quoque iiſdem è locis manaſſe. Verùm non deſunt qui ſatis probabiliter conjiciant diverſis in Synodis, diverſiſque temporibus editos. Huic ego ſententiæ ſic accedo, ut magnam partem ex Conciliis, quæ in Orientis præſertim tractibus ſub finem ſecundi, & initium tertii ſeculi habita ſunt; partim ex moribus qui per earundem regionum Eccleſias invalverant, tertio currente ſeculo, ſive unius, ſive quod veriſimilius videtur, plurium Antiſtitum opera collectos exiſtimem: neque aliud voluit illuſtriſſimus Marca, cùm paulò poſt Iconienſem anni 258. Synodum in lucem exiiſſe ſcripſit hanc Collectionem. Itaque Orientales Epiſcopi ſub illud tempus antiquas diſciplinæ Regulas & Traditiones, vel ab Apoſtolis acceptas reverà, vel quas ab iiſdem accepiſſe videri volebant, in unum Codicem conjecerunt: cui ut majorem conciliarent autoritatem, *Canones Apoſtolorum* appellarunt, & Clementem Petri diſcipulum ac ſucceſſorem pro illorum collectore venditarunt; idque fortè, quemadmodum non inſcitè ſuſpicatur Marca, ut Stephano Romano Pontifici, vetuſtioris longè Pontificis nomen opponerent.

8. De horum Canonum Apoſtolicorum numero.

VIII. NUMERUM horum Canonum alii alium conſtituunt: Græci 85. habent, vel 84. duobus in unum collatis. Apud Latinos nonniſi 50. numerantur. At Canon 2. diſt. 16. ſub nomine Zephyrini Papæ ſexaginta, vel, quemadmodum alii legunt, ſeptuaginta agnoſcit: quanquam Bellarminus errorem in numero ſuſpicatur; & Polycarpus ex eodem Zephyrino quinquaginta tantùm numerat. Verùm hæc lis ſatis facilè dirimi poterit, ſi dicamus ſub nomine Apoſtolorum reverà proditos fuiſſe quinque & octoginta Canones: ſed veris Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum virorum Traditionibus ac Regulis quædam ab hæreticis fuiſſe admixta, ita ut corrupti aut interpolati prodierint; quod & Epiphanius obſervavit: unde nihil mirum ſi non omnes ubique recepti fuerint, præſertim cum in Oriente compoſiti non pauca contineant ex moribus Orientalium Eccleſiarum, ab Occidentalium uſu aliena.

9. Eorum autoritas.
i Lib. adverſus Praxeam.
l Can. 2.
m Lib. 4 de fide Orthod. c. 14.

IX. AUTORITATEM eorum confirmare videtur, uti jam dictum eſt, Tertullianus [i], dum Canones Apoſtolorum ſcribit eſſe nobis per manus traditos: S. Athanaſius in Synopſi, (ſi quidem ea verè Athanaſii eſt) ubi eos numerat inter Hagiographa: Synodus ſexta in Trullo [l] jubens eos poſthac firmos & ſtabiles permanere; atque omnium maximè S. Joannes Damaſcenus [m], qui eos inter Scripturas ſacras videtur recenſere. Accedit quod à Dionyſio Exiguo inſerti ſunt initio Codi-

Codicis Canonum Eccleſiæ Romanæ, atque ab Iſidoro Corpori Canonum præfixi, cujus in præfatione [n], eos cæteris Conciliis ſe præponere ait *propter eorum autoritatem ; & quod SS. Patres eorum ſententias Synodali autoritate roboraverunt, atque inter Canonicas Conſtitutiones poſuerunt*: quæ verba ſine dubio ad dictum Canonem 2. Synodi Quini-ſextæ referenda ſunt, cum illius quoque verba initio ejus Canonis 4. diſt. 16. habeantur : ideoque tribui non poſſunt Iſidoro Hiſpalenſi ante illam Synodum defuncto. Sunt tamen alterius Iſidori, qui ejus Corpus Canonum amplificavit ; qua de re infrà. Contrà Gelaſius Papa [o], verus Iſidorus [p] eos apocryphis adſcribunt : poſterior enim ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos fuiſſe affirmat. Ad hæc concilianda obſervandum eſt, Apocrypha eſſe duorum generum, alia quippe omninò rejecta atque damnata ſunt ab Eccleſia Catholica ; alia non improbata quidem, ſed è numero canonicorum, quibus à nonnullis inferebantur, rejecta. Hoc poſteriore ſenſu apocryphi ſunt omnes illi Canones nomine Apoſtolorum inſcripti : priore verò ſenſu illa duntaxat quorum ſententia receptæ in Eccleſia doctrinæ adverſatur. Generaliter verò quamvis omnes à Græcis admittantur, à Latinis tamen ex parte tantùm, hoc eſt *Quinquaginta* priores recipiuntur, ex Urbano II. apud Gratianum [q], ex Humberto Cardinali ſub nomine Leonis IX. [r] quos ſequitur Hincmarus Rhemenſis [ſ], illi nimirùm qui à Dionyſio Exiguo relati ſunt in Codicem Canonum. Quin & in quinquaginta illis prioribus multa contineri, quæ temporum progreſſu apud catholicos Occidentis non plenè obſervantur, & res ipſa docet, & palàm profitetur Martinus Perexius [t], adeò ut Michael Medina [u] ſcribere auſus ſit vix ſex aut octo in Latina Eccleſia obſervari: Quod ſanè hyperbolicè dictum, cùm nec tertia pars eorum in deſuetudinem abjerit ; & vix duo, tres ve reperiantur, quos palàm Eccleſia repudiet : Hi ſunt *Quadrageſimus ſextus* cum *Quadrageſimo ſeptimo* de Baptiſmate hæreticorum non recipiendo (quos tamen duos Canones adhibita diſtinctione ſervari adhuc non abſurdè dici poteſt) & *Quinquageſimus* de trina merſione in Baptiſmo neceſſariò uſurpanda. Nam *Sextus* de uxore ab Epiſcopo aut Presbytero non abjicienda, alium habet intellectum, ab eo quem nonnulli putant ; fortaſſe & *Decimus* de iis qui Eccleſiam ingreſſi communionem non percipiunt ; & *Vigeſimus* de Clerico fidejuſſionibus inſerviente, ac *Vigeſimus ſeptimus* qui non omnibus Clericis, ſed Lectoribus tantùm, Cantoribuſque conjugium permittit. Vide Joan. Beveregium in Pandectis Canonum, ſive Synodico, & Joan. Baptiſtam Cotelerium in notis ad Clementem.

n Relata Can. 4. diſt. 16.

o Can. 3. diſt. 15.

p Can. 1. diſt. 16.

q §. Verum ſciendum poſt Can. 6. diſt. 32.

r Can. 3. diſt. 16.

ſ In Opuſculo 55. capitulor.

t De Traditionib. parte 3. c. de autoritate Canon. Apoſtolic.

u Lib. 5. de ſacratorum hominum continentia c. 165.

CAPUT III.

De Antiqua Canonum Collectione, quæ Prima vulgò habetur.

1. Tempus primæ Canonum Collectionis.

I. SI Canones Apoſtolorum pro prima & antiquiſſima Canonum collectione accipiantur, SECUNDA erit, quæ vulgò Prima cenſetur. Eam Theodoſii Magni tempore circa annum 385. compoſitam fuiſſe ſuadet, quòd in Conſtantinopolitana 1. Oecumenica II. Synodo anno 381. habita, deſinat; ut colligitur ex Dionyſio Exiguo in Præfatione ſuæ epiſtolæ ad Stephanum Epiſcopum, interpretationi Græcæ collectionis, & codici Canonnm præfixa, ſub finem.

2 De Autore hujus primæ Collectionis.

a Lib. 3. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 3.

b Lib. 1. Eccleſ. Hiſtoriæ cap. 5. ſub medium apud Valeſ. c. 8. & 9. tit. Lib. 2. cap. 17.

II. STEPHANUM Epiſcopum *Epheſinum* hujus collectionis autorem præferebat vetus codex mſ. in Bibliotheca Palatina, uti à Chriſtophoro Juſtello ſe accepiſſe tradit Petrus de Marca [a]: ſed hic Stephanus ſeculo ſequenti vixit, & Concilio Chalcedonenſi interfuit; ideoque ſequentis potiùs collectionis autor eſt credendus. Aliis videtur opera *Sabini* apud Heracleam in Thracia Macedonianorum Epiſcopi concinnatum hoc opus fuiſſe; quod ex Socrate [b] opinor, inſinuat Antouius Auguſtinus è Societate JESU in Præfat. 2. Epitomes Juris Pontificii ab Auguſtino Archiepiſcopo Tarraconenſi compoſitæ. Et Socrates conſarcinatam à Sabino refert collectionem Canonum è variis Conciliis. Eam tamen ſic deſcribit, ut diverſam ab hac fuiſſe appareat. Hæc enim Canones dumtaxat continet: Sabinus autem collectione ſua diverſarum Synodorum acta quoque complexus ſuum de ipſis Epiſcopis Canonum autoribus judicium interponebat, geſtorum nonnulla de induſtria prætermittens, quædam pervertens atque immutans, ut ad inſtitutum ſenſumque ſuum pertraheret. Nam & convellendæ Nicænæ fidei cauſa, Antiſtites ejus Concilii tanquam imperitos deridebat, teſte prædicto Socrate: ex quo etiam patet aliorum Conciliorum geſta à Sabino fuiſſe conſcripta, quàm eorum quorum Canones hac collectione comprehenſi leguntur, veluti Seleucienſis [c]. Quo igitur autore concinnata hæc collectio fuerit, mihi quidem nondum liquet.

c Lib. 2. cap. 39. & lib. 3. cap. 10. & 25.

3. Vbi edita.

III. IN Orientali Imperio eſſe editam, inde patet, quòd topicarum, ſive particularium Synodorum Canones non alios continet, quàm earum quæ in Aſiaticis diœceſibus celebratæ ſunt.

4. Ejus ordo & quot Canonibus conſtaret.

IV. IN ea hic ordo ſervatus eſt, ut poſt Canones *Nicæni* Concilii, cui utpote I. Oecumenico is honos habitus eſt, ut etiam antiquioribus præponeretur; in reliquis, temporis, quo unumquodque habitum eſt, ratio habeatur: Earum autem omnium Canones non diſtinctè tanquam diverſarum Synodorum placita; ſed perpetua ſerie per eandem numerorum conſequentiam, tanquam ejuſdem corporis membra ponantur. Id verò magna cautione ea de cauſa introductum videtur, ne quis ſuppoſititios Canones facilè inſerere poſſet, quod in ſeparatim editis facilius ſactu fuiſſet, quàm in conjunctim digeſtis, & continuo inter ſe ordine connexis. Et verò ejus ordinis, & veterum numerorum autoritate uſi Antiſtites Africani in ſexto Carthaginenſi Concilio, Nicænæ Synodi Canones tantùm viginti

admi-

Digitized by Google

admiſere. Eodem præjudicio Gallicani Præſules in Concilio Pariſienſi non facilè paſſi ſunt in cauſa Prætextati Epiſcopi Rotomagenſis Canones his aliunde adjectos pro certis obtrudi, quemadmodum teſtatur Gregorius Turonenſis [d]. Sic etiam Hincmarus Remenſis [e] adverſus Hincmarum Laudunenſem [f] ſub Carolo Calvo eos refellit, qui antiquis ignotos Canones in Concilium Nicænum inſinuare nitebantur. Eam autem numerorum conjunctionem ab hac prima Collectione manaſſe docet Dionyſius Exiguus [g], qui ſic habet, *Regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt à primo capite ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habetur in Græca autoritate, digeſſimus*. Autoritatem intelligit hujus Collectionis, quæ ultrà Canones Synodi Oecumenicæ 2. nullos poſteriores complectebatur. Horum porrò numerorum ſic ineunda eſt ratio, ut 20. Canonibus Synodi Nicænæ, adjiciantur 24. Canones Synodi Ancyranæ, 14. Neo-Cæſarienſis, 20. Gangrenſis, 25. Antiochenæ, 59. Laodicenæ, cum tribus Conſtantinopolitanæ primæ, ex quibus omnibus ſimul junctis conſurgit numerus 165. Canonum.

d Hiſt. Francor. lib. 5. c. 18.
e In opere 55. capitulor.
f Cap. 21.
g In epiſtola ſupranotata.

V. EJUS autem Collectionis maxima ſemper fuit in rebus ac judiciis Eccleſiaſticis autoritas, eamque in Conciliis unà cum Libro Evangeliorum ad decidendas quæſtiones adhiberi conſtat ſolitam: id vel ex Chalcedonenſi Concilio facilè probari poteſt. Ejus quippe *Actione* 4. & 11. recitantur Synodi Antiochenæ Canones 4. 5. 16. & 17. non ſub ejus Concilii nomine, aut ſub numeris quibus in ea Synodo prænotantur; ſed generaliter ex Codice Canonum, & ſub notis numerorum ejuſdem Codicis, tanquam ſcilicet Canones 83. 88. 95. & 96.

5. Autoritas hujus Collectionis.

VI. ITAQUE, licèt in hanc Collectionem, unà cum duarum univerſalium Synodorum Canonibus collati ſint Canones particularium quinque Synodorum, quæ ab initio robur ſuum nonniſi intra ſuas queque Provincias, id eſt, intra diœceſes Ponticam, & Aſianam, atque Orientis obtinebant: tamen recepta per Eccleſias hac Collectione, eandem æquè vim omnes ubiq; habere cœperunt. Numerorum ipſa conſequentia ſatis probare videtur hos Canones cunctos, quantumvis inæqualium Conciliorum, vi tamen ac poteſtate invicem exæquatos fuiſſe. Id certè ex eo tempore præſertim valuiſſe fatendum eſt, ex quo confirmati ſunt Canone primo Concilii Chalcedonenſis, relato in Canone 14. *à Sanctis*, xxv. quæſt. 1. quo decretum eſt Regulas SS. Patrum per ſingula Concilia ad ea uſque tempora conſtitutas valere, ac plenum robur obtinere. Atque hoc generaliter dictum, Zonaras & Balſamon de ſpecialibus Synodis intelligendum eſſe diſputant; eòque reſpicit Juſtinianus [h], dum cavet, *Ut vicem Legum obtineant Canones Eccleſiaſtici à SS. quatuor Synodis, tum editi, tum etiam confirmati*. Hac enim voce indicantur Canones quinque Localium Synodorum, qui reverà in Chalcedonenſi Concilio confirmati fuerant. Sed omnem dubitationem ſuſtulere Synodi duæ Trullana [i], ac deinde Nicena 2. Oecumenica 7. [k], quarum illa palàm nominata unaquaque Synodo, hæc verò diſtinctè indicatis localibus, mentem Chalcedonenſis clariùs explicuerunt.

6. Ex ea receptæ in univerſum particulares quinque Synodi, œcumenicis adjectæ.

h Nov. 131. c. 1.
i Can. 21.
K Can. 1.

VII. VERUM Collectio hæc Latinis incognita fuit uſque ad tempora ſaltem Concilii Chalcedonenſis, aut certè nonniſi poſt illud Concilium recepta. Id probari poteſt ex epiſtola quam Innocentius I. anno

7. Tardiùs Latinis cognita

hæc prima Canonum Collectio. 405. ſcribebat ad Clerum Conſtantinopolitanum apud Socratem [l], nimirùm *Eccleſiam nullis Canonibus regi præterquàm Nicænis*: idemque ex Leonis I. Epiſtolis erui poteſt. Certè S. Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus Canonem Antiochenum 12. quo ſpes reſtitutionis aufertur Epiſcopo, qui à Synodo rejectus, ſedem ſuam citrà majoris Synodi inſtauratum judicium repetit, (cujus autoritate premebatur) nondum in ſua Thracica diœceſi admiſſum ſatis indicat apud eundem Socratem [m], cum ab Arianis editum fuiſſe contendit.

l Lib. 8. c. 26.

m Lib. 6. c. 17.

7. Cur recepti cum aliis Canones Antiocheni. VIII. ET verò mirum quibuſdam viſum eſt, cur Antiocheni illi Canones, Arianorum, ut creditur, fœtus, in Collectionem relati, in Chalcedonenſi Concilio, ut ſuprà obſervavimus, pro Regulis Eccleſiaſticis probati, uſu denique ubique recepti fuerint. Baronius, cum exiſtimaret univerſum Concilium Antiochenum ex Arianis fuiſſe conflatum, Canones ſub Antiochenorum nomine in Synodo Chalcedonenſi laudatos, ex alia Canonum Collectione, aliave Synodo Antiochena depromptos fuiſſe aſſirmat. Marcus Antonius de Dominis Canonem 12. Synodi Antiochenæ, qui Chryſoſtomo objiciebatur [b], & tanquam ab Arianis editus, tum ab eo, tum ab Innocentio I. Pontifice Romano explodebatur, putat non eſſe verum Canonem Antiochenum 12. ſed alium ab hæreticis confictum. Eademque ratione Samuel Petitus [n] non omnes Canones Antiochenos, ſed ſolùm illum 12. ab Arianis conflatum adverſus S. Athanaſium conjicit, ideoque prorsùs expungendum; quo pacto in concordiam ex ejus ſententia adducentur numeri Canonum, qui in recentiore Collectione apud Zonaram & Balſamonem habentur, cum numeris hujus antiquæ Collectionis qua uſi ſunt Patres Concilii Chalcedonenſis. Attamen quamvis inter Antiſtites Synodi Antiochenæ primas partes tenerent Euſebiani; conſtat nihilominùs ne tertiam quidem eorum Præſulum partem, id eſt, 30. ex 97. vel 99. clàm cum Arianis ſenſiſſe, teſte Julio Pontifice Maximo in Epiſtola quæ extat apud Athanaſium [o]. Canones autem Concilii Antiocheni, ipſumque 12. qui in cauſa S. Chryſoſtomi proferebatur, eoſdem eſſe omninò cum iis, qui in Concilio Chalcedonenſi probati ſunt, patet ex collatione numerorum à nobis ſuprà indicata. Quantum ad 12. illum Canonem; in eo, non, ut quibuſdam viſum, prohibetur appellatio, ſed ſpes reſtitutionis aufertur Epiſcopo, qui à Synodo dejectus ſedem ſuam repetit abſque novo majoris Synodi judicio. Diſcrimen autem numerorum inter priſcam & novam Collectionem, non ex eo oritur, quòd proſcriptum à Chalcedonenſibus Canonem 12. Antiochenum Zonaras, & Balſamon receperint; ſed quòd apud nos numerentur quindecim Canones Synodi Neo-Cæſarienſis, diſtracto in duo 13. cum in priſca Collectione nonniſi 14. numerentur. Verùm quòd Canones Antiocheni in antiquum illum codicem conjecti ſint, ea ratio eſt, quòd codex ille ex Oriente prodierit, ut jam diximus. Quòd autem in Occidente & apud Latinos non ſtatim recepti fuerint, cauſa hæc eſt, quòd Orientales Epiſcopi, qui Antiochiam convenerant, malè apud Occidentales audirent ob confirmatam Tyrii Conciliabuli adversùs Athanaſium ſententiam; qua in re Catholici cum Semi-Arianis ſive Euſebianis in Synodo Antiochena conſenſerant, quòd res ſuarum diœceſeon ad Romanam Eccleſiam deferri ægrè paterentur. Unde & in Synodo Sardicenſi Orien-

n Lib. 3. variar. lect. cap. 4.

o Apologia 2.

ſi Orientales ab Occidentalibus diſceſſere: ex quo factum eſt ut apud hos Arianiſmi ſuſpicione laborarent: eaque de cauſa rejecti ſunt initio à Latinis Canones Antiocheni, ac præſertim ille 129. nondum recepta in Occidente hac Canonum Collectione. Poſteà tamen ex Concilii Chalcedonenſis decreto ſuprà laudato admiſſi ubique ſunt. Quamvis enim Antiochena fidei Formula, quòd Nicænæ obliquè adverſaretur, orthodoxis improbata fuerit: Canones tamen ejus Synodi ad Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes, quòd maxima ex parte ad mores componendos & conſtituendam Eccleſiæ politiam conducerent, non ita damnati ſunt. Neque id novum eſt: ſemper enim hæc duo in Conciliis diſtinguuntur, Dogmata fidei, & Canones ſive Regulæ morum ac rituum. Sic Conſtantinopolitanæ 1. Synodi Fides quidem ſtatim ubique terrarum ſuſcepta eſt, Canones non ſtatim ubique probati ſunt, ut ſuprà demonſtratum eſt ex Innocentii I. Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum apud Socratem & Sozomenum. Id Gregorii quoque I. ſententia 31. [p] probat. *Romana*, inquit, *Eccleſia eoſdem Canones*, nimirum Conſtantinopolitanos, *vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod per eam contra Macedonium definitum eſt*. Idemque de Chalcedonenſi Concilio à Gregorio eodem pronunciatur [q]. Nec verò damnatio B. Athanaſii ſolo illo Canone 12. Synodi Antiochenæ nitebatur, qui poſt ejus reſtitutionem editus, non niſi per ſummam injuriam ad ipſius cauſam, utpote jam definitam, trahi poterat.

p Lib. 6.

q Lib. 5. epiſt. 14. & lib. 7. epiſt. 46.

9. Cur non inſerti primæ huic Collectioni Canones aliarum per ea tempora Synodorum.

IX. CUM hæc Collectio poſt Synodum Conſtantinopolitanam 1. & anno Chriſti 381. compoſita fuerit, quæri poteſt, quid cauſæ ſit cur in eam relati non fuerint Canones quorundam Conciliorum illis quinque Localibus per Aſiam habitis celebriorum, præſertim *Arelatenſis* I. & *Sardicenſis*: quorum *Arelatenſe* adverſus Donatiſtas ex omnibus Occidentis Provinciis mandato Conſtantini celebratum in Gallia, antiquius erat Nicæna Synodo; & à S. Auguſtino [r] Plenarium, & Univerſale, & univerſæ Eccleſiæ Concilium appellatur: *Sardicenſe* verò Oecumenicum & ipſum dicitur à Juſtiniano [ſ], quod ab Epiſcopis in 5. Synodo Oecumenica dictatum fuiſſe tradit Hincmarus Rhemenſis [t], & quod in Romana Conciliorum editione, inter œcumenica refertur ſtatim poſt Nicænum, cujus velut appendix habetur. Horum aliorumque ſimilium Canones, nec pietate, nec doctrina Orientalium Synodorum Canonibus quidquam concedunt. Verùm, ut jam indicavimus, autor hujuſce Collectionis Orientalibus præſertim ſuis laboravit; Occidentalium autem Canones vel omninò incognitos, vel nondum ſaltem uſu receptos in Oriente, ſilentio tranſmiſit: & quamvis Sardicenſe Concilium *in Orientis partibus habitum fuerit*, ut loquitur Nicolaus I. [u] ejuſque Canones non tantùm Latinè, ſed etiam Græcè ab initio conſcriptos fuiſſe probabile admodum ſit; non tamen confeſtim à Græcis & reliquis Orientalibus admiſſum eſt, quòd hi magna ex parte ab Occidentalibus, à quibus ea Synodus abſoluta eſt, diſſentirent, tùm in fide aliquatenùs diſcordes, tùm maximè in iis quæ de appellatione ab omnibus Eccleſiis ad Sedem Romanam in ea Synodo decreta fuere: quare & à Concilii loco diſceſſerant. Hinc fit ut in antiquæ Præfatione Concilii Sardicenſis, quam Adrianus I. Pontifex in ſua Collectione Canonum Carolo Magno oblata re-

r lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. atque epiſt. 162.

ſ Indicto de fide

t In opere 55. capitulor. c. 26.

u Can. ult. diſt. 16.

petiit, annotetur, Sardicenſes Canones non apud Græcos, ſed magis apud Latinos inveniri: Eòque ſpectat quod Photius ſuo adhuc tempore ad Nicolaum I. ſcribebat Canones Synodi Sardicenſis in Orientis Eccleſiis minimè ſuſcipi, ut colligitur ex epiſtola Nicolai ad Clerum Conſtantinopolitanum. Non abs re tamen arguitur à Nicolao Photius: nec multò poſt Synodum Chalcedonenſem ſuſceptos à Græcis quoque, aut certè ab Orientalibus Catholicis Canones illos Sardicenſes, ex dicendis patebit.

C A P U T IV.

De Veteri altera Græca Collectione poſt Chalcedonenſe Concilium edita.

1. Tempus & occaſio hujus Secundæ Collectionis.

I. POST Chalcedonenſe Concilium cujus Canone 1. cautum fuerat Canones, ſive Regulas SS. Patrum per ſingula eouſque Concilia conſtitutas proprium robur obtinere atque obſervari, additi ſunt apud Græcos ſuperiori collectioni trium Conciliorum Generalium Canones, Conſtantinopolitani quidem ſex (cum in priori Collectione tres tantùm deſcripti fuiſſent) Epheſini octo, Chalcedonenſis viginti novem; ità ut tota Collectio, qualis à Chryſtophoro Juſtello edita fuit, conſtaret 207. Canonibus.

2. An dicenda Collectio Canonum Eccleſiæ univerſæ.

II. HÆC eſt antiqua Collectio ſub titulo *Codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ* vulgata anno 1610. à prædicto Juſtello. Verùm titulus ille nimis ſpecioſus & generalis viſus eſt Franciſco Florenti [a], & illuſt. Pet. de Marca, qui cenſent inſcribendam potiùs Collectionem Canonum Orientalium, quemadmodum Martinus Bracarenſis, Dionyſius Exiguus, & Hadrianus I. ejus generis collectanea appellarunt: quòd ſcilicet multorum æquè celebrium Conciliorum, præſertim Occidentalium, Canones in eo Codice deſiderentur. Juſtellum tuetur Henricus filius in Præfatione quam ſecundæ ejus codicis editioni præfixit. Et verò ſi hæc collectio eatenùs ſpectetur, quatenùs priorem comprehendit centum ſexaginta quinque Canonibus Synodorum ſeptem compoſitum: eo ſanè ſenſu codex Canonum Eccleſiæ univerſæ dici poterit, quòd nihil contineat non ubique in utraque tam Latina, quàm Græca Eccleſia receptum. Sed ſi ſpectetur quatenùs complectitur plures, quàm tres Conſtantinopolitanæ Synodi Canones, unà cum Epheſinis, & omnibus Chalcedonenſibus, omiſſis Concilii Sardicenſis Canonibus, nec primam collectionem ſinceram nobis dediſſe videtur, nec ſecundam integram.

3. Hujus Collectionis autor.

III. HANC ego potiùs quàm priorem collectionem *Stephano* illi Epheſino, de quo ſuperiori capite dictum, aſſignandam facilè crediderim; utpote cujus in Chalcedonenſis Concilii (à quo ea autoritatem accepit) non modò ſubſcriptionibus, ſed etiam actionibus mentio habeatur. Idque eò probabilius cenſeo, quòd Canones Epheſini, ad dogmata magis fidei, & condemnationem Neſtorii ac Cæleſtii quàm ad morum diſciplinam ſpectantes, ab eo in honorem civitatis ſuæ, præter morem

morem inſerti videri poſſunt: contrà verò prætermiſſi Sardicenſes Aſianis minùs accepti ob appellationes ad Sedem Romanam.

4. Debuerant inſeri huic Collectioni Canones Sardicenſes.

IV. NEC ſanè erat quòd Canones Synodi Sardicenſis in hac Collectione omitterentur; quandoquidem in Oecumenica Synodo Chalcedonenſi confirmati fuerant, ut jam obſervavimus, Canones omnium Synodorum priùs habitarum, & ſic ſublata omnis, quæ apud Græcos anteà fuerat, de Sardicenſibus dubitatio; qui non perinde ac reliqui Occidentalium Conciliorum Canones, Græcis incogniti eſſe poterant. Sanè enim Sardicam, quæ Dardaniæ in Illyrico civitas erat, unà cum Occidentalibus 270. circiter Epiſcopis convenerant 70. ſaltem Orientales: & Sardicenſis illius Synodi decretum, quo fides Nicæna ab Epiſcopis Occidentalibus ſancita fuerat, ſub nomine Tomi Occidentalium confirmatum fuerat Conſtantinopolitanæ 1. Synodi decreto [b], ut agnoſcunt Zonaras, & Balſamon [c].

[b] Can. 5.

[c] Ad eum Can. 5

CAPUT V.

De alia Collectione Theodorito à quibuſdam adſcripta.

1. Superiori proxima Collectio alia Græca.

I. PAULO POST ſuperiorem collectionem, fortè & eodem tempore, alia prodiit, non multùm quidem, ſed tamen aliquantum diverſa, adjectis nempe Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, & Sardicenſibus, auctior; quorum illi ob nominis Apoſtolici reverentiam in fonte collati, hi poſt Neocæſarienſes, ante Gangrenſes interjecti. In quo ſervatus ordo temporum: ſiquidem in libello Synodico, qui Græcè ante 700. atque ampliùs annos ſcriptus omnes Synodos, tam Orthodoxas, quàm hæreticas breviter complectitur, Synodus Cæſarienſis Pontica Vitalis, hoc eſt, Neo-Cæſarienſis, trigeſima numeratur; Sardicenſis quadrageſima quarta; Gangrenſis ſeptuageſima prima: niſi fortè Nicænæ Synodi Oecumenicæ primæ honori datum eſt, ut poſt Ancyranam & Neocæſarienſem, quæ illa antiquiores ſunt, ſtatim ſubjiceretur Sardicenſis, quæ Nicænæ velut appendix eſt habita.

2. Ordo hujus Collectionis.

II. HUJUS Collectionis ordinem ex Indice ante Joannis Scholaſtici Collectionem deſcripto eruere licet. Is quippe in præfatione ſua fatetur non à ſe primùm adornatam Canonum collectionem, ſed adjunctos reliquis Canones S. Baſilii, ad diverſum ordinem inſtitutum. Unde liquet, ſecluſis Baſilii Canonibus, reliquos, quibus ipſe uſus eſt, jam ab aliis collectos fuiſſe, nempe Apoſtolorum 85. Nicænos 20. Ancyranos 25. Neocæſarienſes 14. Sardicenſes 21. Gangrenſes 20. Antiochenos 25. Conſtantinopolitanos ſex, Epheſinos 7. Chalcedonenſes 27. Sic enim in ejus ſyllabo recenſentur: atque ita tota hæc collectio trecentorum & quindecim Canonum numerum complecteretur.

3. Extat hæc Collect. in Codd. mſſ.

III. NEC verò Index tantùm hujus collectionis in fronte operis Joannis Scholaſtici extat; ſed ipſa Collectio, expanſis Synodorum Canonibus, habetur in codice mſ. Regiæ Bibliothecæ, itemque in altero Bibliothecæ Seguerianæ: aucta quidem illa in utroque codice Epiſtolis Canonicis Pa-

Prænot. Canonic. Doujat. trum

trum Græcorum, aliiſque opuſculis; verùm utrobique juxta Synodorum & Canonum ſeriem quam indicavimus, omninò digeſta.

4. Eadem à Iuſtiniano roborata. a Cap. 1.

IV. HÆC eſt Collectio quam confirmavit Juſtinianus Novella 131. [a] cum ſanxit vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas Regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis (Oecumenicis nimirum primis) expoſitæ ſunt, aut confirmatæ; quo ultimo vocabulo intelliguntur Canones Topicarum Synodorum, quas generali nomine confirmarunt Patres Concilii Chalcedonenſis. Quæ quidem Novella 131. vel certè ejus Caput primum, ad calcem hujus Collectionis adſcribebatur, quemadmodum teſtatur idem Joannes Scholaſticus. Ejus cap. hæc ſunt verba: *Θεσπίζομεν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς Κανόνας, τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων Συνόδων ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας· τουτέστι τῆς ἐν Νικαίᾳ τῶν τιη. καὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν ρν. ἁγίων Πατέρων, &c.*

5. De hujus Collectionis autore variæ ſententiæ.

V. EJUS quis autor fuerit incertum eſt. Alii Theodoritum Epiſcopum Cyri, de quo paulò pòſt accuratiùs dicetur; alii Theodorum Abbatem, vel Theodotum opinantur. De *Theodoro* levis eſt conjectura, ex eo deducta, quòd hypotheſes, ſive argumenta Conciliorum, quæ in cujuſque limine appoſita præfert codex Regius, eaque diverſa ab aliis earundem rerum narrationibus, quæ apud Zonaram & Balſamonem, alioſve occurrunt; Theodoro Deo amatiſſimo vel ſacratiſſimo Abbati, & ſapientiſſimo Philoſopho attribuit illius Codicis ſcriptor, ante Epheſinam & Chalcedonenſem Synodos; & Theodoro ſine addito ante Nicænam. Sed viva voce, non ſcripto ab eo traditas ejuſmodi hypotheſes ibidem annotatur. Nec ex iis certò colligi poteſt aut totam collectionem ab illarum autore compoſitam, aut quis fuerit ille Theodorus Abbas. Nam Studites, & alii ejuſdem nominis Abbates, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria memorantur, longè poſt hujus collectionis tempora vixerunt. *Theodorus* laudatur ab illuſtriſſimo Petro de Marca [b] adjecto Theologi titulo. Franciſcus Turrianus in opuſculo quod ſcripſit pro Canonibus Apoſtolorum, hanc collectionem *Conſtantino* Scholaſtico P. Cp. adſcribit: Antonius Auguſtinus [c], & Alemannus [d] *Joanni Scolaſtico*, quem ea quidem uſum non dubito. Verùm ne illius ipſum autorem exiſtimem, facit quòd toto fermè ſeculo poſterior ſit Concilio Chalcedonenſi: at brevi poſt illud hanc collectionem prodiiſſe mihi prorsùs eſt perſuaſum, tum ex iis quæ initio hujus capitis dicta ſunt, tum ex iis quæ mox ſubjungentur.

b In diſſert. de prim. Lugdunenſi.
c In præfat. ad antiq. Collect. Decretal.
d In notis ad Procopii anecdota.

6. Maximè probabilis opinio.

VI. PROBABILIOR itaque, licèt non indubitata, mihi videtur eorum ſententia, qui *Theodorito* hanc collectionem aſſignant: quandoquidem in ſuprà memorato Codice Regio hæc Epigraphe occurrit, *Συναγωγὴ Κανόνων εἰς ν. τίτλους διῃρημένων παρὰ Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου τοῦ Κύρρου.* Unde veriſimile admodum videtur ab hoc Cyrrhi in Euphratenſi Orientis provincia Epiſcopo, conditam fuiſſe Can. Collectionem: quod Florens ſuprà laudatus tradidit, ſequutuſque eſt illuſt. Pet. de Marca. Fatendum ſanè eſt Titulum illum in id tantùm valere, ut aliquam Canon. Collectionem à Theodorito prolatam pronunciemus. Cæterùm Collectio quæ ſub hoc Titulo eſt in Regio codice mſ. Joannem Scholaſticum autorem nominat, nihilq; differt (quod ad Titulos & Canones attinet) à Nomo-Canone nuper edito ſub Joannis illius Scholaſtici nomine, de quo pòſt ſuo loco. Nec fortè verior eſt alia poſterior opinio nunquam ſatis laudati Archiepiſcopi,

viva

viva voce mecum ab eo noſtris communicata. Is enim [e] cum poſt Franciſcum Florentem, cenſuiſſet Collectionem illam prædicto Codice Regiæ Bibliothecæ comprehenſam, & in quinquaginta Titulos ita diſtributam, ut plurium Canonum ex variis Synodis deſumptorum, qui ad unumquodque genus negotii referri videbantur, velut cumulus, ſub eoſdem titulos, qui materiæ cujuſque quaſi ſedes eſſet, conjicerentur. Cùm inquam exiſtimaſſet opus illud, quantùm ad Canonum compilationem, eſſe Theodoriti, ſed à Joan. Scholaſtico civilium conſtitutionum collatione ad ſingulos Titulos addita locupletatam; poſteà aliter ſentire cœperat, & hac tota Nomo-Canonica Collectione Joanni addicta, aliam augurabatur fuiſſe à Theodorito priùs conflatam; ſed alio rerum ordine, & Titulis ſexaginta diſtinctam; quæ Collectio ad nos non pervenit. Ejus conjecturæ rationem ex eo deducebat, quòd Joannes ille Scholaſticus in ſua Præfatione ait ab aliis priùs editam fuiſſe Collectionem in ſexaginta Titulos (prætermiſſis tamen Baſilii Canonibus) atque ita ut ſimilia ſimilibus, quemadmodum oportuerat, coaptata non eſſent: ex quo apparet vetuſtiorem proculdubiò fuiſſe Collectionem ſexaginta Titulorum, quàm quæ Titulis quinquaginta conſtabat. Priorem autem illam nemini judicabat convenientiùs adſcribi poſſe, quàm Theodorito. Verùm quantum ad Collectionem ſexaginta Titulorum, non facilè adducor ut credam eam cum ea de qua hìc quæritur, ſecundum Canonum & Conciliorum ſeriem conſcripta quicquam habere commune; hæc enim undecim tantùm Conciliorum Canones, & cum his Apoſtolicos complectebatur; ex quibus omnibus tituli non ultrà duodecim confici videntur potuiſſe. Quapropter ad Sabini Macedoniani collectionem Actorum Synodicorum, cujus ante meminimus, referri poſſe ſuſpicor, quæ à Joanne Scholaſtico dicuntur. Veriſimilem nihilominùs duco partem alteram conjecturæ Illuſtriſſimi Præſulis; valdè quippe mihi probabile eſt, cùm Theodoritus veluti collectionis alicujus autor in manuſcriptis indicetur, id non temerè ſcriptum; nec verò alia occurrit illi potiùs adſcribenda Collectio, quàm ea de qua nunc agimus. Conſtat certè ipſum per hæc tempora rei omnis Eccleſiaſticæ peritiſſimum, nihil ferè quod eò pertineat non attigiſſe: & quidem Lib. 5. Hæreticarum fabularum, non admodum alienum ab hoc inſtituto argumentum pertractavit, tradita Epitome Divinorum Decretorum, ubi præcipua Fidei capita, ab Hæreticis impugnata, firmis adſtruit rationibus. Quidni ergò probabili indicio adducti conjiciamus eundem, quæ ad Mores ac Diſciplinam ſpectabant, collegiſſe. Sic igitur circa annum 460. in lucem exierit hæc Collectio.

e Lib. 3. de concord. Sacerdotii & Imperii c. 3.

VII. NEGANT Juſtellus aliique hanc collectionem eſſe Theodoriti: quod enim ab illis dicitur de ea collectione quæ verè eſt Joannis Scholaſtici, id de hac non minùs dici poteſt. Tribus autem potiſſimùm rationibus nititur eorum ſententia. Primùm, quod Canones Apoſtolicos numero 85. hæc collectio comprehendat: ſecundò, quod Canonem 20. Concilii Chalcedonenſis expungat, quem tamen agnoſcunt Græcæ aliæ collectiones: tertiò quod in hac collectione contineantur etiam Canones Concilii Sardicenſis, Græcis ea tempeſtate, aut ignoti, aut exoſi, ut ipſi exiſtimant. Sed de Canonibus Apoſtolorum abundè capite primo diſſeruimus: Canonem autem 28. Chalcedo-

7. Diluuntur contrariæ rationes.

nenſis Synodi, etiamſi referant Collectiones Græcorum poſteriores, veluti Photii, Zonaræ, & Balſamonis; antiquæ tamen quæ in mſſ. Codicibus Regiæ & Segucrianæ Bibliothecæ habentur, nonniſi viginti ſeptem ejus Concilii Canones complectuntur, omiſſo XXVIII. quod & Dionyſius Exiguus ſequutus eſt in verſione antiquæ collectionis, & Theodorus Anagnoſtes ſive Lector [b]. Licèt autem Canones Sardicenſes in antiquiſſima Græcorum collectione prætermiſſi fuerint; conſtat tamen ex iis quæ diximus, ſequentibus collectionibus poſt Synodum Chalcedonenſem editis inſertos fuiſſe: eaque non contemnenda ratio videri poteſt cur ſecundæ collectionis autor cenſeatur Theodoritus, quòd illi Canones in eam relati ſint. Si quis enim Græcorum Sardicenſibus Canonibus honorem impertiendi cauſam habuit, is fuit imprimis Theodoritus, cui Canones illi maximo uſui fuere, cùm ſede ſua in Epheſina Synodo 2. per Dioſcorum Alexandrinum dejectus, eorum Canonum beneficio Sedem Romanam appellaverit, atque à Leone Pontifice in communionem receptus, & dignitati Epiſcopali reſtitutus, locum ſuum Imperatoris Decreto, & Synodi Chalcedonenſis irretractabili judicio (quemadmodum Leo ipſe loquitur) iterùm obtinuerit; itaque grati animi fuit Canones, quorum ope jus ſuum tutus fuerat, cæteris receptis Canonibus accenſere, eaque in re Orientalibus reliquis viam præire, cùm præſertim id ei ex Chalcedonenſis Concilii autoritate liceret.

b Lib. 1. Collectaneorum.

CAPUT VI.

De Collectione Trullana Synodo probata.

1. De Quini-ſexta in Trullo Synodo.

I. CUM generales Synodi V. & VI. Conſtantinopoli celebratæ, altera anno Chriſti 553. altera an. 680. Fidem tantùm adſtruxiſſent, damnatis eorum temporum erroribus; ſed nullos Canones edidiſſent: Græci Epiſcopi poſt annos à 6. Synodo, non quatuor, aut quinque duntaxat, (ut memorabat in VIII. Synodo Oecumenica Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus) ſed 27. tempore Juſtiniani junioris, coeuntes Concilium celebrarunt; quod Trullanum & Quini-ſextum eſt appellatum: *Trullanum* quidem, quòd in Trullo Palatii Conſtantinopolitani habitum eſſet, quemadmodum & VI. generalis Synodus. Trullus quid eſſet indicatum eſt lib. 2. cap. 5. & 8. *Quini-ſextum* dictum eſt hoc Concilium, quòd ejus Præſules videri vellent id quod V. & VI. univerſalibus Synodis deerat, ſuppleviſſe, editis diſciplinæ tuendæ cauſa Canonibus. Et ſanè Canones non parca manu condiderunt, nempè 102. quot nulla alia Synodus ediderat.

2. Ea Synodus quatenus apud Latinos recepta.

II. IN ea Synodo, quam & Sextam abſolutè Græci ſæpenumerò vocant, licèt ſuus Romano Pontifici ad ſubſcribendum relictus fuerit locus, & Gortynæus in Creta Epiſcopus, aliique velut ejus vicem implentes, cum aliis Orientalibus ſubſcripſerint: reverà tamen ſine Latinorum ipſiuſque Summi Pontificis interventu habita eſt hæc Synodus; nec

nec modò aliena à Romanæ Eccleſiæ uſu conſtituit, ſed receptum in ea Clericorum ſacratorum cælibatum damnare, atque acriter reprehendere non eſt verita. Unde ipſius Canones in Eccleſia Romana recepti non ſunt, niſi quatenùs ſuperioribus Synodis, & probatis moribus contrarium nihil continebant, ut poſteà Humbertus Cardinalis, Epiſcopus Silvæ candidæ, Leonis IX. Legatus, apud Græcos conteſtatus eſt.

III. EJUS ſecundo Canone pluribus tum Conciliorum Decretis, tum Patrum Græcorum reſponſis additum eſt Canonicum robur, unde orta eſt nova apud Græcos Canonum Collectio: itaque præter Canones *Apoſtolorum*, *Nicænos*, aliosque prioribus Collectionibus inſertos, recepti ſunt in hac Synodo Canones *Carthaginenſes*, & Canones præterea Synodi *apud Conſtantinopolim* ſub Nectario habitæ; deinde ad receptos jam *Baſilii* Archiepiſcopi Cæſaræ in Cappadocia Canones, alii adjecti ſunt, *Dionyſii* nempe & *Petri* Patriarcharum *Alexandrinorum*; *Gregorii* Neocæſaræ in Ponto Epiſcopi, *qui Thaumaturgus* eſt appellatus; *Athanaſii* quoque Patriarchæ Alexandrini; *Gregorii* Epiſcopi *Niſſeni*; *Gregorii* alterius, *Nazianzeni* ſcilicet, qui Theologus cognominatus eſt; *Amphilochii* Epiſcopi Iconienſis, *Timothei* & *Cyrilli Alexandrinorum*, ac *Gennadii* Patriarchæ *Conſtantinopolitani*. Ultimo loco in honorem B. Cypriani Martyris adjectus eſt etiam Canon *Synodi Africanæ*. Additur prohibitio ne quis ante dictos Canones adulterare, aliosve ab his admittere audeat, cujuſmodi à quibuſdam adjecta falſa inſcriptione compoſiti. Hinc apparet quibus ex Conciliis & quorum Patrum è ſcriptis coagmentata fuerit ex ejus Synodi præſcripto hæc Collectio; & quanta tunc Canonum moles ad priores Collectiones acceſſerit. De quorum aliquibus nonnulla videntur annotanda.

3. Probati in hac Synodo Canones complures, ex quibus nova Collectio.

CAPUT VII.

De Conciliorum & Patrum Canonibus hac Collectione additis ad ſuperiores, deque ejus Appendice.

I. CARTHAGINENSE Concilium in nova illa Collectione abſolutè nuncupatum, non tam unius, quàm plurium Africanarum Synodorum ſelectos Canones comprehendit, velut quidam Codex Canonum ejus Eccleſiæ, quemadmodum indigitavit Chriſtophorus Juſtellus, qui eum Codicem Græcè & Latinè, adjectis notis ſuis, edidit. Ea Canones Africanos 132. à Græcis receptos complectitur. Hi Canones jam anteà à primis uſque Imperatoris Juſtiniani temporibus in codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ relati fuerant à Dionyſio Exiguo; qua de re ſuo loco accuratiùs differemus.

1. Canonum Carthaginenſium nomine intelligitur Collectio Africana.

II. AT Concilium Carthaginenſe Cypriani longè antiquius eſt, utpote ann. 256. Sedem Romanam obtinente Stephano I. Romanis imperante Decio, ab Epiſcopis 84. habitum de iterando Hæreticorum

2. De Synodo Carthaginenſi Cyprianâ.

Digitized by Google

corum & Schiſmaticorum, ad Eccleſiam Catholicam confugientium, Baptiſmo. Ejus Canon ab Eccleſia in univerſum damnatus, non abſolutè hic probatur; ſed prout ſecundum majorum formam, & juxta conſuetudinem ab illis traditam obtinuit. Is hujus loci ſenſus intelligendus eſt: & quanquam, quod ad hæreticos attinet, ſatis ambiguè locutus
a Can. 1. ea de re videatur B. Baſilius [a]; tamen Trullanos Antiſtites ad Canonem Apoſtolorum 46. Concilii Nicæni XIX. maximè verò ad ultimum Canonem Conſtantinopolitanæ Synodi, Oecumenicæ 11. reſpexiſſe nihil dubito: ex quo quidem poſtremo Canone petenda eſt cæterorum vera interpretatio, ut ſcilicet eorum Baptiſma rejiciatur, qui ab uſitata Eccleſiæ formula in eo adminiſtrando recedunt; & ſic perperam tincti nec pro baptizatis habeantur, ſed baptizandi in Eccleſia veniant: non tamen baptizati ab iis hæreticis qui receptæ formæ inherent, & fidem Eccleſiæ in eo articulo ſequuntur.

3. *De Synodo Conſtantinopolitana Nectarii.* III. CONSTANTINOPOLITANUM autem Concilium, quod hic reliquis adjungitur, à *Nectario* ejus urbis, ac Theophilo Alexandrino Patriarchis habitum fuerat, anno 394. in cauſa Agapii & Bagadii de Boſtrenſi Epiſcopatu inter ſe contendentium.

4. *De Canonibus S. Dionyſii Alexandrini.* IV. QUOD ſpectat ad Patriarcharum, aliorumque Præſulum Græcorum Decreta, occurrunt 1. loco Canones S. DIONISII Patriarchæ *Alexandrini*, qui Heracleæ in ea dignitate ſucceſſiſſe legitur ſub exitum Philippi Arabis Imperatoris, & martyrium deinde paſſus ann. Chriſti 262. aut ſequenti. Is interrogatus per epiſtolam à Baſilide Epiſcopo Pentapolitanæ provinciæ, de diverſis articulis, reſponſum dedit, cujus capita quatuor pro Canonibus recepta fuerunt.

5. *De Canonibus S. Petri Alexandrini.* V. S. PETRUS Alexandrinus quoque Patriarcha fuit, Theonæ, qui poſt Dionyſium ſedit, ſucceſſor. Martyrium & ipſe ſubiit Imperatore Diocletiano circa annum 310. Decreta ſive Regulas quindecim ſcripſit, [a] circa Lapſos tempore perſecutionis.

a In Sermone de Pœnitentia.

6. *Gregorii Thaumaturgi.* VI. GREGORIUS, anteà Theodorus dictus, Neo-Ceſareæ in Ponto Polemoniaco Archiepiſcopus, cognomento *Magnus*, & à frequentibus editis miraculis THAUMATURGUS, poſtquam Origenem audierat, à Phedino Amaſenorum Præſule Epiſcopus eſt conſecratus, & in Decii perſecutione in ſolitudinem ſeceſſit. *Epiſtolam* Canonicam poſteà ſcripſit *de Pœnitentia* variorum delictorum, præſertim verò de *Idolothytorum participatione*, cujus extant Canones undecim. Obiit circa annum 266. Ejus vitam ſcripſit Gregorius Nyſſenus.

7. *Canones S. Athanaſii.* VII. ATHANASIUS, in Alexandrino Patriarchatu paulò poſt Concilium Nicænum Alexandro ſucceſſit, qui poſt Aquilam Petri ſucceſſorem eam Sedem tenuerat. Neminem latent ejus pro vera Fide labores adverſus Arianos, atque horum in illum diræ calumniæ, perſecutiones, atque irrogata ipſorum artibus exilia. Inter alia opera *Epiſtolam* ſcripſit *ad Ammum*, ſive Ammonem Monachum de nocturna ſeminis fluxione; tùm aliam *Epiſtolam* quæ inter feſtivas ſeu feſtales 39. numeratur, qua recenſentur *Libri Canonici* utriuſque Teſtamenti. Epiſtolam quoque ſcripſit *ad Rufinianum* Epiſcopum, ni fallor, *de Lapſis in hæreſim* admittendis ad Pœnitentiam, non tamen ad Clerum. Et hæ tres Epiſtolæ huic Collectioni fuerunt infertæ.

8. *De Epiſtolis* VIII. BASILIUS Cappadox, peractis apud Athenas cum Gregorio

Nazian-

Canonicis S. Baſilii.

Nazianzeno ſtudiis, in Eremum Ponticam ſeceſſit; ubi Monachum profeſſus, inſtituti Monaſtici Regulas conſcripſit. Inde revocatus adverſus Hæreticos, curam Cæſarienſis in Cappadocia Eccleſiæ ſub Euſebio Epiſcopo geſſit. Tandem Archiepiſcopus ejus civitatis anno 369. creatus quantumvis reluctans, brevi à Valente Ariano Imperatore variè vexatus, poſt multa præclarè geſta & tolerata, obiit anno 378. Ejus, præter cætera opera, extant *Epiſtolæ* tres *Canonicæ ad Amphilochium* Iconii Epiſcopum. Duæ priores continent 85. Canones: prima ſedecim priores, altera reliquos: tertia unico Reſponſo *De ciborum delectu* contra Encratitas, abſolvitur. Accedunt alia quoque in hanc Collectionem relata, nimirùm Epiſtola ad Gregorium *Preſbyterum*, ut à muliercula, cum qua habitabat, abſcederet; tum alia *ad Chorepiſcopos*, qua vetat abſque ipſius notitia quenquam ad ſacrum Miniſterium promoveri. Prætereà *ad Epiſcopos ſibi ſubjectos*, ne pecuniæ ab Ordinandis accipiantur. Additi ſunt ex Libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium, centones duo; ex capitibus videlicet 27. & 29. ubi de *Traditionibus* diſſerit, quò Fidem de Spiritu Sancto adſtruat. Adjectum eſt denique fragmentum ex ejus Epiſtola ad Nicopolitanos in Armenia minori.

9. De Gregorii Nyſſeni Canonibus.

IX. GREGORIUS, Magni Baſilii frater, Rhetoricis diſciplinis uſque ad invidiam excultus, ex conjugato factus eſt *Epiſcopus Nyſſenus* in Armeniæ minoris & Cappadociæ confinio: anno 369. pulſus ab Arianis, ac deinde reſtitutus in prima Conſtantinopolitana Synodo Oecumenica, ejus nomine *Symbolum* compoſuit, quod à reliquis Patribus comprobatum eſt. Ejus inter alia *Epiſtolam ad Letoium* Melitines in Armenia minori Epiſcopum habemus de vitiis & peccatis; quæ Canonicis eſt annumerata.

10. De S. Gregorii Nazianzeni Catalogo librorum Canonicorum.

X. GREGORIUS, cognomine *Theologus* ob eminentem ſacræ Scripturæ peritiam; poſtquam Athenis Oratoriam aliquantùm profeſſus erat, in Aulam fruſtrà vocatus à Juliano Imperatore, Monaſticam cum Baſilio vitam prætulit: à quo invitus Saſimorum Epiſcopus dictus eſt ann. circiter 371. Poſtea Patri in curanda Eccleſia Nazianzena adjutor factus, ex eo *Nazianzeni* titulum tulit. Conſtantinopolim deinde miſſus à Meletio Antiocheno adverſus Arianos, à Petro Alexandrino Epiſcopus ibi eſt conſtitutus, & à Concilio Oecumenico II. confirmatus: ſed ob turbas poſteà in eadem Eccleſia ortas abdicavit. Ex plurimis ejus operibus excerptum *Librorum ſacræ Scripturæ Catalogum* verſibus conſcriptum in hanc Collectionem inſerri placuit.

11. Iambi Amphilochii de ſacris Scripturis.

XI. AMPHILOCHIUS, Epiſcopus Iconii in Lycaonia provincia, cui falsò adſcribitur vita ſancti Baſilii, mendis ſcatens; tum alia opera, tùm *Iambos* de numero ſacrorum Codicum ſcripſit perinde ac Nazianzenus.

12. Timothei Reſponſa Canonica.

XII. TIMOTHEUS, Petri Alexandrini frater, poſt Athanaſium Patriarcha ipſe quoque electus eſt anno 380. & *Reſponſa Canonica* 17. edidit.

13. Cyrilli Alexandrini Epiſtola Canonica.

XIII. CYRILLUS, Theophili Patriarchæ Alexandrini ſorore natus, poſt eum ad eandem dignitatem provectus eſt anno 412. Scripſit adverſus Neſtorii hæreſim; & nomine Cæleſtini Papæ præfuit Epheſinæ Synodo, in qua damnatus eſt Neſtorius; ac poſt multas ab ejus ſequacibus ærumnas, mortuus eſt anno 444. Ex ejus Epiſtolis duæ ſunt *Canonicæ*,

nica, diſtributæ in Canones ſeptem, altera *ad Domnum*, altera *ad Epiſcopos Libyæ*, ac Pentapoleos.

14. Gennadii Conſtantinopolitani Epiſtola Encyclica. XIV. GENNADIUS Patriarcha *Conſtantinopolitanus* ob doctrinam & ſanctitatem creatus anno 458. poſt Anatolium, ſedit annos 14. Præter alia opera *Epiſtolam Encyclicam* compoſuit ad ſummum Pontificem & Synodum Romanam, contra Ordinationes quæ data pecunia fiunt.

15. Additamentum Collectionis proximè memoratæ. XV. TERTIÆ huic Collectioni poſt Nicænam II. Synodum, Oecumenicam VII. id eſt circa annum 790. acceſſerunt ejus Synodi Canones 22. quæ non tam nova collectio extitit, quàm ſuperioris Appendix.

16. Ejus primæ Editiones, tum Græca, tum Latina, non tamen totius. XVI. HUJUS porrò ejuſmodi Appendice auctæ Collectionis priorem partem, qua Apoſtolorum & Conciliorum Canones numero 598. continentur, primus apud nos ex Pictavienſi S. Hilarii Bibliotheca Græcè vulgavit anno 1540. Joannes Tilius Engoliſmenſis, poſteà Briocenſis, ac tandem Meldenſis Epiſcopus, qui in Epiſtola nuncupatoria ad Franciſcum Turnonium Cardinalem ſpem fecerat proferendi ex eadem Bibliotheca tomi ſecundi, qui ſanctorum Patrum Græcorum Epiſtolas Canonicas complectitur. Sed nec ab eo, nec ab alio, ſive ex eadem Bibliotheca, ſive ex Regia, purum ac ſine admixtione, Græcè vulgatum vidi, niſi quòd hæc omnia in Gentiani Herveti Latina Canonum verſione anno 1561. atque hoc ſeculo Græcè ſimul & Latinè in ſequenti mox Collectione publici Juris facta ſunt.

CAPUT VIII.

De Ultima Græcorum Collectione per Concilia.

1. Quid differat hæc Collectio à ſuperiori. I. POSTREMA Canonum per Synodos digeſtorum Collectio, quæ apud Græcos quarta habetur inter eas, quæ alicujus nominis atque uſus fuerunt, duplici ex capite à ſuperiori differt, primò quidem quantùm ad materiam, quòd duorum Conciliorum apud Conſtantinopolim congregatorum, vel potiùs Conciliabulorum Canones, quoſdam etiam Centones Patrum Eccleſiæ Græcæ contineat, ultra priorem, hæc Collectio. Præterea quantùm ad ordinem, quòd non idem omninò hic ſervatus ſit in collocandis Conciliis, qui hactenùs ſervatus fuerat: ſed minore habita temporum cura, omnes generales Synodi (excepta octava) & quæ pro generalibus à Græcis ſchiſmaticis habentur, locatæ reperiuntur ante omnes locales & minores, quamvis antiquiores: ita ut qui honor in prima Collectione delatus fuerat ſoli Nicænæ Oecumenicæ I. Synodo, is in hac ad reliquas œcumenicas porrectus fuerit.

2. Hujus Collectionis Autor, & quid ea contineat. II. AUTOR ejus putatur *Photius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, diſſidii Græcorum à Latinis, vel auctor, vel fautor præcipuus. Ille Collectionem hanc conſarcinaſſe videtur ſub Chriſti annum 880. poſt Concilium ſcilicet in Templo S. Sophiæ habitum anno 879. Pontifice Roma-

no

bo Joanne VIII. Quod quidem Concilium Oecumenicum VIII. Græci nuncupant, nobis Conciliabulum eſt. In eo quippe non modò poſt obitum S. Ignatii legitimi Patriarchæ, confirmata eſt Photii reſtitutio; ſed etiam vera octava Oecumenica Synodus, quæ Photium tanquam invaſorem dejecerat, abrogata; quin & vox illa, *Filioque*, ſublata eſt è Symbolo. Conciliabuli tamen illius à 383. Epiſcopis habiti Canones in hanc Collectionem relati fuerunt inter univerſales Synodos, unà cum Canonibus anterioris alterius Synodi anno 859. & 861. in Templo SS. Apoſtolorum congregatæ, quam 1. & 2. dixerunt, quòd cum primo congreſſu, poſt diſcuſſa dogmata, & Eccleſiaſtica negotia, diſſidium inter Epiſcopos ortum eſſet, nihil fuiſſet definitum: unde neceſſe fuit altero congreſſu prioris acta firmari. In ea Synodo Epiſcopi circiter 318. injuſtam Ignatii condemnationem, & illegitimam intruſionem Photii ratam habuerunt, præſentibus Nicolai Papæ Legatis; qui tamen anno ſequenti geſta illius Synodi penitùs abrogavit.

3. Hic inſertæ opuſcula Theophili Alexandrini, & Taraſii Conſtantinopolitani.

III. PRÆTER Canones Conciliorum & Patrum, qui Trullanæ Synodi Canone ſecundo memorantur, huic Collectioni inſerta fuerunt, tùm Concilia illa Photiana, tùm opuſcula duorum Patrum, quæ jam anteà, ni fallor, conjecta fuerant in Appendicem ſuperioris Collectionis, *Theophili* nimirum Alexandrini, & *Tharaſii* Conſtantinopolitani Patriarcharum. Prioris quidem opuſcula quinque, *Allocutio* nempe, cum ſancta *Theophania* in die Dominico inſtarent: *Commonitorium* Canonibus decem conſtans, quod Ammoni datum fuit, propter ea quæ geſta fuerant apud Lyco Ægypti civitatem; cum *Reſponſis* ſive *Epiſtolis* tribus: prima de iis qui dicuntur Cathari, aliæ ad Agathonem, atque ad Menam Epiſcopos. Cæterùm Theophilus Timothei ſucceſſor, circa annum 385. creatus Patriarcha Alexandrinus, ob perperam damnatum B. Joannem Chryſoſtomum ab Innocentio I. excommunicatus eſt: ſed acta, ut quidam tradunt, ante obitum pœnitentia, egregiam ſui memoriam reliquit ob damnatos Origeniſtas & præclara *de Cyclo Paſchali*, aliiſque rebus Eccleſiaſticis monumenta.

4. Hujus Collectionis Enarratores Græci.

TARASII verò Epiſtola in hanc Collectionem relata, ſcripta eſt è Concilio Nicæno II. anno 787. *de Ordinationibus per pecuniam* minimè faciendis, ad Adrianum Papam.

IV. HÆC illa eſt Græcorum Collectio, quam Joannes Zonaras Monachus, Alexius Ariſtinus, itidem Monachus, & Theodorus Balſamon Patriarcha Græcorum Antiochenus, homines ſchiſmatici Commentariis ſuis illuſtrarunt; quorum idcircò lucubrationes cautè legendæ.

5. De Synodicis, & Conſtitutionum Eccleſiaſticarum Sylloge.

V. HIS in Bibliotheca Juris Canonici à Guill. Voello, & Henr. Juſtello edita, adjecti ſunt tres Libelli Synodici, ſeu opuſcula de ſex, ſeptemve Synodis Oecumenicis primis, *Photii* ſcilicet, *Nili*, Metropolitæ Rhodii, & *Anonymi*. Præterea *Synodicon*, narrationem complectens omnium Synodorum ad Octavam uſque Oecumenicam; & *Balſamonis* Collectio *Conſtitutionum Eccleſiaſticarum*, è Codice, Digeſtis, & Novellis Juſtiniani, olim ſub nomine *Paratitlorum* à Leunclavio Latinè vulgata.

6. Græcorum Orthodoxa Collectio habet veram Octavam

VI. OBSERVANDUM hoc loco eſt in Codicibus quibuſdam manu exaratis inveniri veram Octavam Synodum Oecumenicam, quæ anno 879. pro Ignatio contra Photium celebrata eſt; & hæc legitima

eſt

Digitized by Google

Synodum Oecumenicam.

eſt cenſenda Collectio Græcorum, qui Romanæ Eccleſiæ adhærebant: illa altera Schiſmaticorum propria eſt.

7. Catalogus Synodorum & Patrum, quorum Canones hic ſunt expreſſi.

VII. NUNC operæ pretium fuerit Conciliorum & Patrum Græcorum, quorum Canones in hac Collectione continentur, ſyllabum adjicere: ut hinc cognoſcere quiſque poſſit quod ſit inter priores, & hanc ultimam Collectionem diſcrimen.

CATALOGUS CANONUM

Collectionis Græcorum Poſtremæ.

1. CANONES Apoſtolorum. 85.

Canones Conciliorum.

2. CANONES Concilii Nicæni, I. Oecumenici. 20.
3. Canones II. Synodi, I. Conſtantinopolitanæ. 7.
4. Canones Synodi Epheſinæ, III. Oecumenicæ. 8.
5. Canones Synodi Chalcedonenſis, IV. Oecumenicæ. 29.
6. Canones Sextæ in Trullo Synodi. 102.
7. Canones Septimæ Synodi Oecumenicæ, Nicænæ II. 22.
8. Canones Synodi Conſtantinopolitanæ I. & II. dictæ, in Templo SS. Apoſtolorum habitæ. 17.
9. Canones Conſtantinopolitanæ Synodi in Templo Sanctæ Sophiæ. 3.
10. Canones Carthaginenſis Synodi ſub S. Cypriano. 1.
17. Canones Synodi Carthaginenſis tempore Honorii, Præſide Aurelio. 134.
18. Epiſtola Attici Conſtantinopolitani ad eam Synodum. 1.
19. Epiſtola Synodi Africanæ ad Cœleſtinum Papam. 1.
20. Ex Actis Conſtantinopolitanæ Synodi ſub Nectario de Agapio & Bagadio.
11. Canones Synodi Ancyranæ. 25.
12. Canones Synodi Neocæſarienſis. 15.
13. Canones Synodi Gangrenſis. 21.
14. Canones Synodi Antiochenæ. 25.
15. Canones Synodi Laodicenæ. 60.
16. Canones Synodi Sardicenſis. 21.

Canones Patrum.

BEATI Dionyſii Archiepiſcopi Alexandrini, Can. 4.
S. Petri Archiepiſcopi Alexandrini & Martyris. 15.
B. Gregorii Neocæſarienſis Archiepiſcopi, cognomine Thaumaturgi, Canones. 11.
S. Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini. 3.
S. Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopi Epiſtolæ Canonicæ, in quibus Canones omninò. 93.
Canones ad Amphilochium. 86.

Ejuſ-

Ejuſdem aliæ Epiſtolæ, Canones. 5.
Ejuſdem capita duo ex Libro de Spiritu Sancto. Cann. 2. 2.
Gregorii Nyſſeni Epiſtola Canonica ad Letoium Archiepiſcopum Melitines. Cann. 8.
Timothei Alexandrini Reſponſa Canonica. 18.
Theophili Alexandrini Commonitoria, &c.
Cyrilli Alexandrini Epiſtolæ Canonicæ duæ.
S. Gregorii Theologi, cognomento Nazianzeni, Metra de Libris Veteris & Novi Teſtamenti.
Amphilochii Epiſcopi Iconienſis Jambi de eodem argumento ad Seleucum.
Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Synodi ejus Epiſtola Encyclica, ſive Circularis.
Ex Epiſtola Magni Baſilii ad Nicopolitanos.
Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Pontificem Adrianum I. Epiſtola.

His addita pauca quædam in editionibus horum Canonum, cum notis Zonaræ per Quintinum, & cum notis Balſamonis per Gentianum HERVETUM.

Hactenus de Græcis Canonum Collectionibus per Concilia diſpoſitis. Veniamus ad eas quæ per certas rerum ac materiarum velut claſſes digeſtæ, ac de iis quæ collatas cum Canonibus Leges principum habent.

CAPUT IX.

De Collectione & Nomo-Canone Joannis Antiocheni cognomento Scholaſtici.

I. JOANNES SCHOLASTICUS dictus, ex Sirmi pago Antiochiæ finitimo, Presbyter primùm *Antiochenus* & Apocriſiarius, ad Regiæ urbis Patriarchatum evectus eſt anno 564. quo tempore pulſus eſt ab ea ſede Eutychius, quòd Juſtiniano Imperatori hæreſim Incorruptibilium promulganti obſiſteret. Itaque inter quatuor Patriarchas Conſtantinopolitanos, qui ſub Juſtiniano vixerunt, poſtremus fuit hic *Joannes*, ſedemque tenuit annos quatuordecim cum menſibus ſeptem, & ſub Tiberio Apſimaro vivere deſiit anno 578. ac locum fecit Eutychio ante dicto per Tiberium revocando: qua de re Procopius in Anecdotis, Evagrius [a], & Nicephorus. [b] *Scholaſticus* autem eſt appellatus, quòd è Schola ſive Ordine Advocatorum ad Eccleſiaſticum Ordinem tranſiiſſet. Advocati quippe, & qui ex illo Ordine prodeunt, vocantur Scholaſtici de Foro, in Synodo Sardicenſi.

1. Quis fuerit Ioannes Scholaſticus autor hujus Collectionis.

a Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 37. ſub fin.

b In Chron. & in Catalogo Patriarch. Contin op.

II. Hic JOANNES *Antiochenus* Canonum Collectionem ex ſecunda ſuperiùs memorata confecit, nova methodo: etenim eam in 50. titulos diviſit, nec ordine temporis ſervato, nec ſerie, ſeu conſequentia numerorum, pro veterum more; ſed ſimilia ſimilibus, ad eandem ſcilicet rem

2. Ejus methodus non multum diverſa à Theodoriti Collectione.

ne in 60. Titul. diviſa.

rem pertinentia, conjungendo, & ſuos cuique titulo Canones, eoſque expanſos, ſive integros ſubjiciendo, quemadmodum ipſemet in ejus operis Præfatione teſtatur. In ea alterius quoque prioris Collectionis meminit, non diſpari methodo in titulos 60. diſtinctæ, quam Theodorito aſſignatam fuiſſe monuimus capite ſuperiori.

3. In ea digerenda uſus videtur Theodoriti Collectione per Synodor. ſeriem ordinata.

III. EUM verò in hac per claſſes ac rerum titulos Collectione concinnanda uſum eſſe, altera è duabus Collectionibus poſt Chalcedonenſe Concilium editis, quam non improbabiliter Theodorito adſcribi poſſe jam ante demonſtravi, colligitur ex indice ſive ordine Canonum præfationi ſubjuncto: in quo poſt Canones Apoſtolorum, recenſentur decem Synodorum Canones, nimirum Nicænæ, Ancyranæ, Neocæſarienſis, Sardicenſis, Gangrenſis, Laodicenæ, Conſtantinopolitanæ I. Epheſinæ, & Chalcedonenſis; quibus ſe addidiſſe fatetur Canones S. Baſilii ſexaginta octo, ex tribus Canonicis ejus Epiſtolis.

4. Non ignota Nicolao 1. Pont. hæc Collectio.

IV. AD hanc Collectionem reſpexiſſe videtur Nicolaus I. Pontifex, eamque nomine Concordiæ Canonum intellexiſſe, quòd in ea concordantes, atque ad idem argumentum ſpectantes Canones ſimul congeſti in certa capita atque in unam conſonantiam commixti eſſent. Nicolai hæc ſunt verba [c] ad Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Sardicenſes Canones apud Græcos non extare ſcripſerat: *Quomodo*, inquit, *non ſunt penes vos Canones Sardicenſes, quando inter quinquaginta titulos quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur?*

c Can. ult. diſt. 16. in Ep. ad Photium.

5. Ordo Titulorum hujus Collectionis.

V. TITULI autem hujus Collectionis non temerè diſpoſiti, ſed certo digeſti ordine fuerunt. Nam cum jura, Perſonarum causâ ſint conſtituta, in *Perſonarum Eccleſiaſticarum* enumeratione, diviſione, differentia & officio univerſum jus Canonicum eorum temporum exponit autor. Et primùm quidem ab *Epiſcopis* orditur, Canoneſque ad eorum dignitatem pertinentes primis titulis proponit; deinde ad *Presbyteros*, *Diaconos*, *Subdiaconos*, cæteroſque Clericos tranſgreſſus, Canones refert ad unumquemque gradum ſpectantes. Poſteà *de Monachis*, ac tandem de fidelibus *Laicis* eadem ratione diſſerit: ita ut univerſa hæc Collectio ad unum ſummum genus revocari poſſit, nempè ad Perſonas. Quam methodum alii quoque Græci & Latini Collectores amplexi ſunt, inque his Martinus Bracarenſis, ut ſuo loco videbimus.

6. Collectio hæc ubi & unde edita.

VI. COLLECTIONIS hujus tria extant exemplaria manu deſcripta: unum admodum vetuſtum Romæ in Bibliotheca Vaticana, delatum Heidelberga ex Palatina Bibliotheca. Eximium illud quidem, ſed exeſum, nec niſi dimidiatum: alterum non minùs antiquum, at integrum in Bibliotheca illuſtriſſimi quondam Franciæ Cancellarii Petri Seguerii: tertium in Bibliotheca Claramontani Collegii Societatis JESU Lutetiæ, ex quo præcipuè à Voello & Juſtello edita eſt in Bibliotheca Juris Pontificii veteris.

7. Nomo-Canonis ab eodem Joanne concinnati Ordo idem.

VII. Huic Collectioni in qua Canones verbatim referuntur, & quam Joannes Antiochenus adhuc Presbyter compoſuiſſe creditur, *Nomo-Canonem*, id eſt Collationem Legum cum Canonibus, deinde Patriarcha jam factus attexuit. Hic porrò iiſdem titulis conſtat, quibus ſuperior Canonum Collectio ab eodem exarata: eoſdemque ſub ſingulis titulis Canones continet ex variis Synodis depromptos; in quibus

pro

pro temporum varietate ac neceſſitate cauſarum promulgati fuerant. Verùm Canones in hoc poſteriore opuſculo non pleni & expanſi deſcribuntur; ſed per indicem tantùm, ſententia eorum, qui in unumquemque titulum conjecti erant, brevi compendio verborum expreſſa. Deinde verò Canonum per ſingulos titulos Indici ſubjiciuntur. Conſtitutiones Imperatorum, ſive earum capita ex Codice ac Novellis petita, quibus Canones ad hoc vel illud negotium pertinentes, non diſpari ſanctione firmati fuerunt. Ad calcem autem totius Collectionis adjecta ſunt 84. *capita ex Novellis* ejuſdem Juſtiniani deſumpta, quæ Canonibus etiam congruere ab autore dicuntur.

8. Ioannes Scholaſticus videtur primus operis Nomo-Canonici auctor, non tamen Canonum per titulos digerendorum.

VIII. NON itàque abs re Franciſcus Florens antè laudatus earum Collectionum quibus ex mixtura Legum & Canonum inditum eſt *Nomo-Canonum* nomen, originem refert ad hunc Joannem Scholaſticum. Quod autem exiſtimat idem vir eruditus Collectionem quinquaginta Titulorum ex Canonibus ſolis coagmentatam, de qua hujus capitis initio actum eſt, fuiſſe Theodoriti, cui Joannes Scholaſticus excerpta Legum duntaxat addiderit; id quidem ex eo erui poſſe videtur, ut ſuprà notabamus, quòd in Codice Regio principium Collectionis Theodoriti titulo inſcribitur; in fine verò ejuſdem Collectionis notatur expreſsè Joannes Scholaſticus Leges ſubjunxiſſe; quod nec Theodoritus facere potuit, cùm Conſtitutionum Imperatoriarum, quæ in hac Collectione referuntur, pars magna poſt ejus mortem edita fuerit. Verùm ne viro clariſſimo hac in parte ſubſcribam, facit quòd in pluribus mſſ. Codicibus jam indicatis, initio Collectionis integræ præfigitur nomen Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani; & quod in ejus operis Præfatione antiquior Collectio memoratur in 60. Titulos diſtributa, omiſſis Baſilii Canonibus, qui in hanc conjecti ſunt: quo argumento antiquiorem illam Titulorum ſexaginta Collectionem Theodorito aſſignabant jam dictus Florens, & illuſtriſſimus Archiepiſcopus P. de Marca. Ex nomine autem Joannis Scholaſtici ad finem Nomo-Canonis adſcripto, nihil aliud colligi poſſe exiſtimabant, quàm illos octoginta Articulos ex Novellis decerptos toti operi ab eo fuiſſe ſubjunctos. Sed, ut diximus, ex Epigraphe aliorum Codicum videtur univerſum opus, tùm duplicis Collectionis, Canonicæ nempe & Nomo-Canonicæ, tum Appendicis ex Novellis decerptæ, eidem Joanni Scholaſtico adſcribendum: ita ut, ſi quid horum Theodorito aſſignandum, id ad Collectionem alteram Canonum juxta Conciliorum ſeriem digeſtorum, de qua jam cap. 5. hujus libri diximus, contrahendum videatur.

CAPUT X.

De Photii Nomo-Canone.

1. Nomo-Can. Photii diverſus à ſuperiore.

I. PHOTIUS autor poſtremæ Collectionis de qua ſuperiori capite, ei Collectionem quoque Legum adjecit, condito *Nomo-Canone*, quem exemplo Joannis Antiocheni confecit: ſed ordine di-

verſo, atque Imperatoriis Conſtitutionibus jam ex Juſtiniani corpore deſumptis. Eo in opere propoſitis per ſingula capita Canonibus ad materiam quamque ſpectantibus, Leges indicat, quæ cum his affinitatem habent: ſed indicat tantùm; neque enim articulos integros deſcribit, quemadmodum à Joanne Scholaſtico factum fuerat.

2. Diviſio hujus Nomo-Canonis. II. DIVIDITUR totum hujus Nomo-Canonis Corpus in Titulos quatuordecim; Tituli in capita ſubdividuntur. Titulorum porrò hæc ſunt Lemmata, quæ uniuscujuſque argumentum oſtendunt.

TIT. I. *De Theologia & Fide Orthodoxa, deque ordinationibus Epiſcoporum* & *Clericorum*, cujus ſunt capita ſive articuli, 38.

T. II. *De Extructione Eccleſiarum, ſacris vaſis, & Clericis qui præter Epiſcoporum ſententiam Altaria erigunt*, capita 4.

T. III. *De Precibus & Pſalmodia, Lectione & Oblatione, Communione, & Lectorum miniſterio*, capita 22.

T. IV. *De Catechumenis & ſancto Baptiſmate*, capita 17.

T. V. *De iis qui contemnunt Eccleſias, & Synaxes, & Memorias; & de iis qui comedunt in Eccleſiis & de Agapis*, capita 3.

T. VI. *De fructuum Oblatione*, capita 3.

T. VII. *De Jejunio, Quadrageſima, & Paſcha, & Pentecoſte, & Dominico, & Sabbato, & genuflexione*, capita 5.

T. VIII. *De Parochiis, & quomodo verſentur Epiſcopi & Clerici, & de eorum Peregrinatione, & de annuis Synodis, & de ſuſceptione Hoſpitum, & doctrina, & Commendatitiis & Pacificis Epiſtolis,* & *quaſnam res agant publicas vel privatas, & quomodo ſe invicem honorant*, capita 19.

T. IX. *De Peccatis & Judiciis Epiſcoporum & Clericorum, & Excommunicatione, & Depoſitione ac Pœnitentia, & quænam peccata ſolvit manuum Impoſitio*, capita 39.

T. X. *De Adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum, & de iis quæ ſunt propria Epiſcopi*, capita 8.

T. XI. *De Conſtructione Monaſteriorum & Monachorum ſtatu*, capita 16.

T. XII. *De Hæreticis, & Judæis, & Gentilibus*, capita 18.

T. XIII. *De Laicis*, capita 41.

T. XIV. *De communibus hominibus*, capita 7.

3. De tempore hujuſce Nomo-Canonis. III. Quo tempore hic Nomo-Canon conditus fuerit, aliquatenùs indicat Theodorus Balſamon [d]; ait enim compoſitum fuiſſe ante *Legum Repurgationem*, quam imperante Conſtantino Porphyrogenito factam tradit, qui anno 912. Imperium iniit Orientis, defuncto Patre Leone, cognomine Philoſopho.

d In ejus Præfat.

4. De Baſilicis. IV. PER Legum autem *Repurgationem* intelligit Balſamon alteram Editionem Baſilicorum: quæ vigeſimo poſt primam anno facta memoratur. Cæterùm *Baſilica* continent Legum Romanarum Collectionem, in quam imperante Baſilio Macedone, vel potiùs Leone, ſed de nomine aut ex mente Baſilii Patris, transfuſæ è Latino in Græcum ſermonem Leges Juſtiniani diverſa planè methodo, unà cum poſteriorum Imperatorum Novellis Conſtitutionibus permixtæ, in ſexaginta Libros diſtributæ ſunt. Quod opus tempore Conſtantini Porphyrogeniti poſt annos 20. emendatum, per Orientem exinde invaluit, exploſa ferè Juriſpru-

pru-

prudentia Juſtinianea; qua de re Cujacius [e], Gothofredus [f], Marquardus Freherus [g], Joſephus Suareſius [h], Innocentius Cironius [i], Annibal Fabrotus [l], aliique.

V. PROBABILE videtur porrò ante editum hoc opus Baſilicorum, Nomo-Canonem à Photio fuiſſe conſcriptum. Mirum enim eſſet hominem adeò Imperatoribus addictum, novæ ac ſuo tempore inſtitutæ Legum compoſitionis non meminiſſe, eaque poſtpoſita vetuſtiori potiùs, quæ per illam multis in locis corrigebatur, inhæſiſſe. Unde augurari licet concinnatum fuiſſe hunc Nomo-Canonem quo tempore pulſo Ignatio Patriarchatum Photius obtinebat, hoc eſt poſt annum 858. ante 863.

e 17. obſervat. cap. 31.
f Ad Nov. Leon.
g In Epiſt. ad Rudolph. II. Im. Editioni Juris Græco-Rom. præfixa.
h In notitia Baſilicor.
i Lib. 4. obſerv. Jur. Can. c. 4. & 5.
l In Præf. Baſil.
5. Preſſius indicatur tempus compoſiti hujus Nomo-Canonis.

VI. QUOD ad *Nomo-Canonis* nomen attinet, id à Balſamone per ſecundam declinationem effertur, dicit enim Νομοκανόνον, non Νομοκανόνα. Refert idem ad Canonem ſecundum Synodi Trullanæ, in ſupplemento, ſe innumeros ejus generis libros vidiſſe; monetque omnes, qui Nomo-Canonem lecturi ſunt, ne antiquioribus Nomo-Canonum libris mentem adhibeant; ſed hoc quod à Patriarcha Photio eſt elaboratum legant: Nomo-Canonem autem quo in 50. Titulos redactæ erant Leges & Canones, cæteraque ejus generis opera, quæ Juſtiniani Novellas jam exoletas, & alias quaſdam Leges ex Digeſtis ac Codice continent, & quæ quòd plurimis verbis abundent, copioſiora putantur, nihili fieri ab hominibus majoris exiſtimationis, qui ea perire ſinunt. Sed hæc quæ in *Joannem Antiochenum* maximè cadunt, Balſamon ſui magis Commentarii, quàm Photiani operis commendandi cauſa prætuliſſe videtur; cùm vix alias leges Photius adhibuerit in ſuo Nomo-Canone, quàm quibus uſus fuerat Joannes Antiochenus, ex eodem nimirum Juſtiniani fonte petitis.

6. De Nomo-Canonis, ſive Nomo-Canoni nomine.

VII. IPSE verò *Theodorus Balſamon*, Diaconus primùm Conſtantinopolitanus, ejuſdem Eccleſiæ Nomophylacem, & Chartophylacem ſe dicit, id eſt chartis ad jura Eccleſiæ pertinentibus, ſive archivis Præfectum, & cauſarum Eccleſiaſticarum Judicem: tandem Antiochenus Patriarcha dictus eſt, ſed titulo tenùs, cum, ut refert Baronius Cardinalis [m], Latini Antiochiam tunc occuparent, ſuumque ibi Patriarcham haberent conſtitutum: quæ Balſamoni perpetui in Eccleſiam Romanam odii cauſa. Is mandato Emanuelis Comneni Imperatoris, & Michaelis Anchiali Patriarchæ Conſtantinopolitani, circa annum 1170. aggreſſus eſt enarrationem ſeu expoſitionem, tùm Nomo-Canonis, tùm Collectionis Conciliorum ab eodem Photio conſarcinatæ: & Nomo-Canonem accuratè explanavit, ita ut Leges quæ in 60. Libros Baſilicorum relatæ eodem tempore in uſu eſſent, & quæ in horum repurgatione prætermiſſæ obſolevitſent, ſedulò annotaverit: earumque Legum quæ ex Juſtiniani Libris decerptæ à Photio indicabantur, ſedem in Baſilicis declaraverit: atque ita omiſſas in hoc poſteriori Græcorum jure tanquam tacitè, ac per non uſum abrogatas notaverit.

7. Nomo-Canonis & Collectionis à Photio inſtitutæ, enarrator Balſamon.

m Tom. 12. Annal. ad an. 1191. ſect. 19.

VIII. EANDEM Collectionem commentariis ſuis illuſtraverat *Joannes Zonaras*, magnus primùm Drungarius Biglæ, & Proto à ſecretis; deinde monachus S. Baſilii circa annum 1120. *Drungarius* autem Biglæ Præfectum Excubiatum ſignificat: nam poſteriores Græci *Drungos* dixerunt militum globos, *Biglas* autem pro vigiliis ſeu excu-

8. De Zonaræ expoſitione ejuſdem Collectionis.

 biis,

biis, & excubitoribus. Ex notis verò Zonaræ quædam mutuatus eſt Balſamon.

9. Græci horum interpretes. IX. COMMENTARIORUM Balſamonis tùm in Nomo Canonem, tùm in Conciliorum Canones Latinam interpretationem è Græco Joannis Tilii exemplari adornavit Tridenti Gentianus Hervetus Aurelius, Rhemenſis Canonicus; quæ interpretatio à Guillelmo Morellio anno 1561. typis mandata fuit; eodemque anno Henricus Agylæus ejuſdem Balſamonis commentarios in Nomo-Canonem Latinitate à ſe donatos edidit Baſileæ. Hujus verſionem Chriſtophorus Juſtellus ann. 1615. Pariſiis excudi curavit cum Græcis ejus commentariis: ſed ſeparatim, non è regione; quod poſteà factum anno 1620. adjectis ad calcem ſupplementis ex pleniori Codice Achillis Harlæi, primi quondam Præſidis Pariſienſis. Tandem Nomo-Canonem Photii adjecta Præfatione, unà cum ejus Synodico Libello, accuratiùs Græcè & Latinè Pariſiis anno 1661. ediderunt clariſſimi viri Guilielmus Voellus & Henricus Juſtellus Chriſtophori filius.

10. De Arſenii Scholiis. X. MEDIO inter Zonaram & Balſamonem tempore, circa ann. 1140. ARSENIUS monachus, de quo proximo capite, Scholia quædam in Photianam Collectionem ſcripſit, ipſe quoque pari cum illis ſchiſmatis vitio laborans.

CAPUT XI.

De Nomo-Canonibus aliis, Synopſibus Canonum, & abbreviatis Collectionibus, Simeonis Logothetæ, Alexii Ariſtini, Arſenii, Harmenopuli, Pſelli, Anonymi.

1. De Simeonis Logothetæ Epitome Canonum. I. EPITOMEN Canonum SIMEON *Magiſter & Logotheta* conſcripſit, quam Ariſtini Synopſi poſteriorem Voellus affirmat: nec tamen aut tempus quo Simeonem ſcripſiſſe arbitretur, nec teſtimonium autoris alicujus aut rationem conjecturæ ſive ſententiæ ſuæ adjicit. Verùm ſi idem fuit hic *Simeon* cum *Metaphraſte*, qui Vitas Sanctorum collegit; is antiquior proculdubio Ariſtino invenietur. Etenim Ariſtinus nonniſi poſt annum à Chriſto nato 1000. vivebat, ut mox liquebit: Metaphraſten autem Baronius, Bellarminus, Poſſevinus jam ſeculo nono vixiſſe exiſtimarunt. Bollandus, qui Martyrum aliorumque Sanctorum vitas ante aliquot annos deſcripſit, in Præfatione operis ſui, tempora Simeonis conjicit in medium ſeculum decimum. Conjecturam ex eo ducit, quòd Michael Pſellus, qui Simeonis illius elogium, & ſoluta, & ligata oratione celebravit, opus illud inchoatum ab eo notat à ſanctæ Theoctiſtes Lesbiæ vita, idque poſt Leonis Imperatoris mortem: eum quippe vocat μακαρίτην, id eſt, felicis memoriæ. Leo autem Imperator anno Chriſti 910. vivere deſiit. At Metaphraſten, quicquid oblatrent heterodoxi Scriptores, Principem ſecretariorum & Patricium, eademque cum noſtro, Logothetæ dignitate præditum fuiſſe oſtendunt, præter jam laudatos, Jacobus Gretſerus, ac Theophilus Rainandus S. J. Nomen autem *Logothetæ* Græcis Neotericis non unum officii genus ſignificavit.

Alii

Alii ex Logothetis Palatinis , generalis ærarii rationes curabant : aliis rei familiaris ſive domeſticæ Imperatoris , rei militaris aliis, aliis curſus , pecorum , ac denique ſecretorum cura incumbebat . Præter hos Logotheta erat Eccleſiaſticus , cujus munus circa res Eccleſiæ communes verſabatur : quæ omnia ex Codini Curopalatæ libro de officiis Aulæ & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ obſervat Joannes Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro .

II. USUS eſt *Simeon Logotheta* , in ſua Canonum Epitome concinnanda, Collectione non admodum diverſa ab ea quam ſecutus fuerat Joannes Scholaſticus : niſi quòd Logothetæ Collectio & Concilia Oecumenica Localibus præpoſuit, & Carthaginenſes ac Trullenſes addidit Canones; nec eoſdem omninò numeros in digerendis Canonibus ſervavit; ſed vel unum diviſit in plures , vel plures in unum conjunxit, & nonnullos prætereà omiſit. Sic fit ut Canones Apoſtolorum octoginta duos referat, Nicænos 21. Conſtantinopolitanos 6. Epheſinos 8. Chalcedonenſes 31. omiſſo primo; Ancyranos 25. omiſſo itidem primo; Neocæſarienſes 14. Sardicenſes 18. Gangrenſes 7. Antiochenos 24. Laodicenos 50. Carthaginenſes 84. Ex prima S. Baſilii Epiſtola Canones ſedecim habet; ex ſecunda triginta duos; ex tertia viginti octo; quibus ex ſexta in Trullo Synodo octoginta octo ſubjicit. Edita porrò eſt hæc Epitome in Bibliotheca Juris Canonici, à Voello ex Codice mſſ. Regiæ Bibliothecæ. *2. Methodus hujus Epitomes.*

III. SILENTIO hìc prætermittenda non eſt *Michaelis* PSELLI *Synopſis Canonum* . Is Michaelis Ducæ , qui in Oriente circa ann. Chriſti 1071. imperavit, Præceptor & Conſiliarius fuit, ut ſcribit Illuſt. & eruditiſ. Franciſcus Boſqnetus in Præfatione præfixa Synopſi Legum ejuſdem Pſelli , quam ex Bibliotheca Illuſtriſſimi Caroli de Montchal Archiepiſcopi Toloſani in lucem edidit , ann. 1632. Hoc utrumque opus , Legum ſcilicet Canonum Synopſis, verſibus Politicis ſcriptum eſt, qui ſic dicti quaſi civiles, ſeu ad communem uſum accommodati. Quindecim ferè ſyllabis conſtant; ſimiles fortè longè & Sibyllinis veterum, de quibus Cicero poſt Varronem. Iſtis admiſti ſunt Iambi nonnulli ſenarii, non ſemper ad exactam metri formam elaborati, & Comicis quàm Tragicis ſimiliores. Cæterùm Politici verſus, quibus nunc Græci utuntur, ſpondæum, aut iambum in fine recipiunt. Poſt Synopſin itaque Legum , in gratiam Michaelis Ducæ , tunc Cæſaris, juſſu patris ejus Conſtantini Ducæ elaboratam, Pſellus brevem eidem, verſuum eodem genere, concinnavit doctrinæ Fidei, & Canonum notitiam, ſive Synopſin; quæ ex mſſ. Codice Jacobi Sirmondi ad calcem Synopſeos Legum edita eſt, curante eodem Boſqueto, poſteà Montiſpeſſulani Epiſcopo. Ea duabus partibus conſtat. In priore , cui Titulus περὶ δόγματος expoſita eſt Doctrina Catholica de Una Dei Natura , & Trium Perſonarum conſubſtantialitate , Filiique Incarnatione, & Theologiæ Chriſtianæ quædam Summa. Primarum ſeptem Oecumenicarum Synodorum hiſtoria paucis attexitur , quo quæque imperante , adverſus quos & quorum hæreticorum errores , quot convenientibus Epiſcopis, celebrata fuerit, indicatur . Poſteriori parte ſubjungitur notitia τοῦ Νομοκανόνος, quæ Synodos Collectione priſca comprehenſas enumerat , decem nimirum : quatuor primas univerſales, quinque Aſiaticas, hiſque interjectam Sardicenſem, ſervato, extra Nicænam, ordine temporum: ut videatur ad Nomocanonem Joannis Antioche- *3. Michaelis Pſelli Synopſis Canonum.*

tiocheni reſpexiſſe ; niſi quòd Baſilii 68. Canonibus adjicit aliorum Patrum Canones , quos Trullana Synodus can. ſecundo commendavit, inque his Apoſtolorum 85. Canones per Clementem relatos.

4. De Alexii Ariſtini Synopſi Canonum.

a Lib. de Trinitate.

b Lib. de Collat. Ordinum.

IV. ALEXIUS quoque ARISTINUS , quem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum vocat Gilbertus Genebrardus [a] , *Synopſin Canonum* anno 1130. juſſu Joannis Comneni Imperatoris , edidit ; quemadmodum obſervat Leo Allatius. [b] Eſt autem ejus Synopſis nihil aliud quàm Index , ſeu Breviarium veteris Codicis Canonum, ſervato etiam ordine Conciliorum ; non tamen ſervata ſerie ſeu conſequentia numerorum . Nam poſt Canones Apoſtolorum , per capita ſeptuaginta ſeptem , compendio relatos ; Epitomen Nicæni Concilii Canonum per capita adjicit viginti quatuor ; parique ratione ex Ancyrano viginti ſex, ex Neocæſarienſi quindecim, ex Gangrenſi ſex, ex Antiocheno viginti quinque, ex Laodiceno quadraginta ſeptem, ex Conſtantinopolitano I. octo, ex Epheſino ſeptem, ex Chalcedonenſi triginta & unum, ex Sardicenſi unum ſupra viginti , ex Africano viginti duos , ex Trullano unum & nonaginta , ex S. Baſilii prima Epiſtola octodecim , ex ſecunda Epiſtola triginta quatuor , ex tertia Epiſtola octodecim capita confecit.

5. de Harmenopuli Canonum Epitome.

V. SUB idem tempus CONSTANTINUS *Harmenopulus*, Nomophylax & Judex Theſſalonicenſis, duo conſcripſit opera. Alterum πρόχειρον, ſive Manuale Juris Civilis , alterum *Epitomen Divinorum , ſacrorumque Canonum* . Hæc autem Epitome Græcè & Latinè edita initio Juris Græco-Romani extat , vulgata per Marquardum Freherum anno 1596. Latina verſio Joanni Leunclavio debetur. Compoſitum videtur hoc opus circa annum 1140. aut paulò poſt . Autor certè in Prochiro Novellas Principum laudat uſque ad Emmanuelis Comneni tempora, qui, poſt Calo-Joannem, ſive Joannem Comnenum Patrem , Imperii Græcorum habenas moderari cœpit anno 1143. Hauſta verò eſt hæc Epitome ex quarta Collectione Græca, Photii nimirùm, additis ſuprà veterum Patrum Decreta, Nicolai & Nicephori Patriarcharum Conſtantinopolis Decretis. Dividitur in Sectiones ſex , quarum prima eſt *de Epiſcopis , & rebus ad eos pertinentibus*: ſecunda *de Presbyteris , Diaconis , & Subdiaconis* , aliiſque affinibus argumentis : tertia *de iis quæ communia ſunt tam Laicorum , quàm Clericorum* : quarta *de Monachis & Monaſteriis*: quinta *de Laicis, & iis quæ ab ipſis facienda ſunt, vel vitanda*: ſexta *de Mulieribus*. Harum autem Sectionum quælibet particulares habet titulos, & ſub his locatos Canones, quorum non pauci Scholiis illuſtrantur.

6. De Synopſi Arſenii.

VI. ARSENIUS, non ille Arcadii & Honorii Præceptor, ſed alius qui primùm Monachus fuit Monaſterii , quod eſt in Monte Sancto , poſteà verò Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſub Theodoro Laſcare juniore, circa annum 1255. Synopſin Canonum concinnavit ex ſimilibus & concordantibus Conciliorum Canonibus, Patrumque Græcorum epiſtolis Canonicis à Synodo Trullana receptis & confirmatis, aliiſque nonnullis Doctorum Græcorum ſcriptis. Sed & capita quædam Legum concordantium, ſive conſtitutionum Imperatoriarum de rebus Eccleſiaſticis adjecit: unde ſuam Collectionem ipſe *Nomo-Canonem* vocat in fine Codicis mſſ. Regiæ Bibliothecæ . Temporum ergo & Conciliorum ſeriem nequa-

Digitized by Google

nequaquàm ſervavit Arſenius in hac Synopſi; ſed Canonum ſententias in 141. capita contulit: quorum non verba ipſa refert; at nnmerum ac locum cujuſque, & concordiam per ſingula capita indicat. Alios præterea Nomo-Canones magno numero apud Græcos extitiſſe, quorum notitia ad nos uſque non pervenit, indicavimus ſuprà ex Balſamone.

7. De Matthæi Blaſtaris monachi Syntagmate.

VII. MATTHÆUS *Blaſtares*, ipſe quoque *Monachus*, volumen Canonum ſatis amplum compoſuit, ſub annum 1335. cujus exemplaria mſſ. in Gallia extant, tum in Regia Bibliotheca, ubi & Latina ejus verſio à Joanne Quintino Æduo, Anteceſſore Pariſienſi, ſuperiore ſeculo adornata, & manu ipſius ſcripta ſervatur: tum apud Illuſtriſſ. Franciſcum Boſquetum Montiſpeſſulani nuper Epiſcopum; qui Codex eſt emendatiſſimus. Sed in Anglia hoc opus Joannis Beveregii opera Typis mandatum eſt an. 1672. cum aliis Græcis Collectionibus. Titulus ab Autore Græcè conceptus eſt Σύνταγμα, ſive Coordinatio rerum quæ in ſacris Canonibus comprehenduntur, juxta ordinem Alphabeti digeſtum, elaboratum ſimul & compoſitum à minimo ex Hieronomachis Matthæo Blaſtare. Is ex iiſdem fontibus hauſit, ex quibus ſuperiores; & Canones Conciliorum, ac Decreta Patrum, quorum plura ſub unoquoque fermè capite congerit, non ad verbum, ſed narrato cujuſque ſenſu, refert. Sunt autem Tituli ſecundum ordinem Litterarum Græci alphabeti 23. Nulli enim Canones ſub littera Ω relati ſunt. Dividuntur tituli in capita: itaque ſub litera Alpha, caput 3. eſt *de Agapis*, caput 7. *de Anathemate*, & ita de cæteris. Numerantur autem capita omninò 299. Apud Latinos nondum hujus generis opus in re Canonica videre mihi contigit.

8. De Pænitentiali Ioannis Iejunatoris.

VIII. HIS addi poteſt *Pænitentialis* Libellus, quem antiquior cæteris in hoc capite memoratis JOANNES cognomento *Jejunator*, quartus ejus nominis Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſub exitum ſexti ſeculi edidit, & quem velut celeberrimum Joannes Morinus vulgavit ad calcem Tractatus *de Pænitentia*, Græca ſimul, & Latina lingua. Hunc Joannem qui ſe primus inter Conſtantinopolitanos Patriarchas Oecumenicum & univerſalem inſcripſit, repugnante quantumvis Pelagio II. Pontifice, ac poſt eum Gregorio Magno: Illum, inquam, Nicolaus ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha, nimiæ lenitatis in rebus pœnitentiæ arguit apud Harmenopulum. [c]

[c] Cap. ult. Epitom. Canon.

9. De Theologi Græci ritu Hæreticorum in Eccleſia ſuſcipiendorum.

IX. AN huc referenda ſit Collectio Antiqui cujuſdam Theologi ante annos 800. conſarcinata, quæ in Regia Bibliotheca extat, & cujus meminit Petrus de Marca, non parùm ambiguum mihi videtur. Etenim fragmentum ex ea decerptum, quo ſuſcipiendorum in Eccleſia Catholica Hæreticorum Formula juxta præſcriptum in ſecunda Synodo Oecumenica modum, ac diſtinctionem, deſcribitur ab illuſtriſſimo Præſule, ejus ad Concilium Claromontanum notis inſertum, non tam Canonum quàm Rituum & Cæremoniarum Collectionem eſſe oſtendit.

10. Nomo-Canon Anonymi.

X. PRODIIT anno 1677. è Regia Bibliotheca, ejuſque Volumine 2664. NOMO-CANON capitibus conſtans 547. Latinitate ac luce donatus, notiſque illuſtratus à Cotelerio noſtro, monumentorum Eccleſiæ Græcæ Tomo 1. Sed is non modò imperfectam, ſed inconditam atque inſulſam recentioris Græciæ farraginem magis, quàm Syllogen vo-

cat, imperito neſcio quo autore compoſitam. Et verò nec certus in ea ordo deprehendi poteſt, & in pleriſque nullam adducit Canonum receptorum autoritatem. Ad hoc tamen valere poteſt, ut mores Græcorum hodiernos in exercendo præſertim Pœnitentiæ ſacramento ex ea colligere, errores etiam cognoſcere liceat.

CAPUT XII.

De Decretis Synodalibus, & Reſponſis Patriarcharum, aliorumque Græcorum Antiſtitum.

1. Hæc Reſponſa edita in Iure Græco-Romano Leunclavii.

I. JURIS Græco-Romani monumenta plurima collegit, & exeunte ſuperiore ſeculo edidit Joannes Leunclavius Amelburnus in Germania. Opus in tomos duos diſtinctum eſt; quorum prior ea complectitur, quæ ad Jus Canonicum Græcorum pertinent, poſterior quæ ad Civile.

2. Ejus Libri ſeries.

II. ILLE Libris decem abſolvitur, quorum Primus Harmenopuli Epitomen, Secundus Imperatorum Græcorum Novellas de rebus Eccleſiaſticis à Juſtiniano ad Joannem Ducam Conſtitutiones complectitur.

3. Vbi decreta Synodalia contineantur, & quorum Patriarcharum.

III. LIBRI Tertius & Quartus continent Decreta Synodalia à Patriarchis Conſtantinopolitanis, convocatis Metropolitanis & Epiſcopis vicinis, emiſſa, quæ in duos illos libros dividuntur. Eorum primus anteà ab Enimundo Bonefidio vulgatus fuerat. In iis habentur SYNODALES SENTENTIÆ *B. Joannis Chryſoſtomi*, *Gennadii*, *Tharaſii*, *Nicephori* Confeſſoris, *Siſinnii*, *Sergii*, *Alexii*, *Michaelis*, *Conſtantini Chliareni*, *Joannis Xiphilini*, *Nicolai Grammatici*, *Nicolai Muzalonis*, *Stupæ*, ſive Leonis Stypiotæ, *Arſenii*, *Lucæ Chryſobergis*, *Michaelis Anchiali*, *Theodoſii*, *Theodoti*, *Germani*, *Manuelis Charitopuli*, & incertorum Patriarcharum; in Secundum autem Librum congeſtæ ſunt SYNODALES aliæ SENTENTIÆ, nimirum *Nicolai* qui ſub Leone Philoſopho vixit, *Alexii* ſuprà dicti, *Michaelis Cerularii*, *Conſtantini Lichudis*, *Joannis Xiphilini*, *Euſtratii*, *Nicolai Grammatici*, & *Lucæ Chryſobergis* jam anteà memoratorum: itemque *Georgii Xiphilini*, *Joannis Camaterii*, *Philothei*, & incertorum Patriarcharum, quibus ſubjuncta eſt Epiſcoporum & Patriarcharum Byzantinorum ſeries. In his autem congerendis, neque temporum, neque materiarum habita ratio eſt: ſed videntur, prout quæque occurrebant, ita digeſta.

4. Vbi Reſponſa, Epiſtolæ; Sententiæ, aliorum Patrum Græcorum.

IV. LIBRO Quinto & Sexto ejuſdem Juris continentur Reſponſa, Epiſtolæ, ac Sententiæ aliorum Epiſcoporum & Patriarcharum, in duos quoque libros diviſa. In priore agmen ducit *Adriani* Romani *Pontificis* ad Theſſalonicenſem Archiepiſcopum *Epiſtola*, cui adjuncta eſt *Reſponſio* ejuſdem Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, *Baſilii Achrideni*. Sequuntur deinde Reſponſa *Nicetæ* Metropolitani *Heracleenſis* ad Conſtantinum Epiſcopum; *Demetrii Chomateni* Archiepiſcopi Bulgariæ, ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Metropolitanum; *Joannis Epiſcopi Citri* ad eundem Cabaſilam; *Eliæ Metropolitani Cretæ* ad Dionyſium Monachum;

chum; *Nicephori Chartophylacis* ad Theodoſium Monacum; *Nicetæ Mitylenæi* Metropolitani Theſſalonicenſis ad Baſilium itidem Monachum; *Nicetæ Charthophylacis* Metropolitani Theſſalonicenſis diverſa Reſponſa; *Joannis Zonaræ* oratio, & *Theodori Balſamonis* ad Marcum Alexandrinum Patriarcham. In Secundo Libro congeſta Reſponſa *Petri Carthularii*, & Diaconi Sanctæ Sophiæ; *Demetrii Syncelli* Metropolitani Cyziceni; *Baſilii Theſſalonicenſis* ad Dyrrachii magnum Sacellarium; *Nicetæ Mitylenæi* Theſſalonicenſis; *Demetrii Chomatiani* Archiepiſcopi Bulgariæ ad Stephanum fratrem; *Euſtathii Romani Patricii Hypomnema* ſive Commentarius; Libellus abdicationis *Theodori Critopuli* Heracleenſis Metropolitani; & *Patriarchica*, id eſt mandata Patriarchæ Metropolitanis Archiepiſcopis, aliiſque cum ordinantur, dari ſolita; in quibus *Syſtaticæ* ſeu Commendatitiæ litteræ. Sed neque in his ſatis idoneus ordo ſervatus eſt: & quædam deſcripta (ut in Decretis Synodalibus) quæ jam antè in Collectionibus poſtremis extabant.

V. SEPTIMUS Juris hujus Græco-Romani Liber *Theodori Balſamonis* ſæpiùs nominati Patriarchæ Antiocheni Μελέται continet, ſive Meditata Reſponſa ad interrogationes varias, in quibus præſertim virus ejus in Latinos apparet. *5. Meditata Balſamonis Reſponſa.*

Octavus, *Matthæi Blaſtaris* Monachi Quæſtiones cauſarum Matrimonialium exhibet.

VI. IN Nono, Edictum eſt JUSTINIANI *de Fide Orthodoxa.* *6. Juſtiniani Edictum de Fide.*

VII. IN Decimo & ultimo, *Conſtantini* HARMENOPULI Liber *de Sectis*, & veræ Fidei confeſſione. *7. Armenopuli de Sectis Liber.*

CAPUT XIII.

De Latinis Canonum Collectionibus in univerſum.

I. QUEMADMODUM apud Græcos, ita & apud Latinos, non eadem omnium Collectionum methodus, ac ratio fuit. Initio quidem ut illi, ſic etiam noſtri, *Conciliorum Canonibus* duntaxat uſi, temporum fermè ſeriem in digerendis Conciliis ſecuti ſunt. Acceſſere poſteà *Pontificum* Romanorum *Decreta*, ac *Decretales Epiſtolæ*, ſervato in his quoque ordine temporum: in ejuſmodi edendis colligendiſque Reſponſis, prævivere Orientalibus Romani, licèt ad Conciliorum Canones colligendos animum poſteriùs adjecerint. *1. Collectionum diverſa apud Latinos quoque genera Priſci temporum ordinem ſequuti.*

II. PLACUIT deinde *certas in claſſes*, certaque in capita Eccleſiaſticas Conſtitutiones diſtribuere, relatis pro rerum varietate ſub titulos ſingulos Canonibus ac decretis ad unamquamque materiam ſpectantibus: atque in his *Principum etiam Placita* locum invenerunt, exemplo ſcilicet Nomo Canonum Græcorum. Sed & alii *Canones integros*, atque expanſos deſcripſerunt: aliis ſufficere viſum eſt in Compendium redactos Collectionibus ſuis inſerere, ac *Summa* cujuſque *Capita* referre. *2. A Poſterioribus Canones per claſſes digeſti, idque variè.*

III. DENIQUE nonnulli cuncta ſacræ diſciplinæ capita complexi ſunt: *3. Adjecti &*

Libri Pœnitentiales.

ſunt: quidam pauca tantùm, vel è re nata protulere, vel ſelegere; inque his *Canones* maximè *Pœnitentiales*.

4. Collectiones Conciliorum ordinem ſequutæ.

IV. AD primum genus, earum nempe Collectionum, quæ Synodorum, temporumque ordini magna ex parte inhærent, quatuor imprimis opera referuntur. Primum continet *Priſcam* veterum Conciliorum Græcorum *Translationem*; verùm eorum non una, ſed quamplurimæ verſiones fuerunt: & ſic diverſæ Collectiones. Harum princeps haud dubiè cenſenda, quæ S. Leonis juſſu adornata eſt: ſi quæ propriè dicta Canonum Collectio exiſtat, quæ reverà Leonis mandato fuerit concinnata. Sequuta eſt altera Collectio ſive Translatio *Dionyſii Exigui*, quæ *Codicis Canonum veteris Eccleſiæ Romanæ* titulum tulit, quòd Græcis Conciliis Decreta Pontificum Romanorum ſubjunxerit. Succeſſit deinde Tertia Collectio, quæ *Iſidori Hiſpalenſis* nomen præferens, adjecit ſuperioribus Africana, Gallica, Hiſpanicaque Concilia. His tandem acceſſit Quarta, quæ ſub nomine *Iſidori Mercatoris*, unà cum aliquot Conciliis, poſt Hiſpalenſem Iſidorum habitis, Epiſtolas Priſcorum Pontificum Romanorum, à Clemente Petri diſcipulo ad Damaſum uſque addidit, ſeu veras, ſeu ſuppoſititias; & hæc Collectio nonnunquam *Corpus Canonum* appellatur.

5. Collectiones per materiarum ordinem diſpoſitæ.

V. INTER eos qui materiarum ordinem amplexi, Canones totos ſub certos titulos retulerunt, agmen quidem ducit *Martinus Bracarenſis*: ſed ejus Collectio ſtetit intra numerum 84. Canonum, ſeu Capitulorum ſelectorum. Hunc ſequutus eſt *Creſconius* Africanus Epiſcopus, cujus opus ſub nomine Concordiæ Canonum nuper in Bibliotheca Canonica prodiit, cùm anteà ſoli ejus operis tituli haberentur. Illos excepere, ſed juſtis jam voluminibus *Anonymus*, & antiquus Autor à Luca Acherio editus; deinde *Regino* Prumienſis Abbas aut Monachus: tum deinde *Burchardus Vormatienſis*, & *Ivo Carnotenſis Epiſcopi*, ſuis Decretorum Libris; ac denique his minùs cogniti, nec dum publica luce donati *Algerus*, *Deuſdedit* Cardinalis, & *Anſelmus* Epiſcopus *Lucenſis*, cum *Gregorio* Presbytero Cardinali Hiſpano *Polycarpi* autore: quos tandem omnes ſuperaſſe creditus eſt *Gratianus* conciliandorum Canonum ſtudio, ideoque uſu communi præ ceteris receptus.

6. Epitoma Canonum.

VI. EPITOMAS, ſive *Synopſes* Juris Canonici univerſi variè varii pro varia temporum ratione compoſuerunt: *Ferrandus* & *Creſconius* ante laudatus, ſive quis alius ex eo *Breviationis* Canonum Autor, & qui proptereà Ivonis Carnotenſis volumen ſub *Pannormiæ* Titulo in compendium redegiſſe creditur: ſi modò compendium dicendum eſt, aut non potiùs diverſum ejuſdem Autoris opus.

7. Canones Pœnitentiales.

VII. Canones POENITENTIALES *Theodorus Cantuarienſis* in Anglia Archiepiſcopus compoſuit, eumque ſecutus venerabilis *Beda*, aut, ut alii volunt, *Egbertus* Archiepiſcopus *Eboracenſis* in eadem Anglia. Extant & præter *Romanum* Pœnitentiale, *Rabani* quoque *Mauri* Archiepiſcopi Moguntini, & *Fulberti* Abbatis opera ejuſdem generis.

8. Capitula.

VIII. QUÆDAM de certis rebus Capitula edidere complures, *Adrianus* Pontifex Angilramno Epiſcopo Metenſi tradita, *Theodulphus* Aurelianenſis Epiſcopus, *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis, *Herardus* Turonenſis Archiepiſcopus, *Iſaac* Epiſcopus Lingonenſis.

IX.

Digitized by Google

IX. COLLEGERUNT autem ab aliis edita, *Angeſiſus* quidem Abbas, & *Benedictus* Levita Capitula ſeu conſtitutiones Caroli Magni & Ludovici Pii Regum Francorum; *Jacobus Sirmondus* Societatis Jeſu hoc noſtro ſeculo Capitularia *Caroli Calvi* in lucem protulit. Utraque tandem accuratiùs collegit atque edidit Stephanus Baluzius. Alii haud exiguo ſanè numero ex aliorum lucubrationibus excerpta Canonum Capita, ſeu Florilegia, aliaque ejuſmodi generis Collectanea conſarcinarunt. Sed ne quid antiquitatis Canonicæ ignoretur, de ſingulis juxta ordinem temporum, quo unumquodque opus compoſitum eſt, diſſerendum videtur. *9. Capitularia Regum & Imperatorum Francorum qui collegerint.*

CAPUT XIV.

De Veteri Priſcorum Canonum Collectione.

I. ANTE Nicænam Synodum Eccleſia Romana, & cum ea reliquus Occidens, non aliis videtur Diſciplinæ Regulis uſa, quàm Sacris Scripturis ac Traditione; ita ut moribus, & conſuetudine magis, quàm jure ſcripto, pleriſque in rebus regeretur. *1. Non alio Iure ſcripto quàm ſacris Codicibus uſa diu Occidentis Eccleſiæ.*

II. QUINETIAM, licèt Orientales ſtatim à Secunda Synodo Oecumenica, non modò ejus decreta cum Nicænis, ſed & aliarum quinque Aſiaticarum Synodorum Canones amplexi fuerint, ut ſuprà demonſtratum eſt: Occidentales tamen ſaltem ad annum Chriſti 410. Nicænos tantùm Canones obſervarunt, ut manifeſtè probat eximius locus Epiſtolæ ab Innocentio I. circa id temporis ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum ſcriptæ, quæ Sozomeno [a] & Nicephoro [b] refertur. In ea quippe affirmat Innocentius, ὅτι καὶ περὶ τῆς τῶν Κανόνων παραφυλακῆς, τούτοις δεῖν ἕπεσθαι γράφομεν οἵτινες ἐν Νικαίᾳ εἰσὶν ὡρισμένοι, οἷς μόνοις ὀφείλει ἐξακολουθεῖν ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ τούτους γνωρίζειν. *Porrò, quod ad Canonum obſervantiam attinet, illis obſequendum eſſe decernimus qui Nicææ decreti ſunt: quos ſolos ſequi Eccleſia Catholica debet, eoſque agnoſcere.* Idem Innocentius ad Theophilum Alexandrinum ſcribens, eumque invitans ad Concilium in cauſa S. Joan. Chryſoſtomi Romæ celebrandum, in hæc verba concludit epiſtolam [c]: *Tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Chriſto celebrandam; & illic, juxta Nicæni Concilii Canones, & Decreta, contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Eccleſia.* Ejus rei hæc ratio eſt, quòd Sanctionibus cujuſque Provinciæ, aut Diœceſeos, vel Nationis, ii ſoli tenentur, qui eas ediderunt, vel ſuſceperunt ab aliis editas: ideoque Antiochenos Canones rejiciebat cum Innocentio eodem B. Joannes Chryſoſtomus apud Socratem: quòd nimirùm in Orientis Diœceſi & Patriarchatu Antiocheno editi, multum robur haberent Conſtantinopoli, quæ Thracicæ Diœceſis eſt; in qua recepti adhuc non erant, ut & in Occidente. Sic etiam Conſtantinopolitani Concilii I. Canonibus non obſtringebantur Occidentis Eccleſiæ, quibus nondum cogniti erant anno 452. teſte Leone I. Pontifice [d]. *2. Canonum ſolì Nicæni initio recepti, & cur.*

a Lib. 8. Hiſt. Eccleſ. c. 26.
b Lib. 13. c. 13.
c Quæ 31. numeratur in Conciliorum Coll. Labbe.
d Lib. 6. c. 15.

III. VERUM ubi, non modò Antiocheni, ſed & alii, tam Localium, *3 Vergente 5. ſæ.*

tu'o Canones Græci in Latinam linguam à pluribus verſi.

lium, quàm Generalium Conciliorum ad ea uſque tempora habitorum Canones, Chalcedonenſis Oecumenici IV. Canone primo approbati anno 451. fuerunt, ex illis omnibus in unum corpus redactis Collectio apud Græcos concinnata, communicari cœpit cum Occidentalibus Eccleſiis. Elaboratæ ſunt eam in rem plures Latinæ interpretationes ſeu Verſiones, quarum inter antiquiſſimas cenſenda videatur, quæ ex Bibliotheca Vaticana, & præcipuè ex Chriſtophori Juſtelli Bibliotheca nuper ab Henrico ejus filio edita eſt, qua vetuſtiſſimis temporibus uſam eſſe Eccleſiam Gallicam non improbabilis eſt conjectura. Aliam eorum Canonum magna ex parte tranſlationem concinnavit Martinus Bracarenſis. Alia extat in corpore Canonum Iſidori. Aliis uſi ſunt, tum Gelaſius Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, Ferrandus [e], Symmachus Pontifex in Synodo Romana ab eo celebrata: tum Carolus Magnus in Capitularibus.

e In ſua Canon. Breviatione.

4. Qui Canones hac Collectione comprehenſi.

IV. HÆC Collectio, ſive hic *Codex Canonum Vetus* conſtabat Canonibus Nicænis 20. Ancyranis 24. aliàs 25. Neocæſarienſibus 14. aliàs 15. Sardicenſibus 21. (qui in nonnullis Codicibus ſubjiciebantur ſtatim Nicænis, quaſi appendicis loco; in aliis deſiderabantur) Gangrenſibus 20. Antiochenis 25. Laodicenis 59. Conſtantinopolitanis 4. (ex ſeptem) Chalcedonenſibus 27. duntaxat (omiſſis poſtremis duobus.) His interſeruntur in quibuſdam exemplaribus Epheſinis tres, ex octo.

5. De Collectione Leoni I. adſcripta.

V. CODICEM CANONUM *Eccleſiaſticorum & Conſtitutionum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ* edidit Pariſiis anno 1675. ex Manuſcriptis Codicibus Thuaneo & Oxonienſi, vir religioſus ac doctus Paſchaſius Queſnel, Presbyter Oratorii Domini JESU, ſub titulo *Appendicis ad Opera Sancti Leonis Magni*; quem vetuſtiſſimum & ampliſſimum omnium ejuſmodi Codicum, qui huc uſque prodierunt, atque in uſu fuiſſe putat in Eccleſia Romana Innocentio I. Zoſimo, &c. ac Leone I. Pontificibus.

6. Index hujus Collectionis.

VI. UT de hac Collectione rectum quiſque judicium ferre poſſit, neceſſarium videtur, propoſito ejus Indice, quæ & quo ordine in ea comprehendantur, legentibus exhibere.

Continet Codex iſte Canones Eccleſiaſticos, & Conſtituta Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Index Capitulorum ex Codice Thuanæo & Oxonienſi.

I. CANONES NICÆNI Concilii cum Præfatione & expoſitione Fidei.
II. Canones CARTHAGINENSIS Concilii.
III. Canones ANQUIRITANI Concilii.
IV. Canones CÆSARIENSIS Concilii.
V. Canones GANGRENSIS Concilii.
VI. *Epiſtola Concilii Carthaginenſis ad Innocentium Papam, ſuper errores Pelagii & Cæleſtii de Libero arbitrio.*
VII. *Reſcriptum ejuſdem Papæ ad idem Concilium, in quo dogma Pelagii & Cæleſtii damnavit.*
VIII. *Epiſtola Concilii Milevitani ad Innocentium Papam, & Pelagii & Cæleſtii*

leſtii pravitate, qui Dei adjutorio hominem aſſerunt non egere, & infantes ſine Baptiſmo poſſe conſequi vitam æternam.

IX. *Reſcriptum Innocentii Papæ ad idem Concilium, quo error pariter cum errantibus damnatus eſt.*

X. *Epiſtola Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi & aliorum quatuor familiaris, directa ad Innocentium Papam contra Sectam Pelagii.*

XI. *Reſcriptum Innocentii ad eoſdem quinque Epiſcopos ſupra damnatione Pelagii.*

XII. *Epiſtola Innocentii Papæ ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem familiaris.*

XIII. *Concilium plenarium habitum apud Carthaginem contra Pelagium & Cæleſtium.*

XIV. *Sacrum Reſcriptum Honorii & Theodoſii ad Palladium P.P. poſt accepta geſta Synodi ſupra ſcriptæ.*

XV. *Edictum Palladii Præpoſiti de expulſione Pelagii & Cæleſtii.*

XVI. *Epiſtola Honorii & Theodoſii ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, ſuper Pelagii & Cæleſtii ſacrilega doctrina & damnatione.*

XVII. *Epiſtola Aurelii Epiſcopi ad Epiſcopos Provinciæ Bizacenæ, & Arzugitanæ, de Pelagii Cæleſtiique errore damnato.*

XVIII. *Capitula excerpta de geſtis in Palæſtina Provincia actis, ubi Pelagius errori ſuo finem impoſuit.*

XIX. *Sacrum Reſcriptum Conſtantii Imperatoris ad Voluſianum Præpoſitum de damnatione Cæleſtii.*

XX. *Edictum Voluſiani Præpoſiti de Cæleſtii expulſione.*

XXI. Epiſtola INNOCENTII Papæ AD EXSUPERIUM Toloſanum Epiſcopum, per quam ei in ſex Titulis interrogationis ejus cauſas & ſuæ reſponſionis Decreta expoſuit: ubi ſubdit divinorum Librorum Veteris & Novi Teſtamenti Summarium.

XXII. Reſcriptum INNOCENTII Papæ AD EPISCOPOS MACEDONENSES, ſuper expoſitione trium Titulorum.

XXIII. Reſcriptum INNOCENTII Papæ AD DECENTIUM Egubinum Epiſcopum, de Titulis infra ſcriptis.

XXIV. Epiſtola INNOCENTII Papæ AD VICTRICIUM Rotomagenſem Epiſcopum, de Titulis infra ſcriptis.

XXV. Canones Synodi CHALCEDONENSIS, prælato geſtorum ordine.

XXVI. *Conſtitutio Marciani Imperatoris, Synodi ſupra dicta Statuta confirmans.*

XXVII. *Ejuſdem Auguſti Conſtitutio ad Palladium Præf. Præt. ejuſdem Synodi præcipiens cuſtodiri definita, Eutychis errore damnato.*

XXVIII. *Item ejuſdem Principis Conſtitutio, de obtinenda Fide Catholica, & de Eutychianis & Apollinariſtis, eorumque pœnis.*

XXIX. Epiſtola SIRICII Papæ AD HIMERIUM Epiſcopum Tarraconenſem, ad conſulta ſuper quindecim Capitulis reſpondentis.

XXX. *Epiſtola Siricii Papæ ad diverſos Epiſcopos miſſa, de damnatione Joviniani & aliorum contra Virginitatem Beatæ Mariæ latrantium.*

XXXI. *Reſcriptum Ambroſii, aliorumque Epiſcoporum ad Siricium Papam, de cauſa eadem.*

XXXII. Epiſtola ZOSIMI Papæ AD ESICIUM Salonitanum Epiſcopum,

copum, de Monachis & Laicis ad Gradus Eccleſiaſticos accedere cupientibus.

XXXIII. Commonitorium ZOSIMI Papæ AD PRESBYTEROS & Diaconos ſuos RAVENNÆ conſtitutos.

XXXIV. BONIFACII Papæ AD HILARIUM Narbonenſem, de Patroclo & Epiſcopo Lutubenſi.

XXXV. CÆLESTINI Papæ AD EPISCOPOS VIENENSES & Narbonenſes, Conſtitutio Titulorum undecim.

XXXVI. CÆLESTINI Papæ ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ, ut nullus Laicorum ad Ordinem Sacerdotii admittatur.

XXXVII. *Expoſitio Fidei Catholicæ contra hæreſim Arianam.*

XXXVIII. *Fauſtini Presbyteri fides Tranſmiſſa Theodoſio Imperatori.*

XXXIX. *Alter Libellus Fidei.*

XL. *Libellus fidei Auguſtini.*

XLI. *Exempla teſtimoniorum Hilarii, Ambroſii, Athanaſii, Auguſtini, & aliorum Sanctorum Catholicorum Virorum, de duabus Naturis in una Perſona* JESU *Chriſti Domini Noſtri indiſcretè diſtinctèque manentibus.*

XLII. *Geſta damnationis Eutychis.*

XLIII. *Narrationis ordo: qualiter Dioſcorus, Alexandrinus Epiſcopus Eutychi conſentiens in ea, cui præerat ipſe, Eccleſia, vel Conſtantinopolitana, errorem induxerit, uſque ad tempus quo Acacius damnatus eſt.*

XLIV. *Simplicii Papæ ad Acacium, ut de Alexandrinæ Eccleſiæ vexatione curam gerens, Sedi Apoſtolicæ non differat nuntiare.*

XLV. *Reſcriptum Acacii ad Simplicium Papam, ubi ei ſignificat Petrum Alexandrinum Epiſcopum eſſe damnatum, & Timotheum reſtitutum.*

XLVI. *Felicis Papæ in damnatione Acacii.*

XLVII. *Gelaſii Papæ, de damnatione Acacii mirabilis diſputatio, atque definitio.*

XLVIII. *Item ejuſdem ad Fauſtum in legatione ad Orientem directum, inſtructio ſuper damnatione Acacii.*

XLIX. *Ejuſdem de eodem ad Anaſtaſium Imperatorem; ut Imperator non ſe extollat ſuper Sacerdotes, nec ſuper ſedem Apoſtolicam.*

L. *Ejuſdem expoſitio cauſæ ad Dardanos, Acacium à Sede Apoſtolica juſtè fuiſſe damnatum.*

LI. *Ejuſdem Epiſcopi ad Epiſcopos Orientis de eadem cauſa reddita ratio.*

LII. *Athanaſii Epiſcopi ad Epictetum Epiſcopum, contra eos, qui de Domini Incarnatione ſpiritu blaſphemiæ diverſa ſenſerunt.*

LIII. *Cyrilli ad Joannem Antiochenum Epiſcopum, contra eos qui prava de eo in Fide finxerunt; & quòd exemplar Literarum Athanaſii ad Epictetum ipſe direxerit: & formula fidei ſubrogata.*

LIV. *Definitio ſanctæ Synodi Chalcedonenſis, & Leges ex Codice Theodoſiano.*

LV. *Damaſi Papæ ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum, de Fide & formula Libelli, cujuſmodi fidem qui ab hæreſi revertuntur, debeant profiteri.*

LVI. *Euſebii Epiſcopi Mediolanenſis Epiſtola ad Leonem Papam; per quam fidei ejus, quam ad Orientem direxerat, aſſerendo cum aliis Epiſcopis conſenſit atque ſubſcripſit.*

LVII. *Ravennii aliorumque Epiſcoporum Gallorum ad Leonem Papam, fidei ejus, quam ad Orientem direxit, laudem dicentium.* *

LVIII. GELASII Papæ *Conſtitutio*, in XXIII. Titulis, Canonum diſtrictionem temperans, his duntaxat Provinciis quæ certis ex cauſis ut miniſtri Eccleſiarum deſint, hominum raritate laborant. *

LIX. Canones ANTIOCHENI Concilii.

LX. Regulæ *ſecundum* LAODICIAM Phrygiæ Pacatianæ.

LXI. Canones CONSTANTINOPOLITANI Concilii.

LXII. *Conſtituta Theleptenſis Concilii, id eſt in Africa, juxta Decretalem Siricii Papæ.*

Hic deſinit Oxonienſis Codicis Index. Quæ ſequuntur ex Thuanæo ſolo ſunt.

LXIII. *Regula formatarum ſecundum Græca literarum elementa.*

LXIV. *Clementis ad Jacobum.*

LXV. *Ceretii Salonii, & Verani Epiſcoporum Gallorum ad Leonem Papam gratia ſuper Fidei doctrina agentium.*

LXVI. *Cyrilli ad Neſtorium: ut unum & verum Fidei dogma ſequatur.*

LXVII. *Leonis Papæ ad Leonem Auguſtum, & de una Domini noſtri* JESU-CHRISTI *Perſona, & duabus Dei hominiſque Naturis, cum ſubjectis teſtimoniis Patrum.*

LXVIII. *Leonis Papæ ad Juvenalem Jeroſolymitanum Epiſcopum, de eodem ipſo.*

LXIX. *Ejuſdem ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de damnatione hæreſis Eutychianæ.*

LXX. *Conſtitutio ad Theodorum Epiſcopum Forijulienſis, ſuper Pœnitentiæ ſtatu.*

LXXI. *Conſtitutio ad Turbium Epiſcopum Aſturienſem ſuper* XVI. *Capitulorum conſulta, Priſcillianiſtarum blaſphemiis in* XVIII. *reſpondens Capitulis.*

LXXII. Item LEONIS Papæ AD RUSTICUM *Narbonenſem* Epiſcopum cum ſubjectis XIX. Conſultationum Capitulis, Reſponſionibuſque ſubnexis.

LXXIII. AD ANASTASIUM Epiſcopum *Theſſalonicenſem*, ſuper nimietatis arrogantia vicis Apoſtolicæ Sedis redargutio, cum ſubjectis ſex Titulis Decretorum.

LXXIV. AD NICETAM Aquilejenſem Epiſcopum ſuper IV. Titulorum interrogatione reſponſio.

LXXV. AD JANUARIUM Epiſcopum *Aquilejenſem* de Clericis, qui in hæreſim vel quodlibet ſchiſma prolapſi ſunt, minimè promovendis.

LXXVI. AD univerſos EPISCOPOS CAMPANIÆ, Piceni & Tuſciæ; ut ſervi vel originarii, aut cujuslibet conditionis obnoxii ab Eccleſiaſticis Officiis repellantur: & de his Clericis qui ob hoc fœnerant, ut uſuras accipiant.

LXXVII. Epiſtola generalis DE MANICHÆIS.

LXXVIII. *Ad Epiſcopos Siciliæ, ut in Epiphaniorum die Baptiſma non tradant.*

LXXIX.

LXXIX. *Ad Pulcheriam, de damnatione hæreſis Neſtorianæ & Eutychianæ.*

LXXX. *Ad Conſtantinopolitanos, ſuper ſtabilitate Fidei ipſorum, cohortatio.*

LXXXI. *Ad Palæſtinos, ſuper mobilitate fidei ipſorum, in Eutychianam hæreſim devolutos, correptio.*

LXXXII. *Ad Aquilejenſem Epiſcopum, de incauta receptione Pelagianiſtarum, & ut de Eccleſia ad Eccleſiam nullus Eccleſiaſtici Ordinis transferatur.*

LXXXIII. *Ad Septimum Epiſcopum, de ſupraſcriptis Titulis.*

LXXXIV. AD MAUROS EPISCOPOS, de illicitis Ordinationibus, & de Ancillis Dei, quæ Virginitatem vi barbarica amiſerunt.

LXXXV. *Ad Synodum Epheſianam, de damnanda hæreſi Eutychiana.*

LXXXVI. *Ad Theodoſium Imperatorem, ut reſciſſa Synodo Epheſiana, in Italia Concilium ejus conſenſu debeat celebrari.*

LXXXVII. *Ad Pulcheriam Auguſtam, de eodem ipſo.*

LXXXVIII. *Ad Julianum Epiſcopum, de damnatione hæreſis Eutychianæ.*

LXXXIX. *Ad Theodoſium Imperatorem, de Synodo Epheſi celebranda.*

XC. *Ad Marcianum Auguſtum, de ambitu Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani.*

XCI. *Ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de ejus ambitu objurgatio, & de Alexandrinæ & Antiochenæ Sedis antiquitùs honore prælato.*

XCII. *Ad Synodum Calchedonenſem, ut ea tantùm valeant, quæ de fide contra Eutychen decreta ſunt; cætera effœtanda.*

XCIII. *Ad Anatolium Epiſcopum, de adhortatione expugnandæ hæreſis Eutychianæ, & quod expulſos quoſdam de Ægypto pro Fide Catholica ipſe ſuſceperit.*

XCIV. *Ad Leonem Auguſtum, de adhortatione abſcindendæ hæreſis Eutychianæ, & de confirmatione Concilii.*

XCV. *Ad Anatolium Epiſcopum, de Attico Presbytero, ut ſuſceptionem Eutychiani erroris à ſe Presbyter compellatur excludere.*

XCVI. *Ad Anatolium Epiſcopum, de receptione Andreæ Archidiaconi, & Euphratæ, & de appetitu honoris Conſtantinopolitanæ Sedis adjectione, Reſcriptum.*

XCVII. *Ad Synodum Calchedonenſem, de reſtituendis Epiſcopis in propriis Sedibus, qui dudum fuerant pro Fide Catholica pulſi, & Epheſianæ prioris Synodi firmitate.*

XCVIII. *Ad Dorum Beneventanum Epiſcopum, objurgationis Epiſtola.*

7. An hic Codex Canonum Vetus Eccleſiæ Romanæ.

f Diſſertat. 12. ad S. Leonis opera.

VII. COLLECTIONIS hujus autorem vir eruditus Leonem I. Pontif. Max. nominat: eique nihilominus titulum adſcribit vetuſtiſſimi Codicis Canonum Eccleſiæ Romanæ, qui jam ſub Innocentio I. & ſequentibus Pontificibus in uſu fuerit. Verum quia hæc duo invicem pugnare videri poſſent, ſententiam ſuam ita interpretatur, ut cum Capitula totius collectionis ſexaginta numerentur, primum dumtaxat quo Nicæni I. ſimul & Sardicenſis Conciliorum Canones ſub ſolo Nicæni nomine continentur, ad Innocentii tempora referat: reliqua paulatim ac per

partes

partes adjecta velit, ac totum opus tandem ſub Leone complementum accepiſſe. Eam in rem clariſſimorum virorum Chriſtophori & Henrici Juſtelli, Pet. Marcæ, Joannis David, variè de his ſentientium, opiniones de *Codice Canonum veteri*, ſive *Univerſæ*, ſive *Romanæ Eccleſiæ*, rationibus haud ſanè improbabilibus refellit, aut certè impugnat. Hæc cuncta recenſere longioris eſſet operæ, quàm noſtrum hoc inſtitutum pâtiatur. Ego iis facilè aſſentior, qui *Canonum Univerſæ Eccleſiæ Codicem* dici debere negant primam Græcorum Collectionem, quaſi primis temporibus ubique per orbem Chriſtianum valuerint omnes & ſoli Canones illa Collectione comprehenſi: gratiam quoque habeo diligentiæ Cl. Quenelli, cui vetuſtum hunc Latin. Canonum Eccleſiaſticorum & conſtitutorum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Librum res Canonica debet. Non tamen ſtatim adducor, ut in ejus omninò ſententiam eam, credamque quinto ſeculo hancce Collectionem in communi apud Romanos uſu fuiſſe, & illam à Dionyſio Exiguo indicari, cum ſcribit ſe à Laurentio Diacono *confuſione priſcæ Tranſlationis offenſo* impulſum ad novam Collectionem adornandam. Non quòd non reverà confuſione haud mediocri laboret hic Codex. Nam nec omnium Conciliorum jam tum pleriſque receptos Canones habet, nec eos certo ordine per ſua Concilia, (ut tunc fiebat) digeſtos, aut ſeorſim ab aliis diverſi generis ſcriptis pôſitos, nec ſuis etiam notatos numeris; ſed Canonibus (propria hujuſmodi Collectionum materia) Epiſtolas exigui ſæpè momenti, aut longas de Fidei Articulis diſſertationes, atque Imperatorum Conſtitutiones, Edictaque Magiſtratuum adverſus hæreticos, admiſcet. Verùm vel hac ipſa de cauſa dubium mihi videtur utrùm hæc fuerit Eccleſiæ Romanæ uſu recepta Collectio: quòd ſcilicet, præter harum Collectionum morem, tot aliena prorſùs à diſciplinæ regulis, extraneaque adjuncta complectatur, ut cum illis comparati Canones ne tertiam quidem impleant totius Operis partem: quemadmodum cuivis illius capita Italico charactere hìc à nobis conſultò diſtincta, ab aliis ſecernenti patebit. Moveor & Dionyſii Exigui verbis. Is enim ſequentis & probati poſteà, obviiſque ulnis excepti ab Eccleſia Romana Codicis Canonum autor, non de prioris Codicis, ſed de *prioris Tranſlationis confuſione* queritur: quod & ad Græcos tantùm Canones in Latinam Linguam verſos referri poteſt; & fortè non minùs ad ſtyli barbariem, quàm ad inordinatam diſpoſitionem pertinet. Hinc conjicere licet Codicem, cui emendando atque amplificando Dionyſius operam dedit, nihil aliud quàm Græcorum Canonum Tranſlationem fuiſſe; priſcarum nempè illarum unam, in quibus Sardicenſis Concilii Canones indiſtinctè atque una cum Nicænis ſerie, ante alios primæ Græcorum Collectionis Titulos, ſermone minùs eleganti deſcripti erant; quales adhuc in Bibliotheca Regia, & ex Thuanæa in Colbertina reperiuntur. Ejus generis Codex parum refert an poſt Leonis I. tempora receptus ab Eccleſia Romana fuerit, (quam ego in conjecturam propendeo) an inter manus ſtudioſorum tantùm verſaretur tempore Dionyſii. Neque enim Codicem ille Romanæ Eccleſiæ vocat: ſed priſcam (ut jam dictum eſt) Tranſlationem. Nobis ſufficit, poſtquàm ipſe verſionem aliam inſtituit, eique tum Chalcedonenſis & aliorum, Carthaginenſium præſertim, Conciliorum, tum Romanorum Pontificum Decreta adjecit, pro Codice Romanæ Eccleſiæ habitum, &

eo nomine in Gallia deinde, atque alibi fuiſſe receptum. Extra eum, & Romana Eccleſia Italicorum, & Africana, Gallica, Hiſpanica, ſuorum quæque Conciliorum Canonibus uſæ ſunt; & quemadmodum Africanos Canones ſelectos Eccleſia Univerſa, ita & quæque Natio finitimarum ſacra Statuta ſæpè adſcivit, ac ſequuta eſt: quod de Gallicanis Conciliis per Hiſpanos adoptatis nominatim notavit præſtantiſſimus Sirmondus [f].

f In Præfat. ad Concil. Gall.

8. Ea res dubio non caret.

VIII. Non equidem ambigendum puto, quin ea omnia quæ in hunc Codicem relata ſunt, in ſcriniis Sedis Apoſtolicæ collecta, atque inde poſteà deprompta fuerint. Sed, quemadmodum obſervat eruditus Quenellus, aliud ſcrinia Sedis Apoſtolicæ, aliud Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ. An duo eſſent tabularia, ita ut Codex Canonum, quæve ad eum pertinebant, omninò extra ſcrinia eſſent, non anxiè diſquirendum cenſeo: Illud certum eſt non omnia monumenta quæ in ſcriniis habebantur, Codice comprehenſa fuiſſe. Ex iis tamen ea quæ in ſcriniis aſſervabantur, ſeligi ſolita quæ in Codicem inſerenda viderentur, probari poteſt ex Dionyſio Exiguo, qui Summorum Pontificum Siricii & aliorum Decreta, ex ſcriniis illis à ſe accuratè evolutis deſumpta teſtatur. Hic itaque Codex, de quo nunc agimus, etſi tempore S. Leonis incluſus ſcriniis, diverſus eſſe potuit à Codice Canonum Romæ tunc communi uſu recepto. Et verò ut Canones, quorum ſcientia ad quotidianam Eccleſiarum diſciplinam ſervandam [g] adeò Epiſcopis & Sacerdotibus neceſſaria erat [h], tanta rerum ad notitiam magis, quàm ad quotidianum uſum conducentium, mole onerarentur, non facilè illorum temporum inſtituto accommodatum videtur.

g Queſnel. diſſ. 12. cap. 2.

h Vide Can. 1. diſt. 38.

C A P U T XV.

De Collectione Dionyſii Exigui, quæ vulgò Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ vocatur.

1. Quis & qualis hujus Collectionis autor.

I. DIONISIUS, doctrina & ingenio magnus, ſed corpore & cognomento EXIGUUS, monachus, ac deinde Abbas, moribus & domicilio Romanus, quamvis natalibus Scytha, tempore Juſtiniani Imperatoris floruit.

2. Cur Dionyſius hanc Collectionem aggreſſus: & quomodo perfecerit.

II. Is cum Græcæ & Latinæ linguæ peritiam ſibi comparaſſet, tum alia opuſcula è Græco in Romanum ſermonem tranſtulit, tùm Canonum Eccleſiaſticorum novum Codicem inſtituit. Non tamen totum ſimul opus ſuum abſolvit; ſed priùs circa an. Chriſti 496. Græcorum priſcæ Collectioni manum admovit, cujus, & ſimul ſecundæ concinniorem Verſionem ſuſcepit, hortante Laurentio Eccleſiæ Romanæ magno Diacono, eamque Stephano Salonitano in Dalmatia Epiſcopo nuncupavit, ut ex Præfatione ipſius diſcimus. Poſteà verò circa annum 500. animum convertit ad Decreta Pontificum Romanorum ex Sedis Apoſtolicæ ſcriniis deprompta in ordinem redigenda, prout ipſe teſtatur [a]. Et prima quidem opera à Siricio (qui anno 385. ſedere cœpit) ad Anaſtaſium

a In Epiſt. ad Julianum tit. S. Anaſtaſ. Preſbyterum.

ſtaſium II. ea perduxit; tum deinde ad Hormiſdam ea protulit, qui ann. 523. in vivis eſſe deſiit.

III. PRIMUM itaque Canonum ſeriem per numerorum conſequentiam à primo capite Nicænæ Synodi, deducit ad Conſtantinopolitanæ I. Canonem tertium, qui 156. & ultimus erat Græci Codicis antiqui: deinde verò prætermiſſis Concilii Epheſini Canonibus Chalcedonenſes adjungit nnmero 27. in quibus finem Græcorum Canonum eſſe declarat ibidem. Verùm illi Canonum ubique recepto Codici, Canones Apoſtolicos quinquaginta adjicit, Sardicenſes quoque 21. & Africanorum Conciliorum 138. Canones, quos aſſerit Latina lingua editos fuiſſe; ſic 392. capitibus abſolvitur tota hæc Canonum Synodalium Collectio. Decreta autem Pontificum Romanorum ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantia, partim ex Synodis Romanis ſive Italicis, partim ex Decretalibus Epiſtolis, & Reſcriptis Pontificis deſcripta fuere. Quod autem poſteriorum aliquot Pontificum, atque adeò Gregorii junioris, ſive ſecundi Decreta ad calcem operis adjecta ſunt, longè Dionyſio poſteriora, id alterius operam ſatis oſtendit. *3. Ordo hujus Codicis.*

IV. DIONYSIANAM hanc Canonum Collectionem Eccleſia Romana ſtatim amplexa eſt, & non ſine laude autoris, uſu communi recepit, teſtibus Caſſiodoro, & Iſidoro [b] coætaneis ferè Scriptoribus [c]. De eadem accipiendus eſt Leo IV. niſi quòd Pontifices Decretorum autores nominans, in illis Sylveſtrum quoque recenſet, cujus nulla apud Dionyſium mentio. *4. Ejus autoritas.*

b Cap. 13. divin. Lection.
c In Can. de Libellis 1. diſt. 30.

V. AT Eccleſia Gallica quæ priùs, ni fallor, Canones Chalcedonenſi Concilio probatos & priſcæ Collectioni inſertos ſuſceperat, atque obſervaverat, poſtea hunc Codicem Canonum à Dionyſio Exiguo compoſitum admiſit: non tamen ſtatim undequaque ſecuta eſt. Quamvis enim Concilii Aurelianenſis III. anno 530. celebrati Can. 3. memorentur Decreta Sedis Apoſtolicæ, de Metropolitanis per Comprovinciales Epiſcopos & Cleri ac civium conſenſu eligendis (quod caput habetur in Epiſtola Leonis I. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, Collectioni huic Dionyſianæ indita) non tamen ex eo ſequitur Decreta Romanorum Pontificum quæcumque in ea Collectione continentur, longè minùs totum Codicem in Gallia paſſim in communi uſu fuiſſe. Potuit quippe hoc ſpeciale Decretum aliunde quàm ex eo Codice petitum, probari. Certè cum hoc prolato Codice ex Can. 25. Apoſtolorum, qui in eo comprehenditur, Chilpericus Rex Prætextatum Epiſcopum Rotomagenſem tanquam homicidii, furti, aut perjurii reum, Sacerdotio exui anno 577. poſtularet in Synodo Pariſienſi, Gregorius Turonenſis [d] refert Canones illos Apoſtolicos in Codice Canonum quo tunc utebatur Eccleſia Gallica, minimè fuiſſe comprehenſos, ſed novo quaternione ad Codicem Gallicanum adjectos. Verùm poſtquam Adrianus I. Pontifex hoc Corpus Canonum Carolo Magno Regi præclari muneris loco dedit, tùm ſanè uſu recepta valuit hæc Dionyſiana Collectio apud Majores noſtros; quemadmodum ex Conciliis quæ paulò poſt habita fuerunt, colligi poteſt. *5. Etiam in Eccleſia Gallica.*

d Lib. 5. Hiſt. Franc. c. 19.

VI. BREVI ex Illuſtriſſimi Claudii Pelleterii, Summi Præfecti Ærarii, Bibliotheca prodibunt, quæ jam ſub Regio Prælo ſunt, eximii viri Petri Pithæi, & Franciſci fratris J. C. Notæ eruditiſſimæ, emendationes *6. Nova Codicis Canonum veteris Eccleſiæ Romanæ editio indicatur.*

X 2 & le-

& lectiones variæ, ex antiquis manuſcriptis ad *hunc veterem Codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ*, Moguntiæ editum anno 1525. & Pariſiis anno 1609. in quo Codice inſertæ ſunt Canonum Nicænorum Latinæ editiones antiquæ quatuor, binæ binis è regione oppoſitæ, ex uno eodemque vetuſtiſſimo exemplari, cura Cl. Franciſci Deſmares, Domini de Palis, in Curia Patroni. Illarum autem Verſionum Latinarum, quibus in eo Codice (Veteri Pithœano Canonum Eccleſiæ Romanæ) Nicæni Canones redduntur, prima congruit cum Dionyſii Exigui tranſlatione, ſecunda cum tranſlatione Gentiani Herveti, quæ non multùm differt ab ea quam in Codice Manuſcripto Domini Hardi jamdiu vidi, & cum Iſidoriana contuli. Tertia cum ea quæ ex mſ. Cod. Chriſtophori Juſtelli in lucem emiſſa eſt Voelli & Juſtelli filii cura, quarta cum Iſidoriana ferè conveniunt.

7. De Cyclo Paſchali & Æra vulgari Dionyſii Exigui ſtudio introducta.

VII. CÆTERUM præter hanc duplicem Canonum & Pontificiorum Decretorum Collectionem, duo ſunt, quæ Dionyſio Exiguo feruntur accepta, Cyclus Paſchalis, & Æra annorum Chriſti vulgaris. Cum enim inter Orientales & Occidentales Eccleſias multæ de tempore celebrandi Paſchatis ortæ ac ſæpiùs renovatæ contentiones fuiſſent, Dionyſius noſter circa annum Chriſti 526. vel ſub primordia Juſtiniani Paſchales Cyclos, ſive Circulos ex Alexandrinorum rationibus commentatus eſt, rejecto Victorii Aquitanici, aliorumque Latinorum calculo: eoſque Calendario Romano inſcripſit: ita ut (dempto anni initio, quem Ægyptii à 4. Calendas Septembris, Romani à Calendis Januariis inchoabant) emboliſmum utrumque egregiè ligaverit, effeceritque ut ambotum Calendariorum uſus idem eſſet. Cyclus autem ab eo inſtitutus fuit, non ut à Victorio 532. annorum, ſed annorum 95. quem Cyclo S. Cyrilli jam deficienti attexuit: & cum Cyrillus ad annum Chriſti 531. Cyclum ſuum, deductum ex more temporis ſui per annos Diocletiani, perduxiſſet, Dionyſius maluit ab Incarnatione Domini annos numerare, atque ita in inſtituenda hac annorum numeratione orbi Chriſtiano prævivit, quemadmodum ex ipſius Dionyſii ſecunda Epiſtola ad Petronium probat Petavius [e]. Notanda ſunt ipſius Exigui verba: *Nonaginta autem quinque annorum Cyclum*, inquit, *ſtudio quo valuimus expedire, contendimus. Quia verò S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani 153. cœpit, & ultimum in anno 248. terminavit* (hoc eſt ab anno Epochæ Chriſtianæ 437. ad annum 531.) *nos à ducenteſimo quadrageſimo octavo anno ejuſdem Tyranni potiùs quàm Principis inchoantis, noluimus Circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere: ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti annorum tempora prænotare, quatenus exordium ſpei noſtræ notiùs nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ, id eſt Paſſio Redemptoris noſtri evidentiùs eluceret.*

e De doctrina tempor. lib. 12. c. 2. & 3.

8. Dionyſianæ & noſtræ numerationis diſcrimen.

VIII. SED nos Æram Chriſti vulgò inchoamus ab anno qui ejus Natalem proximè ſequutus eſt: cui Aureus Numerus 2. aſſignatur, concurrens cum Cyclo Solis 10. & 4. Indictione. Dionyſius autem ab antecedente anno æram ſuam deducit, Aureo Numero 1. Cyclo Solis 9. [f] Verùm hic annorum à Chriſto nato computandorum modus non ſtatim ſive in Civili, ſive in Eccleſiaſtico uſu obtinuit. In illo id receptum tempore Caroli Martelli exiſtimat Scaliger in animadverſionibus Euſebianis: in Eccleſiaſticis rebus longè tardiùs invaluit. Id enim introductum Eugenio IV. Pontifice ſub annum ſcilicet 1431. teſtatur Blondus Forolivienſis, qui

f Petav. ration. tempor. p. 2. lib. 4. c. 1.

qui Collegio Pontificio fuit à ſecretis. Ad ea uſque tempora ſoli Pontificum anni litteris eorum adſcribebantur.

IX. ANTEQUAM à Dionyſio Exiguo abſcedamus, exigere res ipſa videtur, ut paucis diſquiramus quo Canonum Codice, præter primam Collectionem, uſa poſt Chalcedonenſe Concilium fuerit Eccleſia Romana. Etſi enim diu nonniſi Nicænos Canones abſolutè probaverit, multis argumentis; ex ipſo etiam S. Leone, confici poſſet, cæteros omnes medio illo tempore non omninò fuiſſe ab ea rejectos. Liquet certè ampliorem Collectionem incognitam Symmacho non fuiſſe, utpote qui in Synodo ſua ſexta Canones Gangrenſes duos laudet ac referat. Quare cum Illuſt. Pet. de Marca hos Canones iiſdem protſus verbis, quibus à Symmacho citantur, conceptos extare aſſeveret in ea Collectione quam ipſe in Codicibus mſſ. Rivipullenſis monaſterii reperit, vix ullus ſupereſſe videtur dubitandi locus, quin ea ſecunda Collectio fuerit Romæ probata, donec Dionyſio autore altera paulò elegantior & uberior prodiit.

CAPUT XVI.

De Ferrandi Breviatione Canonum.

I. FULGENTIUS FERRANDUS Eccleſiæ Carthaginenſis in Africa Diaconus, eorum qui Conciliorum Canones Latinè in ordinem & compendium redegerunt, vel antiquiſſimus, vel inter antiquiſſimos fuit. Supparem ſanè atque adeò Diſcipulum fuiſſe B. Fulgentii Ruſpenſis in Africa Epiſcopi, cumque eo in Sardinia exilium toleraſſe, atque in Monaſterio vixiſſe ſæviente in Orthodoxos Traſimundo VVandalorum Rege, conſtat non ſolùm ex Iſidoro Hiſpalenſi [a], ſed & ex Epiſtola ab ipſo Ferrando ad Fulgentium Epiſcopum ſcripta, quæ inter hujus opuſcula à Plantino edita eſt; & ex ejuſdem Ferrandi Parænetico, ſive Libro de ſeptem Regulis innocentiæ ad Reginum Comitem, ubi Ruſpenſis Fulgentii velut nuper vita functi mentionem fieri, P. Pithæus, compendii à Ferrando compoſiti primus editor, obſervavit: denique ex vita Ruſpenſis à Ferrando conſcripta. *Fulgentius* autem *Ruſpenſis* claruit Anaſtaſiii ac Juſtini Imperatorum temporibus. Cui congruit quod teſtatur Victor Tununenſis Epiſcopus in Chronico, ubi ad annum ſextum poſt Conſulatum Baſilii, id eſt, ad annum Chriſti 547. annotavit Ferrandum clarum haberi. Ejus prætereà meminit Facundus Hermianenſis [b].

1. Quis hic Ferrandus, & quo tempore vixerit.

a Lib. de Script. Eccl. cap. 14.

b Lib. 4. pro defenſ. 3. Capitul. c. 3.

II. INTER Ferrandi Opera eminet BREVIATIO CANONUM *ad Liberium*, vel Liberinum Epiſcopum. Eam juſſu Bonifacii Carthaginenſis Antiſtitis, reſtituendæ, poſt reverſos ab exilio Epiſcopos & Clericos, diſciplinæ concinnatam, non improbabiliter opinatur Petrus Franciſcus Chrifletius [c].

2. Tempus hujus Canonum Breviationis.

c In ſuis ad Ferrandum notis.

III. CONSTAT hoc opuſculum capitibus 252. ex priſca Collectione maxi-

3. Capitum nu-

Prænot. Canonic. Donjat. X 3

merus, & unde ſumpta.

maximam partem decerptis, niſi quòd Chalcedonenſis Concilii Canonibus uſus non eſt. Cæteris verò in ea Collectione comprehenſis, adjecit non paucos ex Conciliis quibuſdam Africanis, quorum alibi nulla mentio, nimirum ex *Zellenſi, Suffetulenſi, Septimunicenſi, Macrianenſi, Mezaranenſi, Theniatano,* & *Tuſdritano.*

4. De Concilio Zellenſi.

IV. QUOD diximus horum Canonum non facilè alibi mentionem extare, id generaliter verum, in Zellenſi Concilio dubitationem patitur: ſi modò idem eſt cum *Telenſi*, quod perperam *Telepteuſe* legi contendit idem Chifletius. Porrò Canonum, qui dicuntur Apoſtolorum, in hac Breviatione Ferrandum, non magis quàm Martinum Bracarenſem in Collectione ſua, de qua Capite proximo, meminiſſe mirum non eſt, quandoquidem illi nonniſi in ſecundam Collectionem conjecti fuere.

5. Ordo hujus Breviationis.

V. HUNC ſequutus eſt ordinem Ferrandus, ut primo loco ea locaverit quæ *ad Epiſcopos* ſpectabant, 2. quæ *ad Presbyteros*, 3. quæ ad *Diaconos*: deinde verò ea ſubjecerit, quæ *ad omnes* ſimul *Clericos*, quæque ad *Laicos* non minùs quàm ad Clericos ſpectare viſa ſunt.

CAPUT XVII.

De Martini Bracarenſis Collectione Orientalium Canonum.

1. Quis & unde hic Martinus.

I. MARTINUS *Bracarenſis*, ex Pannonia oriundus fuit, ex qua & Martinus noſter Turonenſis; ſed illo junior. Hic Bracarenſis per Græciam & Orientem priùs peregrinatus, in Hiſpaniam eodem tempore cum Turonenſis noſtri reliquiis delatus eſt. Ibi Suevos, qui Galleciam invaſerant, ad Catholicam fidem convertit, ejuſque ipſis regulas tradidit. *Dumienſis* in eadem regione Monaſterii conditor, primuſque Abbas, ac deinde ejuſdem loci Epiſcopus, tandem Bracarenſis Eccleſiæ Metropolitanæ regimen ſuſcepit, quæ tunc Galleciæ erat, nunc Portugalliæ contribuitur.

2. Alia ejus opera.

II. Scripſit Librum *de quatuor Virtutibus*, ſive *formulam honeſtæ vitæ*, vel, ut Iſidorus appellat, de quatuor Virtutum Cardinalium differentia: Opus Senecæ à nonnullis falsò adſcriptum: quod Tomo VI. Bibliothecæ Patrum eſt inſertum. In appendice ad vitas Patrum anno 1628. typis Plantinianis edita, extant Sententiæ Patrum Ægyptiorum à Græco Scriptore collectæ, atque ab hoc Martino Dumienſi in Latinum tranſlatæ.

3. Selectorum è Græcis Synodis Canonum Collectio cur ab eo ſuſcepta.

III. Imprimis autem Librum *Capitulorum ex Græcis Synodis Collectorum*, ſive *Collectionem Canonum Orientalium* ad Concilii Lucenſis Epiſcopos tranſmiſit. Diviſa enim illis temporibus in duas Provincias Gallecia, totidem habuit Metropoles, Bracaram & Lucum, ubi Regum ſedes; atque in utraque civitate celebratum eſt anno Chriſti 572. Concilium Theodemiro Suevorum Rege, Imperatore autem Romanorum Juſtino juniore: unde hujus Collectionis tempus colligitur. Epiſtola præfationis

ſationis loco ad Nitigeſium Lucenſem Epiſcopum miſſa, docet hoc opus ab autore ſuſceptum fuiſſe propter veteris Canonum Græcorum Interpretis Latini oſcitantiam & obſcuritatem.

IV. Græcis Canonibus adjecit Martinus nonnulla ex Hiſpanicis Conciliis, Toletano I. præſertim, & Bracarenſi: quòd nimirum haſce regulas Eccleſiaſticas ad uſum & mores Eccleſiæ ſuæ accommodaret.

4. Græcis admixti Canones pauci Hiſpanici.

V. Conſtat univerſa hæc *Collectio* capitibus 84. vel 85. ſecundum alios, qui ſeptuageſimum ſecundum Canonem in duos dividunt. Eo autem ordine digeſti ſunt hi Canones, ut priores 68. ad Epiſcopos & Clericos, reliqui ad Laicos pertineant.

5. Ordo hujus Collectionis.

VI. Autoris in Sanctorum numerum relati memoria piè adhuc colitur ab Hiſpanis. Ejus teſtamentum à Ceceeſvindo Gothorum in Hiſpania Rege miſſum eſt ad Concilium Toletanum X. quod anno 656. habitum eſt. De eo plura habes apud Gregorium Turonenſem [a], apud Iſidorum Hiſpalenſem [b], alioſque à Voello & Juſtello relatos: apud quos extat hæc Collectio, adſcriptis ad marginem opera mea variis Lectionibus, adjunctiſque Canonibus Conciliorum, ex quibus Capitula quæque ab Autore non indicatis fontibus deprompta fuerant.

6. De Martini Bracarenſis ſanctitate & accurata hujus Collectionis Editione noſtra.

a Hiſtor. Francor. lib. 5 c. 38. & de miraculis S. Martini lib. 1. c. 11.

b De viris illuſt. c. 22. alias 25. & in Chronico Gothorum ſub finem.

CAPUT XVIII.

De Creſconii Breviario Canonico & Collectione Canonum.

I. CRESCONIUS, ſive, ut alii vocant, *Criſconius*, Africanus Epiſcopus, florebat circa annum Chriſti 690. quemadmodum colligitur ex inſcriptione operis Canonici ab eo compoſiti, quam Annalium Eccleſiaſticorum conditor ex Codice Vaticano refert ad annum 527. numero 76. ubi memoratur Creſconius bella & victorias, quas Joannes Patricius de Saracenis retulerat, hexametris verſibus deſcripſiſſe; quæ quidem victoriæ anno Leontii Imperatoris tertio à Joanne reportatæ ſunt, teſtibus Cedreno & Anaſtaſio Bibliothecario. Leontius autem relegato Juſtiniano juniore, Imperium invaſit anno Chriſti 694. Circa hæc itaque tempora Creſconius duas edidiſſe creditur Canonum Collectiones, non juxta Conciliorum ordinem, & Canonum conſequentiam; ſed quemadmodum Ferrandus, habita rerum ſeu materiæ ratione.

1. Creſconius quis, & quando ſcripſerit.

II. His tamen adverſari quodammodo videtur ipſius autoris Præfatio Breviario appoſita, qua ad Liberinum ſeu Liberium ſcribens, ait, ſe ipſius hortatu ad hoc opus ſeſe accinxiſſe; ſeque eidem ſubjectum videtur fateri, cum illum ait in his rebus ad ſui expletionem officii induſtriam ſuorum exquirere ſubjectorum. Ex quo probabile fit Creſconium, qui ſe alteri Epiſcopo ſubjectum agnoſcat, minorem in Eccleſia, non Epiſcopalem gradum obtinuiſſe; niſi fortè Liberinum illum dicamus Carthaginenſem per ea tempora Archiepiſcopum fuiſſe, cui parere omnes Africani Præſules deberent. Nam de Liberio Pontifice Romano id intelligi non patitur, vel tempus à Baronio indicatum, plus trecentis vigin-

2. Quis Liberinus, cui nuncupatum Creſconii Breviarium Canonum.

ti annis à Liberio remotum; nec Liberio plus centum triginta annis poſterior Dionyſii Exigui collectio, qua uſus eſt in majori, & ni fallor, poſteriori opere ſuo Creſconius. Memoratur quidem in Africa Liberinum vel Libertinum oppidum Epiſcopale, (ex quo deductum conjici poteſt nomen *Synagogæ Libertinorum*, cujus mentio Actorum cap. 6.) non tamen loci nomen hic eſt Liberinus, ſed hominis & Epiſcopi, aut, ut dixi, Carthaginenſis, aut certè Primatis provinciæ ſuæ, in qua Epiſcopatus Creſconii.

3. De Creſconii Breviario Canonico.

III. Creſconii prior Collectio *Breviarium Canonicum* dicitur, ubi Ferrandi exemplo, brevibus ſummulis ſingula Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita comprehenduntur, indicatis duntaxat Conciliorum Canonibus ac Pontificum Romanorum Decretis, non ad verbum relatis.

4. De Libro, ſuo Concordia Canonum ejuſdem.

IV. Altera verò eadem ſerie integros continet Canones, inſcribiturque *Concordia*, vel *Liber Canonum*. Illam cum Ferrando primus ediderat Petrus Pithœus anno Chriſti 1558. ex Codice manuſcripto Eccleſiæ Trecenſis: poſteriorem vulgarunt in Bibliotheca ſua Canonica anno 1661. G. Voellus & H. Juſtellus Chriſtophori filios, ex Codice itidem MS. Guilliel-mi Blueti Advocati quondam Pariſienſis. Adjecti ſunt ibidem Indices duo: prior materias notat rerum, quæ tam in Ferrandi Breviatione Canonum, quàm in Breviario Canonico Creſconii continentur, juxta ordinem alphabeti, collatis capitum ex utroque numeris; alter eorumdem conſonantiam & diſcrepantiam declarat.

5. Numerus Canonum utriuſq; operis.

a Tomo 5. ad an. 419. n. 90.

b Tomo 7. an. 527.

V. Conſtat utrumque opus capitibus omninò trecentis: in quo hallucinatus eſt Baronius, qui eum capitulorum numerum Ferrando aſſignat [a]: quemadmodum & in eo quoque aberravit, quòd [b] Creſconii compendium cum Ferrandi opere confundit.

6. Comparatio Creſconii cum Ferrandi Breviatione.

VI. Concinnior & accuratior videtur Ferrandi, quàm Creſconii ordo: Sed hic non tantùm Canones Apoſtolorum & Chalcedonenſes à Ferrando prorsùs omiſſos, Collectioni ſuæ inſeruit, idque ſecundum Dionyſii Exigui verſionem: ſed & Romanorum Pontificum Decreta ex Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ tranſcripſit: cujus & numeros ſequitur in laudandis Collectionis Africanæ Canonibus, ſub nomine partim Carthaginenſis, partim Africani Concilii: in quo à Ferrando quoque differt, qui ex ipſis fontibus, id eſt ex ſingulis Diœceſeos Africanæ Conciliis, editos ab unoquoque Canones petit.

7. Utriuſque Breviationis illuſtratores.

VII. Ferrandi ſimul & Creſconii Breviationes Canonum emendatiores hoc noſtro ſeculo ediderunt, notiſque illuſtrarunt viri eruditi duo, Fr. Dadinus Altaſerra Anteceſſor Pictavienſis an. 1630. & Petrus Franciſcus Chrifletius Societatis Jeſu Divione anno 1649. Sed hic ſimul cum reliquis Ferrandi operibus.

CA-

CAPUT XIX.

De III. ampliori Canonum expanſorum Latina Collectione juxtà ordinem Conciliorum, quæ Iſidoro Hiſpalenſi adſcribitur.

I. PLures ISIDORI quinto & ſeptimo ſeculis leguntur per Hiſpaniam Epiſcopales Eccleſias rexiſſe. *Iſidorus ſenior*, *Cordubenſis* Epiſcopus, temporibus Imperatorum Honorii & Theodoſii, divinarum Litterarum peritiſſimus & ſanctitate clarus, qui commentaria in quatuor Libros Regum Paulo Oroſio Presbytero atque Hiſtorico dicavit circa annum 412. & cujus Expoſitio in Lucam laudatur à Beato Auguſtino [a]. Hic ISIDORUS deinde HISPALENSIS *junior* cognominatus, comparatione illius prioris, genere ac virtutibus, nec minùs ſcientia inſignis, cujus plurima extant opera. Fuit & *Iſidorus Pacenſis*, junior & ipſe dictus; & *Iſidorus Aſturicenſis* vita quoque & ſcriptis illuſtris circa annum 675.

1. Plures Hiſpani præſules nomine Iſidori.

a Sermone 35.

II. Hiſpalenſis vitam ſcripſit Braulio Cæſar-Auguſtanus; ejuſque meminere præter cæteros Ildefonſus Epiſcopus Toletanus in additione ad librum Iſidori [b], & Joannes Trithemius [c]. Ex his, aliiſque conſtat Severiano fratre in Provincia Hiſpaniæ Carthaginenſi natum, cum duobus fratribus Leandro natu majori, cui ſucceſſit in Metropolitana Bæticæ Provinciæ ſede Hiſpalenſi, & Fulgentio Aſtigitano primùm, ac poſteà Carthaginenſi Epiſcopo. Hiſpalenſi Eccleſiæ per annos 40. præfuit, ab anno Chriſti 595. ad annum 636. ſive æram Hiſpanicam 674. qua ſpiritum Deo reddidit, anno primo Chintilani Regis Gothorum. Notus fuiſſe dicitur apud Conſtantinopolim Gregorio, qui poſteà Romanus Pontifex fuit: quaſi eò venerit Gregorius Pelagii junioris Pontificis, Iſidorus Regis ſui Recaredi Legatus ad Imperatorem Mauricium circa annum 586.

2. De Iſidoro Hiſpalenſi.

b De Viris illuſtr. c. 9.

c In lib. de Scriptor. Eccleſ.

III. Porrò huic *Iſidoro Hiſpalenſi* tribuuntur, ſed parùm probabiliter, Collectiones Canonum tres, quæ magnam inter ſe habent affinitatem. Prima quæ cum aliis Decretis Canones continet Toletani Concilii XIII. poſt annum 683. quo habitum eſt illud Concilium, edita fuerit neceſſe eſt. Altera, in qua adjecti ſunt Canones poſteriorum Conciliorum, quorum ultimum eſt Toletanum XVII. celebratum anno 649. priori recentior eſt annis 11. Tertia in qua referentur Decreta juniorum Pontificum atque etiam Zachariæ qui anno 741. Hiſpania jam à Sarracenis ſubacta Pontificatum iniit, ſeptem & quadraginta annis poſt proximam compoſita fuit. Harum autem Collectionum nullam Hiſpalenſis Iſidori eſſe poſſe, duo ſunt, quæ ſatis evidenter evincere videntur: primum quòd eorum qui Iſidori Libros recenſuerunt, nemo ante Trithemium ſuperioris ſeculi ſcriptorem, ullius Decretorum Collectionis meminit. Braulio enim Cæſarauguſtanus, & Ildefonſus, cùm cætera Iſidori opera enumerent, hujus mentionem nullam faciunt. Alterum ex eo petitur, quòd cum Iſidorus anno Chriſti 636. è vivis exceſſerit teſte Redempto Diacono in ejus vita, harum Collectionum prima, non niſi poſt annos 47.

3. Plures ei adſcribuntur Canonum Collectiones.

Digitized by Google

ab ejus obitu; ſecunda, poſt annos 58. tertia poſt centum & tres, conflatæ reperiantur.

4. Satis veriſimile videtur ejuſmodi opus ab Hiſpalenſi compoſitum fuiſſe.

IV. Sunt tamen qui Primam Collectionem, aut certè Primæ non multùm abſimilem ab Iſidoro Hiſpalenſi reverà compoſitam fuiſſe augurantur, variis de cauſis. Primò propter ipſius haud vulgarem eruditionem cum rerum Eccleſiaſticarum ſtudio conjunctam, quæ ex aliis ejus lucubrationibus elucet, veluti ex Officiorum, Chronicorum, Sententiarum, Sacramentorum, ſive quæſtionum, Etymologiarum, aliiſque ſimilibus Libris. Qua de cauſa Concilium Toletanum VIII. [d] ejus nuper defuncti memoriam præclaro elogio proſequitur in hæc verba: *Noſtri quoque ſeculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus; & quod majus, in ſeculorum fine doctiſſimus, cum reverentia nominandus Iſidorus.* Secundò id ſuadere videtur *Iſidori Hiſpalenſis* nomen veteribus ejuſmodi Codicibus Canonum inſcriptum; quod non ſine cauſa factum fuiſſe credibile eſt. Idem etiam confirmare poſſunt ſub ejus nomine, licèt falsò, venditatæ poſteriores Collectiones; quæ aliquid ejus generis ab eo ſcriptum fuiſſe inſinuant. Et verò id non modò Trithemio perſuaſerunt, qui inter ejus opera recenſet *Decretum Canonum*; ſed Reginoni quoque, qui in Chronicis [e] refert Iſidorum multa de Fidei Regulis Eccleſiaſticæque diſciplinæ diſputaſſe. Etenim nomine *Regularum & Diſciplinarum Eccleſiaſticarum* intelligi Canonum Collectionem à Reginone, manifeſtè probat titulus Corporis Canonum ab eo compoſiti, de quo paulò poſt. Addi poteſt, quòd apud eundem Iſidorum [f], quamvis ex Gelaſio, ut videtur, deſumptum, legitur: *Sed & ſi quæ ſunt Concilia quæ ſancti Patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt poſt iſtorum quatuor autoritatem, omni manent ſtabilita vigore*, QUORUM GESTA IN HOC OPERE CONTINENTUR. Hanc ſententiam ab Ivone Carnotenſi [g] apud Rabanum quoque, Hugonem Victorinum, & Gratianum, iiſdem verbis relatam ſuſpicatur Antonius Auguſtinus in Etymologiarum volumen translatam eſſe ex præfatione hujus Corporis Decretorum; cui ſanè meliùs conveniunt poſtrema verba, quàm libris Etymologiarum, in quibus adjecta non ſunt geſta ſive Decreta Conciliorum.

d Cap. 2.

e Ad an. 572.

f Lib. etym. 6. cap. 16.

g Lib. 2. Panorm. tit. 11. c. 22.

5. Exſtat adhuc vera Iſidori Collectio.

V. Vix itaque dubitandum videtur, quin Corpus ſive Collectio Canonum Iſidoro Hiſpalenſi aſſignari jure poſſit: præſertim poſtquam illuſtriſſimus Petrus de Marca, de cujus judicio ambigere minùs ſani eſſet judicii, aliam ab iis quas mox indicavimus, & aliqua ex parte breviorem Collectionem à ſe repertam in Bibliotheca Urgellenſis in Catalonia Eccleſiæ, mihi aliiſque non ſemel teſtatus eſt, quam verè Iſidori eſſe exiſtimabat: qualem & Ant. Auguſtinus viderat. Unde accuratus harum rerum indagator Steph. Baluzius in præfatione ad Reginonem §. 3. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem ſine hæſitatione pronunciat Dionyſii Exigui ſtudium eſſe imitatum.

6. Qualis fuiſſe videatur vera Iſidori Hiſpalenſis Collectio ſeu Corpus Canonum.

VI. Genuina hæc Iſidori Collectio ab illis, quæ notiores, paulò diverſa, qualis fuerit, ex ſequentibus quæ inter manus eruditorum verſantur, ſive unà cum Conciliis editæ, ſive manu tantùm exaratæ, colligi poteſt. Ejus ego præfationem ei non abſimilem puto quæ ab Antonio Auguſtino Societatis Jeſu in fronte ſecundæ partis Epitomes Juris Pontificii ab Auguſtino Tarraconenſi collectæ indicatur ſub titulo alterius Iſidori.

Ea

Ea magnam partem ex libro ſexto Etymologiarum, ſive originum ejuſdem Iſidori cap. 16. concinnata eſt. Incipiebat ab his verbis quæ apud Gratianum referuntur [h]: ſed poſt finem clauſulæ paulò ante à me adductæ (*quorum etiam geſta in hoc opere condita continentur*) ſequuntur hæc verba quæ totius operis propoſitum ac ſeriem oſtendunt: *In principio autem hujus voluminis Nicænam Synodum conſtituimus propter autoritatem ejuſdem magni Concilii: deinceps diverſorum Conciliorum Græcorum & Latinorum, ſive quæ anteà, ſive quæ poſtmodùm facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum capitulis ſuis diſtinctam ſub hujus voluminis aſpectu locavimus: ſubjicientes etiam Decreta Præſulum Romanorum, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ, non impar Conciliorum extat autoritas: Quatenus Eccleſiaſtici ordinis diſciplina in unum à nobis coacta atque digeſta, & S. Præſules paternis inſtruantur Regulis, & obedientes Eccleſiæ Miniſtri, vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis.* Deinde de Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, ex ejuſdem capitis 16. Etymologiarum initio ſubjiciuntur, quæ Gratianus exſcripſit [i]. Additur poſtea ex initio ejuſdem capitis ſignificatio vocis *Canon*, relata *Can.* 1. & 2. *diſt.* 3. ac denique Synodi & Concilii Etymologia in fine capitis ejuſdem relato [l].

h Can. 1. diſt. 16.

i Can. 1. diſt. 16.

l In dicto Can. 1. diſt. 15. ſub finem.

6. Illius Corporis Canonum Iſidoriani ordo.

VII. Ordo ipſius Corporis Canonum planè idem eſt cum illo qui ab Auguſtino ante dicto ibidem annotatur, ut ſcilicet poſt Canones Concilii Nicæni, qui primum obtinent locum, prætermiſſis Apoſtolorum Canonibus ſubjiciantur Decreta aliorum Conciliorum Græcorum, quæ à Dionyſio Exiguo prolata ſunt, ſed ex alia Latina verſione: niſi quòd inter Synodos œcumenicas Conſtantinopolitanam I. & Chalcedonenſem hìc inſeruntur placita Conſtantinopolitanæ alterius Synodi, itemque Epheſinæ, œcumenicæ III. quarum neutram deſcripſerat Dionyſius. Conſtantinopolitana autem illa, non univerſalis fuit, ſed particularium quæ habitæ anteà fuerant, aliqua. Poſt hæc Collectionis Africanæ loco, quæ apud Dionyſium ſub duobus titulis, Carthaginenſis nempè Concilii, & Canonum Africanæ Eccleſiæ, habentur; retulit in hac Collectione Iſidorus integros octo Diœceſeos Africanæ Conciliorum Canones, *Carthaginenſium* nimirùm ſeptem, *Primi*, *Secundi*, *Tertii*, &c. (quæ tamen minùs accuratè ad veram temporis rationem digeſta ſunt,) & *Milevitani* (ſecundi ſcilicet, anno 416. adverſus Pelagium & Cœleſtium celebrati.) His accedit ordo duplex Conciliorum, Gallicorum, & Hiſpanicorum. GALLICA ſunt 17. *Arelatenſia tria*, *Valentinum*, Tauritanum, ſive potius *Taurinenſe*, *Regienſe*, *Arauſicana duo*, *Vaſenſia totidem*, *Agathenſe*, *duo Aurelianenſia*, *Epaonenſe*, *Carpentoctarenſe*, *Avernenſia duo*. Sed obſervandum eſt non magis in Gallicis, quàm in Carthaginenſibus, ſervatum eſſe verum temporum ordinem; ut ex iis patet quæ à nobis libro hujus operis ſecundo de illis Conciliis notata ſunt. HISPANICA quindecim ſunt, *Elliberitanum* ſcilicet, *Tarraconenſe*, *Gerundenſe*, *Cæſarauguſtanum*, *Ilerdenſe*, *Valentinum*, *Toletana quatuor prima*, *Bracarenſia duo*; quorum alteri ſubjecta ſunt, appendicis loco, *Capitula* ex Orientalium Patrum Synodis *à Martino Epiſcopo* decerpta. *Hiſpalenſia* denique *duo*. Nec plura ex Hiſpanicis Conciliis, quæ in poſteriores Collectiones congeſta ſunt, deſcribere potuit hìc Iſidorus: cum eo anno deceſſiſſe probetur, quo habitum eſt Toletanum V. Jam Epiſtolas Pontificum Romanorum habet hic Codex: ſed eorum ferè quorum Decreta collecta

fuerant

fuerant à Dionyſio Exiguo, *Siricii* nimirùm *Innocentii I. Zoſimi*, *Bonifacii*, *Cæleſtini*, *Leonis*, *Anaſtaſii*; cum iis, quæ ab eodem fortè Dionyſio addita poſteà fuerant, *Hilarii*, *Simplicii*, *Gelaſii*, *Symmachi*, *Hormiſdæ*; quibus præpoſita eſt Epiſtola *Damaſi ad Paulinum*. Inſerta deinde *Felicis* Epiſtola, ac ſub finem adjectæ *Vigilii & Gregorii* Magni Epiſtolæ quædam.

8. De quibuſdam hujus Collectionis additamentis.

VIII. In aliquibus hujus Collectionis Codicibus inveniuntur poſteriora Concilia *Toletana uſque ac XIII.* habitum an. 683. Concilium præterea *Bracarenſe III.* anni 610. Quin etiam in pleriſque deſcripta ſunt *Toletana ultima* Concilia uſque ad XVII. anni 694. unà *cum Emeritenſi* anni 666. quæ omnia defunctò jam Hiſpalenſi noſtro Iſidoro, celebrata ſunt. Verùm hæc poſt autoris obitum paulatim addi potuerunt. Sic enim Collectioni Decretorum Pontificiorum à Dionyſio Exiguo primùm concinnatæ, alia interjectorum & ſequentium Pontificum Decreta adjecta ſunt, partim ab autore ipſo, ut probabile videtur; partim verò ab iis qui inſecuti ſunt: quod de junioris Gregorii Decretis neceſſariò dicendum eſt, cùm tanto intervallo diſtet ab Exigui temporibus. Eadem ratione videmus cum Corpore Canonum Iſidori Mercatoris, quod nono demum ſeculo erupit, edita conjunctim à Merlino fuiſſe ſtatuta Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis ſeculo 15. condita.

9. Hæ appendices ab aliis poſteà additæ.

IX. Sic ergo plures ad veri Hiſpalenſis Iſidori Collectionem Appendices aſſutas crediderim: quarum prima juniorem fortè alium Iſidorum habuit autorem. Eo certè nomine à Philippo Labbeo Epiſtola ad Leudefredum Cordubenſem Epiſcopum collocatur ſub annum 653. quo celebratum eſt Concilium Toletanum VIII. ut & poſt biennium Toletanum IX. poſt triennium Toletanum X. ac tredecim annis poſterius Concilium Emeritenſe: quæ cuncta ab alio collecta ſint oportet, quàm ab Iſidoro Leandri fratre ac ſucceſſore in Epiſcopatu Hiſpalenſi, ſi vera eſt Pontii Diaconi ratio, & aliorum Iſidori Hiſpalenſis mortem conferentium in annum 636. Nec refert *Junioris* appellatio: Ea enim Iſidoro noſtro, comparatione Cordubenſis antiquioris Iſidori, tribuitur; & alteri poſteriori Iſidoro, reſpectu ipſius Hiſpalenſis, tanquam prioris, rectè aſſignari poteſt.

10. De Indice Iſidori Corpori Canonum in quibuſdam MSS. adjecto.

X. Quod autem annotat Antonius Auguſtinus Jeſuita, Indicem à ſe viſum in aliquot titulos diſtinctum, ubi omnium Conciliorum ratio habetur, quem nonnulli Iſidoro adſcriberent; ſed perperam, quandoquidem Scriptor ineptis quibuſdam carminibus prodit ſe adoleſcentem fuiſſe: id nequaquam ſuum opus Iſidoro eripit; quando Index ille, ipſius Antonii Auguſtini confeſſione, Iſidori eſſe non videtur: nec verò novum eſt operi alieno Indicem ab alio adjici.

11. De altera Iſidori Collectione quæ Corpus Canonum Hiſpanienſe dicitur.

XI. Ad hanc *Alteram* ſub Iſidori nomine *Collectionem*, ſive Iſidorianæ Collectionis Appendicem, refert idem Antonius Auguſtinus è Societate Jeſu, quod Innocentius III. [m] reſcribit ad Petrum Epiſcopum Compoſtellanum, qui Emeritenſe Concilium ex eo imprimis authenticum eſſe adſtruebat, quòd contineretur in Libro qui Corpus Canonum appellatur, & quem Alexander III. per interlocutionem approbaverat: unde exiſtimat hanc eſſe Collectionem ſive Corpus Canonum, quod Hiſpanienſe dictum eſt.

m Lib. 2. regiſtri Epiſt. 121.

C A-

CAPUT XX.

De IV. integrorum Canonum Latina Collectione, ſecundum tempora Conciliorum ac Decretalium, ſub titulo Iſidori Mercatoris.

I. EX altera ad Iſidorum Hiſpalenſem Appendice circa annum 685. coagmentata, quam Collectionem Hiſpanienſem ſive *Corpus Canonum Hiſpanienſe* dixerunt, adjectis Canonibus Apoſtolorum, & Clementis præſertim, aliorumque poſt eum vetuſtiſſimorum Pontificum ferè 35. ad Damaſum uſque, Epiſtolis, conſarcinata eſt Collectio Conciliorum ac Decretalium, quæ ſub nomine ISIDORI MERCATORIS, ſive *Iſidori Peccatoris*, prodiit, & jus Canonicum propè duplò amplius effecit. In quibus hæc Collectio ſeu Corpus Canonum à primo Iſidori Corpore differat, obſervarunt Boetius Epo [a], & Antonius Auguſtinus è Societate Jeſu [b]. Hic præfationis ſeriem deſcribit, ut cum illa priori conferat; uterque Catalogum Pontificum Romanorum & Conciliorum exhibet, quorum Decreta in hoc Corpore Canonum continentur.

1. Iſidori Prima Collectio quibus additis aucta.

a Lib. 2. de Jure ſacro.

b In Ind. & Cenſ. de Collector. Canonum, præfixa 2. parti Epitomes Juris Can.

II. Ab hac Collectione ortum habuiſſe jus Pontificium novum in Occidente notat Ill. Petrus de Marca [c]. Eam in Gallia primus vulgavit RICULFUS, ſeu *Richolphus* Archiepiſcopus Moguntinus, à S. Bonifacio ſecundus, Caroli Magni Conſiliarius, qui ſedem illam ab anno 787. ad 813. tenuit. Teſtis eſt locupletiſſimus Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, ſcriptor ferè coætaneus, ut qui circa annum 870. ſcripſerit. Is hac de re ſic loquitur [d] *De libro Collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculfus Epiſcopus Moguntinus, in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis Regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit.*

2. Hujus Collectionis autor.

c Lib. 3. de Concord. Sacerd. & imp.

d In lib. 55. Capitulor. c. 34.

III. Initio quidem hoc Corpus Canonum illuſtrem prætulit Iſidori Hiſpalenſis titulum, quo nomine indigitatur ab ipſo Hincmaro [e]: *Iſidorus*, inquit, *Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum Epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente uſque ad B. Gregorium.* Verùm manuſcripti Codices non pauci nomen habent *Iſidori Mercatoris*, velut autoris hujus libri. Alii pro Iſidoro Mercatore, vocant *Iſidorum Peccatorem*, quæ appellatio ab Epiſcopis Decreta Conciliorum ſubſcriptione ſua firmantibus, aliàs uſurpata legitur, ſolemni quadam velut formula, qua demiſſum de ſe quiſque animi ſenſum teſtabantur; ut ex Conciliis Gallicis Turonenſi I. Pariſienſi III. Turonenſi II. Matiſconenſi I. diſcimus. Pari ratione apud Græcos Epiſcopi ſeſe non raro ἁμαρτωλὸς ſcribebant. An autem *Mercator* vero nomine dictus fuerit hujus Collectionis autor, an is titulus huic volumini affictus fuerit, non facile eſt pronunciare. In Chronico quidem, quod ſub nomine Juliani Toletani Pariſiis hoc ſeculo in lucem prodiit opera Laurentii Ramirez Hiſpani, legitur *Iſidorus Mercator Epiſcopus Setubenſis* compilationem Canonum ope cujuſdam Monachi compoſuiſſe, atque anno 805. deceſſiſſe. Sed non immeritò apud eruditos ſuſpecta eſt ejus Chronici fides; quæ in hoc maximè articulo elevatur, quòd in eo Julianus Toletanus Archiepiſcopus Quirico in ea dignitate ſucceſſiſſe ſcri-

3. Titulus autoris.

e Epiſt. 7. c. 12.

ſcribitur anno Chriſti 680. & anno 690. æra 728. obiiſſe; & tamen idem Julianus pluribus per ea tempora Conciliis præfuit, atque imprimis Toletano 12. quod anno 681. habitum eſt: quo tempore triginta annis majorem fuiſſe oportet, cùm Archiepiſcopali honore ornatus eſſet; unde Setubenſis illius obitum qui anno 805. contigerit, videre, ac memorare nequaquàm potuit: idque non modò ex hypotheſi qua illius Juliani mors in annum 690. æra 728. conjicitur; ſed nec ex ea qua ſedem Toletanam jam anno 680. tenuiſſe dicitur: niſi velimus eum ultra centum quinquaginta & quinque annos vitam prorogaſſe. Nec verò dici poteſt in aſſignando tempore, quo mortuus ſit Iſidorus Setubenſis, erratum fuiſſe, & pro 805. anno, legendum 705. Etenim hoc effugium non patietur Zachariæ Pontificis mentio, quæ in hoc volumine fit: cum is Pontificatum nonniſi anno 741. inchoaverit. Hæc eadem ratio, & ſtyli barbaries Iſidoro Hiſpalenſi adſcribi vetant, qui jam ante annos 105. vivere deſierat, primaſque ſuo tempore tenuerat in re Grammatica, atque in omni Litterarum genere.

4. De Riculfo hujus Collectionis autore vel propagatore.

IV. Cæterùm RICULFUS, qui Sedem Apoſtolicam devotè coluiſſe dicitur in Præfatione Benedicti Levitæ, ad Capitularia, ſuppoſititias Epiſtolas, quæ in hoc Corpore Canonum referuntur ſub titulis veterum Pontificum, eo animo aut conſarcinavit pleraſque, aut aliunde acceptas vulgavit, ut Eccleſiæ Romanæ autoritatem per Gallias firmaret.

5. Ejus Collectionis autoritas initio ingens.

V. Et ſanè initio quidem earum ſententiis, ob Sedis Apoſtolicæ nomen, multum reverentiæ detulerunt Gallici Antiſtites: nam ex 2. Fabiani Epiſtola deſumptum proculdubiò eſt, quod in Concilio Aquiſgranenſi anni 838. decernitur de Unctione infirmorum, deque Chriſmate quotannis in Cœna Domini conſecrando, ſecundum ſtatuta Decretalium: & per ea tempora ab Epiſcopis noſtris earumdem Epiſtolarum verba in autoritatem adduci ſolita patet legentibus tres poſtremos Capitularium Libros, quos juſſu Otgarii Epiſcopi Moguntini, ex ejus Eccleſiæ ſcriniis, ubi ea per Riculfum coacervata fuerant, Benedictus jam nominatus collegit circa annum 850. In illis enim Libris, quemadmodum & in additionibus eorumdem Capitularium, ex ejuſmodi pſeudepigraphis, Clementis, Anacleti, Pii, Evariſti ſequentiumque Pontificum Decretalibus, tacito licèt autorum nomine, non pauca conſtituuntur, & conſtitutis robur additur. Nec ab illis citandis abſtinuit Hincmarus Remenſis in opuſculis ſuis: quamvis poſteà earum veritatem & autoritatem impugnaverit.

6. Poſteà in dubium vocata.

VI. Non tamen idcircò exiſtimandum eſt Iſidori Collectionem generaliter ſuſceptam ab Eccleſia Gallicana, atque in Canonum numerum fuiſſe relatam. Contrarium teſtatur idem Hincmarus Remenſis in opuſculo adversùs Hincmarum Laudunenſem, qui ex Epiſtolis illis privatam ſibi Collectionem ad uſum Eccleſiæ ſuæ compegerat. Magnum enim diſcrimen Remenſis conſtituit inter recepta Innocentii, Leonis, Gelaſii Decreta, & inter ea quæ his Epiſtolis continentur. Illa velut Conciliorum præſcriptis conſentanea, omninò ſervanda: Hæc in multis Capitibus adverſa Canonibus Conciliorum, non ita ab Eccleſia uſquequaque cuſtodiri debere. [d] Igitur autoritate Gelaſii ſe tuetur, ut dicat *ſacra Concilia, eorumque Canones inviolabiliter ſervandos; has autem Epiſtolas*

d Lib. 55. Capitulor. cap. 25. & 43.

pro-

pro conſolatione quorumdam directas, venerabiliter ad inſtructionem ſuſcipiendas. Quamvis itaque non omninò repudiarentur ab Epiſcopis noſtris illæ Decretales, quamdiu pro veris habebantur; tamen autoritatem Canonum non habebant. Et verò Leo ipſe IV. cum anno 849. ad Epiſcoporum Britanniæ conſulta reſponderet, in Epiſtola, quæ extat apud Sirmondum [e], unde hauſtus eſt Canon *de Libellis*, *diſt.* 20. teſtabatur Apoſtolicam Sedem in Judiciis Eccleſiaſticis Canones tantùm ſequi & Decretalium regulas, *quæ*, inquit, *habentur apud nos ſimul cum illis in Canone*: ſtatimque Canones Conciliorum & Pontificum Decreta recenſet, quæ in Dionyſii Exigui Collectione comprehenſa ſunt, nulla Epiſtolarum Clementis, aliorumque ante Siricium Pontificum, facta mentione. Nam quòd ibi Acta Silveſtri in aliquibus Codicibus memorantur, ea adjecta poſteà eſſe conjicit non immeritò Illuſtriſſ. Marca. Præterea advertendum eſt hæc Acta in Conciliorum, non in Epiſtolarum numero haberi.

e To. 3. Concilior. Gall.

VII. Sed NICOLAUS I. Pontifex, ut recepto ex his Decretalibus jure, Epiſcopos ſibi ſine medio ſubjectos haberet, eorum autoritatem omni ſtudio aſſeruit [f] epiſtola ad Epiſcopos Galliæ anno 865. ſcripta; ex qua deſumptus eſt Canon, *ſi Romanorum*, *diſt.* 19. Contendit enim Decretales illas omninò recipiendas eſſe; & Gallorum rationes rejicit, quarum præcipua erat, quòd hæ Decretales inſertæ non eſſent Codici Canonum. Quæ ratio ſi valeret, infert Nicolaus ne ſacras quidem Scripturas in Eccleſia eſſe admittendas, cùm in Codicem Canonum non ſint relatæ: aut ſi ex eo reciperentur, quòd Innocentii I. Decreto in Codicem Canonum relato comprehenderentur Libri veteris & novi Teſtamenti, & recipi juberentur: reponebat Nicolaus, non minùs Decreto Leonis conſtitutum eſſe, ut omnia Decretalia conſtituta deceſſorum ſuorum cuſtodirentur. Id alio quoque Decreto Gelaſii confirmari in Synodo Romana edito, quod refertur in *Canone ſancta Romana 3. verſu item decretales Epiſtolæ*, *diſt.* 19. Verùm ad hæc Hincmarus Remenſis, quò Metropolitanorum in Epiſcopos Provinciales jura tueretur, & horum cauſas in Provinciali Concilio definiendas oſtenderet, reſpondebat priſcis illis Decretalibus, etſi veræ forent, per Canones poſteriores, ea in re, & in multis aliis Capitulis, eſſe derogatum; in quibus proinde ſtandum eſſet juri, quod in Codice Canonum continebatur: quæ huic non adverſarentur, ea ſervare Galli non renuebant. Duo autem imprimis ex Epiſtolis Victoris, Sixti, Marcelli, Zephyrini, Julii, controverſiam faciebant: Primum quòd in iis conſtituebatur ne Synodus provincialis criminales Epiſcoporum cauſas, inconſulta ſede Romana, definiret, ita ut ſententia contra eos lata, etiam ſine provocatione, inutilis eſſet; (id enim vult Nicolaus tum epiſt. 42. tum in Concilio Romano, quod ab eo habitum eſt in cauſa Rothadi Epiſcopi Sueſſionenſis.) Alterum, ne abſque Sedis ejuſdem præcepto, vel conſenſu, ullum Concilium haberetur; quò pertinet *Canon* 1. *aliique diſt.* 17. Huic igitur novitati, quæ pro vetuſtate obtrudebatur, diu reſtiterunt Gallicani Antiſtites. Et poſt Nicolai quoque obitum, renovata eſt hæc diſceptatio cum Hadriano II. Joanne VIII. & aliis Pontificibus; donec tandem in Concilio Remenſi tempore Hugonis Regis celebrato, videtur aliquatenus valuiſſe illorum Decretorum autoritas, cum Arnulphi Archiepiſcopi cauſa ventilaretur. Sed de hac controverſia latiùs diſſerunt Illuſtriſſ. Marca, [g] & cum eo Baluzius. [h] Contra-

7. Inſiſtit Nicolaus I. ut Pontificum priſcorum Decretales illæ reciperentur.

f Epiſt. 42.

g Lib. 3. de Concord. c. 6.

h In Præfat. ad libros Ant. Aug. de emenat. Gratiani.

tra quos nititur, plaudentibus non paucis, V. Cl. Joannes Gerbaſius, doctrina inter Sorbonæ magiſtros, & Regios Profeſſores cognitus.

8. Laborat hujus Collectionis non ex uno Capite fides.

VIII. Fatendum tamen eſt non uno nomine ſuſpectam fuiſſe & totam Collectionem quæ Iſidori Hiſpalenſis nomine venditabatur, cum multa in ea eſſent Iſidori tempore poſteriora, & maximè has vetuſtorum Pontificum Epiſtolas, quarum fidem malè ambulantem plurimæ rationes detegebant. Primò ſi verè unquàm extitiſſent Epiſtolæ illæ, ſanè in ſcriniis Eccleſiæ Romanæ ſervatæ fuiſſent. Quo poſito, parùm credibile eſſet eas Dionyſii Exigui diligentiam fugiſſe. Hic enim ſe *Præteritorum Apoſtolicæ ſedis Præſulum conſtituta, qua valuerit cura & diligentia collegiſſe: & quotquot reperta fuiſſent, digeſſiſſe affirmat*. Quis ergo ſi quæ aliæ fuiſſent, eas ab hoc tam curioſo indagatore aut non inventas aut omiſſas fuiſſe putaret? Deinde Leo IV. in Epiſtola ante laudata, poſt editum hoc Canonum Corpus, cum Decreta enumeraret quibus Romana Eccleſia in judiciis utebatur, nullatenus harum Epiſtolarum meminerat, non utique prætermiſſurus hæc Pontificiæ poteſtatis adminicula, ſi authentica judicaſſet. Par eſt ratio Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini, qui, licèt Riculfi ſucceſſor, tamen his Epiſtolis in libris ſuis non eſt uſus, quemadmodum Antonius Auguſtinus obſervat. Quartò, quod vel præcipuum haberi debet, ſacræ Scripturæ textus ex B. Hieronymi verſione à Pontificibus Hieronymo longè antiquioribus citatur: & quamplurima loca, ex quibus concinnatæ fuerunt Epiſtolæ ſub illorum Pontificum nomine, vel potius pleræque omnes earum ſententiæ, ex Patribus, aliiſve autoribus quarti, quinti aut ſexti ſeculi depromptæ apparent: adeò ut etiam Legum Imperatoriarum & ſcholiotum Aniani, quæ in Codice Theodoſiano extant, in iiſdem Epiſtolis ſæpè verba referantur: quod monuit Antonius Auguſtinus in notis ad Capitula Hadriani, de quibus capite proximo dicemus. Ejuſmodi rationibus victus Bellarminus [i] fatetur ſe affirmare non audere eas Epiſtolas eſſe indubitatas, eas non carere ſcrupulo. [l] Sed apertiùs eas Baronius Pontificibus illis abjudicat, ad annum præſertim 865. qui eximius ejus locus à nobis exſcriptus eſt Libro ſuperiori [m].

9. Sed nihil inde autoritati Sedis Apoſtolicæ detrahitur.

IX. Nihil tamen eſt quòd tantoperè de harum Epiſtolarum ſuſpecta fide adverſus Catholicos glorientur Novatores, quaſi illarum velut unico clypeo Pontificum Romanorum autoritas niteretur, quæ ſolidis aliunde ab ipſo Chriſto fundamentis firmatur. Et quamvis Alfonſus Turrianus in his tuendis eruditionem ſuam probaverit, tamen, ut Hicmarum Remenſem taceam, qui earum autoritatem convellere ab ipſo exordio non dubitavit: ſuperiori & noſtro ſeculo plures ex Catholicis Doctoribus fraudem & viderunt & indicarunt, Antonius Contius, Antonius Auguſtinus, & præter jam citatos Bellarminum, atque Baronium, Jacobus Perronius Cardinalis, Petrus de Marca, aliique: unde non inelegantet Jacobus Sirmondus de Davide Blondello, qui in pſeudo Iſidoro ſuo ſingula cujuſque Epiſtolæ vitia anxiè perſecutus eſt, dixiſſe fertur, eum totis viribus atque immenſo conatu apertum oſtium ſuſcepiſſe effringendum. Sed de his pleniùs nos lib. 2. harum Prænotionum cap. 22. diſſeruimus.

i Lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14.

l Lib. de ſcript. Eccleſiaſt. in Clement. ſect. 8.

m Cap. 22. §. 4.

CA-

CAPUT XXI.

De Hadriani I. Capitulis Angilramno Metenſi traditis, & de Codice Canonum per eundem Pontificem oblato Carolo Magno.

1. Titulus ac Tempus hujus Collectionis conſtituendæ.

I. BREVEM Canonum Collectionem HADRIANUS I. Pontifex Angilramno ſive Ingelramno Epiſcopo Metenſi tradidit ſub hoc titulo : *Capitula quæ ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis, atque Decretis Præſulum ac Pontificum Romanorum ſparſim collecta ſunt, & Ingilramno Mediomatricæ Urbis Epiſcopo, Romæ à B. Hadriano Papa tradita ſub die 13. Calend. Octob. Indict. 9. quando pro ſui negotii cauſa agebatur*. Indictio illa ſignificat annum 785.

2. Numerus Capitulorum, eorumque tradendorum cauſa.

II. Ea Capitula, octoginta numero, ad Judicia fermè Epiſcoporum pertinent: unde cauſa colligitur eorum excerpendorum, aut concinnandorum ; nempe ut Angilramnus iis munitus cauſam ſuam adverſus falſos accuſatores, autoritate Sedis Apoſtolicæ defenderet. Ex his ſunt qui conjiciunt Synodum eo tempore fuiſſe habitam, in qua Decretum fuerit oportere Juriſdictionem Eccleſiæ Romanæ tueri adverſus injurias à primoribus illatas Epiſcopis, quorum cauſas ea Sedes ſibi omninò reſervandas eſſe contendebat.

3. Vnde horum pleraque deſumpta.

III. Cum itaque in Epiſtolis vetuſtorum Pontificum Iſidori Mercatoris Corpore Canonum comprehenſis non pauca ſint quæ cum his Capitulis prorſus conveniunt, atque iiſdem verbis expreſſa inveniuntur; ea vel Iſidorum ex Hadriano eſſe mutuatum apparet, vel Hadrianum ex Iſidori Libro. Quod poſterius ut potiùs credam facilè adducor. Alioqui enim dicendum eſſet ab Hadriano conficta eſſe illa Capitula. Neque huic conjecturæ obſtat quòd Riculfus Archiepiſcopus Moguntinus, per quem in Gallia vulgatum eſt Corpus illud Canonum, nonniſi eodem anno 785. aut etiam, ut alii cenſent, biennio poſt, (cum jam Ingiltamno tradita eſſent hæc Capitula) Moguntinam Sedem dicitur obtinuiſſe. Certè cum in illo Canonum Corpore, unius duntaxat Pontificis Zachariæ poſterioris nomen occurrat, ejuſque Succeſſorum Stephanus junior anno 752. ſedere cœperit in Petri ſolio, veri admodum ſimile videtur, hoc ipſo anno confectum fuiſſe illud Canonum Corpus: ab eo verò tempore ad prædictum annum 785. qui fuit 14. Hadriani, tres ac triginta anni fluxerunt, intra quos facilè potuit hoc opus Romam perferri. Nec verò quicquam vetat quo minùs Riculfus eam Collectionem vulgaverit, antequam Epiſcopatum Moguntinum eſſet adeptus.

4. Angilramnus quis & qualis.

IV. Cæterùm Ingilramnus ille, cui tradita ſunt hæc Capitula, vir procul dubio induſtrius, nec mediocris eruditionis atque judicii fuit, ut ex eo perſpici poteſt, quòd Carolus Magnus Rex ab Hadriano poſtulavit, ut eum, quamvis Epiſcopum, in comitatu & palatio ſuo aſſiduum habere liceret: quod docet ejuſdem Principis in Concilio Francofordienſi oratio, qua parem Gildeboldo Epiſcopo Archicapellano ſuo facultatem, poſt Sedis Apoſtolicæ licentiam, petit à Synodo [a].

5. De Epitome, ſeu potius

V. Sub hujus noſtri ſeculi initium prodiit Ingolſtadii primùm in To-

[a] Cap. 55.

Codice Canonum, qui Carolo Magno ab Hadriano oblatus.

mo 6. antiquarum Lectionum Henrici Caniſii, ac deinde Coloniæ tomo 3. Conciliorum, *Epitome Canonum Orientalium & Africanorum*, quam Carolo Magno Regi cum Romæ eſſet, à ſæpiùs dicto Hadriano in uſum Occidentalium Eccleſiarum oblatam titulus docet. Verùm ex inſcriptionibus plurium exemplarium, quæ in Galliæ Bibliothecis reperiuntur, conſtat non Epitomen, ſed integram Canonum ac Decretorum Pontificiorum Collectionem ab hoc Pontifice oblatam Carolo: idque Hadriani Epiſtola ei volumini præfixa demonſtrat, quæ primis ſingulorum verſuum litteris hæc verba reddit: *Domino Excell. Filio Carolo Magno Regi Hadrianus Papa.* Hæc autem Collectio diverſa non eſt ab eo Libro quem Nicolaus [b] *Codicem Canonum* vocat; quique apud Moguntiacum excuſus anno 1525. deinde in Pariſienſi anni 1609. editione, inſcriptus eſt *Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ*. Hunc autem Librum ſub tertiam Caroli in urbem, Hadriano ſedente, profectionem, id eſt anno 787. datum conjicit Sirmondus, [c] quem vide.

b In Can 1. diſt. 19.

c Tom. 2. Concil. Galliæ.

CAPUT XXII.

De antiquis Anonymi & Reginonis Collectionibus ſecundum Ordinem materiarum.

1. Detecti hoc ſeculi Collectores Canonum antiqui per Capita materiarum.

I. QUI ante nonum ſeculum integros Canones collegerunt, temporum ferè ordinem & Conciliorum atque Epiſtolarum Pontificiarum ſeriem ſecuti ſunt: poſterioribus aliam methodum placuiſſe obſervavimus, ut ſcilicet in Titulos & Capita, ſecundum cujuſque mentem diſtributa, univerſam rei Eccleſiaſticæ materiam certas in claſſes, per Synodorum & Epiſtolarum particulas, dividerent. Illud quoque ad uſum ſui temporis convenire cenſuerunt, ut Conciliorum, quæ in Gallia, in Hiſpania & Germana habita fuerant, dicta quoque ſanctorum Patrum congererent. Ante hos viginti annos antiquiſſimus in eo genere habebatur Burchardus Vormacienſis Epiſcopus: ſed poſtrema hæc tempora vetuſtiores nobis Collectiones aperuerunt, ex quibus plurima Burchardus deprompſerat.

2. Hujuſmodi Collectio Anonymi antiqua, quando & ex quibus fontibus derivata.

II. Joannes *Morinus* Oratorii Domini Jeſu Presbyter in ſuo de pœnitentia erudito tractatu, meminerat *Antiquæ Collectionis* Canonum pœnitentialium, quæ in Mſſ. Codicibus adhuc latebat. Eam nuper vir religioſus Lucas Acherius Ordinis Benedictini è Congregatione S. Mauri [a] publica luce donavit. AUTOR adhuc *Incognitus* eſt: vetuſtum eſſe atque ante nonum Chriſti ſeculum ſcripſiſſe, ipſo ex opere colligitur. Doctrinam & judicium oſtendit inſtituti ratio. Neque enim quidquam, niſi ex limpidis fontibus in ſuos alveos derivavit, ex Conciliis nimirum Decretiſque Pontificiis, quæ in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ continentur, aut ex Conciliis Gallicanis atque Hiſpanicis, Iſidori prioris Corpore comprehenſis.

a Tom. 11. Spicileg. ſui.

3. Ejus operis modus.

III. Licèt autem *Canonum Pœnitentialium* titulum hæc Collectio præferat, pro more ſcilicet illorum temporum, quibus ad pœnitentiæ ferè ſacra-

men-

mentum omnia ejuſmodi opera referebantur: reverà tamen omnis generis Canones complectitur. Dividitur in Libros tres: & Primus quidem Liber *de Pœnitentibus & pœnitentiis peccatorum* inſcriptus, capitibus 122. conſtat. Secundus *de Judiciis*, abſolvitur 117. capitibus. Tertius *de Ordinationibus, Gradibus, atque officio Clericorum & Epiſcoporum*, habet 158. capita: ita ut Collectionis totius capita ſint 397.

4. Ea verò Halitgario vetuſtior.

IV. Hac Collectione uſus videtur *Halitgarius* Cameracenſis Epiſcopus in conſcribendo libro de virtutibus & vitiis, quem Ebboni Archiepiſcopo Remenſi obtulit: de quo poſt dicendum erit.

5. De Reginonis Collectione ejuſque titulo.

V. Sequenti ſeculo *Regino* Monachus Ordinis S. Benedicti, Abbas *Prumienſis* Monaſterii in Diœceſi Trevirenſi electus anno 892. deinde æmulorum artibus cedere coactus, Richario ſucceſſore relicto, in Abbatiam S. Maximini apud Treviros migravit; ubi *Canonum Collectionem* compoſuiſſe creditur, quæ ſub titulo *de Eccleſiaſticis diſciplinis & religione Chriſtiana* concepta eſt, & cujus Trithemius meminit; ſed quæ ad hæc noſtra tempora typis vulgata non fuerat.

6. Cujus ea juſſu conſcripta.

VI. Hæc Collectio juſſu Rathbodi Trevirenſis Archiepiſcopi ad uſum ejus Diœceſeos à Reginone confecta eſt, ut ex ipſo titulo diſcimus: idque adhuc confirmat ſacramentum Synodale, quod extat libri 2. cap. 3. ubi cavetur ut Synodales cauſæ non celentur Epiſcopo de Treveris, aut ejus miſſo.

7. Videtur autor ordinem Martini Bracarenſis imitatus.

VII. Martini Bracarenſis exemplum imitatus videri poteſt Regino in hac Collectione condenda. Quemadmodum enim Martinus id à ſe obſervatum monet in fine præfationis, ut in duas partes diviſo tractatu, illa quæ ad Epiſcopos vel univerſum clerum pertinent prima in parte ſcripta ſint, & ſimiliter quæ ad Laicos pertinent in altera parte ſint adunata: ita Regino Collectionem ſuam duobus Libris diſtinxit, atque in priore ea congeſſit quæ ad Epiſcopos & Clericos referuntur, in poſteriorem autem retulit ea ferè quæ ſpectant ad Laicos.

8. Hujus operis ratio.

VIII. Hunc autem ordinem ſecutus eſt ut in fronte Libri I. collocata ſit Inquiſitio juxta quam Epiſcopi, eorumve miniſtri de vita Clericorum aliiſque rebus ad Eccleſias ſpectantibus certiores fieri poſſent: in principio autem Libri II. poſita ſit Inquiſitio ab Epiſcopo facienda circa Laicos: deinde in utroque Libro generalibus hujuſmodi Inquiſitionibus ſubjicitur *autoritas Canonica*, id eſt, Canonum ac Decretorum loca, quibus roborari poſſunt ſingula earum Inquiſitionum capita. Utitur autem ad illorum probationem non modò Conciliorum Canonibus, & Pontificum Epiſtolis: verùm etiam dictis SS. Patrum, Baſilii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, Caſſiani quoque, Ferrandi, Benedicti, Fructuoſi, Aureliani, Theodori, Bedæ, Rabani Mauri. His etiam Leges adjungit, tum Romanas ex Codice Theodoſiano aut Aniani interpretatione, tum etiam Francicas ex Capitularibus Regum & Codice Legum Burgundionum ac Ripuariorum. Sed quamvis permulta ex Iſidori corpore Canonum hauſerit: rarò tamen dubias priſcorum Romanorum Pontificum Epiſtolas citat; & Græcarum Synodorum Canones plerumque ex interpretatione Dionyſii Exigui refert. Ex eo verò quòd Gallicorum Conciliorum, quæ non facilè nunc inveniuntur, Nannetenſis, Remenſis & Rothomagenſis, ſæpè à Reginone mentio fiat, atque in illis laudandis numeros adjiciat Canonibus qui

numerum Canonum cujuſque Concilii aut Epiſtolæ longè excedunt: conjicit acutè Stephan. Baluzius eum antiquiori Collectione uſum, qua priſci Canones & germanæ Pontificum Epiſtolæ, cum Gallicanis Conciliis permixtim continerentur, non aliter ac in libris Capitularium factum ſit.

9. Numerus Capitum ejus. IX. Complectitur Liber Primus capita 443. Secundus verò 446. unde fiunt capita octigenta octoginta novem, idque præter appendices duas, quarum prior 64. habet capita, poſterior reverà 28. tantùm. Illa enim octo & viginti quibus conſtat prima ejus Appendicis medietas, repetita ſunt ex priori appendice, quemadmodum notat ante memoratus Baluzius. Is porro poſt Helmſtadienſem editionem, quam vir Cl. Joachimus Hildebrandus curaverat anno 1659. novam Pariſiis adornavit anno 1671. accuratè emendatam ad fidem vetuſtiſſimi Codicis, qui in Bibliotheca Oratorii Pariſienſis ſervabatur, & ab eruditiſſimo ejus Congregationis Presbytero Joanne Morino [b] laudata fuerat: atque has appendices Reginonis non eſſe, ſed jam olim à ſtudioſo quodam adjectas, probabilibus argumentis evincit. Idem non pauca adducit loca ex Burchardi Decreto, nonnulla etiam ex Decreto Ivonis, ut oſtendat horum utrumque plurima ex Reginone deſcripſiſſe.

b In lib. de pœnitentia.

CAPUT XXIII.

De Burchardi VVormatienſis Decreto.

1. Quis hujus Decretorum voluminis autor. I. BURCHARDUS Monachus primùm Lobienſis Cœnobii in Leodienſi Diœceſi, poſteà *Vormatiæ* Urbis Vangionum in Germania prima Epiſcopatum adeptus eſt. Is collaborante OSBERTO Abbate ſuo, viro doctiſſimo, qui & Gemblacenſis Abbas fuit, magnum volumen Canonum ſive Decretorum compoſuit. Ita enim rem narrat Sigebertus [a] in Chronico: *Burchardus quoque fit Vvormacienſis Epiſcopus; qui in Scripturis ſtudioſus, magnum illud Canonum volumen edidit, Scripturarum ſententiis undique compilatis defloratum, collaborante ſibi in hoc magiſtro ſuo Olberto Abbate, viro undecumque doctiſſimo.* Idem alibi [b] agens de Osberto, ſive Olberto eodem, illum ex eo imprimis laudat, quod *Burchardus Epiſcopus Vormacienſis ejus magiſterio ad hoc eſt provectus, ut ita Eccleſiaſticæ utilitati intenderet, ut ejus ſtudio, ore, & manu, illud magnum Canonum Volumen ad communem omnium utilitatem ederet.* Ex his dubitari poteſt, num hoc opus Osberto potiùs, quàm Burchardo tribuendum videatur; & an Burchardo adhuc Monacho fuerit confectum. Hoc quidem Bartholomæus Fiſen [c] à Baluzio laudatus, probare videtur ex mſſ. Gemblacenſibus, & S. Jacobi Leodienſis: ubi dicitur *Burchardum, quo tempore Monachus, & Osberti auditor erat, tantam Litterarum cognitionem attigiſſe, ut incredibili Chriſtianæ Reip. bono deſcriptum in viginti Libris Decretorum volumen luci dederit.* Illud prius innuit liber de geſtis Abbatum Gemblacenſium. Ibi enim *Osbertus* ipſe, velut hujus operis autor indicatur, *quo dictante & magiſtrante Burchardus magnum illud Decretorum volumen*

a Ad ann. 1008.

b In lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſt.

c In florib. Eccleſiæ Leodien.

cento-

centoniſavit. His tamen adverſatur ipſius Burchardi Epiſtola, quæ Præfationis loco eſt: eam enim Burchardus addito titulo Epiſcopi Vormacienſis Brunichoni ejuſdem Eccleſiæ præpoſito ſcribit, atque in ea teſtatur *Se, ipſo petente Brunichone, opus illud ſuſcepiſſe, ac tandem conſummaſſe; ut haberent juniores Clerici ejus Diœceſeos, unde jura Canonica, & præſertim Pœnitentium formas admodum confuſas diſcerent*. Dici non improbabiliter poteſt hanc Collectionem ductu Osberti in Monaſterio conceptam, nonniſi poſt Epiſcopatum à Burchardo elaboratam & editam eſſe; aut ab eo jam Epiſcopo vocatum ex Monaſterio fuiſſe Osbertum adjutorem.

II. Veteres plerique Codices Inſcriptione carent, teſte Antonio Auguſtino. [d] Ex antè adductis eruitur verum hujus operis titulum fuiſſe, ut *Magnum Decretorum volumen* diceretur, comparatione ſcilicet priorum, veluti Reginonis. Temporis decurſu, per abuſum, fortè brevitatis causâ, in numero ſingulari *Decretum* vulgò appellatum eſt; quemadmodum & ſequentes Ivonis & Gratiani Collectiones, quibus alios titulos autores ipſi indiderant. *2. De Titulo ejuſdem operis.* d Lib. 1. de emendat. Gratiani c. 1.

III. Conſtat hæc Collectio *Libris*, ut jam vidimus, *Viginti*, quorum ſeriem hic demonſtraſſe non erit inutile. *3. Quot ſint ejus Libri, eorumque Ordo.*

MATERIA LIBRORUM XX. *Burchardi.*

1. DE Poteſtate & Primatu Apoſtolicæ ſedis, Patriarcharum, cæterorumque Primatum, & Metropolitanorum: de Synodo celebranda; de accuſatis & accuſatoribus & teſtibus, de Judicibus, deque dignitate, negotio & Miniſterio Epiſcoporum.
2. De Congruenti Dignitate, Inſtitutione, Vita, Negotio & Miniſterio reliquorum Ordinum Eccleſiaſticorum.
3. De divinis Domibus, de Decimis, de Juſtitiis ſingulorum, & libris Canonicis aut Apocryphis.
4. De Baptiſmo & Confirmatione.
5. De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini.
6. De Vario genere Homicidiorum, & de Pœnitentia ſingulorum.
7. De Inceſta Copulatione, & ſeparatione conjugum, ac Pœnitentia ſingulorum.
8. De Viris & fœminis Deo dicatis propoſitum tranſgredientibus, & de revocatione, & pœnitentia eorum.
9. De Virginibus & Viduis non velatis, de Raptoribus, & de Legitimis Conjugiis, de concubinis, & de tranſgreſſione & pœnitentia ſingulorum.
10. De Incantatoribus, Maledicis & Conſpiratoribus, & de pœnitentia ſingulorum.
11. De Excommunicatis, de furibus &c. & reconciliatione ac pœnitentia eorum.
12. De Perjurio, & de pœnitentia ejus.
13. De obſervatione ſacri Jejunii
14. De Crapula & Ebrietate, & de pœnitentia eorum.

15. De Principibus & de reliquis Laicis, & de miniſterio eorum.
16. De Accuſatoribus, de Judicibus, de Falſis Teſtibus & Pœnitentia ſingulorum.
17. De Fornicatione & Inceſtu diverſi generis, & de Pœnitentia utriuſque ſexus & diverſæ ætatis.
18. De Viſitatione & Pœnitentia & Reconciliatione infirmorum.
19. De Correctionibus Corporum & Medicinis animarum per Sacerdotem. *
20. De Providentia, de Prædeſtinatione, de Adventu Antichriſti & Noviſſimis. *

* *Quilibet* Corrector *dicitur*.

* *Quilibet* Speculationum *vocatur*.

4. Ex quibus autoribus ac libris decerpta hæc Decreta.

IV. In eo elucubrando profitetur autor [e] ſe *Synodalia præcepta, ſanctaque Inſtituta, tam ex SS. Patrum ſententiis, quàm ex Canonicis ſcriptis in unum faſcem ex ampliſſimo orbe collegiſſe*. Per *ampliſſimum orbem* intelligit ſine dubio Corpus Canonum Iſidorianum, & poſteriorum Conciliorum Canones, Patrumque ſcripta. Notantur in fronte operis autores præcipui, unde Eccleſiaſtica hæc Decreta collegit Burchardus, hoc indice.

e In præfat.

Ex Canonibus qui Corpus Canonum vocantur.
Ex Apoſtolorum Canonibus.
Ex Tranſmarinis Conciliis, (id eſt Græcis, Africanis, Italicis.)
Ex Conciliis in Germania, Gallia, Hiſpania celebratis.
Ex Romanorum Pontificum Decretis.
Ex Evangelicis Apoſtolicisque ſcripturis.
Ex veteri Teſtamento.
Ex Libris S. Gregorii.
Ex SS. Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Benedicto, Baſilio magno, Iſidoro.
Ex Pœnitentiali Romano.
Ex Pœnitentiali Theodori.
Ex Pœnitentiali Bedæ.

Fuſiùs autores, quibus uſus eſt Burchardus, per claſſes recenſet Boetius Epo [f]. Prima claſſis ejus Catalogi eſt Librorum quatuor ſacræ Scripturæ. II. Canonum Apoſtolicorum. III. Romanorum ſexaginta fermè Pontificum, quorum aliquot nomina corrupta. IV. Conciliorum circiter 73. & ipſa non integris nominibus. V. Claſſis SS. Patrum, ſeu ſcriptorum aut Librorum aliorum particularium, 25. ferè numero, in quibus Pœnitentialia tria.

f Lib. 2. de jure ſacro cap. 7. pag. 269.

5. In quibus præſertim peccaverit Burchardus.

V. Burchardum non immeritò reprehendit Antonius Auguſtinus, quòd non ipſis ex fontibus, Conciliorum putà, Decretorum Pontificiorum, & operum à Patribus conſcriptorum ſingula hauſerit: ſed ex rivulis & ſtagnis aliorum, priorum nempe Collectorum. Baluzius quoque [g] notat, quemadmodum Regino ex Halitgario & Rabano nonnulla acceperit, ſic Burchardum magnam partem ſuæ Collectionis accepiſſe ex Reginone, idque exemplis aliquot probat: quod & ex locis Decreti Burchardici ad marginem Reginonis ab eo adſcriptis manifeſtè patet.

g In præfat. ad Reginon. §. 12.

Sed & locorum à ſe relatorum verba nonnumquam immutat Burchardus,

dus, & loca ipſa transfert ad autores non ſuos. Quo facto Gratianum, qui eum ſecutus eſt, in multos errores induxit, ut idem Baluzius obſervat [h]. Hæc titulorum mutatio inde orta eſt, quòd Burchardus Reginonis in legibus civilibus, & præſertim in capitularibus Regum Francorum laudandis, exemplum ſequi, eorumve autoritate uti noluit. Unde quæ ex Capitularibus reverà mutuabatur, aliò refert, ad ipſa nimirum Concilia quorum Canones in Capitularia relati erant; vel ad Epiſtolas priſcis Pontificibus attributas, ex quibus non pauca in Capitularia fuerant transfuſa. Quin & falſos aliquando autores ea de cauſa citat, ne fortè Principum legibus aliquid roboris tribuere videatur. Sic caput 46. Libri 5. Capitularium adſcribit Concilio Mediomatricenſi, ubi non extat. Sic (ut notarunt Romani Correctores ad Gratianum [i]) locum ex lib. 1. Capitularium cap. 105. petitum, laudat [l] ex Concilio Toletano, non addito numero; cum tamen in eorum nullo reperiatur. Libro quoque 12. cap. 2. transfert ad dicta Hieronymi Presbyteri, quæ Regino [m] accepta fert Capitularibus, Caroli ſcilicet, ac Ludovici. Alia quoque ejuſmodi Baluzius ſæpèdictus indicat [n]. Semel tantùm Capitula Caroli Magni Burchardus citat, nempe Capitib. 218. & 219. lib. 1. Verùm illa adducit, tanquàm ab Epiſcopis apud Aquiſgranum collaudata. Ratio autem hujus audaciæ uſque ad falſitatem provectæ, non alia facilè occurrit, quàm quòd collabente Caroli Magni ſtirpe, poſt diviſum Francorum in Occidentales & Orientales Imperium, & Germaniam à Regum noſtrorum Carolidarum ditione annis jam ferè 100. avulſam, pigeret hominem Germanum Regum ac Præſulum Gallicorum Decretis honorem & reverentiam deferre.

h In præfat. ad Ant. Aug. §. 29.

i In Can. Statutum, 34. xxvii. q. 2.

l Lib. 7. cap. 37.

m Lib. 1. c. 311.

n Ad Ant. Aug. de emendat. Gratiani.

VI. Cæterùm *Burchardi* nomen Itali & Galli in *Brocardum* deflexerunt: ideo ejus Opus, Operiſve Capita *Brocardicorum* vocabulo plerumque appellantur. Cum autem non pauci eorum qui docti videri volebant, petitas ex eo ſententias ineptè non raro allegarent, alii ad alienum ſenſum per jocum detorquerent: hinc factum creditur ut Galli Brochardorum nomen pro ridiculis dictis uſurpaverint; quo ſenſu vox illa ſumitur à Joanne Janvillano in vita S. Ludovici. Nos adhuc pro ſcommate, *Brocard* dicimus; & verbo *Brocarder* utimur pro eo quod eſt verbis contumelioſis inſectari.

6. Brocardica quid, & unde dicta.

CAPUT XXIV.

De Tarraconenſi & Cæſarauguſtana Collectione.

I. PRÆTER Corpus Canonum Hiſpanienſe, quod ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ exſcriptum habuiſſe dicitur Antonius Auguſtinus, & quo uſi ſunt Romani Correctores in elucidando Gratiano, ut videre eſt in eorum nota ſubjecta *Canoni* 1. *diſt.* 16. meminit idem Auguſtinus ſæpiùs [a] aliarum Collectionum duarum, quæ in Hiſpania quoque circa eadem tempora ambæ compoſitæ feruntur, de quibus alter Antonius Auguſtinus Societatis Jeſu, in appendice ſeu continuatione tractatus

1. De Corpore Canonum Hiſpanienſi.

a In Dialog. de emendat. [illegible]

de veteribus Canonum Collectoribus, præfixi ſecundæ parti Epitomes juris Pontificii veteris, cap. 33.

2. De Collectione Tarraconenſi.

II. Prior tempore eſt, quam TARRACONENSEM aut *Populeti* Antonius Auguſtinus vocat, ex Regio Ciſtercienſis Ordinis Monaſterio, cui Populeto nomen, vulgò *Pobles* in Catalonia & Diœceſi Tarraconenſi, in quo extat adhuc Bibliotheca optima Librorum MSS. Hæc Collectio cum Autoris nullum nomen præferret, idcirco Auguſtinus à Diœceſi in qua eam nactus eſt, *Tarraconenſem* appellavit. Multa in hac Collectione ſunt Pontificum Decreta, ſed nulla inveniuntur poſteriora Gregorio VII. Unde temporis, quo ea concinnata eſt, probabilis initur conjectura, ut cum Gregorius VII. die 25. Maji anni 1085. è vivis exceſſerit, ad eum vel ad proximè præcedentem aut inſequentem annum videatur hoc opus referendum.

3. Codex Cæſaraugustanus, cur ita dictus, & quando compoſitus.

b Lib. 1. Dial. 5.

III. Librum alium CÆSARAUGUSTANUM Antonius Auguſtinus nominavit, Collectionem nempe MS. ipſi miſſam è Cæſarauguſtano Cartuſianorum Cœnobio, quò poſt mortem Hieronymi Zuritæ Hiſtorici Regii, Annalium Aragonenſium ſcriptoris accurati, pervenerat, ut ipſe Auguſtinus [b] teſtatur. Hæc *in Libros* 15. *diviſa* eſt, & præter Conciliorum, ac Pontificum Romanorum Decreta, continet etiam Teſtimonia Patrum. Ultimus Pontificum quorum in ea mentio, eſt Urbanus II. qui obiit 29. die Julii anni 1099. Ex quo colligere licet compaginatum fuiſſe hoc opus ſub finem ſeculi undecimi.

4. Tempus harum Collectionum.

IV. Hæ itaque duæ Collectiones iiſdem fermè temporibus prodierunt, quibus quæ Anſelmo Lucenſi adſcribitur, & quam exaravit Deus-dedit Cardinalis, de quibus mox. Eo enim tempore propter graviſſimas, de inveſtituris præſertim Epiſcoporum & Abbatum, deque aliis ad Eccleſiaſticam juriſdictionem pertinentibus contentiones, atque adeò cruenta bella Imperatorum cum Pontificibus, Henrici nimirum IV. cum Gregorio VII. Victore III. & Urbano II. itemque Henrici V. & ſeqq. Germanicorum Cæſarum cum Paſchali II. ejuſque ſucceſſoribus, ſciſſa in partes hominum ſtudia, plures hinc inde lucubrationes pepererunt, tuendæ utrique Juriſdictioni. Et plures qui jura Eccleſiæ, aſſertumque à Romanæ ſedis Antiſtibus honorem propugnabant, propoſitum ſuum non alia meliori ratione exequi ſe poſſe crediderunt, quàm inſtitutis Decretorum Collectionibus.

CAPUT XXV.

De Collectione Anſelmo Lucenſi adſcripta, & de Hildeberto Cenomanenſi.

1. Hujus Anſelmi tempus, dignitas, inſtitutum.

a Sigebert. ad an. 1086. & poſt eum alioſque Baron. in Annalib. & in Martyrolog.

I. ANSELMUS, patria Mantuanus, ab Alexandro II. Papa LUCENSIS in Tuſcia creatus Epiſcopus ann. 1071. deinde cum in Monaſterium ſe abdidiſſet, à Gregorio VII. ad Epiſcopatum revocatus, acerrimus in defendendis juribus Pontificiis ei adjutor fuit [a]. Obiit die 18. Martii anno 1086. ſepultuſque eſt Mantuæ, quò ſe recipere coactus fuerat, Epi-

Epiſcopatu ſuo pulſus ab Imperatore. Dicitur ejus corpus in Eccleſia Cathedrali S. Petri apud Mantuam integrum in hunc uſque diem ſervari. Hallucinatus eſt Sixtus Senenſis, qui Anſelmum Mantuanum Epiſcopum fuiſſe ſcribit, & ab eo Anſelmum Epiſcopum Lucenſem diſtinguit *Gregorii Suanenſis Papæ VII. cooperatorem indefeſſum*.

2. Ejus opera.

II. Extant & apud Henricum Caniſium, & in magna Bibliotheca veterum Patrum tom. xv. Pariſienſis editionis, & in Colonienſi tom. xi. hujus Anſelmi *Libri duo contra Guibertum Antipapam* pro defenſione Gregorii VII. & *Collectanea* quædam ex variis ſcriptoribus eidem Anſelmo aſſignata, quibus demonſtrare ſtudet Eccleſiæ facultates non eſſe in poteſtate Regis aut Cæſaris.

3. De hac Canonũ Collectione.

III. Ei quoque adſcribitur COLLECTIO CANONUM, cujus titulus in Codice Romano ſic concipitur: *Authentica & compendioſa Collectio regularum & ſententiarum SS. Patrum & autorabilium Conciliorum*.

4. Numerus Librorum hujus operis.

IV. Conſtat hæc Collectio libris tredecim, licèt in exemplari veteri Antonii Auguſtini duodecim duntaxat libri ſint. Sed hoc ex eo proficiſcitur, quòd omiſſo libro xi. ejus loco undecimus numeratur qui aliis eſt xii. & ſic xii. vocatur, qui reverà eſt xiii. ut traditur in Præfatione ejuſdem Auguſtini, de Collectoribus [b], & videre eſt in Codice Bibliothecæ Sancti Germani.

b Cap. 9.

5. Materia cujuſque Libri per Indicem.

V. Singulorum Librorum materia, & quæ operis ordinem aperiet, hìc indicanda videtur.

Eſt ergo Liber Primus de Poteſtate & Primatu Apoſtolicæ ſedis.
II. De Libertate Appellationis.
III. De Ordine Accuſandi, Teſtificandi, & judicandi.
IV. De Privilegiorum autoritate.
V. De Ordinationibus Eccleſiarum, & de omni jure ac ſtatu illarum.
VI. De Electione & Ordinatione, ac de omni poteſtate ſive ſtatu Epiſcoporum.
VII. De Vita & Ordinatione Clericorum.
VIII. De Lapſis.
IX. De Sacramentis.
X. De Conjugiis.
XI. De Pœnitentiis.
XII. De Excommunicatione.
XIII. De Vindicta & Perſecutione juſta.

6. De hujus operis autore dubitatur.

VI. Verùm apud eruditos ambigitur utrùm *Anſelmi Lucenſis* hæc Collectio ſit: nec pauca opponuntur quæ hoc ei opus videntur abjudicare, ſiquidem Sigeberto habenda fides Anſelmi obitum ſignanti ante Urbani junioris electionem, id eſt ante annum 1698. Etenim in veteri exemplari deſcripta eſt initio operis ſeries Pontificum, quæ ad Paſchalem minorem decurrit, ſive ad annum ſaltem 1105. In Romano Codice adjiciuntur præter Paſchalem, Gelaſius II. & Calliſtus II. plenè annotatis cujuſque annis, menſibus ac diebus. Imò & Honorius atque Innocentius juniores adduntur, ſed abſque temporis, quo cœperunt, annotatione; Calliſtus autem II. anno 1120. Pontificiam Cathedram adeptus eſt, quatuor ferè ac triginta annis poſt exitum Anſelmi. Deinde in hac Collectione reperiuntur Conſtitutiones aliquot Urbani poſterioris

& Pa-

Digitized by Google

& Paſchalis, quas eadem de cauſa videre non potuit Anſelmus. Apparet: præterea hunc Collectorem notitiam habuiſſe Decretorum à Burchardo Collectorum: quod & aliquot Capitibus adſcriptum eſt in exemplo Romano; in quo multa etiam leguntur capita deſumpta ex Ivonis Carnotenſis Pannormia; quædam etiam ex Concilio Romano Calliſti junioris, aliiſque Libris Anſelmo poſterioribus.

7. Hildeberto Cenomanenſi à nonnullis attribuitur. VII. His de cauſis ſuſpicatur Antonius Auguſtinus, præfationis de Collector. Cap. 30. hujus, aut Cæſarauguſtanæ, vel Tarraconenſis Collectionis, quæ autoris nomine carent, (quemadmodum hæc quoque in pleriſque Codicibus) autorem eſſe *Hildebertum* Epiſcopum Cenomanenſem, ac poſteà Turonenſem Archiepiſcopum, qui, circa hæc tempora, alia quoque opuſcula edidit, tum metro, tum proſâ, ut Trithemius teſtatur. Fuit hic Hildebertus Berengarii diſcipulus, ſed erroris ejuſdem perſecutor, de quo videndus præter cæteros B. Antoninus [c]. Ratio autem hujus conjecturæ petitur imprimis ex ipſius Hildeberti epiſtola 49. aliàs 48. quæ cum aliis tom. 3. Bibliothecæ Patrum, & in veteri Libro habetur. Ibi teſtatur Hildebertus ſe hujus generis opus exaraſſe. *Excerptiones autem*, inquit, *Decretorum, quas in unum volumen ordinate diſpoſuimus, ad ſuum finem nondum perductæ ſunt &c. bonam tamen explevimus partem.*

c Specul. Hiſt. 3. par. tit. 16. c. 9.

7. Brevioris tractatus autor Anſelmus. VIII. Itaque in eam ſententiam proclivior videtur Antonius Auguſtinus ſæpiùs laudatus, ut Anſelmo Lucenſi brevem tantùm Canonum Collectionem aſſignet, quæ ab Henrico Caniſio [d] edita eſt, ut paulò antè à nobis eſt obſervatum. Verùm ea tractatus potiùs dici debet, *De facultatibus Eccleſiæ à ſecularibus non uſurpandis*, ex Scripturarum teſtimonis, Conciliis, Romaniſque Pontificibus, quàm Collectio. Alia quoque Anſelmus idem ſcripſit, in Lamentationes Hieremiæ, ac Pſalmos aliquot, præter *Epiſtolas* ad diverſos.

d Tom. 6. antiq. lection.

9. Nec omnino improbabile eſt Anſelmi eſſe hanc Collectionem. IX. Sed quod de Hildeberto dictum eſt, ad Cæſarauguſtanam vel Tarraconenſem Collectiones (de quibus ſuprà) referri fortè poteſt, ut is earum alterius auctor fuerit. Et quamvis non levia ſint argumenta, ob quæ de hujus Collectionis autore ambigi oſtendimus: ea tamen non ejuſmodi ſunt, ut ſolvi nequeant, præſertim cum Correctores Romani eam Anſelmo adſcribant, nec in antiquiſſimis Codicibus, (ut nec in eo qui ex Bibliotheca Barberina deſcriptus, in Bibliotheca S. Germani Pariſienſis ſervatur) ulla occurrant Pontificum Romanorum Decreta, niſi eorum qui Apoſtolicam ſedem ante annum 1086. & Anſelmi obitum tenuerunt. Hinc nullo negotio refellitur potiſſimum argumentum, quo ii nituntur, qui ejus autorem negant Anſelmum Lucenſem: & quamvis titulus & nomen autoris in quibuſdam Codicibus deſideretur, id huic libro cum aliis benè multis MSS. Codicibus eſt commune; ſatiſque eſt quòd ex aliis vetuſtiſſimis exemplaribus ſuppleri inſcriptio poteſt, veluti ex eo quod in Bibliotheca Barberina eſt aut fuit, ex qua exemplum, de quo ſuprà, in Sancti Germani Bibliothecam tranſlatum habemus opera D. Lucæ Acherii. Quæ autem in quibuſdam exemplis continentur, eorum Pontificum Decreta, quorum tempore Anſelmus jam in vivis eſſe deſierat, ea facilè à poſterioribus adjici potuerunt. Illud magis urget, quòd nec Trithemius, nec Sigebertus antè laudatus, qui circa tempora eaſcribebat;

bat; ac ne autor quidem antiquus vitæ ipſius Anſelmi, cura Sebaſtiani Tengnagelii vulgatus, cum Anſelmi Libros recenſeant, hujus Collectionis meminerunt: quæ opinor cauſa præcipua fuit cur D. Acherius ante nominatus hanc Canonum Collectionem, ut cogitaverat [e], in publicam lucem emittere neglexerit. *e Tom. 12. Spicileg. ſui.*

CAPUT XXVI.

De Collectione Deus-dedit Cardinalis.

I. DEUS-DEDIT presbyter *Cardinalis* tituli SS. Apoſtolorum in Eudoxia, geminum opus hujus generis compoſuit, COLLECTIONEM ſive *Librum* CANONUM, quem Victori III. Pontifici ſub annum 1087. obtulit, quemadmodum ex Pontificali diſcimus in ejus Pontificis vita: & prætereà *Libros quatuor de rebus Eccleſiaſticis*; quod utrumque Opus in Vaticana Bibliotheca ſervatur, ut notant correctores Romani [a]. Poſterius opus videtur etiam inſcriptum *Contra invaſores & Simoniacos, & reliquos Schiſmaticos*, compoſitum tempore Urbani junioris, circa annum ſcilicet 1090. Utriuſque operis meminit Baronius [b]. Cauſa autem ſcribendi fuit defenſio Libertatis Eccleſiaſticæ adverſus Henricum IV. Imperatorem, qui jus concedendi Eccleſias & Monaſteria, atque Epiſcopos & Abbates per annulum & virgam inveſtiendi, ſibi armis aſſerebat, renitente Gregorio VII. ejuſque ſucceſſoribus. *1. Hujus Cardinalis duo Collectanea Canonum, & eorum ſcribendorum cauſa.* *a Ad Can. ſi Papa 6. diſt. 40.* *b Tom. 11. Annal. ad an. 1087.*

II. Ex duobus ejus operibus Antonius Auguſtinus Jeſuita, in appendice Præfationis de Collectoribus [c], alterius tantùm Præfationem, alterius duo exempla ſe vidiſſe teſtatur, ex libro veteri Romæ reperto in ſcrario S. Petri. Amborum idem ferè propoſitum aperiunt verba ab eodem Auguſtino adducta ex Præfationibus. *2. Ejus in utroque opere propoſitum ex ipſius præfationibus elucet.* *c Cap. 28.*

III. In prioris Præfatione hæc leguntur: *Ex variis SS. Patrum & Chriſtianorum Principum autoritatibus, potioribus quibuſque in unum congeſtis, præſens defloravit opuſculum, quadrifaria diſpertitum partitione.* *3. Collectionis hujus diviſio, & modus.*

PRIMUS *Liber continet Privilegium autoritatis Romanæ Eccleſiæ: & quoniam Eccleſia ſine Clero ſuo eſſe non poteſt, nec Clericus abſque rebus, quibus in temporalibus ſubſiſtat, huic ſubjunxit* SECUNDUM *&* TERTIUM *de Clero & de rebus ejuſdem Eccleſiæ. Quia verò ſeculi poteſtas Dei Eccleſiam ſibi ſubjugare nititur, Libertas ipſius Eccleſiæ, & Cleri, & rerum ejus* TERTIO, *& maximè* QUARTO *libro evidenter oſtenditur. Singulas autem deflorationes huic operi inſertas juxta ordinem Capitulorum minimè locavit; quia penè omnes aliæ bina, aliæ plura negotia continent, &c.*

Ex his, & ex marginalibus Correctorum Romanorum notis, patet Collectionem à Cardinali *Deus-dedit* elaboratam quatuor Libris ſive Partibus conſtare, Partes autem in Capitula dividi.

IV. In Libro autem contra invaſores &c. ſic ait: *Quatuor itaque ſunt de qui-* *4. Diviſio & ra-*

tio tractatus cõtra invaſores.

de quibus, Deo autore, ſcribere proponimus: PRIMUM, *quòd Regi non liceat ſacro-ſanctis Eccleſiis Epiſcopos conſtituere*: SECUNDUM, *de Simoniacis, Schiſmaticis & eorum ſacerdotio & ſacrificio* &c. TERTIUM, *quòd Clerus à ſecularibus paſci debeat, atque honorari, non infamari, vel judicari, ac perſequi.* QUARTUM, *quòd ſeculari Poteſtati non liceat in Eccleſiam Clericos introducere, vel expellere, nec res Eccleſiaſticas regere, vel in ſua jura transferre.*

5. Tractandi ratio hic diverſa ab aliorum Collectorum uſu.

V. Hic autem Cardinalis non eandem iniit viam, quam Burchardus, Ivo, Anſelmus & Gratianus, qui dicta Patrum vel Conciliorum tantùm collegere. Ipſe verò plura proponit argumenta, quæ autoritate Patrum confirmat, aliena dicta confutans; atque acriter omninò in cauſa ſuſcepta verſatur: & multa quidem colligit, ſed non omnia ex fontibus haurit; neque omnibus certis utitur autoritatibus. Videndus Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus [d],

d In præfat. ad antiq. Collecti. & ad Canones Pœnit. & lib. 1. de emend. Grat. dial. 5.

CAPUT XXVII.

De Ivonis Carnotenſis Decreto.

1. Cujus, & quis & qualis Ivo Carnotenſis, & quo tempore vixerit.

I. IVo, ſive, ut alii ſcribunt, *Yvo*, in agro Bellovacenſi nobilibus ortus parentibus, Lanfrancum (non Abbatem, ſed Priorem Beccenſis Monaſterii) magiſtrum habuit Theologicæ diſciplinæ. Inde Abbas, ſive Præpoſitus fuit Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini conſtitutus in Bellovacenſi S. Quintini Cœnobio, quod à Guidone Epiſcopo anno Chriſti 1078. conditum eſt. Tandem ab Urbano II. Pontifice CARNOTENSIS Epiſcopus conſecratus eſt Capuæ anno 1092. Deinde in Galliam rediit, ubi poſt graviſſima negotia, tum Eccleſiaſtica, tum civilia adminiſtrata & pertractata, non ſine moleſtiis ac diuturnis laboribus, in Epiſcopio ſuo deceſſit anno Chriſti 1115. Epiſcopatus 22. exacto.

2. Ejus opera Canonica.

II. Ejus opera non unius generis ſunt: Sed cum aliis, duo imprimis illi adſcribuntur Canonica volumina, *Decretum*, & *Panormia*. Verùm notandum eſt ea ſæpè à ſcriptoribus confundi. De illis Trithemius [a] ipſe non ſatis diſtinctè. *Vir in Divinis Scripturis exercitatus, & Canonum Sanctorum Patrum, ac generalium Conciliorum cautiſſimus interpres, nec minùs ſanctitate quàm ſcientia reverendus, Ordinem ſuum* (Canonicorum Regularium S. Auguſtini) *collapſum, magnificè reformavit. Scripſit poſt Burchardum Vormacienſem Epiſcopum, ex Canonibus Sanctorum compendioſum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juriſtæ, quod prænotavit Panormiam, Libris Decem*; EXCERPTIONES ECCLESIASTICAS; *Epiſtolarum ad diverſos Librum I.* Pro *Excerptiones*, legerunt nonnulli *Exceptiones*: ſed corruptè; cum nullus ſit ejus nominis ſenſus, qui quidem ad rem pertineat. Hinc tamen patet *Decreti* titulum à Trithemio tribui *Panormiæ*, contrà quàm uſus ferat.

a Lib. 1. de ſcriptorib. Eccleſia.

3. Decreti tempus, verus titulus, & fontes generales.

III. DECRETUM circa annum 1100. in lucem exiit. Decreti nomine dicta eſt per abuſum (quemadmodum & Burchardi & Gratiani Decretum) major Canonum Collectio, quam ipſe Ivo EXCERPTIONES

EC-

ECCLESIASTICARUM REGULARUM inſcripſit. Regulas autem illas, ſive Canones partim *ex Epiſtolis Romanorum Pontificum*, partim *ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum*, partim *ex Tractatibus Patrum Orthodoxorum*, partim *ex Conſtitutionibus Catholicorum Regum*, in unum corpus adunare curavit, quemadmodum ipſe in præfatione hujus operis ait. Per *Conſtitutiones* autem Principum, tam *Codicem Theodoſianum & Juſtiniani Libros*, quàm *Regum Francorum Capitularia*, intelligit; quibus, in XVI. præſertim operis illius parte, uſus eſt, Reginonis exemplo: quod Burcardus vitaverat, quaſi nullæ eſſent in rebus Eccleſiaſticis Chriſtianorum Principum partes.

IV. Autorum ex quibus ſua in hoc Decretorum volumine Ivo decerpſit, Catalogum habes apud Boetium Eponem [b]. *4. Ubi nomina autorum quibus Ivo Carnot. eſt uſus.*

V. Notat Antonius Contius, in præfatione ad Gratiani Decretum, ſibi ex Bibliotheca Sancti Victoris Pariſienſis communicatam fuiſſe majorem hanc Canonum & Decretorum Collectionem, cui inſcriptus erat titulus *Decreta Joviniani*; quam inſcriptionem falſam putat, & ex ignorantia Librariorum adſcriptam. Verùm Codex ille vetuſtiſſimus nullum in fronte titulum aut nomen autoris præfert: ſed ad calcem ſcriptum eſt, *Explicit liber Canonum*: ac deinde ſequenti folio, alia & recentiore manu adjectum legitur, *Liber Canonum ſuperſcriptus Decreta Joviniani, quem compoſuit Ivo quondam Carnotenſis Epiſcopus, & continet ſeptemdecim partes principales*. Nimirùm ſcribere voluit Librarius, aut certè ſcribendum fuit, *Decreta Ivoniana*. *b Lib. 2. de jure ſacro.* *5. Mendoſa Decreti Inſcriptio correcta.*

VI. Duæ hujus operis extant editiones: prior *Lovanienſis* anni 1561. opera Joannis Molinæi, Decretorum in ea Univerſitate Profeſſoris, qui Ivonis opus ſupra Gratiani Decretum, ſive ordinis concinnitate, ſive etiam rerum amplitudine, longè extollit: quod quidem ægrè tulit Boetius Epo. Altera Editio *Pariſienſis*, cum aliis Ivonis operibus, Epiſtolis nempe, & ſermonibus aliquot, ac brevi Chronico Francorum, anno 1647. prodiit, curante Joanne Frontone Canonico Regulari Sanctæ Genovefæ, adjectis Joannis Soucheti Doctoris Theologi & Canonici Carnotenſis, ac Juteti in Epiſtolas notis. *6. Editiones duæ Decreti Ivonis.*

VII. Dividitur opus univerſum in ſeptemdecim Partes, ſive Libros. Hæ Partes per Capitula ſua diviſæ, diverſo aliquantùm ordine, reſpondent viginti Burchardi Libris, ut illorum 20. Librorum Indicem Capite 26. exhibitum, conferenti cum Ivonis 17. Partium tabula, proximo capite ſubjicienda, patebit. *7. Diviſio, & ordo hujus Decreti à Burchardico aliquantum diverſus.*

VIII. Quidam Ivonem Carnotenſem omnia ferè ex Burchardo eſſe mutuatum volunt, excepta II. parte in qua pleniùs de Berengarii circa Euchariſtiam errore tractavit; & XVI. parte, in qua multa ſunt ex jure civili Romanorum, & ex Capitularibus Caroli Magni, aliorumque Regum deprompta. Id eatenus verum videri poteſt, quatenus eoſdem Canones, ſeu Decreta eadem, in ſuam uterque Collectionem intulerunt: ſed horum pleraque ab utroque hauſta ſunt ex Reginone, ex quo Burchardum non minùs 670. capitibus in ſuum Decretorum corpus tranſtuliſſe obſervat accuratus harum rerum indagator Stephanus Baluzius. *8 An cuncta ſumpſerit ex Burchardo.*

IX. Incertus, ſed vetus ſcriptor aliam Collectionem Canonum ac Decretorum adornavit ipſo Ivonis ævo, pleraque ex eo deſumens: quæ Coll- *9. De alia ejuſdem tempo-*

Digitized by Google

ris Collectione non abſimili. Collectio extat MS. in Bibliotheca regia, teſte eodem Baluzio in præfatione ad Epiſtolam Rabani Mauri [c].

c §. 6. In fine.

CAPUT XXVIII.

De Pannormia.

1. *De Nomine Panormiæ.*

a In apparatu.

I. ALTERUM Collectionum Canonicarum Opus, quod Ivoni tribuitur, PANNORMIA ſeu *Panormia vocatur*, quaſi quòd omnes vitæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ normas contineat. Contius & Poſſevinus, aliique [a], quibus minùs arridet Græco ſimul & Latino ſermone compoſitum *Pannormiæ* nomen, *Pannomiam* dicendam cenſuerunt, quaſi quendam omnium legum cumulum.

Verùm hic titulus non facilè in vetuſtis Codicibus invenitur: neque id multùm curaſſe autor videtur, an ex Græcis tantùm fontibus vocabulum componeret, an partim ex Græco, partim ex Latino derivaret.

2. *Ejus editio & hiſtoria.*

II. Sebaſtianus Brant Baſileæ anno 1499. eam ſub nomine Ivonis edidit, non ſine mendis; atque ex Vincentio Bellovacenſi hæc addidit: *Ivo, qui Epiſcopus Carnotenſis fuit, inter alia laudabilia ingenii ſui opera, Decreta Apoſtolica abbreviando compilavit, ordinando ſub titulis ea quæ priùs Iſidorus in unum magnum volumen redegerat, nullum alium habentia ordinem, niſi ſecundum Pontificum Romanorum tempora. Quæ quidem Decreta Ivo abbreviavit, quia ſcribi non poterant ſine magno ſumptu. Ipſa quoque Capita diſtinxit, & multas SS. Patrum ſententias interſeruit. Hunc autem ſuum Librum* PANNORMIAM *appellavit, quaſi totius Juſtitiæ ſive Legis materiam continentem, à* πᾶν *quod eſt totum, &* νόμος *lex, ſive juſtitia: ſive à* NORMA, *quæ eſt Regula, ſive fabrorum directorium. Sed quia Ivonis non parvæ quantitatis erat opus,* HUGO CATALANUS *ex eodem abbreviato, Libellum portatilem legitur compoſuiſſe, quæ* SUMMA DECRETORUM *Ivonis intituletur.*

3. *Panormiæ ac Decretorum Tituli, ab editoribus aliiſque ſcriptoribus confuſi autor Panormiæ dubius.*

b Cap. 1.

c In præfat. ad Decret.

III. Pannormiæ Titulus, ſive initium, in veteri Codice Antonii Auguſtini, ipſo teſte, in libro 1. de emendatione Gratiani [b], ſic habet: *Incipit Liber Sacrorum Canonum.* Sed in eo nulla eſt præfatio, nullum ſcriptoris nomen. Deſiderantur etiam numeri ſingulorum cujuſque Partis Titulorum: deſunt & hi Tituli in aliis Codicibus, atque in editione Joannis Molinæi: unde tam ipſe, quàm Romani Correctores in Notis Gratiano adſcriptis, Partium tantùm & Capitum rationem habent. Titulos adjecit Melchior à Voſmediano in editione Lovanienſi anni 1557. Idemque multorum capitulorum, quæ anonyma erant, autores indicavit. Joannes autem Molinæus [c] agens de PANNORMIA ſive *Summa Decretorum Ivonis*, ſic loquitur: *Qui Liber ipſi Sebaſtiano Brant, aliiſque omnibus creditus eſt hactenus* DECRETORUM *eſſe Ivonis Carnotenſis, cum interim nihil ſit quàm mendis ac erroribus ſcatens* EPITOME; *eaque, meo quidem judicio, incerti Autoris quam-*

quamvis non deſint qui HUGONEM CATALANUM *fuiſſe compendiarium ſuſpicentur*. At Joannes Trithemius, non modò *Pannormiam Ivonis* appellat: ſed & initium adjicit *Excerptiones &c.* quod tamen reverà eſt initium *Decretorum Ivonis*. Sic enim incipit *Decretorum* ſive *Decreti Ivoniani Præfatio*, tum in Libris editis, tum etiam in ipſis Ivonis Epiſtolis. Quanquam in quibuſdam MSS. Codicibus, & apud Voſmedianum idem Prologus Pannormiæ præpoſitus invenitur, niſi quòd prima vox mendoſè in his, ut & in quibuſdam Decreti exemplaribus, ſcripta eſt, ut jam diximus, *Exceptiones* ſcilicet, cum vera ſcriptura ſit *Excerptiones*, hoc eſt, Excerpta, ex Canonibus nempe Conciliorum, Decretis Pontificum, &c.

4. Aſſerenda videtur Ivoni adverſus Hugonem Catalanum Pannormia, quæ diverſa eſt ab Epitome Decretorũ.

IV. Cauſæ cur alium ab Ivone Carnotenſi autorem *Pannormiæ* plerique aſſignaverint, duæ imprimis ſunt. Una quòd in ea ſub finem ſcripta ſint quædam non ſolùm Calliſti II. ſed etiam Innocentii II. Decreta, qui Pontifices nonniſi poſt Ivonis obitum Romanam Eccleſiam rexerunt. Altera quòd in nonnullis, ut dixi, exemplaribus eadem Pannormiæ quæ Decretorum operi Præfatio præfixa ſit. Idcircò fuere qui *Hugoni* Catalano, ſeu *Catalaunenſi* Pannormiam adſcriberent, à quo, ut jam dictum eſt, Vincentius Bellovacenſis teſtatur ex Decretorum volumine abbreviato libellum portatilem compoſitum eſſe, qui *Summa Ivonis* appellatur. Sed, quod ad primum argumentum attinet, fatetur Antonius Auguſtinus potuiſſe ab aliis pauca illa poſteriora Ivone Decreta, Pannormiæ adjici. Et reverà duo vetuſtiſſima ejus exemplaria manuſcripta, in Monaſteriis Aquicinctenſi & Blandinenſi à ſe viſa refert eruditus perinde ac religioſus vir, Joannes Mabillonius, Benedictinus; in quibus & nomen Ivonis Epiſcopi Carnotenſis ſcriptum eſt, & Decreta illa Innocentii II. deſiderantur. Præfatio autem in pleriſque exemplaribus deeſt; potuitque Autor, cùm alterum opus de iiſdem rebus componeret, eadem Præfatione uti. Quod quidem probabilius eſt, quàm ſi dicamus Catalanum vel Catalaunenſem Hugonem, aliumve quempiam, alienum prologum operi ſuo attexuiſſe. Ipſe autem Titulus *Summæ Decretorum Ivonis*, quem Vincentius Hugonis illius operi attribuit, facilè oſtendit hujus Librum à Pannormia diverſum fuiſſe: quæ in vetuſtiſſimo Codice MS. S. Victoris, & in duobus antiquis Codicibus ſancti Albini Andegavenſis, atque in omnibus editionibus, non Summa Decretorum, ſed *Pannormia* perpetuò vocatur. Præterea Pannormiam non eſſe Decretorum Ivonis Epitomen, non ſolùm ex ipſa mole, ſed inde quoque colligit doctiſſimus Auguſtinus, quòd hæ duæ Collectiones in paucis conveniant. Quin etiam conjicit Baluzius Victorinum Pannormiæ Codicem Hugone Catalaunenſi antiquiorem eſſe.

5. Pannormia uſus Gratianus.

V. Porrò Gratianum ex Pannormiæ volumine plura, quàm ex Burchardi aut Ivonis Decretis deſumpſiſſe ſuſpicatur ſæpiùs laudatus Antonius, cùm & eodem ordine pleraque referat.

6. Pannormia pro Decretorum opere aliquando ſumitur, ſed perperam.

VI. Quod autem Trithemius ait, Pontificii Juris Interpretes ante Gratiani tempora compendioſo Decreto Ivonis, quod Pannormiam prænotavit, uſos eſſe: confuſis utriuſque operis nominibus, ut proximo Capite obſervatum eſt, *Pannormiam* ſine dubio pro *Decreto* accepit. Nam & *Excerptiones* adjicit, qui verus eſt titulus, ut diximus, Decretorum Ivonis: & aliunde ex antiquis omnibus ſatis conſtat Decretorum, ante Gratiani tem-

pora,

pora, fundum, ut ita dicam, fuiſſe ſcientiæ Canonicæ, ut ipſe quoque Trithemius notavit.

7. Panormiæ Diviſio in 8. libros. VII. Nec verò in decem, ſed in octo tantùm Libros diviſum eſt Panormiæ Opus; atque illud nonnulli aſſignarunt *Hildeberto* Cenomanenſi Epiſcopo, qui poſt Turonenſis Archiepiſcopus fuit: & quem ſimile aliquid tentaſſe liquet ex ejus Epiſtola quadrageſima ſeptima, ut anteà obſervavimus.

8. Collatio utriuſque operis Yvoniani. VIII. Eſt autem diverſus ordo horum duorum voluminum, ut ex ſequenti utriuſque Indice conſtabit.

ORDO PARTIUM *Decreti Ivonis Carnotenſis.*	COMPARATIO Librorum ſive Partium, & Titulorum ſeu Particularum PANNORMIÆ cum Decreto Ivonis.
PARS I.	LIBRI I.
De FIDE. Et Sacramento fidei, id eſt, BAPTISMATE. Et Miniſterio Baptizandorum & Baptizatorum; CONSIGNANDORUM & Conſignatorum; Et de obſervatione ſingulorum; Et quid conferat Baptiſma, quid Confirmatio.	TIT. 1. *De Summa Trinitate, & FIDE Catolica.* 2. *De Sacramento* BAPTISMI. 3. *De Sacramento* CONFIRMATIONIS.
PARS II.	LIBRI I.
De Sacramento CORPORIS ET SANGUINIS Domini, Et de ejus perceptione, Et Obſervatione: De MISSA, & aliorum Sacramentorum ſanctitate.	TIT. 4. *De Sacramento* EUCHARISTIÆ, *& celebratione* MISSARUM.
PARS III.	LIBRI II.
De ECCLESIA, Et de REBUS ECCLESIASTICIS, Et earundem REVERENTIA, Et OBSERVATIONE.	TIT. 1. *De Conſtitutione & Conſecratione* ECCLESIARUM *& oblationibus Fidelium.* 3. *De Sepulturis.* 4. *Presbyteris & eorum Eccleſiis.* 5. *De Decimis.* 6. *De Præſcriptione & Poſſeſſione.* 7. *De* CONFUNGENTIBUS *ad Eccleſiam.* 8. *De Sacrilegiis.* 10. *De* ALIENATIONE *& Commutatione rerum Eccleſiaſticarum.*

PARS

PARS IV.

De Obſervandis FESTIVITATIBUS.
De JEJUNIIS legitimis.
De SCRIPTURIS Canonicis.
De Obſervandis LEGIBUS & Conſuetudinibus.
Et de celebratione CONCILIORUM,

LIBRI II.

TIT. II. *Qui* LIBRI *ab Eccleſia ſunt recepti.*
12. *De* LEGIBUS *& Conſuetudine, Et de* CONCILIIS.
13. *De Obſervatione* SABBATI.
14. *De* JEJUNIO *& de Eleemoſyna.*

LIRBI VIII.

TIT. 2. *Qui* LIBRI, *& quo tempore* LEGENDI *in Eccleſia.*

PARS V.

De PRIMATU Romanæ Eccleſiæ,
Et de Jure PRIMATUM & METROPOLITANORUM atque EPISCOPORUM,
Et de ORDINATIONE eorum,
Et de ſublimitate Epiſcopali.

LIBRI III.

TIT. I. *De Electione & Conſecratione* PAPÆ.
2. *De* CONSECRATIONE ARCHIEPISCOPORUM *&* EPISCOPORUM *&* PRESBYTERORUM.
5. *De* MUTATIONE *Epiſcoporum & Sacerdotum.*

LIBRI IV.

TIT. I. *De* PRIMATU *Romanæ Eccleſiæ, & de* JURE METROPOLITANORUM *atque* EPISCOPORUM, *& de* ORDINATIONE EORUM.
3. *De Provinciis conſtituendis.*
4. *De Poteſtate Primatum & Archiepiſcoporum.*

PARS VI.

De CLERICORUM CONVERSATIONE & ORDINATIONE,
Et Correptione,
Et CAUSIS.

LIBRI III.

TIT. 3. *De ætate & qualitate* ORDINANDORUM.
4. *De Ordinibus Clericorum, & de officiis eorum qui ſunt Ordinandi.*
6. *De Ordinatis non reordinandis.*
7. *De Continentia Clericorum.*
8. *De Simoniacè Ordinatis &c.*
9. *De profeſſione Hæreticorum.*
14. *De* VITA *Clericorum.*

LIBRI IV.

TIT. 5. *De Negotiis &* CAUSIS CLERICORUM.

PARS VII.

De MONACHORUM & Monacharum Singularitate & Quiete:
Et de REVOCATIONE & pœnitentia eorum qui continentiæ propoſitum tranſgrediuntur.

LIBRI III.

TIT. 10. *De* LAPSIS *in ſacris Ordinibus.*
15. *De* RELIGIOSIS *ſeu Monachis.*
16. *De Virginibus & Viduis Velatis, & Abbatiſſa.*

PARS VIII.

De Legitimis CONJUGIIS.
De VIRGINIBUS & VIDUIS, non Velatis.
Et de Separatione eorum.
De CONCUBINIS.
Et de TRANSGRESSIONE CONJUGII.
Et pœnitentia ſingulorum.

LIBRI VI.

TIT. I. *De Nuptiis &* MATRIMONIIS.
2. *Inter quas Perſonas Conjugium poteſt eſſe.*
3. *De* CONCUBINIS.
4. *De Secundis Nuptiis.*
5. *De Conjugibus quorum alter ſine altero continentiam vovit.*
6. *De Mulieribus quæ, viris in captivitate exiſtentibus, alteri nubunt.*
7. *Conjugium debet eſſe inter perſonas ejuſdem Religionis.*
8. *Quare non debet ſolvi conjugium, & quod ſine conſenſu utriuſque non ſit conjugium.*

LIBRI VII.

TIT. I. *De* SEPARATIONE *conjugii ob cauſam carnalis fornicationis.*
3. *De* ADULTERIO.
6. *Quod Mulieres debeant eſſe ſubjecta viris.*

PARS IX.

De INCESTA Copulatione,
Et FORNICATIONE diverſi generis
Et IN QUA LINEA fideles conjungi & SEPARARI debeant,
Et de Correctione & pœnitentia ſingulorum.

LIBRI VI.

TIT. 9. *De* SEPARATIONE CONJUGII *propter errorem conditionis.*
10. *De impotentia coeundi.*
11. *De eo qui dormivit cum ſponſa fratris ſui, & de* SEPARATIONE *conjugii non ob cauſam fornicationis.*

LIBRI VII.

TIT. 2. *De viro qui cum uxore alterius fornicatur.*
4. *De Fornicatione ſpirituali.*
5. *De Reconciliatione Conjugum & juramento Reconciliationis.*

7. *Qua-*

Digitized by Google

7. *Quare* INTER CONSANGUINEOS *non ſit conjugium.*
8. *Quod cum Commatribus ſpiritualibus non ſit conjugium.*
9. *De* CONSANGUINITATE *&* AFFINITATE.
10. *Qui accuſare Matrimonium poſſint.*
11. *De* GRADIBUS COGNATIONUM.

PARS X.

De HOMICIDIIS Spontaneis & non Spontaneis.
De Parricidiis & fratricidiis.
Et de OCCISIONE LEGITIMARUM UXORUM, ET SENIORUM, & CLERICORUM:
Et qu od non omnis hominem occidens homicida ſit:
Et de eorum pœnitentia.

LIBRI III.

TIT. 12. *De Clerico Homicida.*

LIBRI VII.

TIT. 2. *De* INTERFECTORIBUS CONJUGUM *ſuarum.*

LIBRI VIII.

TIT. 1. *De* HOMICIDIO.
2. *De eo qui* CLERICUM *interfecit.*
3. *De eo qui percuſſit mulierem in utero habentem.*
4. *Quando homicidium ſit peccatum, quando non, & de* BELLO *licito & illicito.*

PARS XI.

De INCANTATORIBUS.
De Auguribus, de DIVINIS.
De SORTILEGIS, de Sortiariis,
Et Variis illuſionibus diaboli; de ſingulorum pœnitentia.

LIBRI VIII.

TIT. 5. *De* DIVINATIONIBUS *&* INCANTATIONIBUS.
6. *De* SORTILEGIIS.
7. *De Obſervatione dierum & menſium.*

PARS XII.

De MENDACIO.
Et PERJURIO.
De ACCUSATORIBUS.
De JUDICIBUS.
De Defenſoribus.
De Falſis TESTIBUS.
Et de ſingulorum pœnitentia.

LIBRI IV.

TIT. 6. *De reſtitutione Spoliatorum.*
7. *De* ACCUSATIONE.
8. *De* TESTIBUS.
9. *De Judiciis.*
10. *De Subterfugientibus judicium.*
11. *De* JUDICIBUS *&c.*
12. *De Sententiis eorum.*
13. *De Appellatione.*

LIBRI V.

TIT. 1. *De Clericis ſola infamia accuſatis.*

LIBRI VIII.

Tit. 8. *De* Juramento licito, *& illicito.*
9. De Mendacio.

PARS XIII.

De Raptoribus.
De furibus, de Foeneratoribus.
De maledicis & contentioſis.
De Comeſſationibus & Ebrietatibus.
De Furioſis.
De Judæis.
Et eorum correctione.

LIBRI III.

Tit. 13. *De* Usuris *& Uſurariis,*
14. *De Clericis* Ebriosis.

LIBRI VI.

Tit. 4. *De* Raptoribus *Fœminarum.*

PARS XIV.

De Excommunicatione juſta vel injuſta,
Et quibus de cauſis,
Et quo ordine facienda ſit Excommunicatio.

LIBRI V.

Tit. 3. *De ſententia Excommunicationis, & de poteſtate ligandi atque ſolvendi.*
4. *De Hæreticis poſt mortem Excommunicatis.*
5. *De Licita vel illicita* Excommunicatione.

PARS XV.

De Poenitentia ſanorum.
Et infirmorum.
Et qua commutatione levari poſſit horum pœnitentia.

PROLOGI.

Cap. 8. Poenitentiæ *aliquorum* Fictæ.
Cap. 1. *& ſeqq. De diſpenſatione.*

LIBRI III.

Tit. 5. *De Pœnitentibus non Ordinandis.*

PARS XVI.

De Officiis Laicorum.
Et Causis Eorundem.

LIBRI V.

Tit. 2. *De* Causis *& Negotiis* Laicorum.

PARS XVII.

Continet ſpeculativas ſanctorum Patrum ſententias de Fide, Spe & Charitate.

PROLOGI.

Cap. 1. *Et ſeqq. De Intentione divina pagina, &* Charitate.

Digitized by Google

LIBRI I.

TIT. I. *De Summa Trinitate & Fide Catholica.*

Notandum porrò Librorum in Pannormia Titulos non ſatis accuratè diſtinctos eſſe.

IX. Decretorum Volumen compoſitum fuiſſe diximus circa annum 1100. Pannormia, quæ ex iiſdem fontibus hauſta eſt, priùs an poſteriùs conſcripta fuerit, non facile eſt pronunciare. *Pannormiam* priorem fuiſſe ſuadet quòd minoris ſit molis: unde videtur per eam ad majus opus aggrediendum excitari potuiſſe Ivonem. Accedit quòd Decretorum operi interpretando poſteriores inhæſerunt, tanquam majori cura compoſito. Aliunde tamen Pannormiæ opus eo ipſo quòd brevius eſt, credi poteſt ſecundis curis emendatum. Præterea in aliquibus priſcis Codicibus, præſertim in Victorino, inſcribitur, *Decreta parva Ivonis*; id autem referri quis dixerit ad alia, tanquam majora, quæ priora & abſolutè Decreta dicta ſint. *9. Pannormia quo tempore compoſita.*

X. Typis edita bis eſt Pannormia. Primò Baſileæ anno 1499. curante Sebaſtiano Brant: deinde Lovanii anno 1557. opera Melchioris à Voſmediano, artium & ſacræ Theologiæ Doctoris, ſub hoc Titulo: PANNORMIA, *ſeu* DECRETUM *Ivonis Carnotenſis* (hi quippe duo Tituli ſæpè, ut dixi, confunduntur) *reſtitutum, correctum & emendatum*. Editio utraque præfixam habet eandem Præfationem, quæ in Decreto quoque extat. Hæc autem Præfatio, ſive Prologus, etſi in vetuſtis exemplaribus & in editione Decreti, uno tenore decurrat: in Pannormia tamen per Voſmedianum edita, dividitur in 42. capita. Atque hæc Prologi capita, ſi quis rectè advertat, pars ipſius operis cenſeri poſſunt. *10. Editiones Pannormiæ.*

CAPUT XXIX.

De Gregorii Polycarpo.

I. LAUDATUR ab Romanis Correctoribus Collectio POLYCARPI nomine inſcripta, cujus autor *Gregorius presbyter* Hiſpanus, Eccleſiæ Compoſtellanæ Cardinalis. Hoc opus Antonio Auguſtino utrique, aliorum relatu, non propriis oculis cognitum ſuſpicor. Ajunt quippe tempore Calliſti II. (id eſt ſub annum 1120.) compoſitum, ac brevem fuiſſe librum, eò quòd eruditi Viri qui emendando Gratiano juſſu Gregorii XIII. operam dederunt, raro ejus faciant mentionem: & quòd Titulorum non Capitulorum numerus ab iis refertur. Adjiciunt exemplar quod extat in Vaticana Bibliotheca libros continere 27. uſque ad prædictum Calliſtum. *1. Quis hic Gregorius.*

II. Sed horum vix quicquam eſt, quod non ipſius operis lectio refellat. Duos ejus Codices manu exaratos nancíſci licuit ex elegantiſſima, & hujuſmodi cimeliis refertiſſima Bibliotheca Colbertina, quam Illuſtriſſimus Segnelæus, eximii Patris, in hac quoque parte, ſucceſſor digniſſimus, pari cura & ſtudio habet ac tuetur, non mediocri in rem literariam utilitate. Horum Codicum antiquior, integerrimus eſt: in altero prima duo triave folia deſiderantur. Ex præfixa Epiſtola patet ſuſceptum fuiſſe Præſulis Compoſtellani præceptione atque autoritate. Nuncupatur enim Liber Pontificali ſancti Jacobi inſula decorato, cujus nomen non exprimitur. Conſtat ex priſco Eccleſiæ Romanæ Codice ferè decerptum, paucis additis ex Martino Bracarenſi & Hiſpanicis ejuſdem fermè temporis Conciliis, atque ex ſententiis aliquot Patrum.

3. Cujus juſſu & quando conſcripta hæc collectio. III. Verùm quis ille ſit Archiepiſcopus Compoſtellanus, ſeu Sancti Jacobi, quo jubente hic liber à Gregorio compoſitus fuit, non omninò liquet. Mihi credibile admodum fit, non alium eſſe à Didaco ſeu Jacobo Gelmirez, primo ejus Eccleſiæ Archiepiſcopo, cujus gratia ſedes Compoſtellana ex Epiſcopali erecta eſt in Metropolitanam à Calliſto II. anno 1123. Is enim magni vir animi, & literarum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ imprimis ſtudioſus fuiſſe memoratur ab Ægidio Gonzales de Avila in Theatro Eccleſiæ ſancti Jacobi cap. 9. eique ſedi præfuit ab anno Chriſti 1100. ad 1152. ut videatur hic Polycarpus circa annum 1141. prodiiſſe. Certè in Catalogo Pontificum Romanorum, qui in fronte Codicis MS. prioris habetur, poſtremus legitur Innocentius Secundus: qui poſt celebratum Concilium Lateranenſe 2. deceſſit anno 1144.

4. De Titulo Polycarpi. IV. POLYCARPI nomen, è Græco fonte deductum, fructuoſum ſignificat, ſive multi proventus librum, qualis haud dubiè ex Canonibus ſeu regulis Eccleſiaſticis accuratè ſelectus & rectum in ordinem digeſtis ſperari poteſt.

5. Numerus ordo, & materia Librorum hujus Collectionis. V. Jam quod ad Librorum numerum attinet, hi octo tantùm reverà ſunt, ex quorum ſingulis Tituli ad marginem Gratiani à Romanis Correctoribus indicantur. Librorum hic ordo eſt, hæc cujuſque materia.

Primus eſt de *Papa*, ejuſque omnimoda autoritate.

II. De *Epiſcopis* & *Clericis*, eorumque Ordinatione & poteſtate.

III. De *Eccleſiis*, & earum immunitate, deque Eccleſiæ *Ritibus*, Sacramentis, ac Juribus.

IV. De *Fide*, ac de *Officio* Epiſcoporum, & Clericorum *moribus*.

V. De *Judiciis*, præſertim criminalibus.

VI. De Principibus & *Laicis* reliquis; de *Matrimonio*, adulterio, homicidio, ſortilegio, furto, crapula, deque *Pœnitentia*.

VII. De *Excommunicatione*, de Hæreticis & Judæis.

VIII. De *Infirmis* venientibus ad exitum, de Prædeſtinatione, de Angelo cuſtode, de Morte, & *Purgatoriis* pœnis, de *Sepultura* & orationibus *pro defunctis*, de immortalitate animæ &c.

CAPUT XXX.

De Algero, & Halitgario.

1. Hic Algerus quis, & quædam ejus opera.

I. ALGERUS, Scholaſticus Leodienſis, qui poſteà Cluniacenſis Monachus fuit, circa annum 1130. Varia Opuſcula ſcripſit, & præſertim de *Corpore & Sanguine Domini* contra Berengarium libros tres; quod cum ejuſdem argumenti operibus Paſchaſii, Lanfranci, & Guitmundi editum eſt in Bibliotheca veterum Patrum. De his tribus ſcriptoribus Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, initio Libri de Sacrificio, ita cenſet, ut dicat *Lanfrancum* ſcripſiſſe de ſacramento Euchariſtiæ, benè, plenè, perfectè; *Guitmundum*, meliùs, pleniùs, perfectiùs; *Algerum* optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè. Sed tamen in quibuſdam ceſpitavit hic Algerus: veluti cum lib. 2. cap. 1. ſcripſit ſpecies ſacramenti non poſſe corrumpi, vel rodi &c. quo nomine notatur etiam *Guitmundus*, à quo id fortè mutuatus eſt Algerus, qui & in aliis nonnullis, ſed paucis, offendit.

2. An Canonum Collectionum ſcripſerit, eſt quod dubitetur.

II. Algeri operibus ſunt qui addant COLLECTIONEM CANONUM, ex cujus libris 1. & 3. pauca quædam loca ad marginem Gratiani à Correctoribus Romanis annotata ſunt, quaſi ea hic ex illo deſcripſerit. Hujuſmodi tamen ejus opus nullum memorat Trithemius, quique alii ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogum contexuerunt.

3. Halitgarii opus Canonicum.

III. HALITGARIUS Cameracenſis Epiſcopus, qui tempore Ludovici Pii floruit circa annum 830. & ſic tribus ante Algerum ſeculis, opus compoſuerat, quod tum apud Caniſium lib. 5. Lect. antiq. par. 2. tum in magna Patrum Bibliotheca Pariſienſi Tomo 5. exſtat. Hi ſunt Libri 5. de Vitiis & Virtutibus, *de remediis peccatorum & ordine ſeu Judiciis Pœnitentiæ*, Canonibus per Capitula diſpoſitis diſtincti, qui non mediocrem idcirco habent cum Canonum Collectionibus affinitatem. Hinc ſuſpicatus fueram Algerum pro Halitgario ſeu Aligario dictum, & ex hoc nomine illud detortum, ut ex Otgario Ogerus factus. Sententiam tamen mutavi, ex quo adverti à Romanis Correctoribus laudatum ſub Algeri titulo Libri 1. Cap. 21. cum Liber Halitgarii 1. ſeptemdecim duntaxat Capitibus abſolvatur. Adjunctum eſt ad calcem, velut hujus operis appendix, Pœnitentiale, ſive Halitgarii, ſive alterius fortè coætanei.

4. Halitgarii propoſitum in hoc opere.

IV. Suum eo in opere conſilium autor aperit in Epiſtola ſeu præfatione ad Elbonem Archiepiſcopum Remenſem, cujus rogatu ſcriptum eſt. Ipſius verba operis fontes præcipuos indicant, & totum operis ordinem.

Hanc autem Epiſtolam nemo quidem exiſtimet meam: ne illi pro parvitate nominis mei vileſcat. Sed ſciat à majoribus noſtris ex Sanctorum ſententiis eſſe collectam: à me quidem excerptam, ne nimia prolixitate negligentibus lectoribus faſtidium generaret.

Libellum de vitiis octo principalibus, eorumque remediis, quem de libris Gregorii, Auguſtini, nec non Proſperi excerpſimus, in capite præponimus, poſt præfationem hanc, quam excerpſimus.

SECUNDUS *quidem Libellus continet de vita activa & contemplativa pauca capitula, nec non & principalium Virtutum nomina. Ipſa quidem ex ſanctorum Patrum dictis collecta. Quorum nomina cujus ſunt ſententiæ, in marginibus poſuimus, propter prolixitatem vitandam repetendorum*

nominum : & ne aliquis invidus nos vocitaret compilatorem .

TERTIUS *de ordine Pœnitentium cum nominibus, unde ſumptus eſt , Conciliorum .*

QUARTUS *verò de Judiciis Laicorum .*

QUINTUS *de Ordinibus Clericorum : & de regulis , ſi deviaverint , ipſorum .*

CAPUT XXXI.

De Collectione Hibernica .

1. Hujus Collectionis Autor & tempus parum comperta .

a Tomo 9. Spicileg.

b Britann. antiquit. pag. 557.

I. HÆC ſive *Collectio*, ſive *Synodus* HIBERNICA latuerat eruditorum pleroſque , donec ſelecta ex ea Capitula vulgata ſunt à religioſo viro Domno *Luca d'Achery* [a], ex Codice manuſcripto, aliàs Abbatiæ Corbejenſis , nunc ſancti Germani in ſuburbio Pariſienſi . Uſſerius tamen Armachanus [b] eam à ſe in Bibliotheca Cottoniana viſam teſtatur. Adſcribunt nonnulli *Gildæ*, cognomine *Sapienti* , quem & Badonicum vocant. Plures enim Gildæ fuiſſe perhibentur: ille quidem Sapiens cognomine, ſcripſit de excidio Britanniæ, quod incidit anno Chriſti 445. alter junior circa annum 570. obiiſſe dicitur. Volunt autem Hiberni priorem Gildam Librum hunc Canonum conſcripſiſſe. Inter acta certè ſanctorum Ordinis S. Benedicti, ſeculi 1. legitur Gildas hujuſmodi opus edidiſſe , rogatum ab Amarico Rege, ut Eccleſiaſticum Ordinem in ſuo regno (Hiberniæ putà) reſtauraret. Verùm Gildas ille, cum ad dimidium ſeculum quintum referatur , hoc eſt ad tempus S. Patricii (qui Hibernorum Apoſtolus habetur) nec Benedictini Ordinis dici poteſt, utpotè ſequenti ſeculo nati; nec ad inſtaurandam in Hibernia diſciplinam Eccleſiaſticam vocatus videri, quæ ſcilicet ſub illa initia fervere debuit . Neque tamen inficior autorem Libelli alicujus Canonici fuiſſe Gildam , ſed ſeculo quinto haud dubiè poſteriorem: citatur enim in hac ipſa Collectione , & quidem ſæpiùs ejus nominis ſcriptor .

2. Tempus hujus Collectionis veriſimile .

II. Sed Collectio hæc, quantùm conjicere licet, longè poſterior eſt, & vix Decreto Gratiani antiquior. Imò ego compoſitam auguror paulò poſt id tempus, quo Eugenius III. Summus Pontifex Joannem Paparonem legatum à latere in Hiberniam miſit , atque inſulæ illi in quatuor provincias diviſæ, totidem Metropolitanos, cum Epiſcopis provincialibus, attribuit. Id verò anno 1151. contingit: quo quidem anno Chriſtianus Liſmorenſis Epiſcopus, qui & ipſe legatus ſedis Apoſtolicæ cum Paparone miſſus fuerat, Concilium celebravit in Monaſterio Mellifontis. Un hanc Collectionem in ea tempora conferam , facit quòd in illa, præter antiquam Synodum ſancti Patricii, laudatur ſepè Concilium *Hibernicum* abſolutè dictum: quod aliud ab hoc ipſo eſſe non puto . Hoc enim celeberrimum fuiſſe oportet, utpote cui non modò Epiſcopi omnes & Abbates, ſed Reges quoque, ac Duces & Majores natu Hiberniæ interfuerint, teſte Anonymo apud Vvaræum.

III. Col-

III. Collectoris nomen haud obſcurè indicare videtur amanuenſis in fine Codicis, in hunc modum: *Arbedoc Clericus ipſe has Collectiones conſcripſi, laciniosa conſcriptionis*; HÆLHUCAR *Abbate diſpenſante, quæ de ſanctis ſcripturis, vel divinis fontibus, in hoc Codice glomerata ſunt; ſive etiam Decreta quæ ſancti Patres & Synodi in diverſis gentibus & linguis conſtruxerunt.* *3. Autor hujus Collectionis.*

IV. Autoritate ſanè utitur, hinc ſacrorum Codicum, ex Pentateucho, nempe, Joſue, Regumque libris, Iſaia, Daniele, Salomone, Siracide, Evangelio, Paulo, & Apocalypſi, laudatis teſtimoniis: alia ex Conciliis refert, antiquis & probatis, Codice nimirum Canonum comprehenſis, Gallicis aliquot, & Romanis, præter Hibernica quæ jam indicavimus. Ex Patribus, ac Pontificibus, Clementem, Origenem, Baſilium, Hieronymum, Auguſtinum imprimis citat, & Iſidorum, unà cum Gilda ſupra memorato. Quædam etiam inſerit ex Canonibus Theodorici (vel potiùs Theodori) Epiſcopi Anglo-Saxonum, & circa finem ex Pœnitentiario cujuſdam Aldemari. *4. Ex quibus ea fontibus hauſta.*

V. Dividitur in Libros ſive potius Titulos quinque & ſexaginta, qui in ſua Capitula dividuntur, hoc ordine. *5. Operis diviſio.*

Ex Cod. 572. Bibliothecæ S. Germani.

TIT. I. De Epiſcopo, Capitula	22
2. De Presbytero vel Sacerdote, Cap.	27
3. De Diacono, Cap.	10
4. De Subdiacono, Cap.	4
5. De Lectoribus, Cap.	4
6. De Exorciſta, Cap.	2
7. De Oſtiàrio, Cap.	3
8. De Recapitulatione VII. graduum, Cap.	2
9. De Acolito & Salmiſta & Clerico, Cap.	2
10. De multimodis Cauſis Clericorum, Cap.	1
11. De peccantibus ſub gradu, Cap.	6
12. De Jejunio, Cap.	15
13. De Eleemoſyna, Cap.	8
14. De Oratione, Cap.	6
15. De Cura pro mortuis, Cap.	9
16. De Teſtimonio, Cap.	15
17. De Oblationibus, Cap.	16
18. De Jure ſepulturæ, Cap.	9
19. De Ordine Inquiſitionis Cauſarum, Cap.	1
20. De Provincia, Cap.	6
21. De Judicio, Cap.	31
22. De Veritate, Cap.	5
23. De Dominatu & ſubjectione, Cap.	4
24. De Regno, Cap.	20
25. De Sorte, Cap.	5
26. De Sceleribus & Vindictis eorum, Cap.	26
27. De Civitatibus Refugii, Cap.	15
28. De Furto, Cap.	8
29. De Commodatis, Cap.	5
30. De Patribus & Filiis, Cap.	20

31. De

31. De Parentibus & eorum heredibus & filiis, Cap. 23
32. De Debitis & pignoribus & uſuris, Cap. 12
33. De Fidejuſſoribus & ratis & ſtipulatoribus, Cap. 8
34. De Juramento, Cap. 15
35. De Jubileo, Cap. 11
36. De Principatu, Cap. 36
37. De Doctoribus, Cap. 19
38. De Monachis, Cap. 16
39. De Excommunicatione, Cap. 15
40. De Commendationibus Mortuorum, Cap. 10
41. De Eccleſia & Mundo, Cap. 30
42. De Locis conſecratis, Cap. 26
43. De Quæſtionibus Mulierum, Capitula. 20
44. De Oratione Matrimonii, Cap. 39
45. De Pœnitentia, Cap. 19
46. De Regionis Cenſu, Cap. 5
47. De Martyribus, Cap. 15
48. De Reliquiis in deſerto humatis, Cap. 3
49. De Mortuis in ſomno viſis, Cap. 6
50. De Tonſura, Cap. 6
51. De Beſtiis mitibus, Cap. 9
52. De Carnibus, Cap. 16
53. De Vera Innocentia, Cap. 8
54. De Hoſpitalitate, Cap. 4
55. De Hæreticis, Cap. 6
56. De Subſtantiis hominum, Cap. 4
57. De Ducatu Barbarorum, Cap. 5
58. De Conviviis, Cap. 4
59. De Maledictionibus, Cap. 6
60. De Benedictionibus, Cap. 1
61. De Artificio Artificum, Cap. 2
62. De Anguriis, Cap. 8
63. De Anima, Cap. 8
64. De Variis cauſis, Cap. 17
65. De Contrariis cauſis, Cap. 7

6. Autor Collectionis Hibernicæ an Hucarius Anglus.

VI. Hucarius apud Poſſevinum legitur ad Templum S. Hermani in Cornubia redegiſſe in Compendium opus Egberti Eboracenſis Epiſcopi de conſtitutionibus Eccleſiæ, & Homilias centum ac decem: *Exceptiones* item quaſdam ſcripſiſſe circa an. 1040. An is idem fuerit cum *Hael-hucar* autore hujus Collectionis, valdè dubium facit quòd parum probabile eſt in Anglia, atque ab Anglo ſcriptam fuiſſe Collectionem Hibernicam, quæ multos quidem Hibernicorum, nullos Anglicorum Conciliorum Canones refert.

7. De Collectione antiqua Herovalliana ſeu Andegavenſi.

VII. Prætermittenda hoc loco non eſt, quæ priùs memoranda fuerat, *Antiqua Canonum Collectio*, ſub titulo *de Doctrina & diſciplina Eccleſiaſtica*, quæ apud Virum Clariſſimum, ſingulari in omnes litteratos humanitate notiſſimum, *Antonium Vion Dominum d'Herouval*, manu ſcripta habetur. Ejus meminerat ſub nomine *Codicis Andegavenſis*, primi

primi è tribus quos citat, Joannes Morinus in appendice Tractatus de Pœnitentia: & ex ea plures ſelectos Canones exhibet V. Cl. Jacobus Petit, ad Theodori Pœnitentiale à pagina 102. Diviſa eſt hæc Collectio in 92. Titulos, nec niſi antiquis certiſque Canonibus Conciliorum, Pontificum Decretis, ac Patrum ſententiis utitur: ita ut ab omnibus Iſidori Mercatoris fæcibus omninò pura, videri poſſit ante nonum ſeculum concinnata.

VIII. De Collectoribus & Collectionibus Canonum, præter Antonium Auguſtinum utrumque, Tarraconenſem nempe Archiepiſcopum in Libris de emendatione Gratiani, & in præfatione ad Antiquas Collectiones Decretalium; Jeſuitam verò in ſpeciali tractatu præfixo ſecundæ Parti Epitomes Juris Canonici antiqui; videndi Boetius Epo, de Jure Sacro; Franciſcus Florens, in Præfationibus ſuis; Illuſt. Petrus de Marca, tum lib. 3. de Concordia ſacerdotii & imperii, tum in peculiari de his opuſculo; & Cl. Baluzius in Præfatione ad Reginonem, atque alibi. *8. Qui de Collectionibus Canonum ſcripſere.*

CAPUT XXXII.

De Pœnitentialibus, ſeu Libris Canonum Pœnitentialium.

I. CANONES POENITENTIALES, ſive Regulas agendæ Pœnitentiæ, plurimi diverſis temporibus collegerunt: atque hæ Collectiones *Libri Canonum Pœnitentialium*, & *Pœnitentialia* vocantur, quantitatem ſcilicet modumque Pœnitentiæ unicuique crimini ac peccatorum generi indicentia. Horum totam rationem, atque utilitatem accuratè pertractavit ſæpè dictus Joannes Morinus lib. 4. cap. 17. & lib. 6. cap. 5. de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, ac præſertim in Præfatione de Libellorum Pœnitentialium antiquitate, & varietate: ubi cauſas indicat cur neceſſarii fuerint hujuſmodi Libri. *1. Quid ſint Canones Pœnitentiales.*

II. Hæc pœnarum pro delicti cujuſque ratione indictio priſcis jam tum ſeculis uſurpata, ex Conciliis eorum temporum ſumpſit originem. Ancyrani certè, & Eliberitani Concilii Canones, quid aliud quàm Libellorum Pœnitentialium inſtar ſunt? Sed quia non omnia peccatorum genera ſatis diſtinctè pro cujuſque adminiculis & rerum circumſtantiis per Synodorum ſcita coercebantur, ejus varietatis exactiùs diſcernendæ curam, aut prout caſus incidebant, aut ex profeſſo, ſancti Patres jam olim ſuſcepernnt. *2. Origo à vetuſtis Conciliis.*

III. Inter Græcos eminet in hoc genere *S. Baſilius*, qui ejus rei præcepta tribus *Epiſtolis Canonicis* ad Amphilochium Iconienſem Epiſcopum tradidit. Ei addendi qui ante & poſt ipſum in eodem argumento verſati ſunt, & de variorum delictorum Pœnitentia Epiſtolas ſeu Reſponſa Canonica ſcripſere: Dionyſius nimirum, Petrus, Athanaſius, Timotheus, ac Cyrillus Patriarchæ Alexandrini; Gregorii etiam Thaumaturgus & Nyſſenus, de quibus omnibus diximus hujus Libri Cap. 7. Huc etiam perti- *3. Patres hujus inſtituti autores inter Græcos præcipui.*

pertinent *Reſponſa* Patriarcharum poſteriorum, quæ à Leunclavio referuntur lib. imprimis 5. & 6. Juris Græco-Romani; & quorum indicem dedimus hujus libri 3. Cap. 12. Celebratur imprimis Libellus Pœnitentialis *Joannis*, qui cum ex Monacho Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 586. Imperante Mauritio creatus fuiſſet, Oecumenicum ſe dictitare cœpit reluctantibus Romanis Pontificibus Pelagio II. & Gregorio I. atque ob miram abſtinentiam, cognomen habuit *Jejunatoris*. Poſſet his adjici, ſiquidem tanti eſſet, Nomocanon Anonymi, de quo extremo cap. 11. hujuſce Libri.

4. Apud Latinos agmen ducere videtur S. Cyprianus.

IV. Apud Latinos, S. CYPRIANUS in hoc genere agmen ducere videri poteſt. Teſtis eſt ipſe [a] ad recipiendos lapſos, perſecutione ſopita, ſe cum Epiſcopis ſuis conveniſſe, ac Libellum confeciſſe communi conſilio, in quo examinatis ſingulorum cauſis, & voluntatibus ac neceſſitatibus, ſalubri moderatione res ita temperata eſſet, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur, nec tamen cenſura Evangelica ſolveretur; ſed protracta diu pœnitentia, uti quiſque meruiſſet, admitterentur. Verùm Libellus ille, verè Pœnitentialis, ad nos haudquaquàm pervenit.

a Epiſt. 2.

5. Inter primos poſt Cyprianum numerandus Theodorus Cantuarienſis.

V. Exemplo poſteà Baſilii, quatuor poſt ſeculis THEODORUS *Cantuarienſis*, inter ejus civitatis Archiepiſcopus ſeptimus, Græcæ & ipſe originis, hoc argumentum in Occidente præclarè tractavit. Is Ordinis Benedictini priùs Monachus, à Vitaliano Pontifice cum Adriano Afro, ejus antea Abbate, in Angliam miſſus eſt ad corroborandam, quam B. Gregorius illa in gente ſeverat, fidei Chriſtianæ ſegetem, ut loquitur Aimoinus [b]: quod Beda [c] refert ad annum Chriſti 668. aitque Theodorum natum apud Tarſum Ciliciæ, ſeculari & divina litteratura Græcè & Latinè inſtructum, probum moribus, & ætate venerandum, utpote qui haberet annos 66. nihilominus ultra annos unum & viginti Cantuarienſem Eccleſiam rexiſſe. Idem Concilia plura de fide Catholica & diſciplina Eccleſiaſtica celebravit ad annum uſque 690. Imprimis autem *Peccantium judicia*, quot ſcilicet annis pro unoquoque peccato quiſpœnitere deberet, mirabili & diſcreta conſideratione deſcripſit, ut eſt in Pontificali, & apud Reginonem in Chronico.

b Lib. 4. de geſt. Franc. c. 32.
c Lib. 4. Eccleſ. hiſt. cap. 1.

6. Eo uſi Collectores ſequentes.

VI. Ex Pœnitentiali hujus *Theodori* multa deſumpſerunt Burchardus, Ivo, & Anſelmus, ſive autor collectionis quæ ſub ejus nomine habetur; nonnulla etiam ex eo decerpta ſunt à Gratiano, atque à Bernardo Papienſi in prima Collectione Decretalium, & apud Gregorium IX.

7. Ex quibus ipſe hauſerit.

VII. Theodorus hic, Græcus ut diximus, ex Baſilio & aliis Græcis Patribus Regulas ſuas, ſive Leges indicendarum Pœnitentibus pœnarum hauſit; eorumque ferè ſeveritatem ſecutus eſt: quæ nimia fortè priorum ſeculorum ſeveritas, in laxiorem æquo indulgentiam apud poſteros degeneravit; adeo ut tempore Petri Damiani, paulò poſt annum milleſimum, hi Libelli Pœnitentiales, tanquam peſtis aliqua, prohibendi fuerint: & ſic factum ut paulatim hæc tota ratio delicta puniendi in deſuetudinem propemodum abierit.

8. Ejus nupera Editio accurata.

VIII. De hoc qui plura volet, conſulat Morinum antè laudatum lib. 7. Cap. 1. & maximè Jacobum *Petit*, cujus opera hoc Pœnitentiale, omnibus quæ reperiri potuerunt Capitulis *adauctum*, per Canones ſele-

ſelectos ex antiquiſſima Canonum Collectione MS. deſcriptos, nec non per plura ex variis Pœnitentialibus hactenus ineditis excerpta *Expoſitum*; præclaris Eccleſiaſticæ diſciplinæ monumentis, quæ ex optimis Codicibus MSS. ſelecta ſunt, *confirmatum* prodiit Pariſiis anno 1677. Is omnia eruditis notis ac diſſertationibus illuſtravit: cæterùm in eo Pœnitentiali, tum emendando, tum ſarciendo uſum ſe ait duobus præſertim Libris manu exaratis Bibliothecæ Thuaneæ, qui nunc in Colbertinam tranſlati.

Anteà titulos Capitulorum habebamus, numero ſeptuaginta octo ab Henrico Spelmanno Conciliorum Anglicorum Collectore excerptos ex Codice MS. Bibliothecæ ſancti Benedicti Cantabrigienſis: Eas Jac. Petitus reddidit, operis ante memorati pagina 83. Hi tituli diverſi ſunt, tum ab iis qui in Pœnitentiali Theodori, opera ejuſdem Petiti edito, qui quatuordecim numerantur; tum ab aliis apud eundem Petitum Capitulis ſexaginta; & ab aliis eidem Theodoro adſcriptis Capitulis, quæ à Luca Acherio referuntur Spicilegii Tomo 9. numero centum viginti. Hinc apparet aut plures Pœnitentiales Libellos à Theodoro conſcriptos, ſive attributos fuiſſe, aut verum ejus autoris Pœnitentiale integrum non haberi; ſed ejus dumtaxat fragmenta, in varios Libellos pro exſcribentium & capita ſeligentium arbitrio, ſparſum.

IX. Sequutus eſt Venerabilis BEDA, quem Trithemius anno 733. ætatis 72. obiiſſe ſcribit. In extremo volumine Librorum ejus extat libellus inſcriptus de REMEDIIS PECCATORUM, hoc initio; *De Remediis Peccatorum, pauciſſima hæc quæ ſequuntur ex priorum monumentis excerpſimus*: & poſt alia, *Excerptum de Canonibus Catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ ad remedium animarum, Domini Egberti Archiepiſcopi.* Unde plerique Pœnitentialem hunc libellum ab Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo, Bedæ coætaneo, aut certè ipſius juſſu compoſitum conjiciunt. Eorum eò probabilior eſt conjectura, quòd neque in Bedæ ipſius, neque in Joannis Trithemii Catalogo Librorum Bedæ, hujus operis Pœnitentialis mentio fit. *9. Pœnitentiale Bedæ, & Egberti.*

X. Refert Antonius Auguſtinus in præfatione ad Canones Pœnitentiales, Bedam ex Pœnitentiali Romano Librum Theodori auxiſſe: quod intelligi non poteſt de Pœnitentiali Romano, quale ab ipſo Auguſtino editum eſt, cum in hoc multa ex Conciliis Beda longè poſterioribus inveniantur: ſed nihil vetat hæc de antiquiori Romano Pœnitentiali accipi. Et quod Antonius Auguſtinus eo loco Venerabilem Bedam autorem agnoſcit Libelli de remediis peccatorum, ſic interpretari oportet, ni fallor, ut velit illud Egberti mandato à Beda conſcriptum. *10. De Pœnitentiali Romano veteri.*

XI. Ex Bedæ Pœnitentiali plurima Capita deſumpſerunt Canonum Collectores, Burchardus, Ivo, Anſelmus, & Gratianus: itemque Bernardus & Gregorius IX. in Libris Decretalium. *11. Bedæ Pœnitentiali uſi Collectores.*

XII. RABANUS MAURUS, omni litteraturæ genere inſignis, & ſui temporis Poetarum nulli ſecundus, ex Alcuini diſciplina, in Monaſterio Fuldenſi S. Benedicti regulam profeſſus, & quartus ejus Cœnobii Abbas fuit: verùm improbitate Monachorum offenſus, ad Ludovicum Pium migravit, & cum eo manſit uſque ad mortem Otgarii Archie- *12. De Rabano Mauro.*

Archiepiſcopi Moguntini: cujus in locum ſuffectus, ei Eccleſiæ præfuit annos novem. Multa ſcripſit; imprimis autem *de Inſtitutione Clericorum* Libros tres, *de Divinis Officiis* librum unum, mortuus anno 855. ut Trithemius tradit, de Scriptoribus Eccleſiaſticis [d].

d Lib. 2. c. 39. Lib. 3. c. 199. & lib. 4. c. 81.

13. De Pœnitentialibus Libris Rabani Mauri.

XIII. Tomo VI. Rabani operum editionis Colonienſis anni 1627. quatuor ipſius in hoc genere opera edita ſunt, ſed maximè in pretio eſt apud eruditos operum Eccleſiaſticorum indagatores, LIBER POENITENTIÆ, ſive *Pœnitentium*, ad Otgarium Archiepiſcopum, cujus mandato hoc opus compoſuit paulò poſt luctuoſum prælium inter filios Ludovici Pii commiſſum apud Fontaniacum anno 841. ut colligi poteſt ex cap. 15. in quo ejus prælii meminit, tanquam rei nuper geſtæ. De eodem Libro ſic loquitur Rudolphus Monachus in autoris vita: *Scripſit quoque Libellum unum*, inquit, *ad Otgarium Archiepiſcopum; in quo primùm de Pœnitentia legitima & ſpe Indulgentiæ; deinde diverſa capitula de Canonibus diverſis Conciliorum ſubjunxit, ad corrigenda hominum vitia, & inſtituta Chriſtianæ Religionis roboranda.*

14. Iudicium de Pœnitentiali Rabani ad Otgarium.

XIV. Georgius Colvenerius, qui Rabani opera collegit, exiſtimabat *Pœnitentiale* illud *ad Otgarium*, eſſe quoddam velut compendium cæterarum Rabani lucubrationum ad hoc argumentum ſpectantium, atque ita poſteriorem libro Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum.

15. Quæſtiones Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum, Halitgarii ſunt, non Rabani.

XV. Ex comparatione tamen Libri illius qui in editione Colvenerii inſcribitur, *Quæſtiones Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum*, cum Libris HALITGARII Epiſcopi Cameracenſis, de vitiis & virtutibus ad Ebbonem Archiepiſcopum Remenſem ab Henrico Caniſio [e] editis, patet ſub his duobus titulis unum idemque opus contineri; & ſic quæſtiones Canonum Pœnitentialium Halitgarii eſſe revera, non Rabani, cui ex conjectura tantùm à poſteris tributi ſunt: quemadmodum & *Libri tres de vitiis & virtutibus*, aut certè duo priores; qua de re latè Stephanus Baluzius in præfatione præmiſſa Epiſtolæ Rabani ad Heribaldum Epiſcopum Antiſſiodorenſem; quam miſſam probat anno 853. decem circiter annis poſt Librum Pœnitentialem miſſum ad Otgarium; cui Epiſtolæ neſcio quis titulum fecit pœnitentialis: ſub quo titulo edita eſt à Petro Stevartio ex Codice MS. Monaſterii Vveingardenſis, his verbis in fronte appoſitis: *Incipit Liber Pœnitentialis ex Canonicis conſtitutionibus à Rabano Venerabili Epiſcopo compendioſè defloratus.*

e Tomo 5. lect. antiq.

16. Epiſtola Rabani ad Heribaldum uſi Collectores, non Pœnitentiali ad Otgarium.

XVI. Ex hac Epiſtola Rabani ad Heribaldum jam antiquitùs diviſa in capita 35. quædam à Reginone atque Ivone deſumpta ſunt, atque à Burchardo etiam Vvormacienſi, cujus in ea citanda hallucinationes aliquot notat idem Baluzius: additque eorum qui poſt Rabanum Libros Decretalium compoſuerunt, neminem ex Libro Pœnitentiali ad Otgarium quidquam hauſiſſe; ſed eos Epiſtola ad Heribaldum uſos eſſe, Reginonem ſcilicet, Ivonem, Gratianum.

17. Quibus ex fontibus hauſerit Rabanus ſuum Pœnitentiale.

XVII. Obſervat Antonius Auguſtinus [f] videri Rabanum in componendo Pœnitentiali ſuo uſum corpore Canonum, id eſt, prima, ni fallor, Iſidoriana Collectione: adjicitque Romanorum Pontificum Epiſtolas nullas ibi referri, præter eas quæ poſt Damaſum conſcriptæ ſunt.

f In ſua ad lib. pœnitent. præfat.

XVIII.

XVIII. POENITENTIALE ROMANUM, quod ab Antonio Auguſtino ad calcem Epitomes Juris Pontificii ante alia exſcriptum eſt, in titulos novem dividitur, in quibus varia criminum genera, & indicendæ cuique generi pœnitentiæ, ex Conciliis, Pontificum Epiſtolis ac ſententiis Patrum referuntur. Hoc opus quale nunc habemus antiquius non eſſe Rabani Mauri temporibus, ſuadent capita ex Moguntino ipſius Rabani Concilio, ex Triburienſi etiam Synodo atque ex ſuppoſititiis Pontificum Epiſtolis, quæ per eadem tempora prodierunt inſerta.

18. *De Pœnitentiale Romano.*

XIX. Plures ejuſmodi *Pœnitentiales* Libros undecumque conquiſivit, & ſub finem voluminis de Pœnitentia edidit Joannes Morinus. Ex his colligi poteſt unumquemque ferè Epiſcopum, aut certè unumquemque Epiſcopatum, ſuum ſibi habuiſſe librum Pœnitentialem, qui pro regula indicendæ pœnitentiæ eſſet: donec refrigeſcente charitate, tota hæc pœnitentiæ ratio, & antiquus ac regularis uſus obſolevit.

19. *De aliis Pœnitentialibus Libris.*

XX. Poſt Gratiani Decretum ſolent in pleriſque editionibus adjici *Canones Pœnitentiales*, deſumpti ex ſumma Aſtenſi [g]. Eadem ferè Cardinalis Hoſtienſis in ſua ad Decretales ſumma anteà collegerat ſub titulo de Pœnitentiis & remiſſionibus; quibus S. Bonaventura quædam in Confeſſionali addidit, ut & B. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus [h]. At verè Anton. Auguſtinus Canones illos pœnitentiales correctis Librariorum mendis ſubjecit libris pœnitentialibus Romano, Bedæ, & Rabani, adjectis in hæc omnia notis, atque in Epiſtolas Canonicas Gregorii Nyſſeni, & Gregorii Thaumaturgi.

20. *De Canonibus Pœnitentialibus adjectis Decreto Gratiani.*

g Lib. 5. tit. 32.
h In ſumma 3. parte art. 17. cap. 21.

XXI. Differunt aliquatenus à Libris Pœnitentialibus hi Pœnitentiales Canones: quòd hi exemplo Canonum quibus conſtant Epiſtolæ, Canonicæ idcirco dictæ, S. Baſilii, aliorumque veterum Græcorum Patrum, ſimpliciter tradunt, & quid non liceat, & quæ ſit pro unoquoque peccato ſubeunda Eccleſiaſtica pœna. Pœnitentiales verò Libri partim plures in eandem rem autoritates congerunt, quibus pœnæ illæ adſtruuntur; partim ritus & preces imponendæ pœnitentiæ, ac dandæ abſolutionis adjiciunt.

21. *Horum à Libris Pœnitentialibus diſcrimen.*

CAPUT XXXIII.

De Capitularibus Regum atque Imperatorum Francorum.

I. CAPITULORUM nomine intelliguntur Articuli, ſive Capita Conſtitutionum, & conventorum quæ inter paciſcentes legum inſtar ſunt, aut etiam capita monitoriorum quæ & commonitoria dicuntur. Hinc CAPITULARIA dicuntur ejuſmodi Capitulorum Collectanea. Sed quemadmodum Codicis nomen, quod propriè librum ſignificat, de Libro Conſtitutionum Imperatoriarum abſolutè dicitur per eminentiam; Libri Legum à Francorum Regibus ſecundæ præſertim ſtirpis;

1. *Ita Capitularium titulo donati ſunt per primitiam.*

poſtu-

poſtulantibus, aut conſentientibus Epiſcopis & Regni Primoribus, latarum in generalibus Comitiis.

2. De Prima Capitularium collectione per Anſegiſum.

II. Primus ANSEGISUS Abbas Lobienſis Cœnobii, Ordinis S. Benedicti, & poſteà Senonenſis Archiepiſcopus, *Caroli Magni & Ludovici Pii Capitula* in quatuor Libros digeſta, circa annum 830. collegit: quorum duo priores, ut ipſe in præfatione teſtatur, Edicta Regum & Imperatorum prædictorum ad Eccleſiaſticam Legem pertinentia continent; duo autem poſteriores, ea complectuntur quæ ad mundanam legem pertinent: ità ut primus & tertius Liber Caroli Magni Conſtitutionibus; ſecundus, & quartus Ludovici Pii Imperatoris, & Lotharii Cæſaris, ejus filii, legibus conſtant. Anſegiſus ille, Senonenſis, ut dixi, Archiepiſcopus, ſæpiùs ad Pontifices Romanos Legatus, obtinuit ab Apoſtolica Sede reſcriptum, quo facultas ei tanquam Primati concedebatur, quoties Eccleſiaſtica utilitas dictaret, ſive in evocanda Synodo, ſive in aliis negotiis tractandis, per Gallias & Germanias, velut Primas, vice ſacra fungeretur, ut refert Aimoinus de geſtis Francorum [a]. Ejus quoque meminit Sigebertus, qui collectorum ab eo Capitulorum annum indicat 827. Videndus & Trithemius.

a Lib. 5. c. 33.

3. Collectio altera Capitularium per Benedictum Levitam.

III. Poſt eum *Benedictus Levita*, ſive Diaconus Moguntinus, quatuor Capitularium Libris tres alios adjecit; quorum Capitula contendit Apoſtolica autoritate eſſe roborata, eò quòd his cudendis maximè Apoſtolica interfuerit Legatio: quo nomine Otgarium Moguntinum Archiepiſcopum, Legatum Pontificium deſignat, cujus mandato huic Collectioni operam Benedictus dedit circa annum 850. ut ſupra eſt annotatum cap. 20. hujus Libri [b]. Idem in præfatione Libri quinti docet Capitula in tribus libellis à ſe coadunata, diverſis locis, diverſiſque ſchedulis, ſicut in diverſis Synodis ac placitis, ſive comitiis, & gradibus edita erant, ſparſim inventa, maximè in Moguntiacenſis Metropolitanæ Eccleſiæ ſcriniis, à prædicto Riculfo, ejuſdem ſanctæ Sedis Metropolitanæ Epiſcopo, recondita, & demum ab Autcario, aliàs Otgario, ſecundo ejus ſucceſſore atque conſanguineo, inventa. Quæ quidem Capitula Eccleſiaſtica, ſicut & Legalia, obſervari jubentur Concilii Meldenſis cap. 78. & Concilii Troſleiani cap. 3. Et verò ea ſe conſervaturum profitetur Leo IV. in Epiſtola ad Lotharium Auguſtum, relata à Gratiano [c]. Hujus Capitularium Collectionis in Conciliis ſequentibus non rarò mentio fit, ejuſque Libri aliquot capita inſerta ſunt Legibus Longobardorum, inſcriptis nominibus Caroli, Ludovici, Lotharii. Et horum Eccleſiaſticorum Capitulorum fontes dici poſſunt Concilia per Gallias, & Germanias illis temporibus celebrata.

b §. 5.

c Can. 9. diſt. 10.

Tres autem Libri à Benedicto additi continent, tum ea, quæ Anſegiſus aut invenire nequiverat, aut inſerere fortè noluerat: tum illa quæ poſt Anſegiſum à Ludovico, Lothario, & Carolo Calvo, Ludovici Pii filiis, condita fuerant: quæ cuncta ſervari poſtulant Meldenſis Concilii Patres [d].

d Cap. 80.

4. Additiones ad priora Capitularia.

IV. His adjectæ ſunt quinque ADDITIONES. Prima continet octoginta capita ad Monachos maximè ſpectantia; Secunda viginti quinque capitibus abſolvitur, quæ diverſi generis ſunt, & à diverſis collecta: in Tertia ſunt capita 82. quæ ad Epiſcopos & ſacris ordinibus initiandos maximè pertinent. In Quarta habentur 104. capita diverſis de rebus;

partim

partim ex Sanctorum Patrum Decretis, partim ex Edictis Imperatorum; ut dicitur in principio nomine Regis Caroli Craſſi, ut videtur: cui etiam in præfatione tribuuntur 20. cap. quintæ additionis ex Synodis, quæ habitæ fuerant ab Epiſcopis, & Abbatibus in ejus Regno.

5. De Epitome Conſtitutionum Caroli Magni.

V. Vitus *Amerbachius* opuſculum edidit de *Conſtitutionibus Caroli Magni* à Lothario Imperatore ejus nepote *in Epitomen redactis*: quod iterum edidit Joannes Buſæus Societatis Jeſu poſt Epiſtolas Hincmari.

6. Gloſſaria dilucidandis Capitularibus.

VI. In his ſtudiis illuſtrandis, nemo Pithœis fratribus acriùs, nemo utiliùs deſudavit. Sed quæ literarum pars eorum induſtriam fugit? Gloſſarium imprimis Capitularium Franciſco Pithœo debemus: cui lucem afferent Lindenbrogii ad Codicem legum antiquarum, Vvatſii ad Matthæum Pariſium aliorumque ejuſdem generis lucubrationes, & maximè Caroli du Freſne Domini du Cange Gloſſarium ad Scriptores mediæ, & infimæ Latinitatis; ac Formulæ Marculfi aliæque, cum eruditis Illuſtriſſimi Hieronymi Bignonii notis.

7. Editionis Baluzianæ ordo & enarratio.

VII. Sed & harum Formularum, & Capitularium novàm atque accuratiſſimam editionem ex pluribus manu exaratis Codicibus emendatam auctamque dedit anno 1676. indefeſſus horum conquiſitor Stephanus Baluzius. Ea in duos tomos diſtincta eſt. Tomus prior complectitur Conſtitutiones, Præcepta ſeu præceptiones, Pacta, Decreta & Decretiones (ſic enim nonnumquam inſcribuntur) Edicta, Capitula & Capitularia, Leges ſubjectis gentibus datas, aut approbatas, Epiſtolas, Indiculos ſive Mandata, Carthas diviſionum, aliaque ejuſmodi monumenta & acta, quæ inveniri potuerunt. Primò digeſta ſunt juxta ordinem temporum & Regum: Primæ quidem ſtirpis ſeu Merovingiorum ab anno 554. ad 743. Regum autem Secundæ ſtirpis ſive Carolidarum, ab anno 774. ad annum 840. Deinde etiam ſervato Collectionum ordine ſequuntur Libri ſeptem Capitularium ab Anſegiſo & Benedicto Levita diſpoſiti, cum Additionibus quatuor. Tomus autem ſecundus, præter Collectionem Capitulorum Caroli Calvi, adjectis ejuſdem Præceptis & Capitularibus, ab anno 844. ad 868. & præter Ludovici II. Imperatoris Capitula, ab anno 850. ad 867. complectitur Fragmenta Capitularium Caroli Magni & ſucceſſorum, Coronationes Regum & Reginarum; Marculfi & aliorum Eormulas, repetitas ex Lindenbrogii & ex Pithœi editionibus: tum Promotionum Epiſcopalium & profeſſionum Monaſticarum, aliaſque antiquiſſimas Formulas; Franciſci quoque Pithœi Gloſſarium, & notæ ad Librum Legis Salicæ; Bignonii notæ ad eundem Librum, atque ad formulas ſupradictas; Jacobi Sirmondi notæ ad Capitula Pippini, &c. & Caroli Calvi: denique ipſius Baluzii notæ ad Capitularia & Formulas antiquas.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Capitulis Epiſcoporum.

1. Capitula condebant in parochiis ſuis Epiſcopi.

I. CAPITULA, ſive ſtatuta Synodalia, aut monita ad Presbyteros iiſdem temporibus, complures Antiſtites emiſerunt, à Presbyteris cuique ſubjectis obſervanda. Mitto Hadriani Pontificis Capitula, de quibus jam dictum eſt.

2. Theodulphi Aurelianenſis.

II. Extant apud Sirmondum inter Concilia antiquà Galliæ, etiam Capitula *Theodulfi* Epiſcopi Aurelianenſis, ſub annum 797.

3. Hincmari Remenſis.

III. *Hincmari* deinde Remenſis Archiepiſcopi ſæpiùs memorati, qui Capitula hujuſmodi conſtituit, annis videlicet 852. 857. & 872.

4. Herardi Turonenſis.

IV. *Herardi* prætereà Archiepiſcopi Turonenſis, qui ſuum anno 858. Capitulare ſuis condidit.

5. Hildeberti Cenomanenſis, & Iſaaci Lingonenſis.

V. Memorantur etiam Capitula *Hildeberti* Epiſcopi Cenomanenſis, ac deinde Turonenſis Archiepiſcopi. *Iſaaci* quoque Lingonenſis Epiſcopi Capitula ex Regum Capitularibus decerpta; adjectis Librorum & Capitum numeris, qui alium Capitum in ſingulis Libris ordinem indicant, quàm qui in editione Pithœi habetur.

PRÆ-

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

LIBER QUARTUS.

A VETERIS Juris Canonici partibus, ad Corpus Juris Canonici uſu hodie ubique receptum tranſgredientibus, videndum primò quot ſint ejus Partes, tum de uniuſcujuſque Partis autore, tempore, ordine, autoritate paulò accuratiùs diſſerendum.

CAPUT I.

Quot & quæ ſint Partes Juris Canonici hodierni.

1. Partes Iuris Canonici in genere. I. SYSTEMA ſive *Corpus* Juris Canonici, quo nunc in foro & ſcholis Occidens utitur univerſus, duabus in genere partibus Continetur, Decreto nimirum, ac Decretalibus.

2. Decretum Gratiani. II. DECRETUM dicitur Collectio veterum Canonum, opera Gratiani Monachi, ex ſtatutis priſcorum Conciliorum, ſummorum Pontificum Decretis, atque aliorum Patrum dictis: vel potiùs ex ſuperioribus Collectionibus excerpta, adjunctis etiam civilibus alicubi Conſtitutionibus.

3. Decretales. III. DECRETALIUM autem nomine intelliguntur Compilationes deciſionum Eccleſiaſticarum inferioris ætatis, ex Epiſtolis per Pontifices Romanos poſt annum Chriſti 1150. editis maximè deprompt arum: quibus admixta ſunt aliquot Conciliorum ſcita, & paucæ quoque Patrum ſententiæ.

4. Iuris Pontificii cum civili comparatio. IV. Si quis igitur *Corpus juris Pontificii* cum jure civili, ſive Cæſareo per Juſtinianum compoſito contulerit, inveniet *Decretum* proportione quadam Digeſtis ſeu Pandectis, *Decretales* Codici & Novellis reſpondere.

5. Decreti cum Digeſtis. V. Quemadmodum enim in Digeſtorum Libros relatum eſt jus antiquum excerptum ex ſcriptis Juriſconſultorum, qui ante Conſtantinum de jure reſponderunt; & qui Leges Populi Romani atque Imperatorum interpretati ſunt, quique in Edictum perpetuum imprimis ſcripſerunt: Ita ex opuſculis maximè SS. Patrum, autorumque aliorum qui uſque ad ſeculum Chriſti undecimum, vel in Libros utriuſque fœderis commentati ſunt, vel de rebus & quæſtionibus Eccleſiaſticis per ſe diſſeruerunt, ut & ex Synodorum Canonibus, quæ in Eccleſia Edictorum loco ſunt, Gratianus volumen ſuum concinnavit: nec multùm diſpar videtur horum in rebus ſacris, atque illorum in rebus civilibus autoritas.

6. Decretalium cum Codice. VI. Qua item ratione Romanorum Imperatorum Leges ab Hadriano ad ſua uſque tempora, Juſtinianus certo ordine diſpoſitas in ſuum Codicem retulit: ita Gregorius IX. Libris Decretalium complexus eſt reſcripta & Epiſtolas ſeu Conſtitutiones eorum præſertim Pontificum, qui ſeculo XII. vixerunt. In Sextum Denique Decretalium Librum, cujus autor Bonifacius VIII. in Clementinas quoque & Extravagantium volumina, inſertæ ſunt ſequentium Pontificum conſtitutiones, quorum in rebus ſpiritualibus poteſtas cum Principum in temporalibus poteſtate comparari ſolet.

7. Diſcrimen inter utrumque jus. VII. Verùm, cum unum ſit Codicis volumen, & Novellæ uſu apud nos receptæ ejuſdem ſint Juſtiniani: quinque ſunt à diverſis autoribus conditæ Decretalium Collectiones, ſingulæ in quinque Libros diviſæ. Primam ex quinque, quæ priùs emanaverant, confecit Gregorius IX. adje-

adjectis Conſtitutionibus ſuis, exemplo Juſtiniani, qui ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano, ſuum compoſuit, inſertis recentioribus quoque Conſtitutionibus, etiam ſuis. Hæc Gregorii IX. compilatio, cæteris ut antiquior, ita & amplior, commune Decretalium nomen ſibi proprium fecit. Secundam Bonifacius VIII. addidit, ſub titulo *Sexti* Decretalium. Tertiam Clemens quintus ſub nomine *Clementinarum* compoſuit. Quartam Joannes XXII. ſed abſque peculiari confirmatoria Conſtitutione. Quintam privatus aliquis Juriſconſultus; quæ duæ Collectiones *Extravagantes* appellantur, aliæ Joannis XXII. cujus ſolius Conſtitutiones ea pars complectitur; aliæ Communes, plurium ejus ævi Pontificum.

VIII. Sed poſteriores Collectiones cum iis Decretalibus, ſeu Conſtitutionibus quæ poſteà ſecutæ ſunt, & *Bullariis* magna ex parte comprehenſæ; itemque *Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ*, Novellis tum Juſtiniani, tum ſeqq. quoque Orientis Imperatorum, non immeritò quis æquiparaverit; ut pote quæ jus novum contineant poſt Gregorii IX. Decretales invectum, non ſecus ac Novellæ jus Codice poſterius complectuntur. Differunt tamen à Novellis poſtremæ Decretales, quòd in illis ſervatus fermè ſit ordo temporis, quo unaquæque Conſtitutio edita eſt: in Sexto & ſeqq. Decretalium Compilationibus ordo rerum ſive materiarum, idem, ut diximus, qui in Gregoriana Collectione.

8. Comparatio poſteriorum Collectionum & Regularum Cancellariæ, cum Novellis, & utrarumque differentia.

CAPUT II.

De Gratiano Autore Decreti.

1. Duo genera veterum Collectionum.

2. Autores præcipui qui Gratiani meminerunt.

I. PRÆTER Codices Canonum veteres per univerſam ferè Eccleſiam receptos, in quibus Conciliorum & temporum ſervatus ordo fuerat, complures alterius generis Compilationes à diverſis autoribus fuerant concinnatæ, quibus Eccleſiaſtici Canones, vel ſummatim indicati, vel expanſi, certas in claſſes, pro ratione materiarum, & quæſtionum, digeſti continebantur: de utriſque ſuperiore libro dictum eſt.

II. Cum his omnibus aliquid ad operis perfectionem & legentium eruditionem deeſſe videretur, ſuperioribus felicior Gratianus huic rei manum admovit, & novum Decretorum Eccleſiaſticorum corpus adornavit; quod, cæteris eliminatis, in uſu quotidiano eſſe cœpit. Gratiani hujus meminere imprimis Vincentius Bellovacenſis [a], B. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus [b], Henricus Gandavenſis [c], Joannes Trithemius [d] Ordinis Benedictini, Correctores Romani in admonitione ad Lectorem, præfationis loco appoſita huic Decreto, Baronius [e], Bellarminus [f], & præ reliquis Antonius Auguſtinus [g].

III. Ex his diſcimus Gratianum natione Tuſcum fuiſſe, Cluſii natum (nunc *Chiuſi*, haud procul Florentia) & S. Benedicti Regulam Bononiæ profeſſum in Monaſterio SS. Felicis & Naboris.

3. Gratiani Patria & vitæ genus.

IV. In Chronico, quod inſcribitur Pomerium Eccleſiæ Ravennatis, & alibi, pro *Cluſio*, legitur *Claſſa*. Verùm nulla ejus nominis civitas in Tuſcia

4. Cur Claſſenſis dictus.

[a] Speculi Hiſt. lib. 23. cap. 31. & lib. 25. c. 84.
[b] Sum. Hiſtor. 3. parte tit. 18. c. 6.
[c] De viris illuſt. lib. 49.
[d] Lib. de ſcript. Eccl. & lib. 2. de viris illuſtr.
[e] In Annalib.
[f] De ſcriptorib. Eccleſiaſt.
[g] De emendat. Gratiani tam lib. 1. in addit. ad dial. 1. quàm lib. 2. dial. 9. & in ejuſd. dial. additionibus.

Tuſcia memoratur. Verùm in Æmilia ſeu Romandiola Provincia tertiò à Ravenna miliari Civitas fuit *Claſſis* nomine, vulgò adhuc *Claſſe* (quòd ibi Claſſis Romanæ ſtatio in mari ſupero, diu fuerit ex inſtituto Auguſti) ubi celebre eſt Benedictini Ordinis à Monachis nigris ad Camaldulenſes translatum anno 1138. Monaſterium, titulo [h] S. Apollinaris, qui Petri, aut etiam ipſius Chriſti diſcipulus, martyrium ibi paſſus, Ravennatum Apoſtolus habetur; & Antoninus aliique Gratianum *Claſſenſem* Monachum vocant: hinc credibile fit Autorem noſtrum, licèt diutiùs Bononiæ vixerit, tamen aliquandiu in eo Monaſterio degiſſe. Imò & in eo partem operis ſui conſcripſiſſe inde conjici poteſt, quòd Gratianus ipſe [i], ubi formulas proponit Apoſtolorum ſive Libelli dimiſſorii, itemque Libelli appellatorii, eas adducit ſub nomine Capellani S. Apollinaris ab Epiſcopo Bononienſi; & Epiſcopi Regienſis ſeu Rhegini, à Ravennate Archiepiſcopo, ad ſedem Apoſtolicam appellantium. Id certè indicio eſt familiaria hæc ipſi loca fuiſſe, ideoque ei facilè occurriſſe vocabula Sancti Apollinaris, & Ravennenſis Eccleſiæ.

h V. Antiq. de Ycpes in Chron. Ord. Bened. Centur. 2. cap 2. poſt Rubeum.

i In §. forma, ſub can. 31. poſt appellationem, ij. quæſt. 6.

5. Fabula de illegitimis ortu & Petri Lombardi, ac Petri Comeſtoris, ex eadem matre, natalibus.

V. Sub idem tempus floruere in Gallia duo alii doctrina inſignes viri, Eccleſiaſticorum & ipſi ſtudiorum duces, ac principes: *Petrus* nempè *Lombardus*, à natali ſolo dictus, qui quatuor Sententiarum libris *Theologiam* Scholaſticam fundavit, Pariſienſis poſteà Epiſcopus; & *Petrus Comeſtor*, ſive *Manducator*, Decanus primùm S. Petri Trecenſis, deinde Pariſienſis Eccleſiæ & Academiæ Cancellarius, ac tandem apud S. Victorem Canonicus Regularis: qui Autor *Hiſtoriæ Scholaſticæ*, ſive enarrationis Hiſtoricorum ſacri inſtrumenti voluminum. Hæc in his tribus ejuſdem fermè ætatis hominibus, litterarum Eccleſiaſticarum, quamvis non eodem in genere, profeſſio & ſcientia excellens, locum feciſſe videtur fabuloſo quorumdam [l] commento; qui, quòd tres illi viri, in tractandis certa & nova quadam methodo diſciplinis ſacris, æquales & quaſi fratres viderentur, quorum quiſque in ſuo inſtituto præcipuus, Magiſtri titulum meruit, & in eadem urbe Pariſienſi profeſſi omnes feruntur; vulgarunt eos revera uterinos fratres fuiſſe, ex ſtupro aut adulterio procreatos. Cui hoc quoque adjicitur [m] communem eorum matrem, cum ſub exitum vitæ peccata ſua confiteretur, vix in animum inducere potuiſſe, ut illius adulterii eam pœniteret, ex quo natos cerneret filios adeò ſcientia eximios, qui in Eccleſia Dei, tanquam ſeculi ſui lumina, fulgerent: juſſamque à ſacerdote, apud quem peccata ſua enunciabat, ut hoc ſaltem doleret quòd pœnitere non poſſet. Sed ſi quis rem exactiùs diſcutiat, ei fabulæ fidem facilè abrogabit cum B. Antonino antè laudato. Nam, nec natio eorum eadem; cum Gratianus, gente Etruſcus, Cluſii, uti jam diximus, natus; Petrus verò Lombardus, apud Novariam in tractu Mediolanenſi; Petrus denique Comeſtor Gallus, apud Tricaſſes nimirum ortus, & Gratiano ac Lombardo junior fuerit.

l Præpoſit. in proœm. decret.

m V. Tiraquel. in lib. de nobilit. cap. 25. n. 32.

6. Epitaphium Gratiani.

VI. Exſtat Bononiæ Epitaphium Gratiani, in hæc verba [n]. GRATIANI *Cluſini, Cæſarei Juris & Pontificii enucleatoris propè divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde, abſolutiſſimum ibidem opus* DECRETORUM *anno gratiæ MCLI. compilavit, monumentum, quod illi Curia obſorduerat, hic magnificentiùs renovatum eſt. Jo. Franciſcus Aldovrandus Bonon. IV. Dictator, ære publico reſtauravit anno ſalutis MCCCCXCVIII.*

n Guid. Pancirol. de clar. leg. interpret. & Ughel. Ital. ſacræ tom. 3. in Epiſcopis Cluſinis.

Iibus

Idibus Junii, Joanne Bentivolo II. PP. Rempublicam fæliciter gubernante.

In æde autem S. Felicis, ubi Decretum compoſuiſſe creditur, inſcriptum ſaxo vetuſto, quod in Sacrario nunc conditum eſt, hoc de Gratiano eodem rude legitur Carmen.

Hanc ædis partem, Lector, reverenter adito:
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus,
Divinum GRATIANUS *opus, quantumlibet arcto*
Contentus ſepto, quod (poſt) *reparando caducum,*
Et vetus hoc clauſtrum, tolli fuit inde neceſſe:
Id tamen Abbate conſtructum eſt Bartholomæo,
Mille trecentis (&) *decies ſeptem, atque quaternis*
Annis à Chriſto pura de Virgine nato.

CAPUT III.

De vero Titulo Decreti, deque ejus condendi cauſis & tempore.

I. QUI priùs Collectiones Canonum ediderant, omnes coacervandis dumtaxat Decretis & Regulis Eccleſiaſticis incubuerant: at Gratianus non ſolùm colligendis Canonibus operam dedit, ſed Ivonis fortè præfatione excitatus, (quod Romani Correctores opinantur) id quoque negotii ſuſcepit, ut certis propoſitis quæſtionibus varios Canones qui ad eaſdem ſpectabant, ac ſæpè invicem pugnare videbantur, in utramque partem adduceret; atque inter ſe commiſſos, adjecta explicatione in concordiam reduceret. Eò pertinent Paragraphi, ſive potiùs Gratiani dicta & ratiocinia, quæ Canonibus ſubinde ab eo, ſolvendis illorum nodis, interſeruntur. *1. Gratianus Canones primus conciliare aggreſſus eſt.*

II. Hinc operi univerſo titulus factus ut CONCORDIA DISCORDANTIUM CANONUM inſcriberetur: quæ inſcriptio, forſan imitatione Creſconii impoſita, in pleriſque hujus Collectionis manu exaratis exemplaribus occurrit, rubris caracteribus notata, ut admonent in præfatione ſua jam dicti Correctores Romani. Creſconius tamen [o] id tantùm curaverat, ut ſimiles Canones inter ſe compararet; nec de conciliatione admodùm laboraverat. *2. Verus operis à Gratiano compoſiti Titulus.*

o In ſua can. concord.

III. DECRETI quidem nomen, quod huic volumini per abuſum tribuitur, ei nulla ratione convenit: utpote quod non unum aliquod Decretum, ſed innumera propè Decreta Eccleſiaſtica comprehendat. Quapropter vox illa *Decretum* in melioribus editionibus mutata eſt in nomen pluralis numeri: quem in librorum titulis magis idoneum judicaſſe Cicero videtur, cum libros de *Finibus* & de *Officiis* &c. inſcribere maluit, quàm de officio, aut de fine. Ea de cauſa hoc opus Antonius Demochares *Decretorum Collectanea*, Antonius Contius *Decretorum Canonicorum Collectanea* indigitarunt. Neque verò exiſtimandum eſt Gratianum *3. De nomine Decreti.*

à Butchardo, aut Ivone vocem Decreti eſſe mutuatum, cum nec in veteribus eorum exemplaribus ea inſcriptio inveniatur. Innocentius ſanè III. à Correctoribus laudatus, opus Gratiani vocat *Corpus Decretorum*, in Epiſtola ad Archiepiſcopum Compoſtellanum.

4. Tempus, quo hoc opus compoſitum eſt editum. IV. Huic autem Decretorum Compilationi operam dediſſe Gratianus traditur ab anno 1127. ad an. 1150. ſequenti verò anno 1151. illud in lucem emiſiſſe, imperante apud Germanos Conrado III. Suevo, regnante in Gallia Ludòvico VI. ſeniore, quem vulgò Craſſum appellant, Romanam verò Sedem obtinente Eugenio III. Verùm alii alio, atque alio tempore compoſitum, editumque volunt hoc volumen. Sed illud primùm admitti non poteſt quod Antonius Auguſtinus libri poſterioris de emendat. [p] Gratiani, in Libro Pontificali non edito legi notat circa extrema Innocentii III. tempora. *Hoc anno* (ſcilicet 1215.) *Gratianus Monachus de Cluſa civitate Tuſciæ natus, Decretum compoſuit, ut dicit Huguccio*, antiquus ſcilicet Juris Canonici interpres. Certum enim eſt hoc Decretorum opus non modò ante Innocentii III. ſed & ante Alexandri III. Pontificatum in manus hominum veniſſe: Unde ad extrema Innocentii II. tempora & an. 1142. potiùs referendum eſt, quod ſcribitur in eo Pontificali. Id ita eſſe probatur ex Notatis per Correctores poſt §. *forma*, *ſub can. poſt appellationem* 11. *quæſt.* 6. ubi formæ Libelli appellatorii, quo apoſtoli petuntur, tempus apponitur: qui locus ſic vulgo legebatur, *Pridie Kal. Maji anno Dominicæ Incarnationis, MCLXI. indict. quarta*: Sed quoniam hic Indictionis numerus anno illi non congruit, idcirco in margine additum fuerat, *aliàs MCV. feria quarta*: quod tamen non abs re in Scholiis ab Huguccione veteri interprete correctum fuit. Scribit enim hunc Librum editum fuiſſe docente Jacobo Bononiæ in Legibus, & Alexandro in Theologia (hic fuit poſtea Alexander III. Pontifex Maximus) & fuit annus 1150. ut in Chronicis patet. Idque Valentinus Forſterus in vitis dictorum Juriſconſultorum confirmat ex tumulo ipſius Gratiani, qui Bononiæ, ut dictum eſt, extat. Alia quoque ſcholia vetuſtiora apud Antonium Auguſtinum ad marginem ſic annotarunt: *Non currebat hic annus* (nempe. 1105.) *tempore Gratiani; cum & ipſe inſeruit huic operi capitula Innocentii II. qui paulò præceſſit Alexandrum contemporaneum Gratiani*. Unde à Correctoribus Romanis poſt Democharem & Contium, eo loco, pro anno *Dominicæ Incarnationis MCLXI. Indict. IV.* qui numerus (ut dicit gloſſa) ſtare non poteſt, ſcriptum eſt *anno Dominicæ Incarnationis MCXLI. Indict. IV.* Ratio eſt, quia hæc Indictio quarta cum hoc anno MCXLI. concurrit; & inter variantes lectiones, quæ in Manuſcriptis habentur, cum nulla conſtare poſſit, illa correctio eligenda viſa eſt, quæ à vulgata lectione quàm minimùm recedit, & ſolam notarum numeralium tranſpoſitionem continet. Relinquitur ergo ut ad opus Decretorum ſe Gratianus accinxerit anno Chriſti 1127. quod Trithemius voluit, & circa annum 1141. ſecundam Partem aggreſſus fuerit, quemadmodum ſuadet §. jam laudatus Cauſæ ſecundæ q. *6. verſiculo ego Anſelmus*: anno verò 1150. volumen totum perfecerit, ſecundum Huguccionem; & anno demum 1151. ediderit, quæ communis eſt ſententia.

p Dialogo 9.

5. Gratiani Decretum cum honore exceptum. V. Sunt qui ſcribant hoc Decretorum volumen, Eugenio III. Pontifici oblatum, adeoque illi gratum fuiſſe, ut eo comprobato, Gratianum Cluſinæ Eccleſiæ, patriæ ſcilicet ſuæ Epiſcopatu donaverit. Hoc

certè

certè opus tam avidè in ſcholis ubique exceptum fuit, ut ejus autor *Magiſter κατ' ἐξοχὴν* dictus, ſummam in decidendis cauſis autoritatem habuerit. Itaque qui ejus volumen ita edidiciſſent, ut aliis prælegere poſſe viderentur, *Baculo*, velut quodam doctrinæ haud vulgaris indicio, donari cœperunt: qui uſus ex Longobardorum moribus fluxiſſe putatur: ſic Doctorum titulo cohoneſtabantur, & à *Bacillo* vulgò *Bacillarii* vocabantur. Hunc morem tum primùm Bononiæ inſtitutum, à Parienſibus, ubi tum decreta & ſummulæ docebantur, fluxiſſe alii exiſtimant, in quorum vetuſtis conſtitutionibus Bacillarios ajunt nominari. Sed poſtmodùm aucto Doctorum numero, alia promovendorum Doctorum ratio introducta eſt: interjectuſque, medius inter Bacillarios ſeu Baccalarios & Doctores ſive Magiſtros, gradus Licentiatorum; qui ſic dicti à Licentia docendi eis publicè conceſſa. Ceterùm non deſunt qui Gratianum ab Eugenio III. Lutetiam miſſum, atque in hac regia urbe jus Pontificium docuiſſe memorent.

CAPUT IV.

De Autoribus quorum Centones in opus ſuum contulit Gratianus.

I. DECERPTUM eſt hoc opus ex quintuplici præſertim ſcriptorum genere. Primò quidem ex aliquot *Sacræ* SCRIPTURÆ locis per ſe laudatis, præter ea quæ ſparſa occurrunt per cætera omnia Capita. II. Ex *Canonibus* qui vocantur APOSTOLORUM. III. Ex CONCILIIS fermè 105. œcumenicis, nimirum novem prioribus (connumerato Trullano, ſive Quiniſexto) Topicis verò, ſeu particularibus circiter ſex ac nonaginta. IV. Ex DECRETIS, aut *Decretalibus* (partim indubitatis, partim dubiæ fidei) Epiſtolis Romanorum Pontificum ſeptuaginta & octo. V. Ex operibus Græcorum, Latinorumque PATRUM, & Autorum *Eccleſiaſticorum* ſex & triginta. Præterea ex tribus *Pœnitentialibus*: itemque ex *Codice Theodoſiano*; Paulo, & Ulpiano *Juriſconſultis*, & *Corpore Juris Civilis* à Juſtiniano compoſiti, *Regumque* Francorum *Capitularibus*, atque Imperatorum aliquot *Reſcriptis*; imò & ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Pontificali*, *Geſtiſque* Pontificum Romanorum, *Libro Diurno*, & *Ordine Romano*.

1. Unde Centones ſuos deſumpſerit Gratianus.

II. Horum omnium Catalogum in Claſſes quinque diſtributum Boetius Epo collegit, Lib. 2. de Jure ſacro. Extat & Canonum ex Conciliis deſumptorum Index, quo unumquodque caput ad ſuum locum refertur, ad calcem veterum Gratiani editionum: ſed eum in recentioribus editionibus omiſere Typographi.

2. Autorum hujuſmodi Catalogus unde petendus.

III. Verùm pleniori Indice, Petrus Guenois ſub finem Corporis Juris Canonici in Editione Pariſienſi ſub inſigni Navis anno 1618. emiſſa, omnes Canones, quoad potuit, ad ſuos retulit autores. Sed, ut verum fatear, hæc res, ſi quis eam accuratè implere velit, longè majoris eſt ac difficilioris operæ: nec cujuſvis eſt eam aut adhibere, aut etiam æſtimare.

3. Locupletior Index in editione Pariſienſi anni 1610.

Digitized by Google

mare. Et quod attinet ad ſacræ Scripturæ loca in juris Canonici libris paſſim allegata, ſæpè & explicata, eorum Indicem ſub titulo *Concordantiæ*, initio, ni fallor, ſuperioris ſeculi, Joannes Nivicellenſis Abbas contexuit: quod quidem opus non exiguam utilitatem afferre poteſt ad pleraque ſacrorum Codicum, juxtà ſummorum Pontificum, & Eccleſiæ Patrum mentem, intelligenda.

CAPUT V.

De Partibus Decreti Gratiani.

1. Rerum apta Diviſio quanti momenti.

I. DIVISIONIS commodè inſtituendæ peritiam tanti Socrates faciebat apud Platonem in Phœdro, ut profiteri ſolitus eſſet eum ſe pro Deo habiturum, qui noſſet rem univerſam ſuas in partes rectè, exactèque dividere.

2. Præſertim in Iure.

a Libro 1. de orat.

II. Quod ad Juris tractationem attinet, eam P. Craſſus apud Ciceronem [a] in recta Diviſione conſtituiſſe videtur; ait enim: *Si quis effeciſſet ut primum jus omne in genera digereret, deindè eorum generum quaſi quædam membra diſpertiret, tum propriam cujuſque vim definitione declararet, perfectam nos artem juris habituros.*

3. Gratiani Diviſio.

b In §. ult. Inſtit. de jur. nat. gent. & civili.

III. Secundum hanc rationem videri poteſt Gratianus genera ſumma Juris Pontificii ſatis aptè conſtituiſſe, Perſonas, Cauſas & Res Eccleſiaſticas. Cum enim ex Juſtiniano [b] Jus omne ad tria imprimis pertineat, Perſonas ſcilicet, Res, & Actiones ſive Judicia, Gratianus in Prima Parte, quam *Diſtinctiones* nominavit, de jure ipſo in genere, deque Epiſcopis & Clericis: in II. quam *Cauſas* appellavit, de judiciis & negotiis ſacri fori; in III. denique, quæ vocatur *de Conſecratione*, agit de rebus & ritibus ſacris.

In membris quoque ſeu capitibus illorum generum idoneè partiendis non parum laboravit, ne quaſi ſcopas diſſolutas nobis obtruderet; ſed eum ordinem ſervaret, qui cuivis non nimiùm moroſo ſatisfacere poſſet. Hæc ſingula ex ipſius Autoris ac veterum interpretum mente, paulò accuratiùs perſequenda videntur. De hac certè materia fusè diſſeruere, præter antiquos Gloſſographos, Archidiaconus, Dominicus Geminianus, Præpoſitus, S. Antoninus, Joannes à Turre cremata.

4. Cur Diſtinctiones, & Cauſæ à Gratiano ſic dictæ.

IV. Porrò DISTINCTIONES auctor noſter idcircò vocavit, opinor, ſectiones Primæ ac Tertiæ Patris, quòd in id imprimis incubuerit, ut diſcordiam, quæ inter varios Canones apparebat, adhibitis diſtinctionibus componeret. Secundæ autem Partis ſegmenta CAUSARUM nomine deſignare maluit, quòd in ea Cauſas & Quæſtiones controverſiarum ſub Eccleſiaſticam Juriſdictionem cadentium tractaret.

C. A-

CAPUT VI.

De Ordine Primæ Partis.

1. Primæ hujus partis ſumma Diviſio ex Ipſo Gratiano.

I. PRIMÆ Partis ordinem explicat ipſe Gratianus non uno loco. Primò quidem ſtatim in ſumma ſeu principio Diſtinctionis 1. ait *Humanum genus duobus regi, naturali videlicet jure & moribus*; quæ duo confundere videtur cum Jure Divino & Humano ſeu Conſtitutionis: quaſi hæc inter ſe non differant. Subjicit aliam eſſe diviſionem in jus Naturale, Gentium & Civile. Tum verò in tertiæ diſtinctionis principio, Conſtitutionem oſtendit *aliam* eſſe *Civilem*, *aliam Eccleſiaſticam*: ac deinde utriuſque partes ſive ſpecies proſequitur ad extremam Diſtinctionem 20. Tum in principio Diſtinctionis 21. ita loquitur: *Decretis ergo Romanorum Pontificum, & ſacris Canonibus Conciliorum, Eccleſiaſtica negotia, ut ſuprà monſtratum eſt, terminantur. Miniſtri verò ſacrorum Canonum & Decretorum Pontificum ſunt ſummi Pontifices, & infrà Præſules & reliqui ſacerdotes.* In principio verò diſtinctionis 13. adjicit: *Breviter quæ inter Eccleſiaſtica officia ſit differentia, monſtravimus: Nunc à ſummo Pontifice incipientes, & uſque ad ultimum gradum deſcendentes, qualiter quiſque eorum debeat ordinari, Sanctorum autoritatibus oſtendamus.* Denique in fine Diſtinctionis 101. *Hactenùs*, inquit, *de Electione & Ordinatione Clericorum Catholicorum tractavimus: nunc ad Simoniacorum ordinationes tranſeamus.*

2. Partis hujus ſumma Capita duo.

II. Ex his patet, ſpectata materia, totam hanc Primam Partem ad duo ſumma capita referri poſſe, ad Juris Canonici generalia Principia, & ad Perſonas Eccleſiaſticas: Hujus poſterioris membri duo tractatus diſtinguendi videntur; alter de Ordinatione Clericorum, atque Epiſcoporum; alter de Hierarchia propriè dicta & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ gradibus: & ſic tripertita Diviſio conſurgit, in tractatus de Jure in genere, de Clericis atque Epiſcopis Ordinandis, & de officio Pontificum.

3. Interpretum alia partitio.

III. Vulgus Interpretum hanc Primam Partem in ſeptem membra partitur: Primum de *Juris* ipſius Elementis: Secundum de origine atque *Officio Miniſtrorum* Eccleſiæ: Tertium peculiariter *de Officio Epiſcopi*, idque potiſſimùm juxtà S. Pauli præcepta tredecim, ſicut à noſtris numerantur, ex Epiſtolis ad Timotheum & ad Titum: Quartum de nonnullis *Impedimentis Ordinum* Eccleſiaſticorum, tum ſuſcipiendorum, tum exercendorum: Quintum *de ratione conſtituendorum Miniſtrorum* Eccleſiæ, ac præſertim Epiſcoporum: Sextum de illis tredecim *Regulæ Paulinæ præceptis*, quæ iterùm per Anacephalæoſin refricantur: Septimum *de Poteſtate Pontificis Maximi*, & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ præſtantia. Verùm ex his ſeptem membris, intermedia quinque nihil aliud ſunt, quàm particulæ ſecundi membri, nimirùm de Perſonis Eccleſiaſticis.

4. Partis primæ Tractatus primi, ſeu Diſtinctionum 20. priorum materia.

IV. Itaque priori Primæ hujus Partis tractatu, viginti nempe primis Diſtinctionibus, quæ veriùs prolegomena ſunt totius Decretorum operis, Juris Pontificii Elementa Gratianus complectitur; ejuſque etymon

mon ac generales diviſiones, cum harum ſubdiviſionibus explicat. Generales autem Juris Diviſiones tres proponit, duas quidem diſtinctione 1. alteram in *jus Divinum & Humanum*; alteram in jus *Naturale*, *Gentium & Civile*: Tertiam addit diſtinctione III. in Eccleſiaſticum, ſive *Canonum*, & Civile ſeu *Seculare*. Sed Divinum jus cum naturali, uti antè annotavimus, confundere videtur: quod *diſt.* 5. commendat ab antiquitate & immutabilitate; *diſt.* 8. *&* 9. à præcellentia ſeu dignitate; *diſt.* 13. *&* 14. ex eo quòd diſpenſationem non admittat. Cui tractationi inſerti ſunt excurſus de Quadrageſimæ jejunio *diſt.* 4. de purgatione puerperæ, *diſt.* 5. deque noque nocturnis illuſionibus, *diſt.* 6. Juris autem Civilis Partes proſequitur *diſt.* 2. Prætereà Jus Humanum diſtinguit in *ſcriptum*, ſeu Legem, de qua *diſt.* 4. *&* 7. diſſerit; & in *non ſcriptum* ſeu conſuetudinem propriè dictam, quò pertinet *diſt.* 8. & ſeqq. ad 12.

Porrò Eccleſiaſticæ Conſtitutiones, quæ generali nomine Canones vocantur, aliæ ſunt *Statuta Conciliorum*, ſive univerſalium, ſive Provincialium, quò ſpectat *diſt.* 15. cum ſeqq. ad 18. aliæ ſunt *Decreta Summorum Pontificum*, de quibus *diſt.* 19. aliæ denique expoſitiones & *Sententiæ Patrum*, de quibus *diſt.* 20.

5. Partis 1. alter tractatus generalis.

V. Secundus Tractatus, qui ab ipſo autore *poſt can.* 6. *Cauſæ* 1. *quæſt.* 7. & ſub Canone *conſtat* 19. *de conſecrat. diſt.* 4. vocatur *Tractatus Ordinandorum*, à 21. diſtinctione ad 101. & ultimam. Agitur in eo de *Miniſtris* Eccleſiæ, ita ut 21. *diſtinctione* cum ſequentibus ad 92. tractetur de Ordinibus, inſtitutione, atque officiis; à 93. verò *diſtinctione* ad finem, de variis Hierarchiæ ſive Juriſdictionis ſacræ gradibus diſceptatur. Et primò Perſonarum Eccleſiaſticarum ad ſingulos gradus Promotionem, & ſingulorum ordinum Officium deſcribit à 21. *diſtinctione* ad 25. Tum de virtutibus & qualitatibus, quæ in Epiſcopo ex B. Paulo, tam quod ad mores, quàm quod ad eruditionem attinet, requiruntur; quæ ſecundum Apoſtoli doctrinam in reliquis etiam Clericis, proportione habita, exiguntur per Canones.

Eadem ratione de criminibus & vitiis quæ perſonis Eccleſiaſticis maximè vitanda ſunt, à *diſtinctione* 25. ad 61. diſſeritur: quæ materia à diſtinctione quoque 81. ad 95. refricatur. Deindè ad Epiſcoporum Electionem tranſit Gratianus, deque eorum conſecratione & cæterorum itidem graduum Ordinatione loquitur, ſive de ordinandis & ordinatoribus, ut ipſe ait initio *diſtinctionis* 81. in qua deſinit ea tractatio, inchoata à *diſtinctione* 62.

Poſtremò de majoritate ſuperiorum, & de obedientia ipſis ab inferioribus ordinibus debita, ſive de Hierarchia propriè dicta agit à *diſt.* 93. in qua & ſequenti traditur Romano Pontifici, ejuſque Legato à reliquis omnibus, itemque Epiſcopo à Presbyteris, atque his à Diaconis exhibendum eſſe obſequium & honorem: *diſt.* verò 95. diſputatur quid Sacerdotibus liceat aut vetitum ſit: *96. & 97. diſt.* quod & quale ſit jus ſecularis poteſtatis in Rebus Eccleſiaſticis; denique 98. & reliquis, quæ Primatum & Metropolitanorum jura ſint, & qua ratione inſtitutæ Provinciæ Eccleſiaſticæ, explicatur.

C A-

CAPUT VII.

De Ordine Secundæ Partis Decreti.

I. POST Diſtinctiones ſequuntur CAUSÆ, quæ ſecundam conſtituunt hujus voluminis partem: ſic dictæ, quòd in ſingulis quædam facti ſpecies, ſive hypotheſis, & veluti lis aliqua decidenda proponitur, pluribus adjunctis rerum adminiculis & circumſtantiis quaſi veſtita. Hinc *Cauſa* in *Quæſtiones* Forenſibus diſputationibus accommodatas, tanquam membra præcipua in minores articulos, dividuntur: quarum in unaquaque diſcutitur certa facti circumſtantia.

1. Cauſa & Quæſtiones cur ſic dictæ.

II. Spectat igitur hæc Pars ad *Judicia* & *negotia Eccleſiaſtica*. Et quoniam, teſte Cicerone [a], judicia omnia, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt; ideò Cauſarum Gratiani bimembris partitio eſt: Nam criminalia judicia exequuntur priores Cauſæ; poſteriores verò ſunt de civilibus negotiis, quibus permixta quoque non rarò ſunt criminalia. Cur autem à criminalibus initium Cauſarum ſuarum duxerit Gratianus, ipſe conſilii ſui rationem affert in fine ultimæ diſtinctionis. Sed hanc ſecundam partem obſcuriùs à Gratiano digeſtam agnoſcit Fr. Florens, eruditus Anteceſſor Pariſienſis [b], meuſque in anteceſſura deceſſor.

2. Hæc Pars ad judicia pertinet.

a In orat. pro Cecina.

b In præfat. de meth. & auctor. Collect. Grat. & reliquar.

III. Quocircà ordinis rationem ex compluribus veteris interpretis, id eſt Gloſſæ, locis accuratè eruere idem Florens conatur; nec tamen id aſſecutus eſt, ut planam ac dilucidam hujus Partis methodum reperiret. Sæpiùs enim interrumpi ſeriem; nec modò digredi, ſed aliquando aberrare Gratianum fatetur.

3. Ordinis ratio minùs accurata videtur.

IV. Mihi tota hæc tractatio ad majora & generalia membra quatuor non incommodè reduci poſſe viſa eſt. Primò ad materiam criminalium Eccleſiæ judiciorum præcipuam, *Simoniam* nimirum: ſecundò ad *Ordinem judiciarium*, ſive formam judiciorum, præſertim criminalium; tertiò ad reliquam judiciorum exteriorum, tum civilium, tum imprimis criminalinm, materiam, quæ in plures articulos ſubdiſtinguitur, pro vario Perſonarum ſtatu & juribus, Clericorum nempè tum majorum & ſuperiorum, qui vulgò Prælati vocantur, tum Majorum ſimul ac minorum, tum etiam inferiorum ſeorſim; ac deinde Monachorum cæterorumque Regularium, qui nunc Clericorum ferè jure utuntur; denique Laicorum, quorum hodiè proprium eſt Matrimonii ſacramentum: quartò ad judicium interioris fori & Sacramentum *Pœnitentiæ*. Revocatæ ad ſua membra Cauſæ triginta ſex, totidem vocabulis, juvandæ memoriæ cauſa inventis, hic in margine indicabuntur, unoquoque Cauſæ ſuæ adſcripto: quæ voces, ſi per quinarium numerum in verſus redigantur, heptaſtichon reddunt.

4. Defenditur, & indicatur Ordo.

V. Gratianus in criminalium negotiorum perſecutione, majora minoribus præponit: undè, cum omnia crimina reſpectu *Simoniæ* pro nihilo quaſi reputentur [c], ideò de ea primùm diſputat tota Cauſa prima.

5. Tractatus, ſeu Membrum generale 1. de Simonia.

c Can. fin. 1. q. 7.

CAUSA I. *Simon.*

VI. Inde accedit ad criminum in genere perſecutionem, agitque DE ORDI-

6. Membrum

generale 2. de Ordine judiciario criminali.

ORDINE JUDICIARIO, *in criminalibus*, niſi omninò manifeſta fuerint, ſervando: quoniam nemo condemnandus eſt, niſi convictus, vel confeſſus.

C. II. Appellat.

Imprimis autem de *Appellationis* remedio, cur & quomodo interponi debeat, agitur Cauſa SECUNDA, cujus Ordinem indicat Gratianus in fine Cauſæ ſuperioris, & Gloſſa initio ipſius Cauſæ II.

Ad eundem Tractatum referuntur ſequentes quatuor Cauſæ.

Cauſa III. Spoliatus.

TERTIA, in qua præſertim *de Reſtituendis* iis qui contra jus ſpoliati; *de Dilationibus* ſive induciis, cauſiſque repellendorum Accuſatorum & Teſtium; de reorum adverſus eos exceptionibus; de loco judicii, & Purgationis Canonicæ uſu diſſeritur.

C. IV. Teſte.

De iiſdem, & maximè *de Teſtibus*, agitur Cauſa QUARTA.

C. V. Libello.

At Cauſa QUINTA *Libelli famoſi*, falſæque Accuſationis autoribus pœnas irrogat.

C. VI. Infames.

SEXTA verò *Infames*, excommunicatos, & criminum reos ſubmovet ab accuſatione, & ſuperiùs tractata ex parte refricat, de *judicibus* Epiſcoporum, & neceſſaria quandoque Purgatione.

7. Membrum generale 3. de reliqua judiciorum materia: ubi 1. de factis majorum Prælatorũ.

VII. Inde pergit autor ad RELIQUAM JUDICIORUM MATERIAM, quæ in juribus negotiiſque ac factis conſiſtit, partim extra crimen poſitis, ſed plerumque ad crimen pertinentibus: quæ ideò permixtim tractari videntur, quòd qui jus alterius Clerici, vel etiam Eccleſiæ præripit, crimine haudquaquam vacet.

Primò itaque de factis Prælatorum majorum agitur: & Cauſa SEPTIMA ac ſeqq. tribus, tractat Gratianus de *juribus* ac *delictis* Archiepiſcoporum atque *Epiſcoporum*.

C. VII. Vivens.

Hæc conſiſtunt imprimis in appetendo *Viventis* loco; eoque pertinet Cauſa SEPTIMA. In *Mutanda* ſede aut abdicanda Dignitate, deligendove *ſucceſſore*; de quo diſſeritur Cauſa OCTAVA. Tum in exercenda poteſtate ac ſacra juriſdictione *in diœceſi aliena*; quò ſpectat Cauſa NONA. Aut etiam in propria, *non ex* officio *adminiſtranda*; de quo eſt Cauſa DECIMA.

C. VIII. Succeſſor. *C. IX. Solve.* *C. X. Regendo.*

8. De communibus majorum & minorũ delictis.

VIII. Sequuntur per Cauſas quinque *Communia minorum & majorum Clericorum jura & vitia*, in proſequendis, adminiſtrandis, aut etiam acquirendis *Rebus temporalibus*.

C. XI. Cenſurã.

Cauſa enim UNDECIMA eſt de litibus, ſub pœna *Cenſuræ*, nonniſi in competenti Eccleſiaſtico foro inſtituendis.

C. XII. Teſtor.

Cauſa DUODECIMA de *diſponendis* Eccleſiæ vel propriis bonis, tam inter vivos, quàm *Teſtamento*, aliave ultimæ voluntatis ſpecie.

C. XIII. Funus.

Cauſa DECIMA TERTIA de *Decimis* & oblationibus, *funerariis* præſertim, earumque, ut & aliorum Eccleſiæ jurium, *Præſcriptione*.

Cauſa XIV. Fœnus.

Cauſa DECIMA QUARTA de repetendis rebus, & *Uſurariis* commerciis vitandis.

C. XV. Furioſus.

Cauſa DECIMA QUINTA de ignorantium ac *furioſorum delictis* excuſandis, *de Purgatione* Canonica non facilè indicenda, de *Confeſſione judiciali*, aliiſque.

9. De Monachis.

IX. Umbilicus, ut ità dicam, hujus Partis ad *Monachos* pertinet; Cauſæ nempè quinque, quæ medium in ea obtinent locum.

Cauſa

Cauſa quippè DECIMA-SEXTA eorum in Eccleſiis ſuis, & contra a- C.XVI. *Monachas.*
lias Eccleſias jura explicat, nominationis præſertim ex *Patronatu*, & ju-
riſdictionis ex *Præſcriptione*.

Cauſa DECIMA-SEPTIMA *Votorum* Monaſticorum obligationem C.XVII. *Occidit.*
ſpectat, pœnamque ejus qui *Clericum* vel Monachum occidit aut *percutit*.

DECIMA-OCTAVA Abbatis electionem tractat. C.XVIII. *Abbatis.*

DECIMA NONA Clericorum *Regularium* in clauſtra ſeu Monaſteria
tranſitum. C. XIX. *Clauſtra.*

VIGESIMA *Profeſſionis* libertatem; quæ *Voluntaria* omninò eſſe C.XX. *Volentes.*
debet.

X. Sequentibus ſex Cauſis differit autor noſter, maximè de *In-* 10. *De Clericorũ & Laicorum communibus delictis ac juribus.*
feriorum, non ſolùm Clericorum, ſed etiam *Laicorum delictis &*
juribus.

Nam VIGESIMA-PRIMA Cauſa adſtruit *Aſſiduitatem* Clericorum C. XXI. *Commendat.*
in Eccleſiis ſuis, niſi fortè *commendatam* quis habeat, in altera
intitulatus: & *ſecularia* negotia, indumenta, atque judicia ipſis
interdicit.

In VIGESIMA-SECUNDA jubetur ſervari *jusjurandum*, & jurata C.XXII. *Iurant.*
ſuperioribus Obedientia.

In VIGESIMA-TERTIA Laicis *Militia* in bello juſto permittitur; C. XXIII. *Pugnas.*
vindicta publica *Magiſtratibus*, etiam in cauſis hæreſeos.

In VIGESIMA-QUARTA inutilis pronunciatur ab Hæreticis pro- C. XXIV. *Hæreſis.*
lata *Excommunicatio*; contrà in hæreticos, etiam poſt mortem non
inutilis.

In VIGESIMA-QUINTA *Privilegiorum* autoritas *violari* prohibe- C. XXV. *Violatas.*
tur; & abrogatio quatenùs valeat, expenditur.

In VIGESIMA SEXTA vetantur *Sortilegia* quævis, excommunica- C.XXVI. *Sortilegus.*
tionis pœna propoſita: Excommunicati autem *reconciliatio*, Presbyte-
ro non permittitur niſi cogente neceſſitate.

XI. Cauſæ reliquæ ad MATRIMONIUM ſpectant, cujus Impedi- 11. *De Matrimonio ejuſque Impedimentis.*
menta imprimis in illis expenduntur.

Cauſa nimirum VIGESIMA SEPTIMA *Votum* caſtitatis, quo *Sponſæ* Cauſa XXVII. *Sponſis.*
Dei ſemel devinctæ humanis nuptiis profanari vetantur; indicto, ſi ſim-
pliciter voverint, anathemate; ſi ſolenniter, divortio; quod tamen ex
poſteriori voto locum non habet.

Cauſa VIGESIMA-OCTAVA *Infidelitas* unius è conjugibus, certis C. XXVIII. *Infidis.*
caſibus cauſam ſolvendo conjugio præſtat; ſed longè magis Matrimo-
nium prius cum altera perſona: nam & Bigamus cenſetur, qui unam
ante Baptiſmum duxit, alteram poſt Baptiſmum.

Cauſa VIGESIMA-NONA, ob ſtatus ſervilis in conjuge ignoran- C. XXIX. *Serviat.*
tiam, & generaliter ob *Errorem* circa perſonam, inutile fieri conju-
gium oſtenditur.

TRIGESIMA Cauſa tractatur impedimentum ex *Aſſinitate*, ſeu Co- C.XXX. *Infans.*
gnatione *ſpirituali* ortum, ob *Infantem*, aut Neophytum in Baptiſma-
tis ſacramento oblatum ſive ſuſceptum: itemque ex *Clandeſtina* deſpon-
ſatione, ex qua tamen non ſolvebatur olim conjugium.

Cauſa TRIGESMA-PRIMA *Adulterium* cum ea quæ ducenda pro- C. XXXI. *Mœcha.*
ponitur, impedimento Nuptiis eſſe docetur, niſi poſt peractam pœ-
niten-

nitentiam: alioqui *Secundæ Nuptiæ*, ob fornicationis periculum, permittuntur; & libera eſſe jubentur etiam *filiarum familias* Matrimonia: nec tamen Sponſaliorum fides à parentibus data facilè infringi debet.

C.XXXII. *Coit.* Cauſa TRIGESIMA-SECUNDA oſtenditur nullum ex *meretricia* mulieris vita ineundis cum ea nuptiis impedimentum inferri; & incontinentiæ cauſa ductam, nihilominùs uxorem eſſe habendam: ac licèt voluntarius conjugis, vivente conjuge, concubitus cum alia perſona adulterium cenſeatur; ſi tamen poſt Matrimonium ſequatur, non ad ſolvendum ejus vinculum, ſed tantùm ad *Thori ſeparationem* valere pronunciatur.

C. XXXIII. *Mente.* Cauſa TRIGESIMA-TERTIA probat *Impotentiam* coeundi dirimendo penitùs conjugio locum facere; deque adulteræ pœnitentia loquens, demonſtrat, licèt *Mente* præcipuè peccetur, non ideò ſola cordis contritione deleri peccatum ſine confeſſione: qua occaſione inſeritur hoc loco tractatus de POENITENTIA. Poſteà de *conjugali* debito diſputatur; & de continentiæ voto, nonniſi ex mutuo conſenſu à conjugibus emittendo.

Cauſa XXXIV. *Dubitans.* Cauſa TRIGESIMA-QUARTA *Dubium de morte conjugis* obeſſe nuptiis cum alia perſona contrahendis tradit: nec ſufficere ad novas nuptias, ſi conjux poſt diuturnam abſentiam mortuus credatur; ſed ad reverſum eſſe redeundum.

C.XXXV. *Gradibus.* Cauſa TRIGESIMA-QUINTA intra *Gradus* definitos oriri docet Impedimentum conjugiis *Cognatorum*, atque *Affinium*; & quomodo computandi *Gradus* ac probandi ſint: nec modò inceſtuoſis pœnam infligi, ſed & natos ex inceſtu abdicari debere.

C. XXXVI. *Raptorem.* Denique Cauſa ULTIMA quatenus crimen *Raptus* matrimonium cum Raptore impediat, diſſeritur.

12. *De Pœnitentia.* XII. Quod attinet ad Tractatum DE POENITENTIA, qui, ut paulò antè diximus, Cauſæ 33. quæſtioni tertiæ inſertus eſt, is ſeptem Diſtinctionibus conſtat: in *Prima Diſtinctione* perpenditur vis *Contritionis*.

In II. *Charitatis* per peccatum amiſſio, quæ iterari pœnitentiam cogit: qua de re in TERTIA quoque agitur.

In IV. autem quæritur an peccata per pœnitentiam dimiſſa *redeant*. In V. agitur de *Pœnis ſatisfactoriis*, prudentis Sacerdotis arbitrio imponendis. In VI. probatur Confeſſionem peccatorum *apud proprium Sacerdotem*, aliumve ipſius conſenſu, obeundam. Tandem in VII. Pœnitentiam *inſtante Morte* ſuſceptam, fructuoſam eſſe poſſe.

13. *Cur Tractatus de Matrimonio, inſeratur Pœnitentiæ tractatio.* XIII. Cur hunc de Pœnitentia tractatum conjunxerit Gratianus cum Tractatu de Matrimonio, cauſa duplex imprimis affertur. Altera, quòd ex priſcorum Canonum ſeveritate non ſoleret publicam pœnitentiam agentibus conjugium permitti; altera quòd ea pœnitentia non facilè matrimonio conjunctis, niſi utriuſque conſenſu, indiceretur.

14. *Cur in 2. Parte agatur de Matrimonio & de Pœnitentia.* XIV. Hæc autem duo Sacramenta idcircò in hac *Secunda Parte* ſeorſim ab aliis eſt executus auctor, quia de priori ſæpè in exteriori Eccleſiæ foro controverſiæ oriuntur: in poſteriore autem judicium Eccleſiæ interius exercetur. Quapropter utrumque rectè ad judicia Eccleſiaſtica

refer-

refertur: cum reliqua extrajudicialia ſint, atque ad res ſacras extra controverſiam ferè poſitas, magis pertineant.

XV. Illud animadverti oportet, quòd Romani Correctores poſt Antonium Contium, initio quæſtionis tertiæ, Cauſæ Trigeſimæ tertiæ annotarunt, Partitionem tractatus *de Pœnitentia* in Diſtinctiones ſeptem, non ab ipſo eſſe Gratiano; ſed ibi omnia uno ductu ab eo ſcripta: quod & Antonius Auguſtinus indicat [d]. Et verò in antiquis Decreti exemplaribus nulla eſt diſtinctionum ſeparatio: in aliquibus adſcriptum eſt in margine *diſtinctio* 1. *diſtinctio* 2. *&c.* Qui ergo ſecuti ſunt, eam Tractationem, quòd prolixior eſſet, in ſeptem diſtinctiones diviſerunt. *15. Tractatus de Pœnitentia ſine Diſtinctionibus à Gratiano compoſitus.* d Lib. priori de emendat. Grat. dial. 18.

XVI. Notandum præterea dubium eſſe an Cauſarum in Quæſtiones diſtributio ipſius autoris ſit. Extabat quippe in Illuſtriſſ. quondam Franciæ Cancellarii, Petri Seguerii Bibliotheca, Decreti exemplar anno 1480. Venetiis editum, in quo Cauſæ, abſque ullis Quæſtionum titulis, in Canones tantùm diviſæ reperiuntur. Unde probabile fit non Gratiani eſſe hanc partitionem; ſed ab alio adjectam, qui ſecutus ordinem Quæſtionum in principio cujuſque Cauſæ propoſitarum, Canonibus ad Quæſtionem unamquamque ſpectantibus præfixit Quæſtionis titulum & numerum. *16. De Cauſarum in Quæſtiones partitione.*

XVII. In ordine autem Quæſtionum quibus conſtat Cauſa XVI. differunt inter ſe editiones. Etenim in Veneta illa, & aliis pleriſque, Canon *admonemus*, Canon *præcipimus*, Canon *nullus*, Canon *nam qui Deo*, poſiti ſunt ſub Quæſtione II. poſt Canonem *viſis*, ante Canonem *ſtatuendum*. Eoſdem autem Canones quædam Editiones collocant poſt Canonem *ſtatuendum*, atque ex illis tertiam componunt Quæſtionem: aliæ prorſus omittunt. Præterea Canon ſive §. *tales*, in Veneta editione conjungitur cum prædicto Canone *ſtatuendum*: in recentioribus autem ab illo §. *tales*, incipit Quæſtio quinta, inter ſecundam & tertiam Quæſtionem interpoſita: ordine, ſi numerorum ſeriem attendas, ſanè præpoſtero: at ſi materiam Canonum ſub ea Cauſa comprehenſorum ſpectes, idoneo, & menti autoris reſpondente; qui pro quinta Quæſtione initio Cauſæ propoſuerat, quod ibi diſputatur, an Epiſcopus novæ Capellæ vel Eccleſiæ, in ſuo territorio ab alio ædificatæ, conſecrationem & juriſdictionem ſibi vindicare poſſit. *17. De Ordine diverſo Cauſæ XVI.*

CAPUT VIII.

De Ordine Tertiæ Partis Decreti.

I. TRIUM ſummorum generum, ad quæ univerſum Gratiani opus revocari diximus, Tertium conſtituunt Res Sacræ, atque ad cultum divinum pertinentes. Hæ diſcutiuntur in tertia & ultima Parte, quæ inſcribitur DE CONSECRATIONE, quòd ab ea tractatione incipiat. Quinque Diſtinctionibus hæc Pars abſolvitur: cujus connexionem cum ſuperiori, & ſeriem, tradit gloſſa in Summa primæ *1. Reſricatur generalis Ordo totius Decreti.*

Diſtinctionis; ejuſque verba à Franciſco Florente Anteceſſore referuntur. Nobis ſatis erit, ſi indicaverimus autorem, cum in I. Parte de Ordinis Sacramento dixiſſet, quo Eccleſiæ Miniſtri Deo addicuntur, deque ſacra Unctione pauca delibaſſet: in II. Parte egiſſe de Sacramentis Matrimonii & Pœnitentiæ; quæ ad judicia Eccleſiaſtica ſpectant: in hac III. Parte, reliqua Sacramenta Eccleſiaſtica exponenda ſuſcepiſſe: quæ neque ad forum, ſive exterius, ſive interius, neque ſpeciatim ad Eccleſiaſticas perſonas ſpectare videntur.

2. Ratio ordinis Tertiæ Partis. II. Horum Sacramentorum digniſſimum procul dubio eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quo nihil majus habere poteſt Eccleſia, & quod per Miſſæ ſacrificium, non paſſim & ubique, ſed certis ac deſtinatis locis, atque in id ſolenni conſecratione præparatis, peragitur.

3. Materia Diſtinctionis I. III. Idcirco DE CONSECRATIONE *Eccleſiarum atque Altarium* primùm agit Gratianus: eſtque hæc Primæ Diſtinctionis materia.

4. Diſtinctionis II. IV. Deinde in Secunda Diſtinctione de auguſtiſſimo *Euchariſtiæ* Sacramento & Sacrificio Corporis Chriſti, ſive Miſſa differit.

5. Diſtinctionis III. V. In Tertia de *Feſtis* diebus, quibus ſanctiſſimum hoc Sacrificium frequentare fideles tenentur.

6. Diſtinctionis IV. VI. In Quarta de Sacramento *Baptiſmi*, quod licèt tempore præcedat, attamen dignitate cedit.

7. Diſtinctionis V. VII. In Quinta de Sacramento *Confirmationis*, quod Baptiſmum ſubſequitur; deque cæteris ad cultum Dei ſpectantibus, divinis nempe *Officiis*, *Jejuniorum* obſervatione, *Sanctorum* ſacrarumque *Imaginum* veneratione, ac denique de ſanctæ & individuæ *Trinitatis* ſervanda præ omnibus fide; quæ Religionis Chriſtianæ eſt fundamentum.

8. Cur pauca de ſuo protulerit in hac Parte Gratianus. VIII. Id cum gloſſa hoc loco videtur obſervandum, Gratianum in hac ultima parte, quæ & omnium breviſſima eſt, minùs quàm in prioribus duabus paragraphos ſuos, & in his ſolutiones ſeu *Conciliationes Canonum* interſeruiſſe; nec niſi bis in hoc toto tractatu eam methodum ſecutum eſſe, nempe poſt Canonem *Solent plures*, 50. diſt. 1. & poſt Canonem *Mulier*, 20. diſt. 4. Cujus rei hanc rationem ſubjicit eadem gloſſa, quòd de Sacramentis ſobriè loquendum ſit, in quibus etiam vera loqui periculoſum.

CAPUT IX.

De Diſtinctionum & Quæſtionum numero, ac Diviſione.

1. Cur hæc noſſe conveniat. I. UT hæc omnia meliùs intelligantur, è re futurum videtur, ſi poſt generalem totius voluminis partitionem, membrorum cujuſque partis, id eſt tam Diſtinctionum, quàm Cauſarum & Quæſtionum quibus Cauſæ conſtant, numerum & diviſionem indicaverimus. Quamvis enim hæ obſervationes ad percipiendam Canonum doctrinam non omnino neceſſariæ videantur: Scientiam tamen Canonicam profitenti, hu-

hujuſmodi etiam minutias ignorare turpe fuerit: & ſunt in his quæ ad ipſam diſciplinam nonnihil conferunt.

II. DISTINCTIONES omnes, quæ, tam in prima parte, quàm in ſecunda ſub tractatu de Pœnitentia, & in tertia parte de conſecratione, occurrunt, numerum 113. efficiunt. *2. Numerus Diſtinctionum totius operis.*

III. Cauſarum quæſtiones (dempta trigeſimæ tertiæ Cauſæ Quæſtione tertia, quæ nihil aliud continet, quàm Diſtinctiones de Pœnitentia) ſunt 172. Idque hoc diſticho in memoriam revocari poteſt: *3. Numerus Quæſtionum Secundæ Partis.*

Quæſtio centuplex, & ſeptuageſima duplex
Eſt in Cauſarum tractatu ritè notata.

IV. Quot autem quæſtionibus conſtent ſingulæ Cauſæ, oſtenditur per quinque ſequentium verſuum Vocabula ſex & triginta, quot nempe ſunt Cauſæ. *4. Numerus Quæſtionum cujuſque Cauſæ.*

I.	II.	III.	IV.	V.
7	8	11.	6	6
Tempora	*labuntur*	*Vernantibus*	*indita*	*formis.*

VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.
5	2	5	3	3	3	5	2
Dives,	*te*	*cadit*	*res*	*tua,*	*ſic*	*miſer*	*es*

XIV.	XV.	XVI.	XVII.	XVIII.	XIX.	XX.	XXI.
6	8	7	4	2	3	4.	5
Sperne	*fluentia,*	*reſpice,*	*cras*	*ea*	*non*	*tibi*	*ſumes*

XXII.	XXIII.	XXIV.	XXV.	XXVI.	XXVII.	XXVIII.
5	8	3	2	7	2	3
Multa	*recondis,*	*cur?*	*ut*	*moriens*	*ea*	*des*

XXIX.	XXX.	XXXI.	XXXII.	XXXIII.	XXXIV.	XXXV.	XXXVI.
2	5	3	8	5	2	10	2
Da	*celer:*	*eſt*	*ſiquidem*	*tutum,*	*da*	*præveniens*	*te.*

Quælibet dictio Cauſam unam deſignat; prima nempe dictio primam Cauſam; ſecunda ſecundam, & ſic deinceps. Quot autem literis conſtat quæque dictio, tot Quæſtiones ſunt ſub Cauſa cui ea dictio reſpondet.

Sunt & alii quinque verſus, omnes hexametri, in eumdem uſum conſcripti: quos qui volet, in multis editionibus inveniet. Alterutri poſſunt ſtudioſis ſufficere.

V. Decreti Diſtinctionibus, & Quæſtionibus nulli à Gratiano præfixi ſunt Tituli, ſive Rubricæ, quibus cujuſque argumentum & materia ſummatim indicetur, quemadmodum à Juſtiniano in juris Civilis voluminibus factum fuerat, ac deinde à Gregorio IX. aliiſque, in Decretalium Compila- *5. Diſtinctionum & Quæſtionum Series ac Materia indicatur.*

tionibus. Idcircò privatorum Doctorum opera hunc defectum ſuppleri opportuit. Eam in rem in pleriſque editionibus occurrunt, Titulorum ſeu Rubricarum loco, Summulæ quædam Diſtinctionum, & Quæſtionum, ſuperſcriptæ ſingulis foliis: ſubſidio quoque eſſe poterunt, tum ſumma materiarum cujuſque Diſtinctionis & Quæſtionis, quæ ſub *Decreti abbreviati*, aut ſub *Floſculorum Decreti* nomine circumfertur; tum *Monoſticha* ſingularum itidem Diſtinctionum, Cauſarum & Quæſtionum materiam aliquatenus exprimentia: quæ opuſcula in vulgatis editionibus, poſt Gregorii XIII. conſtitutionem præfationis loco poſitam, & poſt Catalogum tum ſummorum Pontificum, tum Conciliorum, inſerta ſunt.

6. Articuli, ſive partes Diſtinctionum & Quæſtionum.

VI. Conſtant autem Diſtinctiones & Quæſtiones pleræque omnes, partim *Canonibus* (quo nomine intelliguntur generaliter Capita, ſive ſententiæ aut fragmenta, ex Conciliis, Pontificum Epiſtolis, SS. Patrum ſcriptis, atque aliis operibus, de quibus antè dictum eſt, deſumpta) partim Gratiani ratiocinationibus. Hæ vel initio Diſtinctionis aut Quæſtionis ponuntur, & vocantur *Principia* vel *Summa*, quòd rei tractandæ ſummam ferè contineant; vel Canonibus conciliandis interſeruntur ac ſubjiciuntur. His ratiocinativis & conciliatoriis locis nomen *Paragraphorum* eſt attributum: atque hinc fit, ut longiores Canones, non tam in paragraphos, exemplo Civilium legum, aut etiam Decretalium, diſtingui ſolerent; quàm in *Verſus* ſeu *Verſiculos*: quo vocabulo ſectiones quoque Gratiani ſolutionum ſive paragraphorum indigitantur. Verùm nova editio omnia hæc meo ſtudio, ductu, atque opera, emendavit.

7. Numerus Canonum totius Decreti.

VII. *Canonum verò*, qui in toto Decretorum corpore continentur, ſi quis numerum tenere cupiat, memoriæ mandet hoc Baptiſtæ de S. Blaſio Diſtichon.

Si numeres cautè, ter mille Capitula, Lector,
Atque decem novies Decretum continet in ſe.

Sunt ergò Canones ſive Capitula omnino 3090.

CAPUT X.

Ratio Allegandi Capita, ſeu loca Decreti.

1. Generalis in allegandis Decreti locis obſervatio, quantùm ad Diſtinctiones & Quæſtiones.

I. CUM, ut jam dictum eſt, in Decreto Gratiani, non per Libros & Titulos, quemadmodum in Partibus Juris Civilis, & in aliis Canonicis Collectionibus; neque ut in Libris Sententiarum Petri Lombardi, per Libros ac Diſtinctiones, ſervato uniformi ubique ordine; ſed diverſimoda ſectionum in Partibus ratione, diverſiſque nominibus, procedat operis diviſio: ideo in allegandis, ſeu citandis ex hoc Decreto autoritatibus, aliam ab recepta in laudandis Legibus viam Interpretes injerunt. Ex tribus itaque Decreti partibus ſic Canones laudari ſive

allega-

Digitized by Google

allegari ſolent, ut prima cujuſque Canonis ſeu Capituli vocabulo citentur, adjecto in prima quidem Parte *numero Diſtinctionis*, in ſecunda Parte indicatis *Cauſæ & Quæſtionis numeris* (quanquam Cauſæ vocabulum plerumque omittitur): ſed in tractatu de Pœnitentia mentio Cauſæ aut Quæſtionis nulla fit, Diſtinctionis tantùm *numerus* deſignatur cum adjectione de *Pœnitentia*: Quod ſimiliter in tertia Parte fit, additis vocibus *de Conſecratione*.

II. Quod ad Canones attinet, quoniam in longioribus tum Diſtinctionibus, tum Quæſtionibus, longum ac difficile eſt eos ex ſolis vocibus primis invenire, difficilius omnes memoria tenere, eoſque imprimis diſtinguere quorum idem initium eſt, ſive qui ab iiſdem verbis incipiunt, (quales multi reperiuntur): ſolent recentiores non pauci, magno Lectorum commodo, Canonis quoque citati numerum adſcribere. Res tota exemplis clarior fiet. *2. Modus citandi Canones, ſeu Capitula.*

III. Igitur ex PRIMA PARTE eſſe apparebit hanc allegationem: *Canone obitum* 16. *Diſtinct.* 61. Item ſi dicas, *Cap. Presbyteros*, vel (quod idem eſt) *Can.* 32. *diſt.* 50. Indicantur quippe Canonis ſive Capituli, prima verba, vel numerus, vel utrumque cum numero Diſtinctionis, ſine alia adjectione. *3. Exempla Citationum ex 1. Parte.*

IV. Ex SECUNDA PARTE ſic fiunt allegationes: *Can. quoties* 9. I. (ſupple Cauſa) *quæſt.* 7. Item §. *Sed hoc de peccatore, ad finem Canonis ſicut Chriſtus* 7. I. *quæſt.* I. Itemque, *Can. Sacerdotibus* 41. *verſu antè eum*, II. *q.* I. ſic deſignatur Cauſa, Quæſtio, Canon, Verſus. *4. Exempla allegationum ex 2. Parte.*

Ex *Tractatu* autem DE PENITENTIA Cauſæ XXXIII. quæſtione 3. hoc modo, *Can. perfecta*, 8. *diſt.* 3. *de Pœnit.* aut etiam, §. *illud autem Gregorii, poſt Canonem quærat hic aliquis, diſt.* 4. *de Pœnitentia*. Notatur hic quota Diſtinctio ſit, cum addito *de Pœnitentia*.

V. Ex TERTIA verò PARTE, *Can. nemo* 9. *diſtinct.* I. *de Conſecratione*, vel *Can. pervenit* 12. *verſ. aliud quoque*, *de Conſecratione diſt.* 3. adduntur Diſtinctionis numero τὰ *de Conſecratione*. *5. Exempla citationum ex 3. Parte.*

VI. Obſervandum hoc loco videtur in nullo Gratiani volumine olim Capitum ſeu Canonum numeros annotatos fuiſſe, ut obſervat Anton. Auguſtinus, *lib.* I. *de Emenda. Grat. c.* 18. Adſcripti ſuperiore ſeculo fuere numeri. Verùm aliter à Contio, aliter ab Auguſtino prædicto, aliiſque computantur. Contius quippe à principio titulorum, ſtatim numeros inchoat: Antonius Auguſtinus principium queſtionis vel diſtinctionis noluit primum caput appellare quoties verbis Gratiani conſtat: ſed numerare incipit à primo Canone. Eſt & alia varietatis cauſa, quod capita *Palea* nomine inſcripta, non numquam Contius omittit: alii ea non numerant; certè non computantur in Editione Lugdunenſi Hugonis à Porta, quæ in quarto, ut vocant, cum gloſſis à Carolo Molinæo emendatis atque abbreviatis, ejuſdemque Molinæi notis, circa dimidium ſuperius ſæculum emiſſa: apud pleroſque numerum augent hæc quoque omnia capita, quæ Paleæ titulum præferunt, de quibus paulò poſt. *6. De Numeris Canonum.*

CAPUT XI.

Quibus de Cauſis Gratianus cæteris Collectoribus potior habeatur.

1. Laudatur Gratiani diligentia non uno ex capite.

I. CREDITUS eſt Gratianus pluribus nominibus priores Collectores ſuperaſſe. Nec verò diffiteri quiſquam poteſt multùm nos ejus induſtriæ debere, quòd tot optimarum ſententiarum ſupellectilem nobis comparârit, ex omnibus penè ſcriptoribus Eccleſiaſticis ingenti labore ac ſtudio collectam; quorum etiam monumenta nonnulla temporum injuria poſteà perierunt. Etenim, teſte Auguſtino antè citato, libri primi Dialogo primo, multa affert, quæ in cæteris Collectoribus non invenias; quæ ſunt ea ſaltem, quæ poſt Burchardum & Ivonem ſunt nata: multarum quoque difficultatum idoneas adducit ſolutiones.

2. Præſtat prioribus propter ordinem rerum, Juſtinianæo haud abſimilem.

II. Tria ſunt imprimis quibus videtur reliquis præſtare. Primò quidem quòd *ordinem* ſecutus videatur, non alienum ab ordine quem Juſtinianus in Digeſtis & Codice ſuo ſervarat, quemadmodum advertit Boetius Epo [a]. Ut enim Imperator utrobique, tam civilium, quam criminalium judiciorum tractationi, partim præmiſit, partim ſubjecit quæ ad jus publicum pertinebant, incipiens à Magiſtratibus, ac tandem in fiſcalibus deſinens, aliiſque ſimilibus rerum generibus ad ſtatum Reip. ſpectantibus. Pari ratione Gratianus ab Epiſcopis & Prælatis cœpit, qui ſunt Eccleſiæ magiſtratus: finem autem operi ſuo impoſuit in tractatu de ſacramentis & Eccleſiis ac fidei myſteriis, quibus velut fundamentis publicus Eccleſiæ ſtatus continetur. Qua in re ſuperiores peccaſſe aliquatenus videntur, quòd Collectiones ſuas in ſumma Capita longè plura, & mixtura rerum longè confuſiora diviſerint; id enim non mediocre generalis partitionis vitium eſt.

[a] Lib. 2. de Jure ſacro.

3. Præſtat etiam copia rerum.

III. Deinde Gratiani volumen tertia fermè parte auctius, quàm Burchardi, aut etiam Ivonis opus, rerum Eccleſiaſticarum inſtructiorem reliquis & locupletiorem nobis penum ſuppeditat.

4. Præſtat & Quæſtionum apta ventilatione.

IV. Tertiò in hoc quoque prioribus Collectoribus præſtat Gratianus, quòd graviſſimas quæſtiones, non ſcholaſtico ſolùm, ſed & forenſi more, in utramque partem agitat: quæ diſputandi ratio ad res arduas apprimè cognoſcendas utiliſſima cenſetur.

5. Præſtat denique conciliatione Canonum.

V. Addendum id quo inter alios eminet, ſolutio nempe nodorum Juris, & Canonum, qui prima fronte ſibi invicem adverſari videntur, rectâ ferè ubique conciliatio.

6. His de Cauſis antepoſitus reliquis.

VI. Hæ præcipuæ cauſæ fuerunt, cur hæc Collectio ſuperioribus antepoſita, atque in uſum communem recepta fuerit; & cur ejus auctor, ut diximus, per eminentiam Magiſter vocetur in ſcholis Pontificii juris.

7. Gratiano, Ivonem & Burchardum præfert I. Molinæus.

VII. A communi tamen in his rebus opinione palàm diſſentit Joannes Molinæus, Decretorum Profeſſor Lovanienſis, in Epiſtola, qua Ivonis Carnotenſis à ſe in lucem editum opus Bernardo à Freſteda Philippo II.

po II. Regi Catholico à confeſſionibus nuncupavit anno 1651. Quò enim munus illud ſuum commendatius redderet, Ivonem atque Burchardum Gratiano multis partibus antecellere contendit. Ivonis certè ordinem, digeſtamque in ſuas Claſſes rerum ſilvam miratur: contrà verò Interpretes Gratiani deridet, qui in ejus opere ordinem quærunt, eo venationem aut delphinorum in ſilvis, aut aprorum in fluctibus inſtituere dictitans. Præterea libri magnitudine omnes aliorum repſodias & compilationes ab Ivone vinci aſſeverat, ne excepto quidem Gratiano, ſi modò gloſſematum mole levetur. Denique Burchardi & Ivonis in colligendis, tractandiſque Canonibus methodum probat præ Gratiani methodo, quòd illi ſimpliciſſimam, eamque (ut ipſi videtur) optimam diſcendi, docendique Juris Pontificii viam injerint, ſub convenientes titulos ſingula comportando, nihil de ſuo narrationi interjiciendo, nihil item altercationibus indulgendo: cum Gratianus non in id incubuerit, ut certam methodum ſectaretur, aut artem quampiam Juris Pontificii, eorum imitatione, conficeret: ſed ut invecta in ejus poſſeſſionem diſputatrice Academia, diverſitatem atque antimoniam Conſtitutionum Eccleſiaſticarum conciliaret; nec tam collectorem Canonum ageret, quàm diſceptatorem ac judicem. Inde factum ait, ut quod vetuſtioribus religio fuerat, Canonum texturam, interjectis propriis ſententiis, ſine exemplo abrumperet.

VIII. Hæc Joannis Molinæi adverſus Gratianum ratiocinia ſtomachum Eponi moverunt, qui libro anteà laudato fatetur quidem Gratianum anxio nimis ordinis ſtudio, & confuſionis metu, interdum in confuſionem, quam maximè fugiebat, incidiſſe: verùm id ei & raro contigiſſe, & in minoribus dumtaxat membris, non in ſummis generibus, quod præcipuum erat, conſtituendis; atque ita commoditate ordinis Ivonem à Gratiano longè ſuperari affirmat. Rerum autem ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentium copiam apud Gratianum multò majorem inveniri aſſeverat, ipſaque res docet. Addit etiam (id, quod Gratiano proprium ac præcipuum eſt), diverſos Canones ad eandem materiam ſeu rerum claſſem ſpectantes, in utramque partem ſic ab eo ventilari, ut in concordiam adducantur: hac autem velut maximè idonea tradendarum accuratè diſciplinarum ratione, Ariſtoteles imprimis, tum alii quoque veterum uſi ſunt, qui præſertim Dialogos conſcripſerunt; itemque ex poſterioribus ambo Theologiæ ſcholaſticæ Principes, Petrus Lombardus ac B. Thomas, veræ in his tractandis methodi & peritiſſimus & ſervantiſſimus. Nec verò ea docendi via priſcis Juris prudentibus, ex quorum ſententiis concinnati ſunt Pandectarum Libri, prorsùs fuit incognita. Unde apparet eam foro non minùs, quàm ſcholis eſſe accommodatam.

8. Defenditur Gratianus à Boetio Epone.

CAPUT XII.

De Mendis & Nævis Gratiani.

1. Lapſum in quibuſdam Gratianum cuncti agnoſcunt.

I. IN multis lapſum eſſe Gratianum, atque hoc ejus Decretorum opus mendis ubique haud mediocriter contaminatum eſſe, advertit imprimis S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus [a]. Id verò negari non poteſt, ut poſt Antoninum fusè oſtendit Antonius Auguſtinus, ex Ilerdenſi Epiſcopo Archiepiſcopus Tarraconenſis [b]. Taceo methodum tractandi, alienis ſua intermiſcendo: taceo & ordinis rationem, quam aliquibus diſplicuiſſe ſuprà proximo Capite oſtendimus. Ipſo in Corpore operis, eum ſæpè & variè peccaſſe omnes fatentur.

a Summ. Hiſtor. major. par. 4. tit. 11. c. 8.

b Lib. 2. de Emend. Gratiani dial. 4.

2. Errorum ipſius Cauſæ generales duæ.

II. Errorum ipſius omnium duæ generales & præcipuæ cauſæ aſſignari ſolent: Prima *ἀιςορησία*, ſeu quòd veteris Hiſtoriæ, tum ſacræ, tum prophanæ, priſcorumque rituum, aut veriùs exquiſitæ omnis literaturæ, non eam quam par fuiſſet, notitiam habuerit: Secunda, quòd pleraque Canonum ſuorum, non ipſis è fontibus Conciliorum, Epiſtolarum Decretalium, & Patrum; ſed ex anteriorum ferè Collectorum, Burchardi, Ivonis, & ſimilium rivis; imò (ſi Joanni Molinæo antè citato credimus) ne ex his quidem, ſed ex eorum compendiis hauſerit. Inde orta omnia ejus menda, tum in compilandis, tum in conciliandis Canonibus admiſſa, quorum utrumque genus ad certa capita revocare non eſt difficile.

3. Menda ex minori rerum peritia in falſis citationibus Conciliorum & Decretalium.

III. Prioris generis ſunt: primò, quòd falſa Concilia pro veris, & ſuppoſititias aut dubias Epiſtolas Decretales pro certis, & ſæpè Apocrypha pro Canonicis ac receptis obtrudat. Sic veterum Pontificum, Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri I. aliorumque ante Siricium, Decreta ubique proponit, velut indubitata. Librum Paſtoris, tanquàm Canonicum, duobus, tribusve locis; & Quini-ſextæ in Trullo Synodi Canones, quaſi Sextæ œcumenicæ ſæpenumerò laudat.

4. In citationibus aliorum operum ſpuriorum.

IV. Nec minùs peccat in Patrum ſcriptis, dum loco germanorum cujuſque operum, ſpuria ſupponit; vel falſorum titulorum fraude poſt alios deceptus, iis utitur paſſim pro genuinis quæ genuina non ſunt. Sic *Canonem, quem pœnitet 88. diſt. 1. de Pœnitentia* tribuit S. Auguſtino, quaſi autori tractatus de vera & falſa pœnitentia: quem Gratiani errorem primus advertiſſe videtur Antonius Contius.

5. In allegationibus unius Concilii vel autoris pro alio.

V. Ex poſteriori capite fluit quòd in falſis quoque Canonum inſcriptionibus ſecutus eſt non raró Burchardi hallucinationes, aut affectatos errores. Nam ejus vitio aut more, Concilia & Pontifices ac Patres, alterum pro altero citat, quemadmodum latè probat Antonius Auguſtinus: Veluti cum §. *His autoritatibus, poſt Canonem* 87. *de pœnit. diſt.* 1. *verſ. item illud*, S. Joanni Chryſoſtomo adſcribit, quod eſt S. Ambroſii, cui & ipſe id aſſignaverat *Canon.* 2. *eadem diſt.* Pari ratione, ſive Burchardi exemplo, ſive propria oſcitantia, Synodum IX. allegat pro VIII. Concilium Agathenſe, aut etiam Moguntinenſe pro Carthaginenſi; Carthaginenſe pro Chalcedonenſi; Hipponenſe pro Epaonenſi; Ilerdenſe pro Triburienſi. Clementem quoque ſupponit loco Eugenii minoris;

ris: Joannem deinde Chryſoſtomum, modò pro Joanne VIII. Papa, modò pro Chromatio. Sic etiam Auguſtinum aut Hieronymum, loco Gregorii ſubdit, aut Bedæ. Aliquando Pio, Soteri, aliiſque Pontificibus adſcribit, quæ ſunt Juliani Anteceſſoris, Concilii Toletani XI. aut Nannetenſis; vel Gregorii ſive Auguſtini. Fabiano item nonnulla Concilii Matiſconenſis; vel Concilio Ancyrano, quæ ſunt Auguſtini: & Conciliis Arelatenſibus Decreta Concilii Arauſicani vel Troſleiani. Sic Theodoſianis legibus tribuit Pauli Juriſconſulti Sententias, aut etiam Aniani; & Anacleto, quæ referenda ſunt ad Lotharium Imperatotem: quotum pleraque ſuis locis annotarunt Romani Correctores. Omitto quòd Pontificibus aſſignat Canones Synodorum ſub illis habitarum, ut obſervavit idem Auguſtinus [c].

c L.2.de Eméd. Grat. dial. 1.

VI. Fallitur præterea in *Martini* nomine, cum Decreta Martini primi Papæ in Concilio Romano apud Lateranum edita confundit cum Martini Btacarenſis Epiſcopi Capitulis Græcarum Synodorum: quò pertinent Dialogi 10. 11. & 12. lib. 2. ſæpiùs laudati Auguſtini Tarraconenſis.

6. Martinum Papam R. laudat Gratian. pro Bracarenſ.

VII. Alia quoque nomina propria multis locis invertit & vatiè corrumpit. Ex *Athanaſio* enim nonnunquam facit Anaſtaſium; ex *Leandro* Hiſpalenſi Leonardum; ex *Nicaſio* Nicolaum; ex *Vigilio* Papa Julium; Germanum ex *Gennadio*; ex *Thaumaturgo* Triſmegiſtum; Vincentium dicit pro *Juvenco*, pro *Hieremia* Hieronymum, Ignatium pro *Hincmaro*.

7. Autorum aliorum nomina pervertit.

VIII. Aliquando nullum certum autorem indicat, ut in *Can. Prima annotatio* 11. *diſt.* 16. Sæpè indicato autoris aut Synodi nomine, Librum, aut Canonis ſeu Capitis numerum omittit. Citantur & in hoc Decretorum opere Concilia quædam, quæ nuſquam exſtant, ut Canoni, ſive Paleæ *Annis ſingulis* 16. *diſtinct.* 18. præfigitur epigtaphe *in Concilio Bylon.*

8. Capita profert nullo, vel falſo autore indicato, aut imperfecte citato.

IX. Synodis & Pontificibus, qui plures eodem nomine fuerunt, ſæpè nulla adſcripta eſt numeri nota, qua poſteriores à prioribus diſtinguantur. Nam Concilium *Carthaginenſe*, *Toletanum &c.* abſolutè citat, nec adjicit quotum intelligat. Quinetiam *Synodum Romanam* nominat alicubi, non ſubnotato tempore, cum tot fuerint Concilia Romæ celebrata. *Gregorium* quoque nullo addito, non tantùm pro Gregorio I. ſive magno; ſed etiam pro tertio, vel ſeptimo nonnunquam laudat; & Joannem ſimpliciter pro Joanne VIII. Itemque Calliſtum pro Calliſto II.

9. Concilia, & Pontifices communi pluribus nomine citat, abſque diſtinctione.

X. Diverſimodè corruptos ac depravatos haud raró profert autorum locos, cum detractis, tum additis quibuſdam, ut locum Pontificalis *diſt.* 19. *Can. penult. &* 9. *quod verò, poſt Canonem 96.* 1. *q.* 1. ubi, quod Ivo Carnotenſis *Cap.* 40. *partis* 14. ex eodem Pontificali tradit, Acacium divino nutu percuſſum fuiſſe, id Gratianus (expuncta voce *Acacius*, & voce *Quia*, quæ præcedebat) tribuit Anaſtaſio II. Romano Pontifici. Contrà verò de ſuo addit nonnulla, ut *Can. ult. de pœnit. diſt.* 1. ubi textui Theodori Cantuarienſis, ſeu potiùs Concilii Cabilonenſis ſub Carolo magno habiti, addit poſt *Burchardum & Ivonem*, ſed contra fidem Capitularium, illa verba *Ut Græci*, & illa *Ut tota ferè Eccleſia*: qua de re Antonius Auguſtinus [d]. Quinetiam veris Autorum locis longiores lacinnas aſſuit, tanquam ex iiſdem petitas, ut *Can.* 3. *diſt.* 15. ad Decretum

10. Autoritates allatas non ex fide refert.

d Dialog. 18.

Syno-

Synodale Gelaſii Papæ, adjecta ſunt ex aliquo libro de divinis officiis, quæ ſequuntur poſt verſum *qui libri*: vide Auguſtinum eumdem dial. 18.

11. *Græca ex variis verſionibus affert quaſi diverſa.* XI. Græcarum Synodorum Canones eoſdem ex pluribus verſionibus poſt diverſis reponit; veluti Concilii Nicæni, Canonem 17. ex verſione Dionyſii Exigui *Can.* 1. *diſt.* 47. ex alia verò verſione priſca, *Can.* 8. XIV. *quæſt.* 4. Canonem item quartum aliàs 5. Synodi Antiochenæ, ex verſione Dionyſiana *Can.* 6. 11. *quæſt.* 3. & ibidem *Can.* 7. ex verſione Martini Bracarenſis. Canonem quoque 3. Chalcedonenſis Concilii, ex verſionibus aliquantùm diverſis *Can. ult. diſt.* 86. & *Can.* 1. IV. *quæſt.* 3. Eodem etiam pertinere videtur, quòd eundem locum ejuſdem autoris pluries repetit, veluti locum Leonis Papæ ex Epiſtola 78. aliàs 80. *Can.* 61. & *Can.* 89. *diſt.* 1. *de pœnitentia.*

12. *Iura obſoleta permiſcet cum uſu receptis.* XII. Suo jam tempore antiquata receptis aliquando permiſcet; ut obſervat B. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus [e]. *In Decretis*, inquit, *quædam ponit Gratianus, quæ non tenentur: quædam alia à Conciliis, vel ſummis Pontificibus edita, quæ ſunt revocata, ſeu immutata per conſuetudinem generalem contrariam, & abrogata.* Exemplum affert de jejunio quadrageſimæ, quod Clerici ſervare tenebantur à ſexageſima, ut obſervat Gratianus, *Canon.* 3. *& ſeqq. diſt.* 4. hodiè tamen cum laicis inchoant: videndus Antonius Auguſtinus *dial.* 6.

e Summæ hiſtor. majoris parag. 4. tit. 11. cap. 8.

13. *Alia diverſi generis, vitioſa citationes.* XIII. Autorum, quos laudat, ſententiam ſolùm exprimere contentus, verba ſæpenumerò non adducit: dicta ſive apophthegmata Patrum pro operibus ſupponit: loca ex actionibus ſeu geſtis Conciliorum, quaſi Synodorum ipſarum Canones profert: imò nulla Synodi facta mentione, quæ in ea ab aliquo ex Epiſcopis præſentibus propoſita fuerant, ſub ejus qui propoſuit, nomine citat. Summas item ſive breviationes Canonum pro Canonibus integris obtrudit: & pro Collectionibus Decretorum ſeu Capitulorum, Concilia laudat, velut Martini Bracarenſis pro ejus Collectione. Mitto quòd modò eundem Canonem, vel idem caput in plures partes & loca operis ſui procul inter ſe diſſita diſtrahit: (quod quidem ſuam quandoque habere poteſt rationem) modò autem plures Canones ſimul conjungit, & in unum congerit.

14. *Iure ergo reprehenditur à Bellarmino.* XIV. Non immeritò igitur Bellarminus in eo præſertim Gratianum reprehendi poſſe exiſtimat, quòd non habuerit delectum autorum, ex quibus Decreta collegit: adducitque aliqua loca in ejus rei exemplum. Primò in *Can. indiſtincta, diſt.* 16. ſecundò in *in Can. Adrianus*, & *Can. in Synodo, diſt.* 63. Tertiò in *Can. hæc eſt fides*, XXIV. *q.* 1. Quartò in *Can. quia ſacerdotes* I. *q.* 1. & alia quædam.

15. *In Conciliandis Canonibus erravit nonnunquam Gratianus.* XV. In conciliandis quoque Canonibus & reſponſis, ſive reſcriptis Pontificum, quæ inter ſe pugnare videntur, errores aliquos operi ſuo aſperſit: veluti cum in *principio diſt.* 13. ait, perplexo inter duo mala, id eſt, peccata, licere minus malum eligere; quaſi contingere poſſit, ut quis adeò perplexus ac dubius ſit, ut neceſſariò peccare cogatur; in quo erraſſe Gratianum Joannes Teutonicus Gloſſator eo loco advertit. Huic non abſimile eſt, quod §. *quibus autoritatibus*, *poſt Canonem* 89. *diſt.* 1. *de pœnit.* ita de oris Confeſſione differere videtur, tanquàm non ſit abſolutè neceſſaria.

XVI. Iu-

Digitized by Google

XVI. Juvat varia errorum Gratiani genera, propoſitis exemplis ex eruditiſſimo Pithæo indicare, vel potiùs confirmare: quibus non pauca in unoquoque genere loca, ex dictis, atque aliunde adjicere haud difficile fuerit. *16. Exempla errorum Gratiani ex Pithæo.*

CAPITULA IN DECRETO Gratiani,

CONFICTA.

Diſt. 19. c. 9.
Diſt. 76. c. 2.
Cauſ. XIX. Quæſt. 3. c. 8.

SINE AUTHORE.

Cauſ. XXIII. Quæſt. 8. initium c. 3.

FALSO ADSCRIPTA.

Diſt. 11. cap. 7.

CONTRARIA.

Cauſ. XXXII. Quæſt. 7. c. 17.
Cauſ. XXXII. Quæſt. 4. c. nemo.

CORRUPTA ALITER QUAM ſunt in Authenticis.

Diſt. 6. cap. 1.
Diſt. 10. c. 1. 7. 10.
Diſt. 19. c. 6. conferenda cum loco Aug. Bellarm. tom. 1. fol. 927. ubi gloſ.
Cauſ. II. Quæſt. 5. c. 18.
Quæſt. 4. c. 2.
Quæſt. 7. c. 41.
Cauſ. XVI. Quæſt. 6. c. 6.
Cauſ. XXI. Quæſt. 1. c. 5.
Cauſ. XXIV. Quæſt. 3. c. 8.
Cauſ. XXV. Quæſt. 1. c. 10. *Legibus* pro Regibus.
Cauſ. XXVII. Quæſt. 2. cap. 17. & 28.
Cauſ. XXXII. Quæſt. 7. c. 24.
Cauſ. XXXIII. Quæſt. 3.
De pœnit. diſt. 1. c. 87.

DETORTA.

Diſt. 10. c. 8.
Diſt. 96. c. 5.

MENDOSE RELATA.

Diſt. 93.
Cauſ. III. Quæſt. 5. c. ult.

OMISSA QUÆ AD REM.

Cauſ. I. Quæſt. 7. c. 16.

PRIORIBUS ADDITA ET poſterioribus.

Diſt. 81. c. 12.

ADDITA E MANUSCRIPTIS.

Diſt. 12. c. 2. & 3.
Diſt. 20. c. 3.
Diſt. 22. c. 4.
Cauſ. II. Quæſt. 1. c. 5.
Quæſt. 6. c. 34.
Cauſ. III. Quæſt. 6. c. 14.
Cauſ. VII. Quæſt. 1. c. 34.
Cauſ. IX. Quæſt. 2. c. 2.
Quæſt. 3. c. 10.
Cauſ. XXIV. Quæſt. 1. c. 34.
Cauſ. XXV. Quæſt. 1. c. 11.
De conſecrat. Diſt. 1. c. 6.

EX GLOSSA ORDINARIA quæ Patribus tribuuntur.

Diſt. 2. c. 12.
Diſt. 4. c. 10.
Diſt. 25. c. 1. 2. & 3.
Diſt. 27. c. 4.
Cauſ. II. Quæſt. 7. c. 33.
Cauſ. VII. Quæſt. 1. c. 48.
Cauſ. XXII. Quæſt. 3. c. 1. & 2.
Cauſ. XXIII. Quæſt. 4. c. 17.
Cauſ. XXIV. Quæſt. 3. c. 12.
Cauſ. XXVI. Quæſt. 5. c. 14.
Cauſ. XXVIII. Quæſt. 1. cap. 14 & 15.

Quæſt. 2.

Quæſt. 2. c. 1.
Quæſt. 3. c. 1. & 2.
Cauſ. XXXII. Quæſt. 26. c. 14.
Cauſ. XXXIII. Quæſt. 3.
De Conſecratione, multa.

EX BONIS GRÆCIS LATINA peſſima.

Diſt. 11. c. 5.
Diſt. 65. c. 9.
Cauſ. 1. Quæſt. 1. c. 21.
Cauſ. VII. Quæſt. 1. c. 45.
Cauſ. II. Quæſt. 3. c. 24.

HIERONYMI TRIBUTA Auguſtino,

Diſt. 9. c. 6.

HIERONYMI TRIBUTA Gregorio.

Diſt. 8. c. 2.

GREGORII TRIBUTA Silveſtro.

Cauſ. II. Quæſt. 6. c. 14.

CLEMENTIS TRIBUTA Lucio.

Diſt. 81. c. 19. & 20.

PROSPERI TRIBUTA Auguſtino.

Diſt. 41. c. 2.

PASCHASII TRIBUTA Auguſtino.

Cauſ. I. Quæſt. 1. c. 7.

HERMETIS TRIBUTA Auguſtino.

Cauſ. XXXVIII. Quæſt. 1. c. 6.

EX VARIIS DIVERSORUM permixta.

Diſtinct. 86. c. 3.
Cauſ. I. Quæſt. 1. c. 84.
Cauſ. II. Quæſt. 1. c. 7.
Cauſ. XI. Quæſt. 3. c. 100. & 101.
Cauſ. XIII. Quæſt. 2. c. 16.

ANTIQUORUM PONTIFICUM variè relata.

Diſt. X. c. 2. & 34.
Diſt. XI. c. 6.
Diſt. XVII. c. 4.
Diſt. XXIII. c. 13.
Diſt. XXIV. c. 1.
Diſt. XXVII. c. 8.
Diſt. XXVIII. c. 13.
Diſt. L. c. 48.
Diſt. LXXVIII. c. 1.
Diſt. LXXX. c. 1. & 3.
Diſt. LXXXI. c. 19.
Diſt. LXXXIII. c. 3.
Diſt. LXXXVI. c. 25.
Diſt. LXXXVIII. c. 1. & 2.
Diſt. XCVIII. c. 1.
Diſt. C. c. 1.
Cauſ. I. Quæſt. 1. c. 12. & c. 85.
Quæſt. 3. c. 14.
Cauſ. II. Quæſt. 1. c. 5. & c. 20
Quæſt. 3. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
Quæſt. 4. c. 14.
Quæſt. 5. c. 2.
Quæſt. 6. c. 1. 5. 6. 7. 9. 15.
Quæſt. 7. c. 5. 13. 14. 18. 23. 50. 52. 53. Quæſt. 8. c. 1. 3. 4. 5.
Cauſ. III. Quæſt. 2. c. 6.
Quæſt. 4. c. 1.
Quæſt. 5. c. 1. 2. 8.
Quæſt. 6. c. 1. 4. 5. 11. 12.
Quæſt. 8. c. 2.
Cauſ. V. Quæſt. 3. c. 3.
Cauſ. VI. Quæſt. 1. c. 9. & 13.
Cauſ. IX. Quæſt. 3. c. 4. & 13.
Cauſ. XI. Quæſt. 3. c. 20. 63. & 89.
Cauſ. XII. Quæſt. 1. c. 15.
Quæſt. 2. c. 1. 6. 7. & 10.
Cauſ. XV. Quæſt. 6. c. 3.
Cauſ. XVI. Quæſt. 7. c. 40.
Cauſ. XVII. Quæſt. 2. c. 3.
Cauſ. XX. Quæſt. 2. c. 3.
Cauſ. XXII. Quæſt. 1. c. 10.
Quæſt. 4. c. 11.
Quæſt. 5. c. 1. 3. 15.
Cauſ. XXIV. Quæſt. 1. c. 3.
Cauſ. XXV. Quæſt. 2. c. 1.
Cauſ. XXVII. Quæſt. 1. c. 3.

Cauſ.

Cauſ. XXX. Quæſt. 5. c. 2.
De Conſecr. Diſt. 1. c. 61.
Diſt. 2. c. 30.

AD EPISCOPOS GALLIÆ
quæ diverſis tribuuntur.

Diſt. 12. c. 2.
Diſt. 23. c. 21.
Cauſ. 3. Quæſt. 6. c. 17.
Quæſt. 7. c. 17.
Quæſt. 9. c. 2. 3. 11. 14. 18.
Cauſ. VI. Quæſt. 1. c. 14.
Quæſt. 4. c. 5.
Cauſ. IX. Quæſt. 2. c. 1.
Quæſt. 3. c. 5. 6. 7.
Cauſ. XI. Quæſt. 1. c. 68.
Cauſ. XXIV. Quæſt. 1. c. 9.
Cauſ. XXVI. Quæſt. 6. c. 13.
Cauſ. XXX. Quæſt. 5. cap. 11.
Cauſ. XXXV. Quæſt. 2. & 3. c. 16.
De Conſecrat. Diſt. 1. c. 60.
Diſt. 4. cap. 53.

CAPUT XIII.

De Emendatione Gratiani.

I. MEMORATA ſuperiori capite menda Gratiani à Gloſſatoribus, atque ab Antonino obſervata ex parte; à Gallis duobus, altero Theologiæ, altero Juris Doctoribus, Antonio Demochare Monchiaceno, & Antonio Contio deprehenſa & notata proximo ſeculo; paulò poſt correcta magnam partem fuerunt juſſu ac ſtudio trium Romanorum Pontificum Pii IV. & Pii V. & Gregorii XIII. qui ante Pontificatum Bononiæ jus Canonicum publicè profeſſus, deinde Cardinalis inter Correctores ſelectos manum ipſe operi admoverat. Sanè Joannes Quintinus Anteceſſor Pariſienſis in ſpeculo Sacerdotum ex Diſtinctionibus ſeu Prima Parte Decreti collecto, nonnulla emendanda advertcrat: ſed paulò luculentiùs Demochares, Pariſienſis Theologus, in prima Decreti ſui editione circa annum 1540. Gratiani errores annotaverat: plura indicavit Contius Anteceſſor Bituricenſis, aliquando & Pariſienſis, tum in Notis, tum in Epiſtolis præfationis loco præfixis Corpori Juris Canonici repurgato, quod anno 1556. edendum dederat: ſed opus illud exportatum in Belgium, quadriennio poſt, amputatis dedicatoriis Epiſtolis, mancum & lacerum Antuerpiæ prodiit, anno ſcilicet 1570. quanquam nonnulla ejus exemplaria Typographi Pariſienſis nomen præferunt. De fraude illa, deque Antuerpienſi Librorum Cenſore, qui præfationem mutilaverat, conqueritur idem Contius [a]. Verùm ejus fraudis veſtigia ſuperſunt adhuc in 2. ejus præfatione, in qua relicta ſunt quæ apertè profitebatur de apocryphis & commentitiis plurimis à Gratiano ſuæ Collectioni admixtis: quod & in Notis ad varia Juris Canonici loca [b], & in ſubſecivis lectionibus [c] ab eo repetitum. Ex quibus locis patet falli doctiſſimum Antonium Auguſtinum, qui [d] exiſtimat eas Notas eſſe Caroli Molinæi. Hic per ea quidem tempora Juris Pontificii editionem Pariſiis curaverat, nec paucas addiderat Notas: ſed hæ alterius generis ſunt, & à Contianis longè diverſæ; ut quæ ad fori Gallici uſum præcipuè ſpectent, emendando autem textui minùs inhæreant.

1. Gratiani menda qui animadverterint.

a Lectionum ſubſecivar. lib. 1. c. 10. ſub fin.

b Ad Can. ſeptuaginta, diſt. 16. ad inſcript. Can. indicantem, III. qu. 5.

c d. Lib. 2. c. 10.

d Lib. 1. de emendat. Grat. c. 20. in fine.

Romani

Romani autem Correctores Notas Contii ad Canones antè dictos omiſerunt; cautiùs ſanè, quàm ille Antuerpienſis cenſor; qui cum præfationem truncaſſet, Notas tamen illas reliquit, quibus idem ferè ac in præfatione continebatur, ut eruditiſſimus Franciſcus Florens obſervavit.

2. Gratiani errores cæteris accuratius notavit Antonius Auguſtinus.

II. Fatendum tamen eſt accuratè admodùm in erratis hujus operis animadvertendis laboraſſe jam ſæpiùs laudatum Antonium Auguſtinum Archiepiſcopum Tarraconenſem, duobus Libris in eam rem eodem tempore conſcriptis, quo huic Decretorum operi emendando incumbebant Romæ Pontifices antè memorati per delectos in id viros eruditos, qui ab ipſo ad calcem libri 1. ſic recenſentur.

INDEX SELECTORUM VIRORUM ſub PIO IV. & Pio V. *Emendationi Gratiani ab eiſdem præfectorum.*

SANCTÆ ECCLESIÆ Romanæ Cardinalium nomina.

M. *Antonius Columna*, Romanus.
Hugo Boncompagnus, Bononienſis, poſtea GREGORIUS XIII. dictus, P.M.
Alexander Sfortia, Romanus.
Guillelmus Sirletus, Calaber.
Franciſcus Alciatus, Mediolanenſis.

HIS ADDITI SUNT AB eodem PIO V.

Guido Ferrerius, Vercellenſis.
Antonius Carrafa, Neapolitanus.

DOCTORUM NOMINA.

Felix Montaltus, Generalis Ordinis S. Franciſci, poſtea Cardinalis, tandem P.M. XYSTUS V. dictus.
Chriſtophorus Tatavinus, Generalis Ord. S. Auguſtini Eremitarum.
Thomas Manricus, Ordinis Sancti Dominici, Magiſter ſacri Palatii.
Euſtachius Lucatellus, Bononienſis, poſtea Regii Lepidi Epiſcopus.
Joſephus Pamphilus, Veronenſis, Ordinis S. Auguſtini, poſtea Sacriſta Palatii, & Epiſcopus Signinius in Campania.
Franciſcus Turrianus, Hiſpanus, poſtea Societatis Jeſu.
Marianus Victorius, Reatinus, poſtea Epiſcopus Amerinenſis.
Michael Thomaſius, Majoricenſis, poſtea Epiſcopus Ilerdenſis.
Hieronymus Pariſetus, Regienſis.
Antonius Cuccus, Mediolanenſis.
Joannes Marſa, Hiſpanus.
Franciſcus Leo, Hiſpanus, poſtea Societatis Jeſu.

ADDITI SUNT.

Melchior Cornelius, Luſitanus.
Latinus Latinius, Viterbienſis.
Arnaldus Pontacus, Gallus.
Petrus Ciacconius, Hiſpanus.
Franciſcus Pegna, Hiſpanus; cujus ſunt additiones Decretalium ſine nomine, quia Templum Dianæ incendiſſe viſus eſt.

SEQUENTES TANTUM A PITHÆO nominantur, qui opinor præcipuam ea in re operam, ſub tempus editionis Gregorianæ poſuerunt.

Illuſtriſſimus *Cardinalis Caraffa*.
Franciſcus Turrianus, poſtea Jeſuita.
Petrus Ciaconius, Presbyter Hiſpanus.
Flaminius Nobilius, Theologiæ Doctor, cui Annotationum cura mandata eſt.
Hieronymus Pariſettus, Juris Canonici Doctor in ſtudio Rom.
Lalentus Salemius, Viterbienſis, annos natus LXXV.
Morinus, Gallus.

III. Univerſum Opus ſub Gregorio XIII. perfectum eſt, Romanorum illorum Correctorum opera. Itaque anno 9. Pontificatus Gregorii, qui fuit Chriſti 1580. Decretum Gratiani emendatius longè prodiit: in reliquo Juris Canonici corpore emendando verſati pari ſtudio ſunt. Nec tamen adeò abſolutum omnibus numeris opus nobis effecerunt, ut non ſequentium curis aliquid laboris reliquerint. Quæ autem illis mens fuerit: quid in ſua illa emendatione obſervandum ſibi putaverint: quid denique peregerint, docet admonitio eorum ad Lectorem ei editioni præfixa [c].

3. Correctores Romani, ſub Gregorio XIII. emendatiùs edidere Decretorum opus.

c §. Quamobrem, & ſeqq.

IV. Sed licèt non pauca ſuperſint, quæ caſtigationem adhuc aliquam deſiderare videntur; negari tamen haud poteſt multùm nos Gratiani induſtriæ debere, ut ſuperiori capite demonſtratum fuit: niſi fortè quis contenderit nullam à nobis gratiam initurum, qui lapillorum, gemmarumque pretioſarum immenſum acervum magna cura undique conquiſitum, rudibus nonnullis, informibuſque admixtis, nobis offerret. 4.

CAPUT XIV.

De Autoritate Decreti.

I. OPUS hoc Decretorum Eugenio III. Pontifici oblatum ab autore, atque ab eodem Pontifice confirmatum tradit Trithemius in Gratiani vita, & in Chronico Hirſangienſi, & poſt eum alii. Sed nullo certo coætanei cujuſquam ſcriptoris teſtimonio: imò contrà ſentientibus cum gloſſa, Guillelmo Durante Mimatenſi Epiſcopo, quem ab operis ſui titulo Speculatorem vocant [a], Joanne Andrea, [b] Panormitano [c], aliiſque, qui Magiſtrum quidem & præcipuum Canonum Doctorem atque Interpretem eum agnoſcunt: ità tamen, ut non raró ab ejus ſententia diſcedant, dictaque ipſius improbent. Quinetiam Gregorius XIII. huic operi emendando primùm præpoſitus à Pio IV. & V. poſteà Pontifex Maximus, cum hoc opus exeunte fermè ſuperiore ſeculo

1. Indubitatam autoritatem ex ſe non habet Gratianus.

a Spec. lib. 2. §. 1.
b In cap. 2. de Reſcript.
c In procem. Decretali.

culo correctius, ut diximus, edi curaverit; ei nihilominus Pontificiam autoritatem, ut in foro legem faceret, non accommodavit.

2. Non modicam tamen habet. II. Itaque autoritas Gratiani maxima procul dubio eſt, utpote quem præ reliquis omnibus Collectoribus exponendum elegerunt Interpretes Juris Canonici: Unde illius Decretum Corpus Canonum & *Corpus Decretorum* abſolutè dixerunt: quemadmodum colligitur ex Innocentii III. ad Epiſcopum Compoſtellanum Epiſtola; quam non de Codice Canonum Dionyſii Exigui, ut Juſtellus putabat [d]; ſed de Gratiani Decreto accipiendam eſſe oſtendit Franciſcus [e] Florens, & cuivis accuratè legenti ſatis patet.

d In præf. Cod. Eccl. Univerſæ.

3. Judicium Ant. Auguſtini de Gratiani Decreto. III. Verùm hac in parte ſequendum videtur Doctiſſimi Antonii Auguſtini judicium, in Epiſtola quam Canonibus Pœnitentialibus præmiſit, his verbis: *Eſt etiam delectus habendus, & ratio autoritatis conſtituentium: in quo video multos Juris Pontificii ſtudioſos vehementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant: cum tamen Gregorius IX. Pontificia autoritate uſus, omnibus in volumine Decretalium contentis vim legis ſtatuerit; Gratianus unius Magiſtri & Monachi perſonam gerens, ea quæ refert non majori pollere autoritate potuit efficere, quàm antea fuerint. Si quæ igitur ab eodem relata, ex Pontificiis indubitatæ fidei Epiſtolis, ex Conciliis generalibus ſumpta; ex ſuprema illa poteſtate, quæ excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex Epiſcoporum aut aliorum Sanctorum Libris, aut Epiſtolis accepta ſunt, ea generalem non habent autoritatem. Accidit autem ſæpè ut falſæ ſint apud Gratianum inſcriptiones ſingulorum Capitum: ita fit, ut ne illa quidem capita vim Legis obtineant, quæ dicuntur eſſe ſumpta ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Conciliorum Decretis; ſed neceſſe eſt adire fontes, unde emanarunt; ut certa ab incertis diſtinguamus.* Hæc Antonius Auguſtinus.

IV. Hinc etiam fit, ut licèt ex Rubricis Decretalium, æquè ac Pandectarum & Codicis, deductæ rationes, non minùs, quàm ex ipſo contextu deſumptæ, valeant propter autoritatem Libris illis per Pontifices, & Cæſares attributam: nihilominùs ex Rubrica Decretorum argumentari non magis liceat, quàm ex Gratiani conciliationibus, & annotatis: imò minùs. Etenim præterquam quòd Gratianus Doctor tantùm eſt, non Legislator: Rubricæ & Inſcriptiones Decretorum, maxima ex parte, non ſunt Gratiani ipſius, ut obſervat Azo ad titulum Codicis *Ne fidejuſſores dotium dentur.*

CAPUT XV.

De nomine PALEA, *ſæpè Decreti Capitibus adſcripto.*

1. Variæ de Cauſa hujus inſcriptionis opiniones. I. IN Capitum Inſcriptionibus occurrit ſæpè hoc vocabulum *Palea*; quod unde huc tractum ſit, non ſatis conſtat. Quidam ea capita hoc nomine notari putarunt, quòd ſub illis incerta contineantur, & nullius

lius pretii, cujuſmodi ſunt *Paleæ*. Alii ſic dicta cenſuere quaſi *τὰ παλαιὰ*, id eſt antiqua, veluti ab uſu remota & omninò antiquata. Nonnulli corrupta voce, & detorta ex adverbio *πάλιν*, id eſt iterum, quaſi additiones ſint, ſive Canones ſæpiùs repetiti. Sed quoniam non ſemper aut vilia, aut antiqua, aut etiam iterata ſub illa epigraphe exhibentur, pleriſque probatur ea ſententia, quæ *Paleam* vult eſſe nomen proprium ejus, qui vel ſolus, vel primus hæc additamenta Gratiano attexuit.

II. Ejus ſententiæ videtur Autor Joannes Andreas in additionibus ad Speculatorem [a] ubi *Protopaleam* dicit, quem alii *Paleam* vocant. Is tum ab Andrea, tum à Catelliano Cotta Diſcipulus Gratiani fuiſſe perhibetur.

2. Palea multis videtur eſſe nomen additoris eorum Capitum.

a Tit. de diſputationibus & allegat.

III. Addunt Jaſon, Imola [b], Præpoſitus Alexandrinus [c], aliique Cardinalem fuiſſe. Is Imolæ *Pocapalea*, aliiſque nominibus appellatur.

3. Autor Palearum harum Cardinalis fuiſſe videtur.

IV. Sanè *Palea* nomen non ignobilis apud Cremonenſes familiæ proprium eſſe teſtatur Antonius Auguſtinus [d]. Eoque nomine eſſe etiam oppidum in ſubalpinis refert Guido Pancirolus [e]. An ex eo cognomen traxerint Alexandria & Nicæa *della Paglia*, diſcutiendum aliis relinquo.

b In Rubric. de verbor. oblig. num. 5.

c In procœm. Decretal.

4. Palea familiæ nobilis nomen.

d Lib. 2. de emendat. Grat. dial. 2.

e De Clar. Leg. Interpr. lib. 4. cap. 2.

V. Sunt qui memorent Gratianum, cum opus ſuum Romam detuliſſet, librum Cardinali cuidam legendum tradidiſſe, quò ejus opera ad Pontificem Eugenium III. introduceretur: Cardinalem autem laudis & gloriæ cupidiorem volumini nonnulla inſeruiſſe, ſeque ejus autorem jactaſſe: verùm ejus fraude intellecta, dixiſſe Gratianum Additiones illas *Paleas* tantummodo eſſe, quæ nempe grano alibi condito inanes redderentur: more ſcilicet Theologorum ejus temporis, qui Paleam vocabant literam fructu carentem, vel ſterile opus. Hinc factum ut Capita illa Palearum appellationem retinuerint: quod commentum fabulæ proximum ex ſequentibus intelligi poterit.

5. Ratio nominis fabuloſa.

VI. Obſervant Romani Correctores in tribus manuſcriptis Decreti exemplaribus, quæ antiquiſſima ſunt, videnturque paulò poſt Gratiani ætatem ſcripta, horum Capitum pauciſſima extare; in uno valdè emendato ad marginem eſſe appoſita, ſine ulla nota; ſed non omnia quæ in impreſſis inveniuntur. Et viciſſim in illo aliquas hujuſmodi additiones eſſe, quæ in impreſſis non habentur; in cæteris aut omnes aut pleraſque reperiri: & partim quidem præfixo *Palea* nomine, partim verò ſine ulla à cæteris Capitibus diſtinctione. Quin nec in prima editione Moguntina hoc vocabulum in fronte Capitum reperiri; & in antiqua editione Veneta minùs frequenter occurrere notat Stephanus Baluzius.

6. In Manuſcriptis Codicibus deſiderantur hæ Paleæ.

VII. Ex his Correctores conjiciunt has *Paleas* eſſe appendices, non eodem tempore additas ad primam Collectionem Gratiani; eaſque in margine primùm adſcriptas: ac nonnullas, fortè ab ipſo autore; quas deinde Librariorum quidam omiſerint, quidam in contextu poſuerint, interdum conjunctim cum prioribus Capitibus, interdum cum aliquo diſcrimine: atque hinc factum eſt, ut in editione quam Carolus Molinæus Pariſiis curavit, hæc Capita diverſo charactere exhibita ſint.

7. Correctorum Romanorum de his Paleis judicium.

VIII. Antonius Auguſtinus non putat horum Capitum ullum à Gratiano adjectum: cum nec facilè in vetuſtiſſimis Codicibus inveniantur; & in Joannis Tentonici Interpretis antiqui ſcholiis rarò ad verba illorum

8. Harum nihil à Gratiano additum putat Ant. Auguſtinus.

Capitum aliquid notetur. Addit & aliam rationem, quòd eorum nonnulla Bernardus Papienſis in primam Decretalium Compilationem tranſtulit: id autem de Gratiani Canonibus vix dici poteſt. Apparet itaque à Diſcipulo Gratiani adjectas, deque ejus nomine dictas eſſe has *Paleas*: niſi fingamus Gratianum ipſum Diſcipuli ſui nomine uſum, aliqua inter relegendum addidiſſe.

CAPUT XVI.

De priſcis Decretalium Compilationibus antè Gregorium IX.

1. Compilatio Bernardi Circæ, Papienſis Præp. quando & qua methodo conſcripta.

I. POST editum Gratiani Decretum novæ ſubindè à ſequentibus Pontificibus emanarunt Conſtitutiones; quæ cum jus facerent in rebus Eccleſiaſticis, earum acceſſione locupletari Canonicam Legiſlationem neceſſe fuit. Primus itaque *Bernardus Circa* Præpoſitus *Papienſis*, ac poſteà Faventinus Epiſcopus Decretales, ſuæ præſertim ætatis Pontificum Epiſtolas, in Libros V. ſub certis titulis, ordinem ferè Codicis ſecutus, aptè digeſtas in unum volumen collegit paulò antè an. 1190.

2. Unde Collecta.

II. In eo & ex veterum Conciliorum Canonibus, & ex Patrum aliquot ſententiis, & ex ſuperiorum à ſancto uſque Gregorio Pontificum Decretis, non pauca inſeruit à Gratiano prætermiſſa; ſed & *Alexandri* imprimis *III.* qui à Septembri menſe anni 1159. ad Auguſtum anni 1181. Pontificatum tenuit, comprehenſis etiam *Concilii Lateranenſis III.* generalis placitis, ac deinde ex *Lucii III. Urbani III.* & *Clementis* itidem *III.* Reſcriptis opus ſuum compoſuit.

3. Aliis dicitur prima Compilatio, aliis Lib. 1.

III. Hanc primam Compilationem vocant Hoſtienſis, Joannes Andreas, Ægidius de Bellamera, aliique. Qui autem ſcholia in eam ſcripſerunt, Librum primum appellant, & pari ratione ſequentes Collectiones, alii Compilationem 1. 2. 3. 4. 5. alii Librum 2. & 3. &c. nominant.

4. Autor Breviarium Extravagantium vocat, & cur.

IV. Ipſe autor *Breviarium Extravagantium* inſcripſit, & in præfatione profitetur ſe hoc volumen de veteri jure & novo compilaſſe. Unde hæc Collectio ſupplementum quoddam Gratiani eſſe videtur: ad quem & Collector aliquando remiſit, veluti *Capitulo nono de Electione in fine*, in hac prima Collectione: ad quem, ut & in præfationem, videndæ doctiſſimi Antonii Auguſtini notæ. Non malè igitur Bernardus Breviarium Extravagantium Librum ſuum appellavit, quandoquidem extra Gratiani Decretum vagabantur ſcripta & Conſtitutiones, ex quibus eum confecit: eodem reſpectu *Extravagantes* vocari poſſe reliquas Collectiones, non modò antiquas, ſed & Gregorianam, & Sextum ac Clementinas notavit Cujacius ad *Cap. 4. Ex. de ſponſalibus*. Sunt etenim quodammodo ſupplementa & continuationes Gratiani. Porrò Bernardus Papienſis ſummam hujus operis ſub iiſdem titulis ſcripſiſſe dicitur, cujus initium fecit *Profectus Diſcipuli gloria magiſtri*. Scripſit & notulas, ſive ſcholia primæ Collectioni adjecta.

V. Emer-

Digitized by Google

5. Compilationes duæ ſequentes, ex quibus una quæ vulgo Secunda, à Ioan. Galenſi.

V. Emergentibus deinde aliis ſubinde Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionibus, alia volumina compoſita ſunt: & quidem Gilbertus Abbas & Alanus Epiſcopus Antiſſiodorenſis, omiſſas à Bernardo Conſtitutiones collegerant: ſed ex duorum illorum Collectionibus, ſive ut Tancredus loquitur, ex earum ruinis novam compegit *Joannes Galenſis* ſeu *Vallenſis*, Volaterris in Tuſcia natus. Ejus Liber poſt duodecim à prima Collectione annos editus eſt, an. ſcilicet 1202. alia, tum eorumdem Pontificum de quibus diximus, tum *Cœleſtini* quoque *III.* Reſcripta complectitur, & ſub *Secundæ Compilationis* nomine receptus eſt: Nam Gilberti & Alani Collectiones interciderunt. Suſpicatur tamen Antonius Auguſtinus Alani eſſe eam Collectionem, quæ in Conciliorum editionibus poſt Lateranenſe III. Univerſale Concilium, ſub Alexandro III. celebratum, vulgò habetur. Et ſanè Extravagantium Alani meminerunt aliquando vetuſtiſſimi Decretalium Interpretes, quemadmodum idem Auguſtinus obſervat in notis ad *Capitulum* 13. *de Sponſalibus & matrimon. in prima Collectione*: & fortè diverſum, vel plenius quid continebatur in illa Compilatione Alani.

6. Compilatio tertia Innocentii 3. quæ & Romana, ex Bernardi Compoſtellani Collectione, per Petrum Beneventanum reformata.

VI. Cathedræ poſt Cœleſtinum III. præſedit Innocentius III. à Menſe Februario anni 1198. ad Julium ann. 1216. ultrà 18. annos. Is, ut erat Juris ac Theologiæ peritiſſimus, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reſtituendæ ſtudioſus, plurima de graviſſimis rebus conſtituit, tum per ſe & ſolus, tùm in Concilio generali IV. Lateranenſi: ita ut illius unius Conſtitutiones conditarum à cæteris per ea tempora Pontificibus Decretalium numerum & molem, vel æquent, vel etiam ſuperent. Ex ejus Regeſtis annorum duodecim priorum, *Bernardus* major, Archidiaconus *Compoſtellanus*, Romæ degens, Decretales in ordinem redegit: quæ Romana Compilatio aliquandiù dicta. Verùm cum ei volumini quædam inſerta eſſent, quæ uſu judiciorum minùs vigebant, impetrarunt Romani ab Innocentio, ut Pontificia autoritate alia Collectio fieret: eique rei præpoſitus eſt *Petrus Beneventanus Diaconus*, ejuſdem Innocentii Notarius; cujus opera in lucem exiit TERTIUS Decretalium Liber, ſive *Tertia Compilatio*.

7. Hæc autoritate Pontificia prima prodiit.

VII. Hanc verò inter omnes juris Pontificii Collectiones primam omnium autoritate publica fuiſſe munitam notat Antonius Auguſtinus. Superiores quippe, ſive Decretorum, ſive Decretalium Collectores, privato ductu eam rem ſuſceperant: atque ab ipſis relata Pontificum Decreta certam fidem non obtinebant, niſi ab Eccleſiæ Romanæ ſcriniariis priùs recognita ac comprobata eſſent. Et verò falſas quaſdam Decretales, quæ in Regeſtis non extant, in duabus primis compilationibus legi monuit Tancredus, cujus notam Auguſtinus ſubjecit ad calcem notarum primæ Collectionis: tametſi earum Decretalium, quæ falſæ à Tancredo pronunciantur, aliquæ in Gregorii Collectionem irrepſerunt. Hanc verò tertiam Collectionem præfatione addita confirmavit Innocentius III. eamque gloſſa in *cap. jam dudum, de præbend. & dignitat. in verbo confirmationem*, vocat abſolutè Compilationem Innocentii. Etenim *Capitulum primum de re judicat.* quod ibi citat, reperitur ſub eodem titulo, eodemque ordine in hac tertia compilatione.

8. Compilatio quarta ex Inno-

VIII. QUARTA COLLECTIO poſt Concilium generale Lateranenſe IV. compoſita ex 72. ejus Capitibus, & ex poſterioribus ejus Regeſtis,

centii quoque 3. Decretalibus. quibus Conſtitutiones ab eodem Innocentio III. poſt annum Pontificatus duodecimum conditæ continebantur. Cujus operam in hac Compilatione digerenda Innocentius adhibuerit, incertum eſt. Tancredus certè in fragmento antè laudato non ait à ſe confectam quartam Collectionem; ſed in gloſſis tertiæ Collectionis ſe annotaturum promittit, ſi quid poſt annum 12. ſive ab ipſo Innocentio, ſive à Concilio generali fuerit immutatum. Hæc igitur, ut & ſuperior Collectio, ſolius Innocentii III. Conſtitutionibus conſtant.

9. Cujus cura editæ quatuor priores Compilationes Decretalium. IX. Atque hæ quatuor antiquæ Collectiones Decretalium, quibus manuſcriptis fuerat uſus Contius, editæ ſunt unà cum ſcholiis à ſæpiùs memorato autore Antonio Auguſtino tempore Gregorii XIII. Pontificis, ut ex Epiſtola nuncupatoria liquet: eædem Pariſiis anno 1659. paulò emendatiores, & notis alicubi auctiores ex collatione cùm Nicolai Fabri, & Jacobi Cujacii Codicibus, prodierunt.

10. Collectio 5. ab Honorio III. X. Proximus Innocentii tertii ſucceſſor *Honorius III.* ſuarum & ipſe Conſtitutionum volumen vulgavit, quæ fuit *Quinta* uſu recepta *Decretalium Compilatio*, ſeu *Liber V*. Eam de Honorii III. Decretalibus tantùm compaginatam, à Panormitano, Contio, Cujacioque viſam (ut ex illorum ſcriptis probavit Franciſcus Florens) eam, inquam, ex Albienſis Bibliothecæ ruderibus eruit, Notiſque illuſtratam publici tandem juris fecit anno 1645. *Innocentius Cironius*, Eccleſiæ & Academiæ Toloſanæ Cancellarius. Sic intra 70. annos ab edito Gratiani Decreto, emanarunt octo Decretalium Compilationes: quinque nimirum uſu receptæ: Prima Bernardi Papienſis: Secunda Joannis Vallenſis; Tertia Petri Beneventani: Quarta Anonymi ſub Innocentio III. Quinta Honorii III. Tres aliæ Gilberti, Alani, & Bernardi Compoſtellani in uſu non fuerunt. Earum Hiſtoriam ex Joanne Andrea imprimis, & S. Antonino Archiepiſcopo Florentino, Antonius Auguſtinus, Boetius Epo, & Franciſcus Florens dilucidarunt.

11. De Indicibus Titulorum & Capitulorum quibus conſtant Collectiones. XI. Indicem Titulorum & Capitum trium priorum Collectionum dedit ſæpiùs memoratus Antonius Auguſtinus poſt præfationem antiquarum Collectionum; itemque eorum Capitum ſeorſim quæ ex Græcis, & eorum quæ ex Reſcriptis B. Gregorii deſumpta ſunt. Quartæ verò Collectionis Titulos & Capita habes in eodem volumine ante eamdem Collectionem. Quintæ denique tituli extant apud Cironium in fronte operis.

CAPUT XVII.

De Autore, temp. & ratione Decretal. Gregorii IX. deque Decretalium nomine.

1. Codicis Juſtinianei exemplo compoſita hæc Collectio. I. GREGORIUS IX. qui Honorio III. ſucceſſit, è Signienſium Comitum familia fuit, Innocentii III. conſobrino genitus: ſedit à menſe Martio anni 1237. ad Auguſtum anni 1241. Is, ut erat Divini & humani Juris callentiſſimus, Decretales anteriorum Pontificum in ordinem redigi curavit anno Chriſti 1230. B. Ludovico Francis, Friderico II. Germanis

manis Imperante. Nimirum quod Juſtinianus in Jure Civili perfecerat, ut ex tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, atque ex Novellis ſequentium Imperatorum Conſtitutionibus poſt Codices illos emiſſis, Legibus propriis additis, novum Codicem, Triboniani maximè opera, componeret: id GREGORIUS IX. in jure Pontificio effecit; & ex quinque Collectionibus quas ſuperiori capite memoravimus, pleniorem Collectionem concinnavit.

2. Cujus opera uſus in ſua Collectione Gregorius IX.

II. Eo in opere uſus eſt induſtria *Raymundi à Pegna forti* Barcinonenſis, ex Ordine Prædicatorum; qui à Joanne Cardinali Epiſcopo Sabinenſi ex Hiſpania Romam deductus, in Capellanum ac Pœnitentiarium à ſummo Pontifice fuerat aſcitus. *Capellani* autem nomine dicebatur ſacri Palatii Apoſtolici Auditor, qui tunc unus erat. Hic Raymundus vir fuit eximiæ ſcientiæ, tantæque in Deum pietatis, ut à Clemente VIII. in Sanctorum numerum referri meruerit, qua de re extat Tomo 3. Bullarii Conſtitutio 77.

3. Ut Juſtinianum imitatus fuerit Gregorius.

III. Juſtiniani inſtitutum in hoc quoque ſecutus eſt Gregorius IX. quòd ex ſuperioribus Decretalibus & pugnantia invicem, & ſupervacanea reſecanda cenſuit: cujus rei rationem reddit in præfatione, ſive conſtitutione, qua opus illud confirmavit, ad Bononienſem, atque, ut quidam volunt, ad Pariſienſem Academias ſeu Decretorum Doctores in illis agentes, miſſa. *Sanè*, inquit, *diverſas Conſtitutiones & Decretales Epiſtolas Prædeceſſorum noſtrorum, in diverſa diſperſas volumina, quarum aliqua propter nimiam ſimilitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter ſui prolixitatem, confuſionem inducere videbantur, aliqua verò vagabantur extra volumina ſupradicta, quæ tanquam incerta frequenter in judiciis vacillabant: ad communem, & maximè ſtudentium utilitatem, per dil. fil. fratrem Raymundum Capellanum & Pœnitentiarium noſtrum in unum volumen, reſecatis ſuperfluis, providimus redigendas; adjicientes Conſtitutiones noſtras & Decretales Epiſtolas, per quas nonnulla quæ in prioribus erant dubia, declarantur.*

4. De operis inſcriptione, & nomine Decretalium.

IV. Inſcriptum eſt hoc opus DECRETALIUM *Gregorii IX. Papæ Compilatio*. DECRETALES Epiſtolæ, ſeu *Decretalia Reſcripta*, & abſolutè *Decretales* dicuntur ex gloſſa [a], Epiſtolæ ſeu Reſponſa, quibus Pontifex ad conſultationem Epiſcoporum, aliorumque, etiam privatorum, reſcribit. Dicitur autem, *Epiſtola Decretalis*, quòd per eam quidpiam generaliter valiturum, re diligenter examinata, decernitur. Sic Decretalis bonorum poſſeſſio à Juriſconſultis vocatur, quæ Decreto Prætoris & cauſa cognita datur; diverſa ab Edictali bonorum poſſeſſione, quæ ordinario iure ex edicto ejuſdem Prætoris, & ſine accurata cauſæ cognitione competit.

5. Quid Compilatio, & unde dicta.

V. COMPILATIO hoc loco idem eſt ac *Collectio*. Nec ſum neſcius *Compilationem* pro furto ſumi à Cicerone [b]. Nam & compilare accipitur aliquando pro eo quod eſt ſpoliare, ut in *Lege 9. §. 1. Dig. ad legem jul. peculiat.* & ſic apud eumdem Ciceronem [c] Verres provinciam compilaſſe dicitur. Eodem fermè ſenſu dicimus *Expilare*: unde crimen expilatæ hereditatis. Utrumque verbum ſignificat detrahere. Sed *expilare* de iis propriè videtur uſurpari, qui rem è ſuo loco detrahunt ut auferant: *compilare* autem, de iis qui res abreptas in unum locum congerunt ac recondunt. Vocis originem hac acceptione Feſtus ad Græcos refert, qui fures

a Ad Conſtit. ejuſd. Greg. huic volumini præfixam, *Verbo Conſtitutiones.*

b Epiſt. lib. 2. ep. 8.

c Verrina 1.

fures vocant, *Piletas*. Referri poteſt & ad verbum Latinum *Pilare*, quod ſignificat pilos detrahere: & fortè ex eo quoque Itali *Pigliare* dixerunt pro capere, & Galli *Piller* pro ſpoliare, diripere, prædari. Verùm *Compilare* alia ſignificatione ſecundum eumdem Feſtum accipitur pro cogere & in unum condere, ſive coacervare, vel ab eodem verbo *Pilare*, quod propriè eſt pilis veſtiri; vel certè à pila, vaſis genere, ad fruges, aliaſque res permixtim tundendas comparati. Hinc ducta metaphora *Compilator*, teſte Iſidoro [d], eſt qui aliena dicta ſuis permiſcet, ſicut ſolent pigmentarii diverſa mixta in pila contundere. Qua ratione compilator veterum ab æmulis dicebatur Virgilius, quòd verſus Homeri transferens, ſuis permiſceret: quod ille convicium egregiè repulit, dicens magnarum eſſe virium clavam Herculi extorquere de manu.

d Lib. 10. Etymolog.

CAPUT XVIII.

De fontibus Decretalium, ſive de Autoribus ex quibus ea ſunt deſumpta.

1. Claſſes autorum ex quibus decerpta Decretalium capita.

I. AUTORUM ex quibus ſunt deprompta Decretalium Gregorii IX. Capita, Catalogum inſtituit Boetius Epo [a]; eoſque in quinque Claſſes digeſſit: Primam claſſem conſtituit ex paucis quibuſdam *Sacræ Scripturæ* locis: Secundam ex *Canonibus*, qui dicuntur *Apoſtolorum*: Tertiam ex *Conſtitutionibus* Romanorum *Pontificum* circiter ſex & triginta, à Gregorio I. ad Gregorium IX. *Quartam* ex Canonibus *Conciliorum* ſeptem & triginta, ab Antiocheno ad Lateranenſe IV. generale: *Quintum* ex *Patrum*, aliorumque autorum fermè decem, operibus.

a Lib. 3. de Jure ſacro.

2. Cur totum opus nomine Decretalium indigitatum.

II. Mirum videri poterit, quòd *Decretalium* nomen huic operi fuerit inditum; quandoquidem hæc Compilatio, ut exſuperioribus liquet, non modò ſummorum Pontificum Epiſtolas Decretales; ſed, non ſecùs ac Gratiani Collectio, loca non pauca ex aliis ſacris cujuſque generis ſcriptis deprompta continet. Verùm optima ratione à Decretalibus petitum hujus Collectionis titulum fatebitur, qui advertit hoc volumen ex Conſtitutionibus præſertim poſteriorum Gratiano Pontificum ad Gregorium IX. fuiſſe compoſitum, Alexandri nimirum III. Lucii III. Urbani III. Gregorii VIII. Clementis III. Cæleſtini III. Innocentii III. Honorii III. ipſiuſque Gregorii IX. adjectiſque Decretis Conciliorum Lateranenſium duorum generalium, III. & IV. quorum autores Alexander & Innocent. III. aliquot priorum Pontificum Romanorum Conſtitutiones adjicias, invenies Pontificias Decretales, & Conſtitutiones numerum cæterarum omnium autoritatum plus duplo ſuperare: contrà verò apud Gratianum longè minor eſt Epiſtolarum Decretalium, quàm Canonum, ſive Conſtitutionum ex Conciliis, Patribuſque, vel aliunde hauſtarum numerus.

CA-

CAPUT XIX.

Index & nexus Titulorum, quibus Decretalium quinque Libri conſtant.

I. IDEM in hoc opere ſervatus eſt ordo, quem in prima compilatione ſequutus fuerat Bernardus Papienſis, in quinque Libris qui Codicis Juſtinianæi novem prioribus Libris non incommodè reſpondent.

1. Servatus eſt in Decretalibus Ordo primæ Compilationis.

II. Ejus autem ordinis hæc ratio eſt, ut cum jus omne ad judicia referatur; in Primum Librum collata ſint quæ Judicia Eccleſiaſtica antecedunt: atque imprimis agatur de Magiſtratibus, ſive *Judicibus* ſacris, hoc eſt Prælatis. Cum autem hæc Judicia partim civilia ſint & extra Criminales Cauſas poſita, partim Criminalia: In ſecundo Libro ea tractantur, quæ Civilium *Judiciorum* formam atque ordinem reſpiciunt, quem Judiciarium ordinem hodie in utroque foro ſequimur. Diſſeritur deinde de *Rebus Eccleſiaſticis*, quæ ad Epiſcopale forum deducuntur in Civilibus Cauſis. Hæ partim ſunt propriæ Clericorum, partim Laicorum, partim utriſque communes. De rebus quarum cauſa vel inter Clericos ſolos, vel inter eos & Laicos diſceptatur, tractat Liber Tertius. At Liber Quartus de iis diſſerit quæ ad Laicos magis propriè pertinent, nimirum de Matrimonii Contractu & Sacramento, cujus maximè cauſa Laici foro Epiſcopali ſubjiciuntur. Jam Liber Quintus & poſtremus Crimina complectitur, hoc eſt tum formam, tum materiam, & executionem Criminalium Judiciorum. Hunc quinque librorum ordinem in memoriam facilè revocabunt totidem ſequentis verſus vocabula.

2. Totum opus ad judicia eaque tum civilia, tum criminalia refertur.

Judex, judicium, Clerus, connubia, crimen.

Series Libri Primi Decretalium.

I. ANTECEDENTIA Judiciorum Eccleſiaſticorum quæ Primo Libro continentur, referri poſſunt ad ſumma quatuor genera. Primum eſt Deus, ac vera in eum *Fides*. Eſt enim hoc fundamentum omnis ſacri unde omne jus manat ad partes ſive ſpecies varias Juris Pontificii; ad *Perſonas Eccleſiaſticas*, per quas jus ſacrum exercetur; atque ad modos præparandi, vel citra forenſem ſtrepitum componendi controverſias fidelium, & ſic vitandas Judiciorum ambages, ac juxta Divina præcepta fovendam Chriſtianorum inter ſe caritatem, quæ non facilè inter lites ſervatur.

I. Libri primi Partes quatuor.

II. Orditur itaque Gregorius IX. exemplo Juſtiniani à Titulo *de ſumma Trinitate & fide Catholica*, 1. ut ab Jove, id eſt, à vero numine principium capiat.

II. *Membrum* 1. *Libri* 1. DEUS. TIT. primus, de ſumma Trinitate & fide Catholic.

III. Inde *juris* partes aggreditur. Illud partim Scriptum eſt partim Non ſcriptum: & Scriptum vel generale ut Conciliorum, ac Pontificum Romanorum atque ab illis ſponte in univerſum, & fermè conditum, quod

III. *Membrum* 2. Jus.

Tit. 2. De Conſtitutionib.
3. De Reſcript.
4. De Conſuet.

Conſtitutionum 2. nomine continetur: vel ſpeciale, alio rogante emiſſum, quod ſignificatur *Reſcripti* 3. vocabulo: Quod autem ſine ſcripto valet *Conſuetudinis* 4. appellationem ſortitur.

IV. *Membrum* 3. Personæ Ecclesiasticæ.

IV. Cum jus ex ſe mortuum quodammodo ſit, niſi à Magiſtratu qui ejus vera vox eſt, ad exitum perducatur, & quaſi animetur; idcirco à jure ad PERSONAS JUDICANTIUM tranſitus fit. Horum autem duplex inſpectio eſt: vel enim in ſeipſis ſpectantur, quantùm ad gradum atque ordinem ſuum; vel quatenus aliis præſunt, & ſubjectorum res ac controverſias dirimunt. Prior inſpectio tria fermè complectitur: Primò modos adipiſcendi, aut etiam abdicandi Eccleſiaſticos honores, ac certis de cauſis temperandi eorum jura: Secundò Clericorum Ordinationem, quæ ad Eccleſiaſticas Dignitates aditum præſtat: Tertiò, eorumdem ubi Prælatorum titulum adepti ſunt munia judiciaria.

Tit. 5. De poſtulat. Prælatorum.
6. De Elect. & electi poteſt.
7. De Translat. Epiſcop.
8. De Autorit. & uſu Pallii.

Acquiruntur Prælaturæ duobus maximè modis, *Poſtulatione*, 5. & *Electione*. 6. Per utramque perſona idonea ad ſacram dignitatem vocatur: ſed priori aſſumuntur qui aliàs digni, tamen aliquo impedimento Canonico laborant. Utramque ſequi debent *Confirmatio* & *Conſecratio*, ut ſpirituale conjugium Prælatorum cum Eccleſia, per Electionem inchoatum, ratum habeatur, & compleatur: atque hi tam ea quæ ſunt Ordinis ſui, quam Juriſdictionis ritè exequi valeant. Mutantur autem dignitates *Translatione* 7. ab una ſede in aliam: qua ratione excidit priori qui novam adipiſcitur. In Metropolitanis prætereà, cæteriſque majoribus Prælatis, ut autoritatem jure dignitatis ſuæ plenè exerceant, requiritur ut *Pallium*, 8. plenioris poteſtatis inſigne, à Sede Apoſtolica obtineant: quo tamen nonniſi certis diebus & locis utuntur.

Prælatis dumtaxat conveniunt hi acquirendæ dignitatis modi: Clericis aliis ſui Tituli *Collatione*, aut ad illum *Inſtitutione* ferè acquiruntur.

9. De Renunciat.
10. De Supplen. neglig. Prælat.

Utrique generi communes ſunt amittendorum beneficiorum varii modi. Amittuntur autem Eccleſiaſtici tituli, honeſtè quidem voluntaria abdicatione, quàm *Renunciationem*, 9. ſive Reſignationem vocant. Ea nonniſi autoritate ſuperioris Prælati fieri debet. Sive autem per Renunciationem & Ceſſionem, ſive morte poſſeſſoris, aut ob crimen & per Judicis ſententiam, quavis denique ratione vacaverit dignitas aut beneficium: curare debent ii, ad quos jus eligendi aut conferendi pertinet, ut vacua ſedes locuſve quamprimùm repleatur idoneo ſucceſſore. His verò quorum ea res eſt, ultra ſtatuta tempora in munere ſuo exequendo ceſſantibus, *Supplenda* eſt eorum *Negligentia* 10. à proximo ſuperiori Prælato, aut à conſorte Prælati Capitulo: atque his negligentibus devolvitur hujuſmodi jus à proximis ad remotiores gradatim poſt lapſum temporis cuique definiti. Præſcriptum hac in re ſpatium, ubi de Electione ad Cathedralem aut etiam ad Regularem Eccleſiam agitur, eſt trimeſtre: ſi autem de collatione minoris beneficii agatur, conceditur ſex menſium tempus. Quòd ſi beneficium juri patronatus obnoxium ſit, ſiquidem Eccleſiaſticus ſit patronatus, ſex menſes; ſi verò Laicus, quatuor menſes patrono dantur ad offerendum Epiſcopo Clericum inſtituendum.

Eccleſiaſtici honores Clericis dumtaxat debentur. Hi Ordinatione

fiunt

ſunt. (qua ſimul cum inauguratione & Charactere, officium in certa Eccleſia exercendum eique debitum ſtipendium priſcis temporibus continebatur: hodie ſola Ordinum ſive graduum collatio intelligitur.) In ea ſunt ſervanda quædam, quædam vitanda. Et primò certis anni *Temporibus* celebrandæ ſunt generales & ſolemnes *Ordinationes* 11. In promovendis ſua cuique Ordini ætas aſſignata eſt, certæque requiruntur qualitates. Doctrina præſertim & honeſti Mores, atque alia, quæ in *Scrutinio* 12, ſive examine prævio, explorari debent. Ordines autem à proprio Epiſcopo, aut ab alio, etiam Epiſcopo, illius conſenſu conferendi ſunt. Non tamen majores ab eo *qui ſedi*, ſimul & dignitati *Epiſcopali renuntiavit* 13. In iis qui ad ſacras præfecturas provehendi ſunt, requiritur non ſolùm juſta *Ætas* atque aliæ *Qualitates*, ſed etiam *Ordo ſacer* 14, pro ratione officii cuique incumbentis. Sacerdotes verò, & potiori jure Epiſcopi *Sacra Unctione* 15. ad munia ſua, utpote cæteris majora, præparandi ſunt; ut & exeuntes ab hac vita, eodem modo ad extremum agonem comparandi.

TIT. 11. De tẽporib. Ordinat.

12. De Scrut. in Ord. faciendo.

13. De Ordinatis ab Epiſc. qui renunc. Epicop.

14. De ętate, & qualita. & Ord. præficiend.

15. De ſacra Unctione.

Cavendum eſt ne Ordines aliaque *Sacramenta*, quæ Characterem imprimunt, Baptiſmus nempe, & Confirmatio *iterentur* 16: neve Ordinibus, ſaltem abſque legitima diſpenſatione ac venia, ii decorentur quos à Clericatu arcent Canonum præſcripta; veluti ob vitium natalium filios *Presbyterorum* 17, procreatos poſt ſuſceptos à patre Ordines ſacros, alioſque illegitimè natos. Ob ſtatus prætereà ſive conditionis vilitatem *Servos* 18, niſi volente domino fuerint manumiſſi; propter obligationis civilis vinculum, Tutores, Curatores, quique alii ex rerum alienarum adminiſtratione *Reddendis rationibus obligati ſunt* 19. Ob inſignem Corporis debilitatem aut deformitatem *Corpore vitiatos* 20: ob defectum in Sacramento Matrimonii, *Bigamus* 21. vel quaſi Bigamus, Viduarum ſcilicet maritos, qui pro Bigamis habentur: denique ob alterius Prælati Juriſdictionem, cui quis ſubjectus eſt, *Peregrinos* 22.

16. De ſacram. non iterand.

17. De fil. Preſb. ordinan. vel nõ.

18. De ſervis non ordin. &c.

19. De oblig. ad Ratiocin. non ord.

20. De Corp. viciat. ord. vel nõ.

21. De bigamis non ordin.

22. De Cleric. Peregrinis.

Ab Ordinibus & ordinandorum perſonis tranſgrediendum ad dignitates cum Juriſdictione conjunctas, tum minores, tum majores; & cujuſque Prælati officium aut poteſtas ſpectanda. Sequuntur ergo Tit. *de Officio Archidiaconi* 23, quem Epiſcopi oculum Canones vocant, eò quòd jure communi ejus adminiſtrationi rerum & curæ perſonarum Eccleſiaſticarum invigilet: tum *de Officio Archipresbyteri* 24; *Primicerii* 25 quoque ſive Cantoris aut Præcentoris; & *de Officio Sacriſtæ* 26, quem Græci vocant Cimeliarchen; eique adjuncti *Cuſtodis* 27. quarum dignitatum vel Perſonatuum varia ſunt per diverſas Eccleſias & nomina, & jura, ac munia.

23. De Offic. Archidiac.

TIT. 24. De Off. Archypreſ.

25. De Off. Primicer.

26. De Off. Sacriſtæ.

27. De Off. Cuſtodis.

28. De Off. Vicar.

Iis quibus ex dignitate competit Juriſdictio quædam Eccleſiaſtica, Perſonæ adjungendæ ſunt, quæ aliorum vice eam exercent. Ejuſmodi ſunt *Vicarii* 28. non unius generis: alii enim, de quibus hic propriè agitur, ſunt Vicarii Epiſcoporum, aliorumve Prælatorum; iique vel generales, penes quos eſt adminiſtratio & Juriſdictio voluntaria; vel Officiales, qui contentioſam Juriſdictionem exequuntur. Sunt & alii Vicarii Plebanorum ſive parochorum: tum Perpetui, qui Rectoris Eccleſiæ parochialis juribus ferè utuntur: tum Amovibiles, quos Curio ſibi adſciſcit ab Epiſcopo approbatos. Alterius quoque vicem in Cauſis diſceptandis obit *Judex delegatus* 29 ab Epiſcopo, vel à ſummo Pontifice: itemque *Legatus* 30 Pontificius, qui utramque habet Juriſdictionem; eamque Epiſco-

29. De offic. & poteſt. Judicis delegati.

30. De offic. Legati.

Epiſcopali ampliorem: ſive *à Latere* Pontificis Legatus ſit è Collegio Cardinalium; ſive Legatus *natus*, Legatione ſcilicet Metropolitanæ dignitati cohærente. Minoris aliquantùm dignationis ſunt, qui vulgo *Nuncii* appellantur, olim Reſponſales & Græcis Apocriſarii. Poſt hos dicendum eſt de iis qui jure ſuo utramque Juriſdictionem, eamque plenam obtinent; ideoque *Judices Ordinarii* 31. vocantur: quo nomine cum Epiſcopis continentur alii quoque Prælati, etiam Minores, quibus data eſt poteſtas quaſi Epiſcopalis. Sequuntur generales Regulæ quæ ad *Judicis* 32. cujuslibet *Officium* pertinent. Inter eas non poſtremum locum tenet quæ jubet ut *Majoribus* & ſuperioribus ſubjectionem atque *Obedientiam* 33. minores ſive inferiores exhibeant, non modò Clerici & ſimplices Sacerdotes, ſed & Prælati.

31. De offic. Jud. ordinarii.

32. De offic. Judicis.

33. De Majorit. & obedientia.

V. Membrum 4. ANTECEDENTIA JUDICIORUM.

V. Poſt duplicem Perſonarum inſpectionem, quarum alia ad Ordines, alia ad Juriſdictionem refertur; priuſquàm de Judiciis diſſeratur, tractanda breviter viſa ſunt eorum PRÆPARATORIA ET ANTECEDENTIA, ſive ne ad Judicem eatur, ſive ut per alium, aut cautè ac tutò eatur. Hæc enim propriè Judicium præcedunt. Ea partim ſunt modi controverſias citra Judicis Officium & notionem finiendi: Conventa nimirum partium inter ſe: quorum alia publica ſunt, *Induciæ* ſcilicet *&* *Pax* 34. alia ſunt *Pacta* 35. privata, & *Transactiones* 36. Alioqui veniendum erit in jus, & comparandi litigatores ad *Poſtulandum* 37, ſive ad dicendam Cauſam in Judicio: idque per ſe, vel per Advocatos aut *Procuratores* 38; vel ſi res Univerſitatis aut Collegii agatur, per *Syndicum* 39. Videndum præterea an quid perperam geſtum ſit, quod reſciſſioni locum faciat, per *Reſtitutionem* in integrum, veluti ſi quid per *vim ac metum* 40. fuerit extortum: ſi *Minor* 41. deceptus fuerit, aut læſus; vel Eccleſia, quæ Minorum Privilegio gaudet: aut ſi *Alienatio Judicii mutandi cauſa fuerit facta* 42, aliave juſta occurrat *Reſtitutionis* cauſa. Verùm non rarò pro Judice, *Arbitri* 43. Compromiſſarii ſumuntur conſenſu partium, qui litem componant ſine ſtrepitu forenſi.

TITULUS 34. De Treugua & Pace.
35. De pactis.
36. De Tranſact.
37. De Poſtulando.
38. De Procuratorib.
39. De Syndico.
40. De iis quæ vi metuſve cauſa fiunt.
41. De in Integ. reſtit.
42. De alienat. Judic. mutand. Cauſa fact.
43. *De* Arbitr.

Ordo Libri Secundi Decretalium.

I. Hujus Libri ſumma Capita quatuor.

I. EXEQUITUR hoc Libro Gregorius IX. formam Judiciorum Civilium, & pecuniariorum, ſive ORDINEM JUDICIARIUM, quo tractantur Cauſæ extra crimen poſitæ.

II. Membrum 1. Iudicia in univerſum.

TIT. 1. De Judiciis.

2. De foro competenti.

Quatuor ſunt hujus tractationis ſumma capita, ſive Membra, ad quæ omnes ejus rubricæ revocantur. 1. Judicia in genere, 2. quæ ad litem inchoandam, 3. quæ ad proſequendam, 4. quæ ad eam, tam per inferiorem, quàm per ſuperiorem judicem finiendam ſpectant.

II. Primò quidem *de Judiciis* 1. in genere, & *de foro Competenti* 2. agit, ut oſtendat, cum actor ſequi debeat forum rei, conveniri Clericos debere coram Eccleſiaſtico Judice.

III. Membrum ſeu Pars 2. LITIS INGRESSUS.

3. De Libelli oblat.

III. Incipiendum itaque demonſtrat ab *offerendo Libello* 3, qui Actoris, Rei, ac Judicis nomen contineat, cauſamque ex qua actor adverſus reum experiri velit. Hic verò adverſus actorem non modò idoneam exceptionem proponere poterit: ſed & ſiquid ipſi ab adverſario debeatur,

id

id *Mutuò* 4. *Petere*. Tum *Litem conteſtari* 5. oportet, actore ſcilicet poſtulationem ſive intentionem ſuam, reo defenſionem & contradictionem apud Judicem exponentibus. Et verò *Litis Conteſtatio teſtium receptionem præcedere* 6. debet. Priùs quoque interponendum *Juramentum Calumniæ* 7, quo litigantes jurati affirment, ſe non animo calumniandi aut tergiverſandi, ſed ſui Juris & Cauſæ fiducia ad litigandum accedere. Verùm, quia non ſemper paratas habent cauſæ ſuæ probationes, hac, aliiſque de Cauſis, *Dilationes* 8. aut ipſi petunt, aut etiam ob *Ferias* 9. dandæ neceſſariò ſunt. Præterea certus *Ordo in Cognitione* 10. ſervandus eſt, ut exceptio Rei diſcutiatur: & videndum etiam ne *Plus petat* 11. actor quàm ſibi debeatur: & ſi *Poſſeſſionis cauſa* cum cauſa *Proprietatis* 12. concurrat, illa regulariter priùs examinanda, ut conſtet uter reus, uter actor ſit cenſendus. Imprimis cavendum ut, ſi alter *Spoliatus* ſit, ante omnia *Reſtituatur* 13. Deinde Judici danda quoque opera eſt, ut litigantium *Dolus & Contumacia* 14. coerceatur: Ejus præſertim qui alteri *In poſſeſſionem miſſo* 15. per Judicis Decretum, negotium faceſſit. His adjicitur Regula Juris, qua cautum eſt ne *Lite pendente quidquam innovetur* 16. Excipitur tamen caſus, quo periculum ſubeſt ne interim *Fructus* à poſſeſſore conſumantur, reſque ipſa quæ in controverſiam deducta eſt, deterior fiat: tunc enim fructus ſequeſtro committuntur cuſtodiendi, vel *In Sequeſtrum poſſeſſio* 17. lite pendente *transfertur*; ut cauſa deciſa illi cuncta reddantur, ſecundum quem fuerit pronunciatum.

IV. Poſt hæc litis quaſi exordia, ſequitur ipſa Cauſæ diſceptatio: & ſi quidem actoris intentionem reus *confiteatur* 18, condemnationem ipſe in ſe videtur proferre: alias veniendum eſt ad *Probationes* 19; quarum onus incumbit actori. Earum autem duo maximè genera ſunt, *Teſtes* 20. & Inſtrumenta. Et quidem, ſi aliæ probationes deficiant, poſſunt ex cauſa *cogi Teſtes* 21. ad teſtimonium dicendum. *Inſtrumenta* 22. propriè dicta, ſunt ſcripturæ, præſertim publicæ. His adjunguntur *Præſumptiones* 23, quæ probationum vicem ſupplent, & quandoque eumdem cum probationibus effectum ac vim habent, ſaltem eæ quæ dicuntur Juris & de Jure; adverſus quas non admitti probationem jura ſanxerunt: alioqui ad *Juſjurandum* 24. ei qui negat deferendum valent.

Verùm etſi actor intentionem ſuam probet, non ſemper condemnandus eſt reus. Poteſt enim actioni adverſum ſe propoſitæ *Exceptiones* 25. opponere; in quarum numero frequentiſſima eſt longi aut longiſſimi temporis *Præſcriptio* 26, quæ adverſus Eccleſiam nunc ferè 40. annorum ſpatio finitur.

V. Ubi Probationibus, & Cauſæ adminiculis prolatis dilucidata veritas eſt, FINIS liti à Judice imponi debet. Id per *Sententiam* 27. definitivam fit; quæ niſi intra ſtatuta tempora ab inferiori Judice ad ſuperiorem appellatio interponatur, tranſit in *Rem Judicatam*. Per *Appellationem* 28. verò ſuſpenditur, & non rarò infirmatur. At ſi fortè Clericus appellationis apud Summum Pontificem proſequendæ cauſa Romam verſus iter arripuerit, hæc ei *Peregrinatio* 29. ita prodeſt, ut impedimento ſit, ne quid in ejus cauſa innovetur: longè minùs ii vexari poſſunt qui *Confirmationem* 30. ſententiæ, aut etiam privilegii à ſede Apoſtolica impetrarunt.

4. De Mutuis Petitionib.
5. De Litis conteſtat.
6. Ut lite non conteſtata non proced. ad teſtium recept.
TIT. 7. De Jurament. calumn.
8. De Dilat.
9. De Feriis.
10. De ordin. Cognit.
11. De plus petit.
12. De Cauſa propriet. & poſſeſſ.
13. De reſtitut. ſpoliator.
14. De Dol. & Contum.
15. De eo qui mittitur in poſſeſſ. Cau. rei ſervand.
16. Ut lite pen. nihil innovet.
17. De ſequeſtr. poſſeſſ. & fructuum.
IV. Membrum 3. LITIS PROSECUTIO.
18. De Confeſſ.
19. De probat.
20. De Teſt. & atteſtat.
21. De Teſtibus cogen. vel non.
22. De Fide Inſtrumentor.
23. De præſumption.
24 De Jurejurando.
25. De Except.
26. De præſcriptionib.
V. Pars 4. FINIS LITIS.
TIT. 27. De ſententia & re Judicata.
28. De Appellationib. recuſat. & relat.
29. De Cler. peregrinantib.
30. De Confirm. utili vel inut.

Series Libri Tertii Decretalium.

I. Hujus Libri tres poſſunt Partes aſſignari. *II. Pars* 1. DE BONIS CLERICORUM *internis.* TIT. primus De Vita & honeſt. Cleric. 2. De Cohabit. Cleric. & mulie. 3. De Clericis conjugatis. 4. De Cler. non reſident. in Eccl. vel præb. *III. Pars* 2. DE BONIS CLERICORUM EXTERNIS: *& 1. de Eccleſiaſticis.*

I. POST formam ſive ordinem Civilium Judiciorum, tractat libro 3. Gregorius IX. præcipuam eorum MATERIAM, quam conſtituunt Res Clericorum, tam ſacræ, quàm profanæ. Hujus itaque Libri quadripertita inſtitui diviſio poteſt: ut Prima pars ad bona Clericorum interna, II. ad externa referatur: III. complectatur jura Eccleſiis & Eccleſiaſticis hominibus debita: IV. ipſorum erga alios officia.

II. Ad animi bona pertinent Virtutes quibus oportet Clericos Laicis prælucere: unde initium fit à *Vita ac honeſtate Clericorum* 1. in genere: tum ſpeciatim agitur de Continentia eorum: cui ſervandæ vitanda *Cohabitatio Clericorum & mulierum* 2: & *Clerici* majores *ab uxoribus ſeparandi* 3, quò faciliùs ſanctiúſque munia ſua impleant. Implere autem nequeunt, niſi aſſiduè *Reſideant* 4. in Eccleſia vel præbenda ſua.

5. De præbend. & Dignit. 6. De Clericor. ægrot. vel debil. 7. De Inſtitut. 8. De Conceſſ. Eccleſiæ vel præb. non vacantis. TIT. 9. Ne ſede vacan. aliquid innovetur. 10. De iis quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Cap. 11. De iis quæ fiunt à majori parte Cap.

III. Hinc ad BONA EXTERNA tranſitus fit, quibus Miniſtri Eccleſiæ ad præſentis vitæ ſubſidia opus habent. Horum bonorum alia ECCLESIATICA ſunt, alia patrimonialia. Prioris generis ſunt *Prebendæ ac Dignitates* 5, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, ſive illorum fructus; qui Clericis *Ægrotantibus vel debilitatis* 6. ſubtrahendi non ſunt, aut prorſus denegandi. Acquiruntur autem pleraque Beneficia per *Collationem*, & *Inſtitutionem* 7: per quas tituli eorum dantur à Prælatis: nequaquam tamen *Concedendi niſi Eccleſia vel prebenda vacaverit* 8, nec regulariter ab alio quàm ab Epiſcopo aliove Prælato ad quem Collatio ſpectat: quòd ſi vacaverit Sedes, ſucceſſori reſervatur jure communi Collatio: *Sede* quippe *vacante aliquid innovari* 9. Canones vetant. At ſi Capitulum jus habeat inſtituendi unà cum Prælato, *nihil Prælatus ſine conſenſu Capituli* temerè *Statuere* debet 10, ſive in Beneficiis ejuſmodi conferendis, ſive in rebus aliis ad Capitulum diviſim aut conjunctim pertinentibus: in quibus id prævalet quod *Majori parti Capituli probatur* 11. Cæterùm *in Beneficiorum collatione*, curandum eſt ut *Integra & ſine Diminutione conferantur* 12.

12. Ut Eccleſia. beneſ. ſine Dimin. conferātur. 13. De reb. Eccl. alien. vel non. 14. De Precariis.

Ab adipiſcendarum rerum Eccleſiaſticarum modis ad modos eas adminiſtrandi Gregorius tranſit. Ea in re cavendum imprimis *ne res Eccleſiæ* 13, præſertim immobiles, abſque legitimis & gravibus cauſis, nec niſi ſervatis ſolennibus *Alienentur*. Poſſunt nihilominus, non modò ſteriles, ſed feraces quoque agri, ad exiguum tempus fruendi, nomine *Precariæ* 14, aut titulo emphyteuſeos in perpetuum ferè concedi.

IV. DE BONIS CLERICORUM PATRIMONIALIBUS. 15. De Cōmod. 16. De Depoſit. 17. De emption. vendit. 18. De locat. conduct.

IV. Hactenus de bonis merè Eccleſiaſticis: ſequitur ut de PATRIMONIALIBUS, vel quaſi patrimonialibus Clericorum bonis dicamus; quæ ab ipſis, ſive ex contractu, ſive jure ſucceſſionis acquiruntur, & poſſidentur. Contractus nominati alii re perficiuntur, ut *Commodatum* 15, ac *Depoſitum* 16: alii nudo conſenſu conſtant, videlicet *Emptio venditio* 17, *Locatio conductio* 18. Nam de mandato actum *Lib.* 1. ſub

tit.

Digitized by Google

tit. 38. *de procuratorib.* Societas, quæ lucri faciendi cauſa iniri ſolet, minùs Clericos decet, quos lucri cupidos eſſe prohibet Apoſtolus. Inter Contractus qui dicuntur innominati, uſu maximè frequentatur *Permutatio* 19. 19. De rerum permutat.

Alienationis ſpecies, jure Longobardico & noſtro recepta, eſt *Feudum* 20; cum ſcilicet prædii dominus illud perpetuò utendum fruendum vaſallo ejuſque ſucceſſoribus tribuit, ſub fide, ſive homagii lege, & militiæ aliiſque oneribus: quo genere permittitur certis caſibus Eccleſiæ prædia alienare. Mutuum, alioſque contractus ſolet plerumque ſecuritatis cauſa comitari *Pignus atque alia Cautionum genera* 21, quibus creditor ſibi proſpicit, ut rem ſalvam habeat. Ea de cauſa interveniunt plerumque *Fidejuſſores* 22. Liberantur autem tum fidejuſſores, tum pignora, obligatione perempta, per debiti *Solutionem* 23. Jam *Donatio* 24, quæ gratuita alienatio eſt, ex mera liberalitate proficiſcens, tum ex rebus patrimonialibus, tum ex iis quæ intuitu Eccleſiæ acquiſitæ ſunt, fieri poteſt: ſed ex illis omnino liberè, ex his non ita. Sacrum enim quodammodo habetur *Peculium Clericorum* 25. ex Eccleſia & Clericatu partum: ideoque nonniſi in pios uſus temerè erogandum.

20. De Feudis. 21. De pignorib. & aliis caut. 22. De Fidejuſſ. & uſufr. 23. De ſolut. 24. De Donat. 25. De pecul. Cleric.

Extra contractus, quibus Clerici poſſunt inter vivos ab aliis acquirere, aut res ſuas in alios conferre: poſſunt etiam mortis cauſa ex *Teſtamento* 26, & legitima *Succeſſione* 27 res nanciſci, ſuaſque, præſertim patrimoniales, transferre in alios.

26. De Teſtam. & ult. voluntat. 27. De Succeſſ. ab inteſtat.

Cum verò his duobus ſuccedendi modis mors locum faciat, ad officium Eccleſiæ pertinet ut defunctorum Corpora *Eccleſiaſticæ* tradantur *Sepulturæ* 28: cujus cauſa debentur certa jura *Eccleſiæ Parochiali* 29: debentur & Clericis *Decima* 30, prædiales imprimis, & cum his Primitiæ, aliæque Oblationes.

28. De ſepulturis. 29. De Parochiis & parochianis. 30. De Decim. prim. & oblat.

Quæ hactenus diximus ad Clericos ſeculares ſpectant: alia *Regularium* ratio eſt 31. In his inſpiciendæ ſunt præſertim eorum admittendorum regulæ. Poſſunt autem admitti etiam *Conjugati* 32, non modò ante matrimonium conſummatum, abſolutè: ſed etiam eo conſummato, ſi uterque conſentiat. Quin nec rejiciendi *qui ex Infidelitate converſi ſunt* 33. Cæterùm Regularis vita ex tribus votis 34 ſubſtantiam capit: & quæ ad *Statum Monachorum* pertinent 35, his nituntur quaſi fundamentis. Ea verò in re par eſt conditio Canonicorum Regularium & Monachorum. Porrò Loca ad utroſque pertinentia, & aliæ *Religioſæ Domus* 36. pietatis officiis deſtinatæ; itemque *Capellæ* 37, id eſt Eccleſiæ juri eorumdem obnoxiæ, debent Epiſcopo ſubjectionem, niſi exemptæ probentur.

31. De Regul. & tranſeunt. ad religion. 32. De Converſio. conjugator. 33. De Converſ. Infidel. 34. De voto, & voti Redempt. 35. De ſtatu Monachor. 36. De Religioſ. Domib. 37. De Capell. Monachor.

V. Sequitur ut videamus de variis ſubjectionis generibus, quibus Clerici, eorumve Eccleſiæ obſtrictæ ſunt, aliquando Laicis, plerumque ſuperioribus Clericis; deque Miniſteriis, quæ populo à Cleris exhibenda ſunt. Subjectæ ſunt Eccleſiæ quædam *Juri Patronatus* 38. quo præſertim continetur facultas Epiſcopo præſentandi Clericum idoneum, inſtituendum ad beneficium, quod quis ſive ex rebus Eccleſiæ ſive ex patrimonialibus conſtituit: unde hoc jus non minùs in laicos, quàm in Clericos cadit. Alia Prælatis tantùm debentur, nimirum *cenſus* 39. ſive annua penſio, cujus nunc uſus apud nos ferè obſolevit, & *procuratio* id eſt li-

V. Pars 3. de Juribus Eccleſiaſticorum. 38. De jure patronat. 39. De Cenſ. Exact. & procurat.

eſt liberalis exceptio ac victus congruus viſitanti Prælato ejuſque comitibus præſtandus.

6. Pars 4. De OFFICIIS CLERICORUM *in laicos.*
40. De Conſecrat. Eccleſ. vel Altar.
41. De Celebra. Miſſar. & Sacr. Euchariſt. & divinis officiis.
42. De Baptiſmo & ejus effectu.
43. De Presbyt. non baptiz.
44. De Cuſtodia Euchar. &c.
45. De Reliquiis, & venerat. ſanct.
46. De obſervat. Jejunior.
47. De Purific. mulier. poſt partum.
48. De Eccleſ. ædific. vel repa.
49. De Immun. Eccleſiar. & Cœmeter.
50. Ne Cler. vel Monac. ſecular. negot. ſe immiſ.

VI. Clericorum in laicos plura ſunt munia. Primum ſpectat ad verum Numen in commune certo ritu colendum. Id *in Eccleſia conſecrata* fieri debet 40, ubi ſacroſanctum *Miſſæ ſacrificium cæteraque Divina officia celebrantur* 41. Deinde *Baptiſmi* ſolennis collatio 42: quæ à presbytero, etiam non baptizato, facta valet 43: quamquam is qui ſalutari lavacro tinctus non fuerit, reliqua ſacerdotii munia ritè exercere non poſſit, niſi baptizetur atque iterum ordinetur. Dare quoque operam debent Sacerdotes, ut in Eccleſia mundè *Cuſtodiantur* 44 *Euchariſtia, Chriſma*, aliæque res ſacræ. Tradenda etiam ibidem Doctrina Chriſtiana atque Catholica, tam de rebus de quibus inter omnes conſtat, quàm de iis quæ in dubium ab hæreticis revocantur; veluti *de Reliquiarum & Sanctorum veneratione* 45, *de Obſervatione Jejuniorum* 46 & *de Purificatione mulierum poſt partum* 47, quæ citra Judaicam ſuperſtitionem cum Chriſtiana reverentia ſervatur, reddendis ſcilicet Deo gratiis. His de cauſis novas *Eccleſias*, ſi plebs aucta fuerit, auctore Epiſcopo, *Ædificari*, vetereſque *reparari* 48 neceſſe eſt: idque onus rectoribus ferè incumbit, qui Decimas alioſve cujuſque loci reditus pro majori ex parte percipiunt. *Immunitatem* verò *Eccleſiarum & Cœmeteriorum* 49, ac jus aſyli eis tueri clerici debent: ita tamen ut atrocia facinora penitùs impunita non remaneant. Denique oportet *Clericos & Monachos* plebi exemplum ſanctitatis præbere: atque, ut orationi ac rebus divinis aſſiduè vacent, danda opera *Ne ſæcularibus negotiis ſe immiſceant* 50.

Ordo Libri Quarti Decretalium.

I. Diviſio totius Libri.

I. CIVILIUM fori Eccleſiaſtici in Laicos Judiciorum materia præcipua eſt Matrimonii Sacramentum, eòque pertinet totus hic Liber Quartus. Quæ in illo tractantur, ad ſumma tria Capita poſſunt reduci: 1. ad ſubſtantiam nuptiarum, ſive ad Matrimonium contrahendum: 2. ad impedimenta Matrimonii: 3. ad ejus ſolutionem, & ſoluti effectus.

II. Pars 1. de CONTRAHENDO MATRIMONIO.
TITULUS 1. De Sponſal. & Matrim.
2. De deſponſa. Impuberum.

II. Verùm quia ſolent *Sponſalia* Matrimonium præcedere, ſciendum eſt ea in duo genera Jure Canonico diſtingui: alia dicuntur *de præſenti*, quæ Matrimonium imitantur jure Decretalium: alia in *futurum* conferuntur, quæ propriè ſponſalia ſunt. Primò itaque hujus Libri Titulo explicantur *Sponſalium & Matrimoniorum* 1 requiſita in genere; in his autem eminet contrahentium conſenſus mutuus. Requiritur præterea pubertas in Matrimonio: nam *Sponſalia contrahere impuberes* 2. *non prohibentur*; quæ & per eorum parentes ritè contrahuntur.

III. Pars 2. de IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

III. Deinde, quia per Canones, non minùs quàm per leges, cuivis cum qualibet Nuptiæ non permittuntur, agitur ſequentibus titulis de vitiis ſive IMPEDIMENTIS quæ obſtant matrimonio. Eorum alia ejuſmodi ſunt ut non modò Nuptias impediant contrahendas, ſed etiam contractas dirimant, aut nullas & omninò inutiles efficiant: alia ſunt,

tan-

tantùm prohibitoria. *Clandeſtini* 3 vitium, nunc ad primum genus refertur ex Concilio Tridentino. Ejuſdem generis habentur *Sponſalia* de præſenti priùs contracta *cum alia perſona* 4: non ita Sponſalia de futuro. *Conditio* quoque *Sponſalibus addita* 5, ſi Matrimonii ſubſtantiam evertat, illud irritum efficit: non ſi turpis dumtaxat, aut impoſſibilis ſit. Hæ quippe conditiones circumducuntur, & pro non ſcriptis habentur. Votum quoque, non quidem privatum, ſive ſimplex; ſed *Solenne*, aut *ordinis ſacri* 6. ſuſceptioni inhærens, conjugium inutile reddit. *Adulterium* prætereà, ſi cum machinatione in necem conjugis conjunctum ſit, Nuptiis inter adulteros prorſus obeſt 7. Iis tamen nec *Lepra* 8, nec *Servitus* 9 obſtant: niſi ex errore perſonæ liberæ cum ſervili tanquam libera contrahentis: alioqui nec liberis ex ſervo natis nocet, quantùm ad ſtatum, ſi ex *Libera matre* fuerint *procreati* 10. Sed inter præcipua Matrimonii impedimenta haud dubiè numeratur *Cognatio*, quæ triplex eſt, *Spiritualis* 11 ex Sacramentis Baptiſmi & Confirmationis: *Legalis* 12, ſive Civilis, ex Adoptione: & *Naturalis*, ſive ex illicito coitu 13 ſive ex licito: itemque *Affinitas*, ſi Matrimonium ſeu Nuptias præcedat. Cognationem omnem naturalem *Conſanguinitatis* 14 nomine comprehendunt Canones, at Jure Civili Conſanguinei propriè dicuntur fratres ac ſorores eodem patre geniti. His adjicitur *Impotentia coeundi* 15. Secundi generis Impedimentum oritur ex *Interdicto Eccleſiæ* 16.

Sequitur præcipuus Matrimonii Effectus, ut ſuſcepti ex eo *Liberi Legitimi* 17. ſint.

Sed *Matrimonii* Vitia proponere, ſive *Accuſare* 18 & contra illud teſtificari *poſſunt* Parentes præſertim & Cognati. Admittuntur & extranei ad eam accuſationem, ſi maturo conſilio id ex conſcientia faciant, ut veritas Impedimentorum, ſi quæ ſint, eluceſcat.

IV. Si juſta cauſa apparuerit, pronunciatur *Divortii* 19 ſententia, vel nullum ab initio fuiſſe Matrimonium declaratur: niſi ejuſmodi cauſa ſit, quæ ſeparationem tantùm conjugum, non plenum divortium inducat. Inter Acceſſoria Matrimonii eſt *Dos*, quæ ad expedienda Matrimonii onera marito datur ex parte uxoris; & *Donatio propter nuptias*, quæ in uxorem confertur à marito, aliæque inter eos *Donationes* 20. Earum ratio habetur ſoluto juſtis ex Cauſis Matrimonio. Quod ſi primæ Nuptiæ inutiles fuerint pronunciatæ, aut alterius morte ſolutæ, ſuperſtiti licet abſque infamia ad *Secundas Nuptias* 21 convolare.

3. De Clandeſtina deſponſat.
4. De Sponſa duor.
5. De conditionib. appoſit. in deſponſat. &c.
6. Qui Clerici vel voventes &c.
7. De eo qui duxit in Matrim. quam polluit per adulter.
8. De conjug. leproſor.
9. De conjug. ſervor.
10 De natis ex lib. ventre.
11. De Cognat. Spirituali.
12. De cognat. legal.
13. De eo qui cognovit. conſang. uxoris.
14. De Conſanguinit. & affinit.
TIT. 15. De Frigidis & malefic.
16. De Matr. contracto contra interd. Eccleſiæ.
17. Qui filii ſint legit.
18. Qui Matrim. Accuſare poſſint, &c.
IV. Pars 3. de ſolutione Matrimonii, & diſſoluti effectibus.
19 De Divortiis.
20. De Donat. inter virum & uxorem &c.
21. De Secundis Nuptiis.

Series

Series Libri Quinti Decretalium.

I. Membra hujus Libri tria.

I. HOC poſtremo *Libro* agitur de iis quæ ad *Criminalia Judicia* pertinent : quæ tractatio in tria generalia membra dividitur. Diſſerit enim Gregorius, 1. de MODIS INSTITUENDI JUDICII CRIMINALIS : deinde de CRIMINIBUS ipſis, quæ horum Judiciorum materiam conſtituunt: ac denique de POENIS CANONICIS, quibus Crimina puniuntur, & finiuntur ea Judicia.

II. Membrum 1. Modi Judicii Criminalis inchoandi.

TIT. 1. De Accuſat. inquiſit. & denuntiat.

II. Initio itaque tres modi indicantur inchoandi Criminale Judicium, *Accuſatio* nempe, *Inquiſitio* & *Denunciatio* 1.

III. Membrum 2. Crimina.

2. De Calumniator.
3. De Simonia, &c.
TIT. 4. Ne Prælati vices ſuas vel Eccleſias, &c.
5. De Magiſtris &c.
6. De Judæis, Saracenis &c.
7. De Hæreticis.
8. De Schiſmat.
9. De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.

III. Criminum quædam in ipſo judicio committuntur, veluti *Calumnia* 2: pleraque extra & ante judicium. Eorum alia communia ſunt, tam Laicis, quàm Clericis: alia Clericorum propria. Prioris generis Crimina vel in Deum ipſum committuntur, vel Proximum lædunt. Divinam majeſtatem offendunt primò quidem *Simonia* 3, qua ſpiritualia temporalibus commutantur, & quaſi venduntur & emuntur. Ejus duæ ſunt ſpecies, quæ ad Simoniam ideò referuntur, quòd per Canones prohibitæ ſint: Altera, ſi *Prælati Eccleſias vicesvè ſuas ſub annuo cenſu concedant* 4 & quaſi locent: Altera eſt ſi Prælati *à Magiſtris*, qui gratis Clericos vel pauperes docent, aliquid exegerint pro concedenda ipſis *Licentia docendi* 5. Sequuntur alia in Deum Crimina, quæ ad religionem ferè pertinent, *Judaiſmus* ſcilicet & *Mahometiſmus*, quas ſuperſtitiones amplectuntur *Judæi & Saraceni* 6: tum *Hæreſis* 7 & *Schiſma* 8 ſive ſeceſſio ab Eccleſia Catholica : itemque *Apoſtaſia* 9, tum à vera fide ad idololatriam, tum à ſtatu Religioſo ad ſecularem vitam : cui adjungitur etiam Anabaptiſmus, ſive *Baptiſmi iteratio*.

10. De iis qui filios occiderunt.
11. De Infant. & languid. expoſitis.
12. De Homici. volunt. vel caſual.
13. De Torneamentis.
14. De Cler. pugnât. in Duello.
15. De Sagittariis, & Balliſtar.

In Proximum committuntur Crimina, quibus aut alterius vita appetitur, aut honos & fama ſive exiſtimatio læditur, aut etiam eripitur vel imminuitur res familiaris. Ea ſunt primò *Parricidium*, quod non modò à liberis in parentes, ſed & vice verſa ab iis perpetrari intelligitur qui *Filios occidunt* 10; quibus annumerantur qui *Infantes & languidos exponunt* 11 aliorum miſericordiæ, quam ipſi non habent. Proximum eſt *Homicidium*, quod aut *voluntarium* eſt, *aut caſuale* 12. Ad voluntarium referuntur *Torneamenta* 13, ſive cruenta haſtiludia: & magis adhuc *Duella* 14, ſive Monomachiæ & ſingularia certamina; quæ cum omnibus Chriſtianis vitio vertantur, *Clericis* maximè indigna & impia habentur. Eodem pertinet Ars *Sagittariorum & Balliſtariorum* 15. ſacris Conſtitutionibus improbata.

16. De Adulter. & ſtupro &c.
17. De Raptoribus, incendia. & violator. Eccl.

Agitur poſteà de *Adulteriis & ſtupro* 16. aliiſque illicitis conjunctionibus: ac deinde *de Raptoribus* 17 ſive de iis qui Virgines aut viduas rapiunt, deque iis qui aliena bona invadunt, vel qui *Eccleſias* per ſacrilegium *violant*.

18. De Furtis.
19. De Uſuris.
20. De Crimin. falſi.
21. De Sortileg.
22. De Colluſ. detegenda.

Sequuntur *Furta* 18, & non abſimiles furtis *Uſuræ* 19: itemque *Falſi Crimen* 20, quo plerumque homines ad fraudandum re ſua proximum utuntur: ut & *Sortilegiis* 21 ac maleficiis ad damnum eidem inferendum. Accedit ad hæc *Colluſio* 22. accuſatoris cum reo, quo judicium inter-

ver-

Digitized by Google

vertitur, ut reus contra jus abſolvatur. Illud quoque advertendum eſt in *Delictis* puniendis, *Puerilis* ætatis infirmitati 23 aliquatenus indulgeri.

23. De Delict. puer.

Hactenus actum eſt de criminibus quæ communia ſunt, tam Laicis, quàm Clericis: videamus ea quæ Clericis magis crimini vertuntur, veluti *Venatio* 24 cruenta ac tumultuoſa: *Percuſſio* 25. ſeu verberatio alterius: atque in fratres *Maledicentia* 26.

24. De Clerico venatore.
TIT. 25. De Clerico percuſ.
26. De Maledicis.

Subjiciuntur ea quæ omnino Clericorum propria ſunt. Horum alia circa ipſum ordinem exercendum aut ſuſcipiendum verſantur: nimirum ſi *Excommunicati*, *depoſiti* vel *interdicti* ſacra *adminiſtrent* 27; ſi in *Ordine*, *quem non acceperunt, miniſtrare* præſumant 28; ſi *per Saltum* ad Majorem Ordinem, prætermiſſo 29 inferiori, ſe promoveri curaverint: aut ſi *Furtim* & ſine examine fuerint *Promoti* 30.

27. De Cler. excomm. depoſ. vel interd. miniſtrante.
28. De Cleric. non ordinato miniſtr.
29. De Cler. per ſaltum promoto.
30. De eo qui furtivè ordin. ſuſcepit.

Præterea peccare poſſunt, tum *Prælati excedendo* juriſdictionem ſuam in inferiores, tum *Subditi* à ſubjectione ſuperioribus debita *Recedendo* 31. Peccant etiam in pares ſi *Novum aliquid* præter jus, in alios audeant, vel uſurpent; quo caſu qui læditur *Novum opus nunciare* 32 poteſt. Delinquunt & ratione *Privilegiorum*, tam qui ea violant, quàm qui eis abutuntur 33. Sed quoniam, qui alicujus criminis reus agitur, aut eò nomine infamia laborat, non ſemper convinci poteſt per idoneos teſtes, aut aliis certis argumentis: inventum eſt remedium *Purgationis Canonicæ* 34; exploſa *Vulgari* 35, qua Deus tentabatur.

31. De exceſſibus Prælat. & ſubditor.
32. De Novi oper. nunciat.
33. De privil. & exceſſib. privilegiator.
34. De Purgat. Canonica.
35. De Purgat. vulgari.

Subjicitur Titulus *de Injuriis & Damno dato* 36: cujus hìc collocandi tituli non alia facilè ratio occurrit, quam quòd Injuria & Damnum inferatur iis qui falsò accuſati ad Purgationem adiguntur: alioqui enim hæc delicta iis annumeranda erant, quæ tam à Laicis, quàm à Clericis contra proximi honorem aut bona committuntur.

36. De Injur. & Dam. dato.

IV. Hæc ad varia criminum genera pertinent, quæ in Eccleſiaſtico foro agitantur: ſupereſt ut explicentur eorum POENÆ CANONICÆ. De his generatim 37 prius differitur: deinde verò ſpeciatim *de Pœnitentiis* 38, quæ ſecundum Canones cuique crimini infliguntur: tum *de Excommunicatione* aliiſque cenſuris, *Suſpenſione*, *Interdicto* 39. Denique exemplo Digeſtorum Juſtiniani, finem operi Gregorius imponit adjectis generalibus Titulis *de Verborum ſignificatione* 40, & *de Regulis Juris* 41.

IV. Membrum 3. Pœnæ Canonicæ.
37. De Pœnis.
38. De Pœnitentiis & remiſſionib.
39. De Sentent. excommunic.
40 De verbor. ſignif.
41. De Regul. juris.

CAPUT XX.

De Rubricis Decretalium & allegandis earum locis.

I. UT in reliquis, ita in Librorum partitione, Codicem Juſtiniani Gregorius IX. ſeu potius Bernardus Papienſis, ut jam diximus, imitatus eſt in ſua Collectione. Exemplo itaque Codicis, conſtant harum quoque Decretalium Libri *Titulis*: Tituli in capita, ſive *Capitula*, dividuntur: hæc ubi prolixiora ſunt, in *Paragraphos*.

1. Comparantur Tituli Decretalium cum titulis Codicis.

II. Tituli, *Rubricarum* nomine intelliguntur, quòd olim Rubrica ſive minio

2. Unde dictæ Rubricæ, & ea-

Prænot. Canonic. Doujat.

rum in Decretalibus numerus, atque Index.

minio notarentur. Sunt autem in toto Decretalium opere Rubricæ ſive Tituli omninò 185. Earum quinque ſuprà octoginta ex Juſtiniani Codice deſumptæ ſunt. Integrum omnium ordinem oratione ſoluta, & per ſingularum vocum indicia, ſtricta oratione, videre eſt in omnium Editionum fronte. Capitum quoque index alphabeticus indici Rubricarum ſubjici conſuevit.

3. Quomodo laudentur loca ſive auctoritates Decretalium.

III. In laudandis Decretalium locis hæc ratio ſervatur, ut Capituli, quod citatur, primæ voces, aut numerus, vel cum numero verbum initiale præmittatur; atque interjecto vocabulo *extrà*, vel *apud Gregorium*, ſubjiciantur verba Rubricæ, ſive Tituli ſub quo caput illud poſitum eſt: ſed plerumque abbreviata. Exempla rem clariorem efficient: veluti *capitulo cum in cunctis 7.§.inferiora, extrà, de Electione & Electi poteſtate.* Item *cap.tuam non credimus, in parte deciſa, de ordine cognitionum apud Gregor. Cap. ut famæ 35.verſ.& utrùm, in part.dec.de Sentent. Excommunic.*

4. Abbreviationes & notæ,ubi.

IV. Abbreviationes & Notas utriuſque juris quas diſciplinæ Canonicæ ſtudioſis familiari uſu cognitas eſſe oportet, utpote ſine quibus allegationes intelligi nequeant: in fine ſynopſis Iſagogicæ juris Pontificii, atque in Appendice Inſtitutionibus Lancelotti adjecta, in gratiam Tironum, adſcribi curavimus.

CAPUT XXI.

De Sexto Decretalium.

1. Quando & ex quibus compoſitus fuerit Sextus Decretalium.

I. POST Quinque Decretalium Libros à Gregorio IX. editos, duobus voluminibus conſtare cœpit Juris Pontificii corpus, Decreto ac Decretalibus; atque in eo ſtatu per annos paulò minùs 70. Jurisprudentia Canonica manſit. Conditæ quidem à ſequentibus Pontificibus fuere Conſtitutiones non paucæ: ſed nonniſi circa annum 1300. in unum volumen digeſtæ fuerunt. Id Bonifacii VIII. opera contigit, qui partim ſuas, partim ſuperiorum poſt Gregorium IX. Pontificum, ipſiuſque Gregorii poſteriores Decretales collegit, & ſimul cum illis duorum Conciliorum generalium Lugdunenſium Decreta: quorum alterum anno 1245. ſub Innocentio IV. alterum anno 1274. ſub Gregorio X. habita fuerant.

2. Unde Sexti appellatio.

II. Hæc Compilatio SEXTI nomine ab auctore donata eſt, quòd Librum ſuum Quinque Libris voluminis Gregoriani annecti voluerit: ut totum Decretalium opus ſenarium Librorum numerum, illo adjuncto, complectens, perfectam, ut ipſe ait, in rebus agendis formam tribueret, & in moribus diſciplinam. Etenim ſenarius numerus perfectus habetur. Addit Bonifacius in præfatione, ſe ab inſtituto deceſſorum ſuorum, collectorum ſcilicet priorum, & præſertim Innocentii IV. & Gregorii X. de quibus gloſſa, *verbo morem prædeceſſorum*, diſceſſiſſe. Illi enim novas à ſe promulgatas conſtitutiones, unà cum antiquis, uni & eidem volumini ſub eadem ſerie, iiſdemque titulis inſeri juſſerant: Se verò ideò Compilationem ſuam ſeorſim edidiſſe, ne inutilia fierent

Gre-

Gregorianæ Collectionis Exemplaria, & nova hæc editio minoribus impenſis comparari poſſet. Quæ quidem cautio eò magis illis temporibus neceſſaria videbatur, quòd nondum cognita eſſet ars typographica.

3. Per quos hoc opus à Bonifacio perfectum, & qua methodo.

III. Hunc *Sextum Decretalium* Librum Bonifacius per venerabiles Gulielmum de Mandagotto Archiepiſcopum Ebrodunenſem, & Berengarium Fredoni Biterrenſem Epiſcopum, perque Magiſtrum Richardum de Senis ſanctæ Romane Eccleſiæ vice Cancellarium Juris utriuſque Doctorem (qui omnes poſteà ad Cardinalitiam dignitatem evecti ſunt) ita recenſeri feciſſe docet, ut pluribus ex ipſis Decretalibus (cum vel temporales, aut ſibi ipſis vel aliis juribus contrariæ, ſeu omninò ſuperfluæ viderentur) penitùs relecatis: reliquas, quibuſdam tamen abbreviatis, & aliquibus in toto vel in parte mutatis, correctis, detractis, additis non paucis, prout expedire viderit, in unum Librum, cum nonnullis ſuis Conſtitutionibus, redigi mandaſſe.

4. Idem ordo hujus Sexti & Decretalium Gregorii.

IV. Conſtat autem hæc Sexti Collectio totidem Libris quot & Gregoriana; atque in ejus quinque Libris idem Titulorum ordo ſervatur: adeò ut videatur hic Sextus anterioris illius Collectionis appendix, eidem Decreta poſteriora ſupplementi loco adjiciens. Sed quamvis in Libros quinque diſtincta ſit hæc Compilatio ſuperioris imitatione: mole tamen ſua vix ſingulos Decretalium Libros tota exæquat.

5. Tempus Sexti editi, & Titulorum, ac Capitulorum Numerus.

V. Præter Conciliorum Lugdunenſium placita, continet Sextus Decretales per octo Pontifices a Gregorio uſque IX. & anno 1230. aut circiter, ad Bonifacium VIII. & annum 1298. editas: ut conſtat ex die quo data eſt hæc Collectio, notato in extremo libro quinto: Nonis nempe Martii Pontificatus Bonifacii anno 4. *Titulos* habet novem & ſeptuaginta, atque in his capita 359.

6. Inſcriptiones quædam dubiæ.

VI. Inſcriptio capitis primi de Præbendis, quæ in quibuſdam Codicibus Clementem III. autorem præfert, non parùm ſuſpecta eſt, eò quòd Clemens III. annis 39. antè Gregorii IX. Compilationem è vivis exceſſerit: Bonifacius autem VIII. in præfatione Sexti profiteatur ſe iis tantùm Decretalibus colligendis operam dediſſe, quæ poſt volumen à Gregorio IX. compilatum editæ eſſent. Simili de cauſa dubiæ quoque ſunt nonnullæ aliarum Collectionum Epigraphæ.

7. Forma allegandi loca hujus Libri.

VII. Citantur ex hoc Libro loca eodem ferè modo & formula, ac ex Gregorii Decretalibus, niſi quòd, loco particulæ *Extra*, aut vocum duarum *Apud Gregorium*, ſubjiciuntur verbis cujuſque rubricæ hæ voces *in Sexto*, vel *Libro ſexto*, aut *apud Bonifacium*: veluti, *Cap. ubi periculum 3. de electio. lib. 6.* aut *in VI.*

CAPUT XXII.

De Clementinis.

1. Quis autor Clementinarum.

I. POST Benedictum XI. aliàs X. Bonifacii VIII. ſucceſſorem, CLEMENS V. Aquitanus, Avenione ſedit. Is Conſtitutiones ge-

neralis Concilii *Viennenſis*, cui præfuit anno 1311. una cum nonnullis aliis ſuis Conſtitutionibus atque Epiſtolis Decretalibus, ante, aut poſt prædictum Concilium emiſſis, colligi curavit, atque ad editionem parari.

2. A quo & quando ea promulgatæ.

II. Sed eo ante promulgationem defuncto, proximus ejus ſucceſſor *Joannes XXII.* eas autoritate publica donatas edidit VIII. Kalendas Novembres anno ſecundo Pontificatus ſui, quemadmodum in Epiſtola ſeu præfatione huic Collectioni præfixa teſtatur: id eſt anno Chriſti 1317.

3. De hac Collectione qui proximis temporibus ſcripſerint.

III. De hac Compilatione videndus Martinus Polonus in Vita Clementis V. & autor Anonymus Vitæ ejuſdem Pontificis: itemque Gloſſa Clementinarum in hæc præfationis verba, *De cætero in judiciis*, verſiculo *Circa hæc ſciendum*: ubi de Concilii Viennenſis Decretis agit Gloſſator, notatque aliquas ex his Conſtitutionibus à Joanne XXII. correctas.

4. Unde Clementinarum nomen; & earum ordo.

IV. Hæ Conſtitutiones, quòd ſolum *Clementem* quintum, partim per ſe, partim per Synodum univerſalem ab eodem celebratam, autorem habeant, CLEMENTINÆ dictæ ſunt: licèt autor ſub titulo Libri VII. *Decretalium* vulgare deſtinaſſet. In iis idem Ordo, qui in ſuperioribus Collectionibus eſt obſervatus.

5. Numerus Titulorum & Capitum.

V. Rubricas in quinque Libros ſparſas, numero 51. Capitula 107. complectitur hæc Compilatio.

6. Allegandi modus.

VI. In laudandis ejus locis, idem ſervatur modus, qui in citandis Gregorii Decretalibus, ad finem tituli citati adjectis duabus vocibus *In Clementinis*: vel ita, ut laudetur unaquæque Decretalis ſub nomine *Clementinæ*, adjecto deindè titulo ſub quo ea continetur. Exempli cauſa: *Cap. unico de homicidio, in Clem.* aut, quod idem eſt, *Clementina, ſi furioſus, de homicid. volunt. & caſuali.*

CAPUT XXIII.

De Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

1. Extravagantium in genere appellatio unde.

I. OBSERVATUM anteà eſt omnes Pontificias Conſtitutiones poſt Decretum Gratiani compoſitas, Communi EXTRAVAGANTIUM nomine deſignatas fuiſſe, eò quòd *Extra* volumen illud recepti priùs juris vagarentur: ideoque & primam earum Compilationem ſub titulo *Breviarii Extravagantium* à Bernardo Papienſi editam.

2. Cur Decretales Gregorii per vocabulum extrà intelligantur.

II. Verùm poſtquàm in lucem exiit Collectio Gregorii IX. cum non ampliùs vagarentur Decretales in ea comprehenſæ, utpote jam certum in corpus atque ordinem redactæ, & Pontificia munitæ autoritate, & tamen extra primum juris Corpus conſiſterent; Doctores ejus temporis indicandæ huic Collectioni ſolum vocabulum *extrà* retinuerunt.

3. Novæ Conſtitutiones Extravagantes dicuntur.

III. Ab eo tempore nomen *Extravagantium* ad novas Conſtitutiones translatum eſt, quæcumque corpori Juris inſertæ non eſſent. In eo tamen extant hodiè duæ *Extravagantium* Compilationes, una Joannis XXII. altera plurium Pontificum, quæ Communes vocantur.

IV.

IV. Joannes enim XXII. vulgò nuncupatus, Avenione 4. Idus Novembris, anno Pontificatus ſui nono, id eſt Chriſti 1325. proprias Conſtitutiones numero 20. ſub 14. titulis uno libro promulgavit. Hæ idcircò, ni fallor, Extravagantium nomen retinuerunt, quia licèt ab autore robur habere juſſa videatur hæc Collectio, ut cui ad finem addita fuerit ſolennis clauſula *Nulli ergo* &c. tamen non, ut priores Collectiones, ſpeciali Reſcripto confirmata atque ad Univerſitates ſtudiorum tranſmiſſa invenitur. Idque ideò videri poteſt prætermiſſum à Joanne XXII. quod in animo habuerit pleniorem, procedente tempore, ſuarum Decretalium Collectionem componere. Et verò in Compilatione ſequenti plures, quàm in hac, occurrunt ejuſdem Joannis XXII. Conſtitutiones, nempè 29. pleræque hac Collectione anteriores: & clauſula confirmatoria, *ad Capit. ult. de verbor. ſignif.* adjecta potuit ad illam ſolam Decretalem referri: nam ea clauſula in aliis quoque ejuſdem ſequentis Compilationis Conſtitutionibus reperitur. *4. Extravagantes Joannis XXII.*

V. At quæ *Communes Extravagantes* dicuntur, ideò nomen Extravagantium, quod priùs habebant, nunc quoque, licèt in Juris Pontificii Corpus tranſlatæ, retinent, quòd hæc Collectio non autoritate Pontificia, ſed privati hominis ſtudio, fuerit concinnata. Id paulò poſt annum Chriſti 1484. videtur contigiſſe. Etenim *Capitulum 2. Tituli de reliquiis & veneratione Sanctorum*, quæ, ſi tempus ſpectetur, poſtrema Decretalis eſt hujus Compilationis, à Sixto IV. edita eſt anno 1483. Vocantur autem *Communes* quòd, non unius Pontificis Romani ſint, quemadmodum Extravagantes Joannis XXII. ſed complurium, nempe quinque & viginti Pontificum, ab Urbano IV. (ſi vera eſt inſcriptio prior cap. 1. de ſimonia) ad Sixtum IV. prædictum, qui per annos pluſquam 220. ſedem Apoſtolicam tenuerunt, ab anno 1262. ad 1483. *5.*

VI. Diſtincta eſt hæc Collectio in Libros quinque, ſicut Gregoriana, compleċtiturque Titulos 35. Capitula 74. Ejus loca ſic laudantur: *Cap. ſuper Cathedram, 2. de ſepulturis, in Extravagantibus communibus*; vel *in communib.* aliàs *Extravagante communi ſuper Cathedram, de ſepultur.* Ex ſuperiore autem Collectione ita citantur Capitula, *Cap. execrabilis, de præbendis & dignit. in Extravag. Joannis XXII.* ſive, *Extravag. 1. Joan. XXII. de præbendis.* *6. Diviſio Extravagantium communium, & earum ac præcedentium citatio.*

VII. Hæ ſunt Canonum, id eſt Decretorum, & Decretalium, ſex Collectiones, quibus conſtat Corpus juris Canonici, quo vulgò utimur. Sed cum novæ negotiorum formæ, identidem emergentes, nova in dies Legum remedia poſtulent: inſecuti Pontifices, numero 28. magnum Decretalium numerum, ſub *Extravagantium* aut *Bullarum* nomine, ad hæc tempora protulerunt. Concilia quoque generalia quinque habita ſunt, *Conſtantienſe, Baſileenſe, Florentinum, Lateranenſe V. & Tridentinum*; præter Provincialia benè multa. Ex his novam fieri Collectionem, autoritate publica munitam, non parum fortè intereſſet rei Chriſtianæ. Ejus ſpecimen aliquod tentatum à nonnullis, ut mox oſtendemus, ubi de autoritate Decretalium dixerimus. *7. De poſterioribus Extravagantibus.*

CAPUT XXIV.

De Autoritate Decretalium Gregorianarum, Sexti & reliquarum Collectionum.

1. Decretales habent autoritatem Pontificiam ab ipſo Gregorio.

a In vita Henrici III. Anglor. Regis.

I. DE majorum Decretalium per Gregorium IX. Editione ita loquitur Matthæus Paris [a]: *Decretales ſub quodam compendio eleganter abbreviatas, & collectas, ſolenniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit, & promulgavit.* Differt Collectio Decretalium Gregoriana, à Gratianæa Decretorum Collectione, quòd illa Pontificiam autoritatem adjunctam habeat, ipſius Gregorii IX. ſpeciali Epiſtola loco præfationis præfixa, apertè declaratam: Vult enim ut hac Compilatione univerſi utantur in Judiciis & in foris: quod quamvis aliquatenus in Gratiani volumine receptum ſit, id tamen nulla nititur Conſtitutione; ſed uſu dumtaxat & tacito conſenſu valet, ut ſuo loco diximus.

2. Potior autoritas Decretalium quàm Decreti.

b De jure ſacro.

II. Hinc apparet hujus Decretalium Collectionis non minus, imò etiam majus eſſe robur, quàm Collectionis illius Decretorum. Ideò non ſine cauſa Boetius Epo [b] in eos invehitur, qui Decretales præ Decretis contemnendas eſſe putant; quaſi non omnes auctorum Claſſes in utroque volumine eædem ſint; aut quaſi Pontificum comprobatio legitimis Conciliis, & vice verſa Conciliorum aſſenſus & veneratio pontificiis Decretis, accedere & utraque autoritas amicè in idem convenire non debeat.

Nemo certè negare poteſt quin poſteriora jura prioribus potiora haberi conſueverint, ex recepta *l. ult. Dig. de Conſtitutionibus Principum.* Publicam igitur, certamque harum Decretalium vim, atque autoritatem eſſe ambigendum non eſt: quæ in Regionibus quidem quas Obedientiæ vocant, abſolutè: in Gallia provinciiſque liberioribus, maxima ex parte viget; niſi ſi quæ Conſtitutio, aut non ſtatim in uſum recepta, aut contraria poſteà vel Conſtitutione, vel Conſuetudine fuerit inumbrata.

3. Rationes indicat P. Marca.

c Lib. 3. de Concord. Sacerdotii & Imperii c. 6.

III. Et verò rectè Illuſtriſſ. Petrus de Marca [c] Decretalium autoritatem ac neceſſitatem ex duobus maximè capitibus probat. I. quòd Judiciorum Eccleſiaſticorum poteſtas præcipua, quæ olim in pleriſque Cauſis penes Synodos provinciales erat; poſtquàm hæ frequentari deſierunt, in ſummum Pontificem neceſſariò transferenda fuerit: cui & de iis rebus quæ ad ipſum diſceptabantur, condendarum Conſtitutionum incubuerit onus. Sed præterea præſcribendæ fuerunt formulæ Cognitionum, tam in Curia Romana & Tribunali Pontificio, quàm in provinciis per delegatos, Pontificum reſcriptis Judices, inſtituendarum: cum hæ anteà in Eccleſia minùs ſolenni ordine exercerentur. II. Quòd nova Eccleſiaſticæ politiæ ratio, ſeu facies introducta, novum quoque judiciorum uſum poſtulaverit. Ea verò pluribus ex cauſis orta, atque imprimis ex Beneficiorum ab Ordinationibus ſejunctione, ex Impedimentis Matrimonii ad tuendam publicam honeſtatem in-

tro-

Digitized by Google

troductis, & revocata ad ſolum Eccleſiaſticum forum hujuſmodi, aliarumque Cauſarum cognitione: ex temperato deinde Excommunicationum & publicæ Pœnitentiæ rigore; ex multiplicibus Monachorum & regularium generibus, & conceſſis cuique Ordini, Monaſterio, aut Collegio exemptionibus: quæ omnis rerum & negotiorum varietas novum jus pro utilitate Reipublicæ Chriſtianæ vel ab invitis Pontificibus extorſit. Ex his elucet perſpicuè Decretalium cognoſcendarum neceſſitatem omnibus incumbere, qui Canonici juris peritiam affectant: ita tamen, ut non idcirco Juris antiqui notitia prætermittatur; ſed cum novis antiqua comparentur, quò progreſſus Juris, ac mutationum cauſæ perſpiciantur.

IV. Probat idem eruditiſſimus Archiepiſcopus veram Eccleſiæ Gallicanæ Libertatem, non, ut Jacobus Leſchallerius volebat, ſolo veteri jure metiendam, quod paulatim Curiarum Decretis in uſum revocari oportat: ſed in recto, tum priſci, tum recentioris Juris uſu poſitam eſſe. Neque alia mens fuiſſe videtur, ſive Sancti Ludovici in Pragmatica ſua ſanctione, ſive Caroli VI. aliorumve Regum, ac totius Eccleſiæ Gallicanæ, cum eam Libertatem in jure communi verſari aſſeverarunt. Eo quippe nomine jus intelligebant, tum Gratiani Decreto, tum Decretalibus comprehenſum. Etenim veteris Canonum Codicis exigua illis temporibus notitia erat: & nomine Conciliorum generalium, non minùs poſteriora, Lateranenſia nimirum, Lugdunenſia & Viennenſe, quàm prima octo œcumenica, ex illius ſeculi ſententia, continebantur: Illis omnibus autoritas in rebus fidei attribuebatur, ut patet ex Concilii Conſtantienſis, regnante eodem Carolo VI. celebrati, ſeſſ. 39. Nec diſpari ratione in iis quæ ſpectant ad diſciplinam, conſtituta Decretalium, utpote utilitate publicæ accommodata, ferè omnia apud nos ſervari animadvertit idem Illuſtr. Antiſtes [d], & Decretales apud nos in Judiciis & Magiſtratuum Regiorum Tribunalibus vim legum Eccleſiaſticarum, paucis exceptis, obtinere teſtatur.

4. Earum uſus cum Libertatibus Eccleſiæ Gallicæ conjungendus ac temperandus.

d Lib. 1. cap. 9.

V. Carolus quidem Molinæus in Commentariis ad Edictum Henrici II. contra parvas datas, ut vocant [e], notat in regiis Regiſtris extare Conſilium ab Eudone Burgundiæ Duce Regi datum, ne permitteret novas Pontificum Conſtitutiones in Regno admitti: additque eas verà non admitti in iis quæ ad Juriſdictionem ſecularem pertinent: imo nec in ſpiritualibus, ſi Eccleſiæ Gallicanæ juribus & Libertatibus adverſentur: idque mirum non eſſe ait, cùm nec Curia Romana recipiat omnes Decretales, quamvis publicis Conſtitutionibus contineantur. Secundum hæc Franciſcus Florens [f] negat Collectiones ullas Decretalium in Galliæ receptas fuiſſe publica autoritate. Verùm quamvis Regia ſanctione nominatim conſtitutum non ſit ut Decretales pro legibus obſerventur: ſufficit ad earum apud nos tuendum robur, quòd ipſarum jure omnia per Galliam Tribunalia, non invitis, ſed ſcientibus & volentibus Chriſtianiſſimis Regibus, utantur: quandoquidem diuturnus uſus, à Principe non improbatus, legis vim obtinet: præſertim cum apertè jus commune ejuſque uſum probando, mentem ſuam ſatis Reges noſtri aperuerint.

5. Quid de his ſentiendum.

e Gloſſa 15.

f In præfat. de autor. Grat. & aliar. Collect.

VI. Fatendum tamen quaſdam in his reperiri quæ minoris ſunt in Gallia uſus. Eſtque obſervatu dignum non modò ex prioribus Collectionibus

6. Obſervatio.

nibus

nibus non pauca à Raymundo prætermiſſa, aut immutata eſſe, pro poteſtate eidem à Gregorio IX. conceſſa: ſed etiam à Correctoribus Romanis nonnulla ex prioribus Gregorianæ Collectionis Editionibus, tum in textu, tum in Gloſſa quoque, vel deleta dici, vel aliò detorta. Atque hæc de autoritate Decretalium Majorum.

7. De Autoritate Sexti in Gallia. VII. Quod attinet ad SEXTUM DECRETALIUM, ſunt qui negant illius parem ac reliquarum Collectionum apud Gallos vim eſſe, idque propter graviſſima diſſidia quæ inter ejus autorem Bonifacium VIII. & & Philippum Pulcrum Francorum Regem interceſſerunt: quod olim obſervatum in Gloſſa *ad Capit. cupientes 16. de Elect. d. libr. 6.* notat Franciſcus Florens [g], qui hæc illius Gloſſæ verba refert ſecundum aliquos, *Conſtitutiones iſtius Compilationis non ſunt receptæ in hoc Regno.* Sed ea Gloſſæ verba, cum aliis quibuſdam ad Regum noſtrorum Jura Regalia pertinentibus, nonnulli viri docti à Correctoribus Romanis ſublata fuiſſe fruſtra ſuſpicantur. Ea etenim deſiderantur etiam in Editione Caroli Molinæi, quæ antiquior eſt quàm Romana Gregorii XIII. cujus autor hæc utique omiſſurus non videtur, ſi in ejus Exemplari occurriſſent. Veriſimilius itaque eſt ab aliquo Doctore Gallo ea Gloſſis fuiſſe inſerta. Et verò, quamvis ab Ill. Lud. Servino anno 1598. moniti publicè fuerint Anteceſſores Sextum hunc legendum non eſſe, quaſi legem faceret; & quamvis Florens idem in diſſertatione de origine Juris Canonici, dixerit Sextum in Judiciis apud nos non eandem obtinere poteſtatem ac reliquas Collectiones: indubitatum tamen eſt, non ſolùm in ſcholis hunc librum Doctrinæ cauſa exponi, quod & ſtatuta Facultatis Juridicæ Pariſienſis præcipiunt; ſed & ejuſdem jura in pleriſque Cauſis vigere, non ſecus ac cæterarum Compilationum, quatenus ſcilicet cum Regiis juribus aut Conſtitutionibus, ſive cum Libertatibus vel privilegiis Gallicanis non pugnant: nec aliquid ei detraxiſſe credendum eſt ſimultates Bonifacii cum Philippo, præſertim cum illarum initium promulgatione hujus libri poſterius fuerit. Nec multùm diverſa ratio eſt Clementinarum & Extravagantium.

g In præfat. de methodo, & autor. Collect. Grat. &c.

C A P U T XXV.

De Bullis, ſeu poſterioribus Extravagantibus; & Bullario.

1. Varia ſignificationes nominis Bulla. I. APUD Romanos olim *Bulla aurea* inſigne erat puerorum prætextatorum, aut etiam infantium, è collo in pectus incumbens: ut ſignificaretur eam ætatem alterius regendam conſilio. Dictam enim volunt à Græco βουλὴ, quod conſilium dicitur Latinè, ut eſt apud Feſtum Pompejum [a]. Macrobius verò [b] ex nonnullorum ſententia ingenuis pueris attributum refert, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent; quam inſpicientes, ità demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent. Teſtatur idem geſtamen quoque triumphantium *Bullam* fuiſſe, quam præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis quæ crederent adverſus

a Lib. 2.
b Lib. 1. Saturnal. c. 6.

verſus invidiam valentiſſima. Sumitur plerumque *Bulla* pro veſicula, ſive ampulla, quæ in aqua venti intùs ſpiritu ſuſtentatur, ut ait Iſidorus. Et quia hæ ampullæ ſupra aquam bullientem extant, bullæque ex metallo iconibus ferè eminentibus decorantur: hinc fit ut clavi aurei, aliaque ejuſmodi ornamenta orbiculata atque extuberantia, quibus cingula & phaleræ equorum ornari ſolent, *Bullæ* etiam vocentur.

II. Sed maximè recepta poſterioribus ſeculis ſignificatio eſt, cum BULLA pro Sigillo accipitur, quòd bulla, eive impreſſa imagine ad obſignandum quoque veteres uſi dicantur, teſte Alexandro ab Alexandro. Hinc Græci χρυσόβυλλον & κηρόβυλλον formarunt, ut aureum vel cereum ſigillum ſignificarent. Imperatores enim Orientis, ut Meurſius in Gloſſario [c] notat, quadruplici utebantur ſigillo, aureo, argenteo, cereo, & plumbeo, pro varia eorum ad quos Reſcripta ſua mittebant, conditione.

2. Bulla pro Sigillo.

c In voce χρυσόβυλλον.

III. Qua verò ratione Leges, Sanctionum nomine appellatæ ſunt ab ea parte Conſtitutionis quæ clauſulam confirmatoriam, addita in infractores interminatione pœnæ (in quo propriè ſanctio conſiſtit) ſic etiam Reſcripta & Conſtitutiones à ſigillo, quo appenſo roborantur, *Bullarum* nomen acceperunt. Hinc *Aurea Bulla* per Antonomaſiam dicitur Conſtitutio à Carolo IV. Cæſare Germanico edita de Imperatorum Electione & Electoribus: eademque de cauſa *Bullare* pro ſigillare, & litteræ *Bullatæ* ſive *Bullæ* nominantur Pontificiæ Conſtitutiones plumbeo ferè ſigillo munitæ.

3. Tandem Bulla pro Literis Sigillo munitis.

IV. *Laertius Cherubinus* Juriſconſultus Romanus ex Bullis, ſive Extravagantibus Pontificum Conſtitutionibus quas colligere potuit, à Leonis Magni temporibus ad Sixti V. Pontificatum, unaquaque ad autorem ſuum, ſecundùm ordinem temporum relata, volumen confecit, indito *Bullarii* titulo: quod volumen auſpiciis ejuſdem Sixti V. in lucem protulit anno 1586. Hæc deindè Collectanea ſecundis curis magno Conſtitutionum numero aucta Paulo V. Pontifici obtulit.

4. Bullarum Pontificiarum colligendarum autor Laert. Cherubinus.

V. Tertiæ poſteà Editioni incumbens, cum poſtrema Pauli ejuſdem, & cum his Gregorii XV. itemque Urbani VIII. diplomata colligeret, morte occupatus, ſuſceptum hoc opus perficere non potuit. Verùm ejus filius ANGELUS MARIA CHERUBINUS Monachus Caſinenſis, pluribus additis, Bullarium Romanum noviſſimum anno 1634. Romæ typis commiſit, in tomos quatuor diſtinctum: in quo & Pontificum vitæ atque icones habentur. Tomo Secundo comprehenduntur Bullæ Pontificum à Pio IV. ad Innocentium IX. Tomo Tertio à Clemente VIII. ad Gregorium XV. Tomus Quartus continet Urbani VIII. Conſtitutiones. His adjectus ab *Angelo à Lantuſca, & Paulo à Roma* ſtrictioris obſervantiæ Minoritis Tomus Quintus Urbani ejuſdem, & ſequentium ad Clementem uſque X. & annum 1672. Extravagantes complectitur.

5. Opus proſecutus eſt filius Angelus Maria Cherubinus, aliique.

VI. Harum autem, aliarumque Extravagantium Conſtitutionum, quæ per Pontifices ſubindè conduntur, quanta ſit jure communi vis atque autoritas, diſputat imprimis Franciſcus Pegna Theologiæ ac Juris utriuſque Doctor, in Tractatu *de autoritate ſeu robore, probatione & utilitate Extravagantium*, ad calcem literarum Apoſtolicarum pro Officio ſanctæ Inquiſitionis; poſt ipſius Commentarios in Directorium Inquiſitorum Fratris Nicolai Eimerici, anno 1578. adjectarum.

6. De Autoritate Extravagantium ſeu hodiernarum Conſtitutionum.

VII. In-

7. de Regulis Cancellariæ. VII. Inter poſteriores Pontificum Conſtitutiones non poſtremum obtinent locum REGULÆ CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ. Ejus negotia olim vivæ vocis oraculo & ſtylo regebantur: donec Joannes XXII. Juſtitiæ adminiſtrationem certis regulis ordinavit. Sed in illis id tantùm egit, ut abbreviatores inſtrueret, qua ratione literas in Cancellaria, juxta ſupplicationum varias figuras, deberent expedire. Introductas autem ab ipſo regulas inſequuti Pontifices diverſimodè auxerunt, uſque ad tempora Nicolai V. qui anno 1447. ſedere cœpit, & primus utiliores deceſſorum ſuorum regulas colligens, ac plures alias judiciales adjiciens, has regulas ad eum ferè ſtatum in quo nunc habentur, perduxit. Illum deinde ſucceſſores, paucis immutatis, vel additis, pro ſe quiſque ſequuti ſunt. Innocentius VIII. anno 1484. Regulas ſexaginta novem probavit, duaſque addidit: tum Julius II. anno 1503. unam adjecit in novem partes diviſam. Paulus verò III. anno 1534. quinque Regulas adjunxit. Eòque, mutationibus quibuſdam factis, perducta res eſt, ut hodiè ſeptuaginta & una Regulæ Cancellariæ numerentur, quæ inſtar ſunt Pragmaticæ Sanctionis, quam ad uſum Cancellariæ ſuæ Pontifices compoſuerunt. Poſtremam earum Regularum Editionem ſuppeditabit Appendix noſtra ad Lancelotti Inſtitutiones. Ex his quatuor imprimis uſu receptæ ſunt atque in Gallia ſervantur: nempè decimanona aliàs decimaoctava *de Infirmis reſignantibus*, ſeu de viginti diebus; vigeſimaprima aliàs vigeſima *de Impetrantibus beneficia viventium*; & huic cohærens trenteſima aliàs vigeſimaoctava *de veriſimili notitia*. Præterea ex Innocentii VIII. regulis ſervatur adhuc apud nos trenteſimaquarta *de Publicandis Reſignationibus*. Has Commentario Analytico enucleavit Carolus Molinæus, itemque trenteſimaquintam quæ illi trenteſimaſecunda *de Annali poſſeſſore*. Petrus Rebuffus, cum his reliquas, numero ſeptuaginta & unam, expoſuit, quales eo tempore habebantur.

CAPUT XXVI.

De Nova Extravagantium Compilatione facienda.

1. Sixtus V. recentiorum Extravagantium Collectionem adornat. I. CIRCA tempus primæ Bullarii editionis, anno ſcilicet 1588. ad Novas Decretales colligendas, atque in ordinem ſub titulo Septimi Decretalium redigendas animum adjecit Sixtus V. ejuſque rei curam delectis viris mandavit. Hi novem numero memorantur à P. Pithæo, 1. Dominicus Cardinalis *Pinellus*. 2. Hippolytus Cardinalis *Aldobrandinus*. 3. Hieronymus Cardinalis *Pinellus*. 4. Lucius *Sanus* Epiſcopus Ripanus. 5. Stephanus *Olivarius* Rotæ Auditor. 6. Laurentius *Blanchetus* Rotæ Auditor, & ejus in Galliam profecti loco Hieronymus *Pamphilus* Rotæ Auditor. 7. Franciſcus *Pegna* Rotæ Auditor. 8. Pompeius *Arreſtinus* Advocatus Conſiſtorialis. 9. Julius Cæſar *Ottinellus* Secretarius Congregationis. Verùm hunc *Septimum Decretalium*, ad inſtar Librorum Ariſtotelis de Phyſico auditu, Romæ ita editum fuiſſe accepi, ut nec editus dici poſſit. Ejus certè exemplum qui viderit, neminem vidi.

2. De Septimo II. Eodem aut ſequenti anno, *Petrus Matthæus* Juriſconſultus Lugdunenſis,

nenſis, ſummam Conſtitutionum Pontificiarum & rerum in Eccleſia Romana geſtarum, à Gregorio IX. ad Sixtum V. ſervata temporum ſerie, Lugduni in lucem edidit. In Epiſtola autem ei præfixa ad eumdem Pontificem Sixtum, profitetur meditari ſe novam Collectionem ſub titulo Septimi Decretalium, hoc eſt continuationis Conſtitutionum à ſummis Pontificibus poſt Extravagantes editarum à Sixti IV. tempore ad ipſum Sixtum V. Et verò paulò poſt prodiit *Septimus ille Decretalium Petri Matthæi*, Cardinali Cajetano dicatus, quem tandem Lugdunenſes Bibliopolæ in editione Corporis Canonici anni 1661. poſt Extravagantes communes collocarunt. *Decretalium Matthæi.*

III. Ei operi non modò autoritas publica deeſt; ſed alia non pauca in eo deſiderantur, & quantùm ad titulum, & vel magis quantùm ad rem ipſam. Primò enim, ſi Clemens V. Collectioni ſuæ titulum illum *Septimi Decretalium* convenire putavit, ut antè dictum eſt: hic jam non ſeptimus Liber, ſed poſt additas Extravagantium duas Collectiones Decimus Decretalium dicendus eſſet. Deinde nec Librorum, nec titulorum ordinem in prioribus Collectionibus ſervatum tenuit autor: & novos magno numero titulos inſeruit, quorum plerique ad aliquem ex Decretalium titulis referri potuiſſent exemplo aliarum Compilationum minorum. Denique ſi quis accuratè cuncta perpendat, facilè deprehendet & utilia prætermiſſa, & minùs neceſſaria huic operi fuiſſe intexta. *3. Septimus Decretalium Matthæi in multis deficit.*

IV. Ante ſecundam editionem Bullarii Stephanus *Quaranta* Juris utriuſque Doctor, & Canonicus Neapolitanus ſummam illius ex prima editione compoſuit ſub titulo *Summæ Bullarii, earumve Summorum Pontificum Conſtitutionum, quæ ad communem Eccleſiæ uſum poſt volumina Juris Canonici, uſque ad Paulum V. emanarunt*. Ea Venetiis anno 1611. prodierit cum annotationibus atque additionibus ejuſdem, & additionibus *Proſperi de Auguſtino*. Hoc opus ordine Alphabetico diſpoſitum eſt: addito tamen ad finem indice earumdem Conſtitutionum juxta ſeriem Decretalium, cui nomen inditum *Libri Sexti Extravagantium communium*; relatione habita ad quinque Extravagantium communium, ſive poſtremæ Collectionis Libros. Adjectus quoque ſimili ſerie Index Decretorum Concilii Tridentini. *4. Summa Bullarii à Quaranta.*

V. Poſt ſecundam Bullarii editionem, Flavius Cherubinus, Laertii Cherubini filiorum alter, *Novi* hujus *Bullarii Compendium* ſecundum ejuſdem ſeriem diſpoſitum edidit, ſcholiis aliquibus auctum, quod Romæ opinor annò 1620. deindè Lugduni quadriennio poſt prælo ſubjectum eſt. *5. Summa alia Flavii Cherubini.*

VI. Extant & COLLECTANEA BULLARII, aliarumve ſummorum Pontificum Conſtitutionum, nec non præcipuarum deciſionum, quæ ab Apoſtolica Sede & ſacris Congregationibus S.R.E. Cardinalium Romæ celebratis, uſque ad annum 1633. emanarunt, ſecundum ordinem Alphabeti diſpoſita autore Auguſtino Barboſa, Lugduni edita anno 1634. Poſt Juris communis Hiſtoriam ſupereſt ut de ſpeciali Eccleſiæ Gallicæ jure paucis agamus. *6. De Auguſtini Barboſa Collectaneis Bullarii.*

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De origine ac progreſſu Juris Eccleſiaſtici Gallicani Pragmatica Sanctione, Concordatis &c.

1. Tria tempora Iuris Eccleſiaſtici Gallicani.

I. SACRI Juris tria apud Gallos tempora ſpectari poſſunt. Primum ſub Imperatoribus Romanis, Regibuſque Merovingiis: Secundum ſub Carolovingiis: Tertium ſub Hugonidis ſeu Capevingiis.

2. Ius Eccleſiaſticum Galliæ antiquum.

II. Initio Chriſtianæ Religionis, majores noſtri in cauſis Eccleſiaſticis diſceptandis utebantur Collectione antiqua Canonum, qua continebantur Decreta Conciliorum Synodo Chalcedonenſi probatorum, eorumque priſca verſione; vel potiùs pluribus verſionibus, quarum alia apud Iſidorum extat, alia in Bibliotheca Juris Canonici à Clar. VV. Guill. Voello & Henrico Juſtello nuper edita eſt; aliæ in manuſcriptis Codicibus reperiuntur. His adjungebant Conciliorum Gallicorum Decreta: quæ apud Hiſpanos quoque non modicæ autoritatis fuiſſe oſtendunt ex Tarraconenſi præſertim Concilio Sirmondus [a] & Petrus de Marca [b] Archiepiſcopus Toloſanus, ac tandem Pariſienſis. Poſteà Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, id eſt antiquis Canonibus Græcis ex Dionyſii Exigui interpretatione, Collectione Africana, Pontificumque Romanorum Decretis, à Siricio ad Anaſtaſium uſi aliquatenus videntur Antiſtites Gallici à poſtremis Merovingiorum temporibus. Certum tamen eſt Canones qui dicuntur Apoſtolorum, nondum receptos fuiſſe an. 577. cum in Hiſtoria Gregorii Turonenſis [c], Rex Chilpericus eos Canones, in novo quaternione adjectos ad librum Canonum, tranſmiſiſſe dicatur ad Concilium Pariſienſe adverſus Prætextatum Archiepiſcopum Rothomagenſem.

a In præf. Concilior. Galliæ.

b De Concord. Sacerdotii & Imperii, lib. 3. cap. 4.

c Lib. 5. cap. 19.

3. Ius Eccleſiaſticum medii ævi, commune.

III. Sed in ſecundo rerum ſtatu dubitari non poteſt quin Codex ille Dionyſianus omnino ab Epiſcopis Galliæ receptus fuerit, ſaltem poſtquam Hadrianus I. ejus Libri exemplum Carolo Magno miſſum, velut certas Diſciplinæ regulas continentem, commendavit. Idem ex Leonis quoque IV. Epiſtola [d] & ex Hincmaro Rhemenſi probari poteſt.

d Relata in Can. de libellis, diſt. 20.

4. Ius proprium Galliæ.

IV. His adjecta ſunt *Capitularia* ejuſdem Caroli Magni atque inſequentium Principum in Comitiis Regni edita; quorum magnam partem ad Eccleſiaſtica pertinentem negotia, tum ex priſcis Conciliis ac Decretis Pontificum in Codicem Canonum relatis; tum ex Gallicis Canonibus, circa ea præſertim quorum definitiones in generalibus Conciliis non inveniuntur, ut loquitur Agobardus Lugdunenſis, conſenſu Epiſcoporum ſubindè renovatis, decerptam fuiſſe conſtat.

5. Hinc Libertatis Eccleſiæ Gallicanæ.

V. Et hoc eſt jus vetus cui Præſules noſtri, quoad fieri potuit, inhæſerunt; & cujus maximè placitis nituntur jura ſeu libertates Eccleſiæ Gallicanæ.

6. Ius Eccleſiæ Gallicæ poſterius.

VI. Jus novum originem videtur traxiſſe ex *Corpore Canonum*, quod regnante Carolo Calvo, circa annum 836. ſub *nomine Iſidori* vulgatum eſt: cui ſuppoſititiæ Clementis priſcorumque aliorum Urbis Epiſcoporum, ante Siricium, Epiſtolæ inditæ fuerant. His certam autoritatem apud Gallos conciliare conatus eſt Nicolaus I. anno 869. quod tamen non ſtatim

valuiſſe

valuiſſe probat ex variis Hincmari locis, eruditiſſimus Petrus de Marca [e] qua de re ſuprà.

e Lib. 3.

7. Invectum ex Iſidorianis Decretalibus.

VII. Sed Epiſtolas illas initio tertiæ Regum ſtirpis invaluiſſe liquet ex Remenſi Concilio anni 995. earumque jus altiores paulatim radices egit: ex quo præſertim Burchardus, ac deindè Ivo, cæterique Collectores, atque in his Gratianus, ſuis Decretorum voluminibus, earum fragmenta intexuerunt. Hinc igitur cœpit tertius Juris noſtri ſtatus.

8. Additæ poſteriores Decretales, & Concilia recentiora.

VIII. His acceſſere Decretalium Collectiones, quæ cum Epiſtolis ſequentium Pontificum, Canones quoque poſteriorum Conciliorum, præſertim generalium, complexæ ſunt. Quæ Conſtitutiones maximam partem apud nos receptæ fuerunt, quatenus ſcilicet vetuſtis Canonibus, moribuſque noſtris, & Regni aut Eccleſiarum immunitatibus non adverſantur.

9. Et cum his Regiæ de rebus ſacris Conſtitutiones.

IX. Juris quoque robur obtinent *Conſtitutiones Regiæ*, quas Principes noſtri Chriſtianiſſimi de Rebus Eccleſiaſticis, pro ſuo in Eccleſiam & diſciplinam publicam ſtudio, Canonumque tuendorum officio, ad confirmanda & exequenda, aut etiam explicanda eorum ſcita ediderunt: quales fuere tum ***B. Ludovici Pragmatica Sanctio*** an. 1268. tum *Caroli Quinti & Sexti Conſtitutiones*; ac deindè *Caroli VII. Sanctio quoque Pragmatica* anno 1438. apud Biturigas promulgata; ac denique ſubſequuta Franciſci primi, & ſequentium Regum Edicta, Aurelianenſe imprimis ac Bleſenſe; quibus Concilii Tridentini nondum in rebus Diſciplinæ apud nos recepti, Conſtitutiones non paucæ in Legem tranſierunt.

10. In his & Concordata.

X. Verùm Pragmaticæ Sanctioni Bituricenſi in multis derogatum eſt per *Concordata*, ſeu pacta Leonis X. cum Franciſco I. Rege anno 1516. Bononiæ inita.

11. Addenda Iura Regia & alia.

XI. Addenda ſuperioribus præcipua quædam Jura antiquiſſimis moribus recepta, & Privilegia Pontificum conceſſionibus ſubnixa. Prioris generis ſunt *Regalia* & reſtricta Legatorum Pontificiorum apud nos poteſtas: poſterioris autem *Indulta* nominationum, tum Regi, tum per eum Senatui Pariſienſi attributa, aliaque ejus generis de quibus nos in ***Specimine juris Eccleſiaſtici Gallicani.***

PRÆ-

PRÆNOTIONUM CANONICARUM,

LIBER QUINTUS.

HACTENUS enucleare conati ſumus, tum ea ex quibus conflatum eſt univerſum Canonici Juris ſyſtema; tum ea quæ ad varias Canonum Collectiones, & cujuſque formam ſive ordinem, autorem, tempuſque pertinent: ſupereſt ut hujus ſtudii *Adminicula* tradamus. In his primum tenere locum videntur *Interpretes*, qui eam ſcientiam ſuis Lucubrationibus illuſtrarunt. Accedunt *Hiſtoriæ*, *Chronologiæ*, *Geographiæ* Eccleſiaſticæ ſcriptores; quorum lectio ad explanandas res geſtas, ex quibus Juris deciſiones ortæ, non mediocriter conducit. Omittendus deinde non eſt ip-

Digitized by Google

ſius Juriſprudentiæ Canonicæ *Finis:* ſed & tractandi ratio & *Methodus* adjicienda; itemque *Vocabula* propria, & eorum *Breviationes* Doctoribus ſamiliares, ſine quibus ad rerum cognitionem perveniri non poteſt. Denique ad hoc ſtudium ſe accingentibus indicandæ Corporis Canonici, quo nunc utimur, *Editiones* præcipuæ.

CAPUT I.

Interpretum Juris Canonici Diviſio in varias Claſſes.

1. Interpretum triplex inſpectio. I. INTERPRETUM Juris Pontificii non una inſpectio eſt. Poſſunt illi quidem Nationibus atque Ætatibus, ſed imprimis ratione diſtingui.

2. Græci Interpretes. II. Eorum igitur alii Græco ſermone Canones Græcos, alii Latina lingua receptum Juris noſtri Corpus diverſimodè enarrarunt, juxta Eccleſiæ quiſque ſuæ uſum. Sed Græcorum Interpretum tres ferè nobis cogniti, qui Seculo Duodecimo floruere: *Joannes Zonaras*, & *Theodorus Balſamon*, uberiorum Commentariorum in Photii Collectionem autores, ſervato ejus ordine: atque intermedius tempore *Ariſtinus*, cujus brevia extant ſcholia in excogitatam ab ipſo ſynopſin. De his dictum à nobis Lib. tertio hujus operis, cap. 10. & 11. à pagina 424.

3. Latinorum Claſſes. III. Latini magno numero in hoc inſtituto verſati ſunt, quorum ætas ab eodem ſeculo XII. ad noſtra uſque tempora decurrit; opera in tantum excrevere, ut nimia illorum copia laboremus. Sed diverſas admodum docendi tractandique vias inierunt. Alii primò *Gloſſas* ſive Scholia, & breves annotationes, ad exponendum Juris contextum contulerunt. Alii deinde uberioribus Commentariis, quos *Apparatus* vocabant, Canonum ac Pontificiarum Epiſtolarum vim enarrare inſtituerunt; induſtriamque ſuam in hoc utroque genere, aut ad totum, ſive Decretorum ſive Decretalium opus, aut ad partem eorum operum, ſuis laboribus enucleandam, collocarunt. Compoſitæ ſunt ab aliis *Summæ* Decretalium, quibus earum axiomata ſeu regulæ atque exceptiones, certa methodo, ac ſervata Titulorum ſerie traduntur. Plurimi, diſcutiendis dubiis ac difficilioribus quæſtionibus, *Tractatus*, *Repetitiones*, *Conſilia* compoſuere. Nec defuerunt ſuperiori & currente ſeculo, qui Juſtiniani exemplo, ſub *Inſtitutionum* aliiſque nominibus, generalia Juris Canonici principia in ordinem redigerent. Addita etiam interpretandis vocibus, quæ propriæ ſunt rerum Eccleſiaſticarum, *Gloſſaria* ſive *Lexica*, juxta ordinem Alphabeticum. Additi & ad res faciliùs ſuis quaſque locis indagandas, ſeu deſve materiarum cognoſcendas, *Indices*. Denique Juriſprudentiæ hujus originem ac progreſſum hiſtoricè nonnulli explicuerunt.

4. Noſtrum in his intricandis conſilium. IV. In tanta Autorum multitudine atque operum varietate, cuncta perſequi, nec poſſibile eſt, nec neceſſarium. Itaque diſtinctos per ætates dabimus Autores, qui ad noſtram notitiam pervenerunt, & quos noſſe ſtudioſorum intereſt. Habebunt hi abundè ex ſequentibus capitibus, unde hauriant quæ in ea re uſui fuerint, & legendi ac per hoc diſcendi cupiditatem expleant.

CAPUT II.

Quid Gloſſæ, & de Juris Canonici Gloſſis in genere.

I. QUI primi poſt editum Gratiani opus Decretorum, ejus interpretandi provinciam ſuſceperunt, *Gloſſis* ferè contenti fuerunt. GLOSSÆ autem nomen generaliter & linguam, membrum ſcilicet animalis quod præcipuum vocis inſtrumentum eſt, & ſermonem lingua prolatum ſignificat. Sed ſpeciali acceptione *Gloſſa* pro ſermone cuique genti peculiari, & pro peregrino vocabulo ſumitur. Ariſtoteles in libro de arte poetica [a], omne nomen dividit in Proprium, & Linguam, aut variè figuratum. Proprium vocat, quo utuntur vulgo ſinguli, populi linguam quo diverſi: notatque fieri poſſe ut idem vocabulum & lingua ſit, ſive γλῶττα & proprium; non tamen iiſdem utrumque: Nam τὸ σίγυνον Κυπρίοις μὲν κύριον, ἡμῖν δὲ γλῶττα: id eſt *Sigynon, quod Cypriis proprium eſt, nobis* (id eſt Athenienſibus, aliiſve Græcis) eſt *Glotta*. Pro Gloſſa *Glottam* Atticè ſcripſit: cujus nominis veſtigia à Phocæenſibus per Maſſilienſes aut Agathenſes deducta, adhuc aliquatenus in Occitania noſtra manent alicubi inter mulierculas, quæ *La Glouto* uſurpant, cum infantibus linguam exertantibus, ſe eam abſciſſuras blandiendo minantur. Porro Cyprium illud nomen σίγυνον Euſtathius ad Iliad. γ. & Apollonii Rhodii Scholiaſtes interpretantur jaculum ὁλοσίδηρον ex ſolido ferro, ſeu venabulum transfigendis apris. Sic Macedones apud Suidam σιβύνες vocabant haſtilia, eademque ſignificatione legitur σιβυών Athenæi lib. 10. ut monuit V. Cl. Nicolaus Tavernerius Græcæ literaturæ Profeſſor, reconditiori eruditione conſpicuus. Quintilianus I. Inſtitution. Oratoriar. [b] pueris ſcribere incipientibus proponi mavult abſtruſiora quàm vulgaria vocabula, & fortè occurrentia: *Protinus enim poteſt interpretationem* SECRETIORIS LINGUÆ, *quas Græci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediſcere*. Idem, ſenſu non abſimili, *Gloſſemata* accipit ejuſdem libri cap. octavo his verbis: *Circa Gloſſemata etiam, id eſt voces minùs uſitatas, non ultima ejus profeſſionis diligentia eſt*: ubi de Grammaticis loquitur. Sed Gloſſematis vocabulum, licèt è Græco derivatum, Græcis tamen uſitatum non eſt; niſi quòd Suidas γλωσσηματικὰ memorat pro Dialecti genere. Et verò Græcorum nonnulli Gloſſas ſive Lexes (dictiones) Atticas, Laconicas, Creticas, hoc eſt proprias earum Dialectorum voces, collegerant, ut Caſaubonus notat in Athenæum libro tertio cap. ſexto. Quæ autem certæ ſunt Dialecti propria, ea palam eſt aliena eſſe à lingua communi: unde & ξενικὰ vocantur, hoc eſt peregrina. Galenus & *Peregrina* & *obſoleta*; Pollux lib. 2. cap. 4. *Poetica* γλωσσῶν nomine ſignificari ait: quod de iis eſt accipiendum quæ propria ſunt Poetarum, & extra communem ſermonis uſum poſita. Nos Galli *Gloſam* pro Gloſſa dicimus, & *Gloſare* pro eo quod eſt aliis verbis interpretari.

1. Variæ ſignificationes vocabuli Gloſſa.

a Cap. 1.

b Cap. 1.

II. Vetus Dictionarium, apud Matthiam Martinum, ita *Gloſam* à *Commento* & *Translatione* diſtinguit: COMMENTUM *expoſitio eſt, verborum juncturam non conſiderans, ſed tantùm ſenſum; deſervit enim expo-*

2. Diſcrimen Gloſſæ, Commentarii Translationis ſeu verſionis.

ſitioni alicujus libri, & non conſtructioni literæ. Accipitur quoque Commentum largiùs, ſcilicet pro quolibet libro: & tunc *ſic definitur: Commentum eſt plurium, ſtudio vel doctrinæ in mente habitorum, in unum collectio.* GLOSA *eſt expoſitio literæ, & ipſius ſententiæ, quæ non ſolùm ſententiam, ſed etiam verba attendit: vel Gloſa dicitur expoſitio ſententiæ, literam continuans & exponens; unde dicitur Gloſa, quaſi Gloſſa, id eſt lingua: quòd, tanquam lingua Doctoris adeſſet, & exponeret, ſic literæ exponendæ inſiſtit, & ſenſum enucleat.* TRANSLATIO, *eſt expoſitio ſententiæ per aliam linguam. Textus eſt liber ipſius Doctoris, continens tractatum, ſine literæ vel ſententiæ expoſitione*. Sed præterquam quod hic Commentum pro Commentario accipitur: Gloſſa etiam quatenus dicitur ſententiam continuare, videtur confundi cum Paraphraſi.

3. *Quid Gloſſarum nomine in Jure intelligatur.*

III. Quas Juriſconſulti *Gloſſas* vocant, etſi eæ à nuda vocum obſcuriorum quæ in textu occurrunt interpretatione, ac brevibus notis cœpiſſe videantur; eò tamen progreſſu temporis perductæ ſunt, ut Canones legeſque pleniùs, & more Commentariorum enarrent; tum inſtituta cujuſque in ſua membra partitione; tum propoſitis quæſtionibus, quæ ex iis deduci, ac decidi poſſunt; tum etiam adductis affinibus, & contrariis locis ac ſolutionibus nodorum qui ſæpenumero ſe offerunt.

CAPUT III.

De Autoribus Gloſſarum Decreti.

1. *Utrius Juris Interpretes & Gloſſographi Antiquiores.*

I. PONTIFICIA Legiſlatio illis quoque temporibus ubique per Chriſtianum orbem floruit, quibus in Italia totoque Occidente dominantibus Barbaris, ſepulta jacebat Legiſlatio Juſtiniani; hæc utraque Diſciplina ſuos antiquis temporibus Gloſſographos habuit, atque in hoc Interpretum genere nihil ceſſiſſe apud Græcos Canonicam Juriſprudentiam Civili notat Boetius Epo [a]; imò Canonum Gloſſographos antiquiores fuiſſe oſtendit Gloſſographis Legum. Sed idem [b] ab Antonio Contio diſſentit, qui in Præfatione Decretalium affirmat Legum Civilium Interpretes Interpretibus Canonum Latinis fuiſſe recentiores, conſtat enim antiquiores ipſo Gratiani Decreto fuiſſe Irnerium, eique coævos Bulgarum, Hugolinum, qui partim Summas quæ vocantur, partim Commentarios in Civile jus ediderunt, Gloſſas non item. Illud tamen certum eſt, ex Joanne Andrea [c] plurimos antiquarum Compilationum Gloſſographos Accurſio, Civilium Gloſſarum ſive Annotationum Collectore, vetuſtiores eſſe. Audit jam dictus Boetius [d] Pontificii Juris Gloſſemata, Gloſſematibus Legum Civilium non magis ſoliditate cedere, quam vetuſtate.

a Lib. 2. de Jure ſacro, num. 56.
b Eod. loco n. 78.
c In Procem. ad Decretal.
d Num. 84.

2. *Gloſſographi Decreti Laurentius Cremenſis,*

II. Gloſſas ſcripſerunt in Gratiani opus *Laurentius Cremenſis, Vincentius Caſtellioneus, Hugutio* ſive Hugo Vercellenſis, *Joannes* Teutonicus, *Tancredus, Bertrandus*, & *Bartholomæus* Brixienſis.

3. *Hugutio, ſeu Hugo Vercellenſis.*

II. Sed primum omnium *Hugutionem* memorat S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, [e] qui *Hugutio* ſive *Hugo* in patria ſua, Vercellis ſcili-

e In ſpec. hiſtoriali 3. parte, tit. 16. cap. 6. in fine princ.

ſcilicet, profeſſus eſſe creditur, ac poſteà Ferrarienſis Epiſcopus fuit.

IV. *Vincentius Caſtellionens*, Summus Canoniſta dictus; ab Oldrado Hiſpanus, ab aliis Mediolanenſis fuiſſe dicitur; atque ex illa Caſtellionea familia prodiiſſe paulò poſt memoratur Cœleſtinus IV. Pontifex Maximus anno 1241. *4. Vincentius Caſtellionens.*

V. *Tancredus à Corneto* dictus, de patriæ nomine, quæ Tuſciæ Civitas eſt, Laurentii Cremenſis diſcipulus, Bononiæ haud dubiè docuit; ſed & Pariſiis quoque profeſſus circa an. 1217. videtur, cum in opuſculo quod de ordine judiciorum per id tempus compoſuit [f], ubi judiciorum formulas deſcribit, Pariſienſem civitatem ac monetam memoret. Suppar fuit Azonis & Vincentii Bellovacenſis, quos citat. Certè ſub Honorio III. Pontifice vixit: apud quem tantæ fuit autoritatis, ut Honorius Conſtitutiones Pontificias ex quibus Quintam Decretalium Compilationem concinnaverat, ad ipſum recognoſcendas atque interpretandas tranſmiſerit, eique cauſas aliquot mandaverit decidendas, [g] ut inſcriptio aliquot Decretalium apud Gregorium teſtatur. Ibi ſanè *Magiſtri* Titulus, ei tanquam Profeſſori tributus, probat non alium à Gloſſatore noſtro intelligendum eſſe. Deceſſit Bononiæ, ubi Archidiaconus Decretum eſt Interpretatus. Modeſto hoc Epitaphio cohoneſtatus: *Sepulchrum Magiſtri Tancredi eximii Doctoris Decretorum, Archidiaconi Bon. Orate pro eo.*

5. Tancredus de Corneto.

f Lib. 2. tit. 9. 10. 13.

g V. Cap. pen. & ult. e. de Judiciis.

VI. JOANNES *Semeca*, TEUTONICUS dictus, ſive Germanus, à prioribus editas in Decretum Gloſſas refinxit, additiſque non paucis ſuas fecit, quemadmodum Accurſius fecerat in jure Civili. Cum utrique Juri diù ſtuduiſſet, Religioſam vitam in Prædicatorum Ordine eſt profeſſus. Deinde ad Præpoſituram S. Stephani Halberſtadienſis in Saxonia vocatus eſt, cum Albertus Magnus ejuſdem Ordinis decus, in Germania floreret. Ex Dignitate ejuſmodi Joannes ocium nactus, Decretum interpretatus eſt, ejuſque opus *Gloſſæ communis* meruit nomen, teſte Antonino antè laudato: qui ſecundum hunc facit Decreti Gloſſatorem, fortè quòd ſcripta eorum qui poſt Hugutionem in opus Gratiani Gloſſas ediderant, in Joannis hujus lucubrationes transfuſa magna ex parte fuerunt, & ſic penè obliterata aliorum memoria. Tandem Clementi IV. Decimas ab Eccleſiis Galliæ & Germaniæ ad bellum ſacrum exigenti, interpoſita ad Concilium appellatione, obniti auſus Joannes hic Teutonicus, Anathema tulit ab eodem Pontifice; atque eodem anno 1269. uterque è vivis exceſſit: qua de re Albertus Crantzius [h]. Hunc *Semecam*, quia ſententias ſuas levibus ſæpè argumentis fulciebat, Laurentius Cremenſis ajebat arenam ſine cæmento ligare, hoc dictum mutuatus à Cajo Caligula, qui de Senecæ Oratione idem, ſed alio ſenſu, pronunciaverat. Negari ſanè haud poteſt, quin, temporum illorum vitio, Joannes Teutonicus ineptis non rarò vocibus uſus ſit: ſed compenſatur qualecumque hoc incommodum rerum plerumque pondere: plura quippe utriuſque teſtamenti loca ita explicat, ut non modicam Gratiano afferat lucem. Cæterùm omittendum non eſt falli Arnaldum Pontacum, cum in Chronologia ſua [i] ſcribit Joannem hunc primum fuiſſe Decreti Gloſſographum: contrarium ex eo patet, quòd hic Joannes, Hugutionis tanquam prioris, ſæpè meminerit.

6. Joannes Semeca Teutonicus.

h Lib. 8. de reb. Saxon. cap. 27.

i Ad an. Chriſti 1260.

7. Bartholomæus Brixienſis. VII. ***Bartholomæus Brixienſis***, Vincentii Caſtellionei Diſcipulus, Joannis Teutonici Gloſſis, Pontifice Alexandro IV. circa annum 1256. quædam attexuit, tum ut illius errores notaret, tum ut omiſſa ſuppleret, aut quæ poſteà immutata fuerant adjiceret, quemadmodum ipſe initio Decreti teſtatur, apud Caccialupum [l]. Scripſit idem Hiſtoriam Temporum, teſte Raphaele Volaterrano [m], Epiſcopo Veneto cum aliquando aſſediſſe notat Joannes de Turre Cremata; ab Alexandro verò IV. eximia accepiſſe munera Platina refert. Hic Tertius Decreti Gloſſator nominatur ab Antonino, eique ſubjungitur Archidiaconus autor Apparatus, de quo nos poſteà.

l De modo ſtudendi.

m Lib. 21. de Anthropologia.

CAPUT IV.

De Gloſſatoribus Decretalium.

1. Gloſſatores primæ Compilationis. I. IN PRIMAM Decretalium à Pontificibus Gratiano poſterioribus editarum COMPILATIONEM, *Vincentius*, *Alanus*, *Tancredus*, & *Rogerius* Gloſſas ſeu ſcholia ſcripſerunt. Addendus *Damaſius*, qui prætereà Librum Quæſtionum ſuper multis Decretalibus, & Brocarda compoſuit. Ipſe hujus compilationis Autor *Bernardus Circa* Papienſis, & ſcholia ſive Gloſſulas ſuæ Collectioni adſcripſit: & ſub iiſdem titulis *Summam* ſcripſiſſe dicitur, cujus initium *Profectus diſcipuli gloria Magiſtri*. Antonius Auguſtinus eoſdem nominat, his verbis: *Nos vidimus aliquot ſine nomine ſcriptas, (Gloſſas ſcilicet,) ſed multò plures adſcriptis nominibus* VINCENTII, ALANI, TANCREDI, LAURENTII, ROGERII *& aliorum. Bernardo antiquiores à Guilielmo Durante* [a] *cognomine Speculatore, & ab ejus interprete Joanne Andreæ F. fuiſſe dicuntur* RUFINUS, SYLVESTER, JOANNES HISPANUS, *& alter* JOANNES *Falenſis ſive* FANENSIS, *aut ut alii vocant, Faventinus; quorum nos ſcripta non vidimus. Hi fortaſſe aut Corpore Canonum uſi ſunt, aut Decretorum Collectionibus, Burchardi, Ivonis, Anſelmi & Gratiani aut aliorum ſcriptorum.*

a In proœmio ſpeculi.

2. Compilationis Secundæ Gloſſographi. II. Succeſſit JOANNIS GALENSIS, ſeu Vallenſis, *Compilatio*, quæ Gilberti atque Alani (Doctoris Univerſalis dicti) luminibus offecit, & *Libri Secundi* titulum meruit, in quem *Ugo* Ferrarienſis Epiſcopus, & *Bernardus Compoſtellanus*, Major ſive antiquus, gloſſas edidere. Jam laudatus Antonius Auguſtinus ſcribit ſe vidiſſe eorumdem ſcholia, quorum nomina ſuprà ſcripta ſunt, *Vincentii* inquam, *Tancredi*, *Alani*, *Laurentii*, & aliorum, non pauca etiam ſine nomine, quæ ejuſdem *Joannis Galenſis* fuiſſe putat. Ejuſdem Collectionis Notabilia à *Paulo Hungaro* collecta fuiſſe obſervat Joannes Andreæ [b].

b In proœmium Durantis.

3. Gloſſographi Tertiæ Compilationis. III. TERTIAM *Compilationem*, quæ juſſu Innocentii 3. à Petro Beneventano Tabulario ſeu notario compoſita, (aliàs *Librum Tertium*) interpretatus eſt antè dictus *Paulus Hungarus*; ut Joannes Andreæ F. refert. Auguſtinus autem ſuprà memoratus eadem nomina in his ſcholiis quæ in aliis Collectionibus ſe vidiſſe teſtatur.

IV. In

IV. In QUARTAM verò ex Generalis Concilii Lateranenſis Quarti per eumdem Innocentium habiti, Conſtitutionibus maximè confectam Compilationem, *Vincentius* imprimis, tum *Joannes*, *Jacobus*, *Rogerius*, ſive Robertus, Gloſſas ediderunt; quas à ſe viſas, lectaſque notat Anton. Auguſtinus. *4. Compilationis Quartæ Gloſſatores.*

V. QUINTAM deinde, quam Honorius III. ad Tancredum & Archidiaconum Bononiæ profitentes componendam miſit, aut recognoſcendam, *Jacobus Albanus* Faventinus Epiſcopus, & *Joannes* de *Albenga* præceptor Henrici Hoſtienſis, interpretati ſunt. *5. Autores Gloſſarum Quintæ Compilationis.*

VI. Denique in eam Collectionem quam ex prioribus illis GREGORIUS IX. fratris Raimundi Peñaforti Barcinonenſis opera coagmentatam, ſuiſque Conſtitutionibus auctam edidit, & qua nunc vulgò utimur, Gloſſæ ab eorum pleriſque conſcriptæ ſunt, qui in anteriores Compilationes Gloſſas ediderant. In eo præterea argumento verſati dicuntur, *Ricardus Anglicus*, *Rodoicus Bertrandus* cognomento Modicipaſſus, *Petrus* de Villaco [c] Hiſpanus. Reliquos hujus generis interpretes, qui quidem alicujus nominis fuere, dabunt proximè ſequentia Capita. *6. Gloſſographi Decretalium Gregorii IX.*

Hos ſecuti ſunt *Guilielmus Naſo* & *Jacobus de Albenga* Epiſcopus Faventinus, *Philippus*, *Petrus Sampſo*, *Bernardus Compoſtellanus*, qui opus non perfecit, *Ægidius* Bononienſis, & *Franciſcus* Vercellenſis, qui tantùm ſuper contextu ſcripſit. Poſteà verò *Boatinus* Mantuanus & *Archidiaconus*, Gloſſas etiam interpretati ſunt. Hos ſecuti Frater *Jacobus* Canonicus S. Joannis in monte, *Druzianus*, *Guandulphus*, *Petrus Manducator* & quidam Cardinalis, Gloſſas ediderunt in Decretales. Addendus *Joannes Fantuccius*, qui & Gloſſas aliorum in Clem. collegit.

c Laudatus ab Hoſt. in Summa, de reſtit. ſpoliator. parag. cum quæritur ſub fin.

VII. Illorum omnium Gloſſas BERNARDUS BOTTONUS *Parmenſis*, in unum collectas, ſuiſque lucubrationibus locupletatas, contulit ad interpretationem Decretalium Gregorianarum, atque omnem ſuperiorum Gloſſatorum gloriam ad ſe traxit. Hic Bernardus, poſtquam Bononiæ, ubi Canonicus creatus eſt, diu Decretales eſt profeſſus, deinde ſacri Palatii Quæſtoris munere decoratus fuit: Auditores, & Summi Pontificis Capellanos vocant. *7. Gloſſarum Collector Bernardus Parmenſis.*

VIII. Cum enim cauſas ex toto orbe ad urbem confluentes ſummus Pontifex in ſacello, quod *Capellam* nominant, adhibitis Juriſconſultis, audiret; illi Capellani quoque ſunt appellati à loco in quo etiam divinis inſerviunt. Iiſdem, quoniam Cauſas audiendi ac cognoſcendi facultas conceſſa eſt, *Auditorum* Sacri Palatii nomen eſt inditum. Cæterùm cauſas, tum ex generali delegatione, tum ex ſpeciali ſæpè reſcripto decidunt. Plures olim fuere, nunc duodecim numero ſunt, è variis nationibus, regniſque à Principibus ſuis deligi ſoliti. *8. De Auditoribus Rotæ.*

IX. *Bernardus* poſtremò Academiæ Bononienſi præfectus fuit, quem Germanorum vocabulo *Cancellarium* vocabant. Illi enim cum in Italia imperabant, omnes Regionum præfectos Cancellarios appellare conſueverant. Bernardus ſub hoc titulo, Bononiæ ſepultus eſt, hoc addito in Majore Templo Epitaphio. *9. De eodem Bernardo Parmenſi.*

BERNARDUS BOTTONUS *Cancellarius ſtudii Bononienſis qui ſcripſit apparatum ad Decretum, jacet hic,*

Apparatus dixere uberiores Commentarios, & recitationes ſive Textus repetitiones atque expoſitiones accuratiores. Quales multi poſteà compoſuere, ut ex ſequentibus patebit.

CAPUT V.

De Reliquis Interpretibus Juris Canonici, qui Seculo XIII. ſcripſerunt.

Inter Antiquos Juris Canonici ac præſertim Decretalium Interpretes, memorantur imprimis ſequentes,

GOFREDUS.

1. Gofredus. I. POST Bernardum, GOFREDUS *Tranenſis* (de Trani) à patria, quæ Civitas eſt Apuliæ, cognominatus, Decretales Gregorii IX. primus illuſtraſſe fertur. Is, cum ſummi Pontificis Subdiaconus, & Capellanus forenſium eſſet, ac Juris Canonici peritus inter primos haberetur, precibus ſtudioſorum adductus eſt, ut ejus Juris diſciplinam, ſervato Decretalium ordine, in compendium redigeret. Quod opus *Summam* appellavit. Nec deſunt qui eum ad Cardinalis dignitatem evectum fuiſſe velint.

INNOCENTIUS IV.

SINIBALDUS FLISCUS Genuenſis, ex Illuſtri Comitum Lavaniæ familia, poſtquam Bononiæ ſub Azone jam ſene, Accurſio & Jacobo Balduino Juri operam dedit, ob inſignem ejus peritiam ad Cardinalis dignitatem promotus, ac tandem Summus Pontifex renunciatus anno 1241. INNOCENTII IV. nomen aſſumpſit. Hic primus *Commentarios in Quinque Decretalium Libros* Lugduni compoſuit, quo tempore in ea urbe Concilium habuit, ubi Fridericum II. Imperatorem anathemate perculit. Sed quamquam jam Pontifex Commentarios illos ediderit, ea tamen modeſtia fuit, ut non pro Pontificia poteſtate præcipuum ſcriptis ſuis robur addiderit, ſed ea tamquam privati Doctoris opus haberi voluerit. Nihilominus hi Commentarii per ſeipſos æſtimati, in tanta apud poſteros dignatione fuerunt, ut autorem multi Juris utriuſque Conſulti *Patrem* atque *Organum veritatis* appellaverint. Hoc uno nomine minùs probatur quòd nimio brevitatis ſtudio obſcurior non rarò ſit. Scripſit prætereà Apologeticum Librum *de Jurisdictione Imperii & Autoritate Pontificis*, contra Petrum de Vineis, qui pro Friderico atque Imperatorum poteſtate contra Pontificiam ſcripſerat.

BERNARDUS COMPOSTELLANUS.

BERNARDUS Brigantius, vulgò *de Vergantinos* in Gallecia, COMPOSTELLANUS dictus, quod eſſet Eccleſiæ Compoſtellanæ presbyter, jam laudati Innocentii IV. Capellanus; ejuſdem hortatu aut juſſu

Caſus

Caſus Decretalium confecit, & eruditos in eas Commentarios compoſuit, quos *Apparatus* vocant [a], idque circa annum 1250.

a Raph. Volater. Anthropologiæ lib. 21.

HOSTIENSIS.

2. Hoſtienſis natales & progreſſus.

II. HENRICUS, Seguſii in Diœceſi Taurinenſi, (*à Suſe*) humili loco natus, quemadmodum ipſe fatetur, in Gallia & Italia Juri ſtuduit, & Joannem imprimis Albingannenſem audivit; tum inter Pontificii Juris Interpretes primas tulit: quod præclaris Commentariis (de quibus poſteà), ita illuſtravit, ut *Juris* utriuſque *Monartha* dictus fuerit [b]. Itaque propter eximiam eruditionem *Ebrodunenſis* primùm Archiepiſcopus ab Innocentio IV. paulò ante ipſius obitum creatus [c]. Deinde ab Alexandro IV. quo hortante ſcripſerat in Decretales [d], ad Cardinalis dignitatem evectus eſt [e], ac tandem Epiſcopi Hoſtienſis titulo cohoneſtatus.

b à Franc. Balbo cod. de præſcript. in proœm.
c Alvarot. in proœm. feud.
d Volater. loco citato.
e Platina in Alexand. 4.

3. Epiſcopi Hoſtienſis dignitas.

III. Hoſtienſis autem Epiſcopus, primus eſt è ſeptem Cardinalibus qui Lateranenſi Baſilicæ adſcripti, vice Pontificis funguntur: præcipuaque habet privilegia, Pallii nempe uſum, Pontifici Coronam imponendi atque Imperatorem ungendi jus [f].

f Ut Abbas obſervat ad c. antiqua, de privileg.

4. Henrici Hoſtienſis periculum.

IV. Igitur Henricus HOSTIENSIS ab eximio illo Epiſcopatu vulgò dictus, Legatione Bononienſi aliquandiu functus eſt. Sede poſt Clementis IV. obitum vacante, cum Viterbienſes, apud quos eligendi ſucceſſoris cauſa, convenerat Cardinalium Collegium, quò eos ad novum Pontificem pro arbitrio ſuo dicendum compellerent, detectis ædibus quibus incluſum erat Collegium, dirutiſque cubiculis, nocte dieque ſub dio tenuiſſent: Hoſtienſis in periculoſum incidit morbum; nec aliter exitum impetrare potuit, quàm omni eligendi Pontificis jure abdicato. Hac conditione dimiſſus, convaluit.

5. Hoſtienſis opera.

V. Duo imprimis ejus opera celebrantur: SUMMA Juris Canonici, aut (ut alii volunt) utriuſque juris, quæ *aurea* vocatur, atque ad ordinem Decretalium, ſinguloſque earum titulos aptata, compendium aut potius totam Juris ſcientiam methodicè tractaram continet: quod quidem opus incendio conſumptum, poſteà inter Cardinalitiæ dignitatis occupationes, à ſe reſtitutum ipſe teſtatur [g]. Alterum opus LECTURA dicitur: quo nomine Commentarii ampliores intelliguntur in quinque Decretalium Libros, diviſi in duo volumina. Paulò duriores Innocentii IV. opiniones, æquitatis amore non raro damnat: ſed nimiæ ſubrilitatis à quibuſdam arguitur, diciturque plus æquo Epiſcopis faviſſe [h].

g In fine ſummæ.
h Sylva Nupt. lib. 5. n. 67. & 69.

DURANDUS SPECULATOR.

DURANDUS SPECULATOR, ſeu *Durantes*, in Occitantia apud Podium Miſſonium natus, Henricum Hoſtienſem audivit an. 1250. atque admodùm juvenis in Mutinenſi Academia Decretum interpretatus eſt. Poſtea in Curia Romana Cauſarum Auditor, ingens illud Opus quod SPECULUM inſcripſit, ante annum ætatis 24. adortus, non niſi intra unum & viginti annos ipſomet teſte abſolvit: perfectum Ottobono tituli ſancti Adriani Cardinali Innocentii 4. fratris filio nuncupavit anno 1262.

6. Ejus munia publica.

VI. Idem Sancti Petri primùm Patrimonio in Tuſcia, deinde Honorii IV. mandato Romandiolæ Præfectus, hanc provinciam Guidoni Monte-

feltrio ereptam, Comitis titulo rexit, ut ipſe de ſe prædicat. Et cum in eadem provincia, pro Martino IV. Quæſtoris officio fungeretur, ad Metaurum fluvium peninſulam à fundamentis extruxiſſe narratur [i] cui Caſtellum impoſuit, ac de ſuo nomine *Caſtellum Durantis* appellavit, vulgò *Caſtel Durante*. Ex Carnotenſi Decano *Mimatenſis* in Gallia Epiſcopus creatus eſt anno 1286. ac decennio poſt obiit Romæ, ſepultus in æde Prædicatorum ad Minervam.

i à Sabellico, Blond. Volaterrano.

7. *Ejus opera.* VII. Præter *Speculum* Libris 4. diſtinctum, ſic appellatum quòd forenſes homines variarum cauſarum hominem in eo ſpeculentur, ac velut in ſpeculo inſpiciant; ſcripſit etiam *Rationale Divinorum Officiorum*, in Libros 8. diviſum, quod anno 1286. abſolvit. Librum quoque de ordine *celebrandi generalis Concilii* occaſione Concilii Viennenſis ſcriptum, eidem perperam aſſignat Panzirolus. Neque enim ad hujus Concilii tempora pervenit hic Guilielmus ejus nominis III. inter Mimatenſes antiſtites (*de Mende.*) Verùm Lugdunenſi interfuit, in cujus *Canones* commentarium edidit. Liber autem de celebrando Concilio, Guilielmi IV. Durantis, Mimatenſis quoque Antiſtitis eſt, prioris fratre nati. Invenitur etiam illius *Repertorium juris*, quod unà cum aliis ejus operibus Lugduni prodiit anno 1516. & 1551. Citantur prætereà ab eo conſcripta, tum *Speculum Legatorum*, in quo de ipſorum officio & poteſtate fusè diſputat, & *Commentaria in Decretales*.

8. *Ipſius dotes, ac defectus.* VIII. Adeo felici memoria fuiſſe fertur, ut Librum ſemel lectum ſtatim recitaret: quod ſingulari ejus ſobrietati attributum; Monachus Aureatum inſulatum gemmæ aſſignat, quam aureo annulo incluſam geſtaſſe dicitur. In ſumma nominis, propter excellentem & Juris & Theologiæ peritiam, celebritate, duo tamen ſunt quæ ipſi objiciuntur: quòd multa ex Joannis Faſoli atque aliorum ſcriptis deprompta, Speculo ſuo ad verbum inſeruerit; [l] & quòd propoſitis aliorum hinc indè ſententiis, de judiciis, quæſtiones indeciſas ſæpè numero relinquat. Cæterùm errare eos, qui Durandum hunc paulò poſt trigeſimum ætatis annum obiiſſe tradunt, perſpicuè conſtat, ex iis quæ ſuprà diximus de diuturno tempore inſumpto in componendo Speculo. Nec minùs falluntur qui eum inter Dominicani Ordinis ſodales numerant. Ejus hæc de Sacramento Euchariſtiæ verba referuntur.

l Cyn. in l. judices Cod. de judiciis.

Verbum audimus:
Motum ſentimus:
Modum neſcimus:
Præſentiam credimus.

GARSIAS HISPANUS.

Inter veteres Juris Canonici Interpretes à Joanne Andreæ nominatur *Garſias Hiſpanus*, qui *Decretales* interpretatus eſſe dicitur, circa annum 1285. opere imperfecto: Summæ quæ *Piſanella* vocatur quædam adjecit. *Gloſſas* quoque in Sextum Decretalium edidit, Autore Felino [m].

m In c. cauſam quæ, de præſcript.

CA-

CAPUT VI.

De Interpretibus Seculi XIV.

ARCHIDIACONUS.

IN his primum locum tenear GUIDO BAISIUS aliàs *de Bayſo* Patricius Regienſis. *Gloſſis* Joannis Teutonici nonnulla addidit, ſuaſque *in Sextum* Decretalium librum *Gloſſas* edidit, quæ in pretio ſunt. Jus Canonicum Bononiæ interpretatus eſt, ſub an. 1283. qua in urbe ARCHIDIACONUS creatus, ex ea dignitate cognomen apud poſteros meruit. Celebrantur imprimis ejus Commentaria in univerſum Gratiani *Decretum* anno 1300. abſoluta; cui operi à doctrinæ quaſi fragrantia inditum *Roſarii* nomen. *Decretales* quoque interpretatus eſt eodem tempore quo Boatinus Mantuanus. Opera Venetiis edita ſunt magna ex parte, anno 1586. Neque exiguæ fuerunt autoritatis. Obſervat quidem Cæpolla eum circa verborum [a] ſignificationes, magis quàm circa res decidendas verſatum eſſe; at Felinus [b] eum tanta eruditione in VI. Decretalium ſcripſiſſe tradit, ut ejus opiniones ibi relatæ cæteris præponderent. Joannes autem Andreæ Archidiaconi diſcipulus, fatetur ſe propè invitum ab eo ad Doctoris gradum fuiſſe gratuitò promotum, quem propter inopiam petere non audebat: idcircò hic poſtea præceptori ſuo tantum detulit, ut ipſius Gloſſas ſe pro textu habere profeſſus fuerit [c].

a De Verbor. ſignif. n. 29.
b In cap. 1. de conſtit.
c In prim. Sexti,

DINUS.

DINUS, ſive *Dynus*, *Mugellanus* cognomine à Mugello agri Florentini oppido, profeſſorum Juris Bononienſium ſuo tempore præſtantiſſimus, à Bonifacio, non obſcura ſpe Cardinalatus injecta, Romam evocatus, unà cum Ricardo de Petronibus *Sextum Decretalium* elucubravit, quem & mandato ipſius Bonifacii primus poſt Archidiaconum illuſtraſſe dicitur. Spe honoris, quem animo perceperat, deluſus, ex mœrore deceſſit Bononiæ, anno 1303. ut ſcribit Forſterus.

JOANNES MONACHUS.

Natione Gallus, Parria Ambianenſis, *Joannes Monachus*, Ciſtercienſis Ordinis, primus in *Sextum Gloſſas* nemini dicatas vulgavit, concurrens cum Joanne Andrea: poſteà Joannes *Cardinalis* creatus. Apud Philippum Pulchrum Francorum Regem, an. 1303. Bonifacii 8. Legatum egit [d]. Scripſit Opuſculum cui titulus *Defenſorium Juris*, ubi reos docet qua ratione ſe ſe adverſus actores tueri debeant. Pontificum etiam *Extravagantes* ſive Conſtitutiones nondum in corpus Juris relatas, interpretatus eſt. Idem Pariſiis Collegium in gratiam ſtudenrium in hac Academia fundavit, anno 1302. quod hodieque *Cardinalis Monachi* dicitur: in ejus ædicula humatus, hoc appoſito titulo: *Hic jacet* JOANNES MONACHUS, *Ambianenſis Diœceſis, Tituli Sanctorum Marcelli & Petri Preſbyter Cadinalis, fundator iſtius Domus*: *Qui obiit Avenione anno Domini* 1313.

d Felinus in c. ſolito, de majorit. & obed.

die

die 22. Auguſti. Sepultus fuit hic prima die menſis Octobris anno.

JOANNES ANGUISSOLA.

Cæſenæ in Flaminia natus *Joannes Anguiſsola*, Patavii primùm, deinde circa annum 1300. Bononiæ Jus Pontificium cum laude enarraſſe memoratur. Ex ejus ſcriptis vix aliud ſupereſt, quàm liber de *Sponſalibus ac Matrimoniis*, quem Joannes Andreæ ſibi vindicare non eſt veritus, ſi Alberto Gandino Anguiſſolæ Auditori fides habenda.

JOANNES DE DEO.

Bononiæ quoque per ea tempora profeſſus fuiſſe dicitur JOANNES DE DEO, genere Hiſpanus, Philoſophiæ laude inſignis, & Juris Canonici interpres eximius. Scripſit *Summam Cavillationum* in ſeptem libros digeſtam. Decreti etiam ac Decretalium *Indicem* confecit, in quorum utroque Conſonantes Canones, cum variis quæſtionibus collegit.

JONNES ANDREÆ.

Ex Andrea Patre & Matre Novella nomine Mugelli, in agro Florentino natus eſt hic JOANNES, ac de patris nomine ANDREA, cognomen ſumpſit. Patrem conſtat Presbyterum fuiſſe; an filium antè, an poſt Sacerdotium genuerit, incertum.

Præceptores habuit in Jure Civili Malumbram, & Martinum Silimanni, in Pontificio Guidonem Baiſium Archidiaconum, quem præcipuè coluit, ut à nobis dictum eſt. Circa annum 1330. Patavii docuit, Piſis etiam profeſſus: Inde Bononiam revocatus, interpretandis per annos propè quinquaginta Decretis Pontificum, clariſſimus inter Interpretes evaſit. Auſtera admodum vivendi forma uſum memorat Volaterranus. Precandi etiam admodum ſtudioſus, ac moribus incorruptus fuit. Cæterum notatur perpuſilla ejus ſtatura.

Gloſſemata primò in *Sextum* Decretalium ſcripſit poſt Archidiaconum præceptorem ſuum: eaque ſecundis curis interpolavit auxitque: deinde in *Clementinas* ſcholia ſcripſit, quæ contextui annexa, pro gloſſis leguntur. Poſtremò in Gregorii IX. *Decretales* commentarium edidit ſub *Novellarum* titulo: quod matris & filiæ honori dedit: utraque enim Novella nomine dicebatur. Hoc ejus opus à Baldo mirum in modum laudatur [e]. Scripſit & *in Regulas Sexti* & quas vocavit *Mercuriales*. Gulielmi præterea *Durantis ſpeculo* non pauca anno 1347. addidit, ex Oldradi conſiliis ad verbum ferè deſcripta. Sed & Libellum de Sponſalibus & Matrimoniis ſibi adſcripſit, quod Joannis Anguiſſolæ opus fuiſſe exiſtimatur; quapropter, furtis hujuſmodi compertis, inſignis alienorum laborum fur nominatur à Baldo antè laudato [f].

e In prælud. feudor.

f In addit. ad ſpec. de concess. præb.

3. *De eo Indicium, & mors.*

III. Aliorum opiniones plerumque recitat, pauca de ſuo proferre ſolitus: ubi tamen opinionem ſuam promit ac firmandam ſuſcipit, magno atque acri judicio eam corroborat, ut Abbas & Felinus aliique notarunt; undè non mediocris habetur ejus in conſulendo & judicando autoritas. Tubam & Patrem Juris Canonici vocant Aretinus, Curſius uterque & Baldus. Summus Pontifex, Bonifacius opinor 8.

eum.

eum ad ſe Legatum, *Lumen mundi* ſalutaſſe fertur [g]. Tandem poſt quadraginta quinque annorum profeſſionem graſſante peſte abreptus eſt, anno Chriſti 1348. quod ipſe priore anno vaticinatus fuiſſe videtur in additionibus ad Speculatorem [h], Bononiæ ſepultus in æde S. Dominici hoc adjecto Epitaphio.

g Sylva Nupt.

h De filiis presbyterorum.

Hic jacet Andreas notiſſimus orbe Joannes,
Primo qui Sexti, Clementis, atque Novellas,
Hieronymi laudes, ſpeculique jura peregit,
Rabi Doctorum, lux, Cenſor, normaque morum
Occubuit anno pradira peſtis, M. CCC. XLVIII.

GUILLIELMUS DE MONTE LAUDUNO.

Circa annum Chriſti 1346. memoratur *Guilielmus de Monte Landuno* Philoſophus, & Canonici Juris in Academia Toloſana Celebris Profeſſor. Arnulfo Ruſeo, Philippo Probo in tractatu juris Regaliæ, ipſique ſexti Libri Decretalium Gloſſæ laudatus: ſcripſit enim lecturam in eum Librum, & prætera Apparatum Conſtitutionum Clementis Quinti, & ſuper Extravagantes Joannis 22. ac librum de Sacramentis, quæ adhuc (opinor) inedita omnia latent in bibliothecis à Stephano Baluzio indicatis ad caput quartum libri 6. de concordia Sacerdotii & Imperii. Addi poteſt ex Forſtero Summa de caſibus.

JOANNES CALDERINUS.

Joannes Calderinus patria Bononienſis, quem ob morum elegantiam & ſingularem probitatem Joannes Andreæ, Bonicontо mortuo, in filium adoptavit, atque ut Abbas ſcribit, Novella filia uxore tradita generum fecit. Clementis VI. Pontificis Maximi Conſiliarius fuiſſe fertur. De interdicto etiam Eccleſiaſtico librum & Decretalium indicem ſcripſit. Deceſſit Bononiæ, & in æde B. Dominici eſt tumulatus in marmoreo ſepulcro, circa annum 1350. aut 1360.

Præter Commentaria in libros Decretalium, Deciſiones, Conſilia, & alia de quibus Simlerus in Epitome, extat ejus Tabula continens autoritates & ſententias Bibliorum, prout in compilationibus Decretorum & Decretalium inducuntur ſecundum ordinem Alphabeti, emendata à Thoma Dumbergio Memmingo Spirenſis Civitatis Conſule, excuſa à Petro Drach anno 1481.

LAPPI DUO.

Duo fuere per hæc tempora Lappi, Juris peritia celebres: ambo Florentini, prior TUCTUS Podicboncius Abbas fuit ſancti Miniati, & ſuper Sexto Decretalium & Clementinis ſcripſit, & librum de permutatione beneficiorum à Friderico Petruccio Senenſi in lucem emiſſum, non paucis adjectis ampliavit.

Alter Lappus Caſtilionejus, cum Oldrado à Ponte Romæ Advocatum Conſiſtorialem egit, circa annum ſalutis 1346. Conſcripſit Allegationes & Tractatus duos, alterum de Xenodochiis, ſive Hoſpitalibus, qui inſtar Commentarii eſt ad titulum de religioſis domibus.

JOAN-

JOANNES LIGNANUS.

Pauli Leazari diſcipulus fuit JOANNES à LIGNANO Agri Mediolanenſis oriundus, undè & nomen ſumpſit. Urbani V. Pontificis juſſu, circa annum 1365. conſcripſit librum de *Pluralitate beneficiorum*, cui & alios adjecit *de Permutatione*, *de Horis Canonicis*, *de Cenſura Eccleſiaſtica*, atque *Interdicto*, *de Duello*, *de Hæreſibus*, & *de Repreſaliis*. Quædam etiam ab aliis in Clementinas annotata confusè & negligenter congeſſit, ut obſervat Card. qui eum Interpretum Juris Pontificii principem habitum fuiſſe affirmat. Ejus *in omnes Decretales* Commentaria Patavii ſervantur in majoris templi Bibliotheca. Orto inter Urbanum & Clementem VI. ſchiſmate, cauſam Urbani ſcriptis defendit; Obiit anno Chriſti 1368.

In proœ. Card. Proœm. in Clementinas.

BALDUS UBALDUS.

Peruſii natus eſt Baldus de Ubaldis, Patre Franciſco Medicinæ atque Artium Doctore & Caſtellorum quorumdam Comite: à prima pubertate Bononiæ juri operam dedit, Bartolo Præceptori ſuo æqualis aut ſuperior, cujus ſæpenumero opiniones refellit: docuit in patria ac deinde Patavii, ac tandem Ticini, ubi obiit anno 1400. 28. Aprilis, ſepultus in conventu Fratrum Minorum, cum frater ipſius Angelus ſtudiorum comes, nec minus inter juris profeſſores nobilis, Florentiæ eodem anno deceſſiſſet.

Præter quinque Reſponſorum volumina, aliaque opuſcula, Commentarios ſcripſit, quibus totum ferè jus utrumque multùm illuſtravit, nimirum ſubtilis à quibuſdam habitus. Allegantur etiam quædam nondum prælo ſubjecta, veluti liber quem *Peculium* inſcripſit & tractatus de illuſtribus utriuſque juris Doctoribus, ſive *de commemorationibus famoſiſſimorum Doctorum in utroque jure*. Opuſculum cui titulum fecit *practicam* juris utriuſque, ſeu *Compendioſam*, Angelus Aretinus Tancredo adſcribit, Baldus tamen ipſi ſibi vindicat.

HENRICUS BOICH.

Hoc ſeculo Jus Canonicum Pariſiis ingenti cum laude profitebatur HENRICUS BOICH, Brito è Diœceſi Leonenſi, ut ipſe teſtatur in principio Commentariorum ſuorum: unde corrigenda eſt Venetæ anni 1576. ipſius operum editionis inſcriptio, ubi Lugdunenſis dicitur, errore ducto ex affinitate nominum quibus Civitates duæ in Gallia vocantur: Lugdunum enim vulgò *Lyon* dicitur; Britannica verò Civitas *Leon*, ſive *S. Paul de Leon*. Porro Henricus ille Boich Capellæ ſancti Xyonis Pariſienſis Præfectus fuit, multaque ex ejus Commentariis, ſive *Lectura*, ut ipſe vocat, *in quinque Libros Decretalium*, quam ſe in ſcholis Pariſienſibus anno 1349. conſummaſſe teſtatur, mutuatus eſt Huymerius, de quo infra: is enim ab hoc ſub *Henrici* nomine laudatur.

C A-

CAPUT VII.

De iis qui Seculo XV. jus Canonicum ſcriptis ſuis illuſtrarunt.

PETRUS ANCHARANUS.

PETRUS DE ANCHARANO, nomen ſortitus eſt ab Ancharano Farneſiorum Caſtello, undè ipſi origo: Baldi auditor, Bononiæ jus Pontificium cum Antonio Butrio, deindè Patavii Digeſtum vetus & novum explicuit. Demum Bononiam reverſus ſoli juri Canonico exponendo operam dedit, Senis quoque Decretales per triennium interpretatus. Magnæ vir integritatis, & exacti judicii, ideoque à Principibus viris in conſilium ſæpè adhibitus. Compatrem habuit Zabarellam Cardinalem, tandem Collegium pauperum ſtudioſorum Bononiæ inſtituit, quod ejus nomen hodieque retinet. Obiit circa annum 1415. ſepultus in templo ſancti Dominici: inſtaurato diu poſtea tumulo, inſcriptum eſt carmen hoc initio.

Canonis hic ſpeculum, Civilis & Ancora juris.

Egregios Commentarios reliquit in *Decretales*, *Sextum*, & Clementinas.

ANTONIUS BUTRIUS.

Ex Bononienſi quoque Agro prodiit *Antonius de Butrio*, Ancharani æqualis doctrina, & honeſta converſatione perindè inſignis, docuit Bononiæ ac Ferrariæ. Scripſit in *Decretales & Clementinas*, item *Conſilia & duo Repertoria*, unum in jure Canonico, alterum in jure Civili; fertur quoque ejus liber de Notario. Notatur ab Alexandrino ejus ſcribendi ratio, quòd ſæpè adeò perplexè atque inordinatè ſenſus ſuos exprimat, ut vix ejus mens percipi poſſit. A Benedicto XII. in Gallias ad Regem, ob tollendum ſchiſma jam multis annis ortum, Legatus miſſus, morte præventus, optatum finem videre non potuit. Obiit anno Chriſti 1408. atque in patriam relatus, extra urbem ad Sancti Michaelis conditus eſt.

ZABARELLA.

Ex Sabadinorum Bononienſium ſtirpe natus Patavii *Franciſcus de Zabarellis*, qui peractis in utraque Academia juris ſtudiis, Patavii jus Canonicum interpretatus eſt, atque inter ſui temporis Profeſſores maximè eminuit: tranſlata autem in Venetorum ditionem Patavina Civitate, quindecim Legatorum ad jurandam Reipublicæ fidem deſtinatorum Princeps, Patriæ vexillum Duci Venetiarum obtulit. Florentiæ quoque docens magno in pretio fuit: à Joanne XXIII. Archiepiſcopus Florentinus ac poſtea Cardinalis pronuntiatus; à quo ad Concilium Conſtantienſe Legatus, ejuſdem abdicandi auctor fuiſſe memoratur: poſt electum Martinum

num VI. deceſſit, ann. 1417. ætatis 78. vel, ut alii ſcribunt, 80. Cadaver ipſius in Patriam delatum, magno cum Civium luctu conditum eſt in Majori Templo ad lævam ſacelli ſub titulo Beatiſſimæ Virginis dicati.

Vir fuit animi recti, ſuaviſſimæ conſuetudinis, & integerrimæ caſtiſſimæque vitæ, ſomni parciſſimus, & in ſumptu domeſtico admodum moderatus, in pauperes profuſus, familiares & diſcipulos ad bonos mores hortari ſolitus. Luculenta *Reſponſa*, atque egregia in *Decretales*, *&* *in Clementinas Commentaria* reliquit, ac de *Horis Canonicis* librum. De liberalibus etiam *Artibus*, & *Naturali Philoſophia* quædam opuſcula ſcripſit. Citari ſolet ſub titulo *Cardinalis*.

ZENZELINUS ET PAVINUS.

Omittendi non ſunt Gloſſatores Minorum Compilationum, *Zenzelinus de Caſſanis*, natione Gallus, aliis Genzilinus, qui in *Clementinas* Commentaria, & in *Extravagantes Joannis* 22. Gloſſas edidit. Eum ſecutus *Joannes Franciſcus Pavinus*, ſive de Pavinis, qui in ſacra Theologia verſatus, & Canonicus Paduanus creatus, cum in patria per aliquot annos docuiſſet, à Paulo 2. Romam vocatus eſt, & Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditor eſt factus, circa annum 1466. In Joannis 22. & aliorum Pontificum *Extravagantes* ſcripſit: de Officio & poteſtate *Capituli* ſede vacante, de *decimis*, de *charitativo ſubſidio*, de *viſitatione Epiſcopi*, aliaque opuſcula compoſuit. Romanæ quoque Rotæ *Deciſiones* diligenter collectas, in unum volumen redegit. Tradit etiam Joannes Bertachinus, Juſtiniani *Novellas* ab eo admirabili opere fuiſſe ordinatas: quæ tamen nunquam viſæ. Deceſſit Romæ, ſepultus in æde ſacra, cui nomen ab Ara cœli.

Ante hos *Stephanus* Provincialis, Juris Profeſſor apud Montem Peſſulanum, Commentaria in poſteriores *Compilationes* ediderat, quæ cum Joannes Andreæ vidiſſet, interpolata ſcriptis ſuis addidit, teſte Cardinali Zabarella in prooemio Clementinarum.

RODULPHUS.

Florentiæ natus ex clariſſima ſtirpe *Laurentius Rodulphus*, ibidem jus Pontificium interpretabatur, anno 1404. ubi egregium Commentarium *in Decretum*, eximiumque *de Uſuris* tractatum edidit: à Florentinis Legatus miſſus ad Venetos anno 1425. auxilium adverſus Philippum Vicecomitem Mediolanenſem ab invitis impetravit, acuta proprii eorum periculi admonitione.

DOMINICUS A SANCTO GEMINIANO.

Inter claros Antonii Butrii Auditores, fuit *Dominicus à Sancto Geminiano*, ſic dictus ab ejus nominis Caſtello in Tuſcia: Bononiæ profeſſus circa annum 1410. claruit præcipuè in Pontificii juris interpretatione; ſcripſitque tum *ſuper ſecundo & tertio Decretalium*, tum *ſuper Sexto*; feruntur & ejus *Conſilia* ſive *Reſponſa* & *Repertorium* juris: Poſtremò Romæ Auditor Cameræ, ſingulari æquitate jus dixit.

PANOR-

PANORMITANUS.

Nicolaus TUDISCHIUS, ſive de Tudeſchis, Catanæ in Sicilia obſcuris natalibus ortus, ſancti Benedicti habitum ab ineunte ætate ſuſcepit, ut ipſe de ſe teſtatur [a]. Bononiæ deinde juris operam dedit, atque in primis Canonico, idque ſuo Zabarella, à quo jam Cardinali Lauream Doctoris eſt conſecutus. Indè ab anno 1421. Senis, Parmæ ac tandem Bononiæ, aſſignato octingentorum aureorum ſtipendio, jus Pontificium magna cum laude interpretatus eſt. Interim à Martino V. donatus eſt *Moniceнſi* Abbatia in diœceſi Meſſanenſi: atque hinc *Abbatis* cognomen tulit, ſed cum addito plerumque *novi* ſive *recentioris*, aut *Siculi*, ad antiquioris alterius Abbatis diſcrimen. Tum Referendarii & Cameræ Apoſtolicæ Auditoris Generalis, ac demum Archiepiſcopi Panormitani dignitate auctus eſt: undè *Panormitanus* vulgò dici ſolet. Ab Alphonſo Aragonio Legatus ad Concilium Baſileenſe, partes Eugenii Quarti egregiè defendit: quas poſtea intervenientibus inter Regem Aragoniæ & Eugenium novis offenſis, impugnavit; atque in ea Synodo variè nec laudabiliter ſe geſſit. Ab Amedæo Sabaudiæ Duce, qui ſummus Pontifex ſub Felicis IV. nomine in ea renunciatus eſt, *Cardinalis* dignitatem accepit; cui ut renunciaret adduci nunquam potuit: quamvis abdicante Pontificatum Amedæo. Obiit anno 1443. Ejus Commentaria in *Quinque Decretalium Libros & Clementinas, ſeptem tomis edita habentur. Tomus octavus Conſilia*, *Quæſtiones ſubtiles*, *Practicam* in Curiis obſervari ſolitam, & repetitionem in Caput *per tuas extrà de Arbitris*: Nonus denique *Theſaurum* continet ſingularium in jure Canonico *Deciſionum*, conſcriptum in Concilio Baſileenſi, atque ordine Alphabetico diſpoſitum, & alia quædam. Scribit Forſterus extare Panormitani Librum *de poteſtate Pontificis*, *Imperatoris & Concilii*; ac *Defenſum* ab eo prætereà libro ſingulari *Concilium Baſileenſe*.

[a] In Cap. Cauſam, de judiciis.

JOANNES AB IMOLA.

JOANNES AB IMOLA nomen ſortitus a patria, Romandiolæ civitate, quæ olim forum Cornelii, nunc *Imola* dicitur. Auditor fuit Antonii Butrii & Petri Ancharani, quantum ad jus Pontificium. Patavii, Ferrariæ, ac tandem Bononiæ docuit, abrogato Bononienſium decreto, quo conſtitutum fuerat ut in ea Academia ſoli cives, excluſis exteris, docerent. Quamvis de jure interrogatus aliquando obmutuerit, in pretio tamen ſupra reliquos ætatis ſuæ Doctores fuit; & in utroque jure excelluit, adeò ut ejus opiniones præ aliis recipiantur: gravis certè Bartoli cenſor habetur. Exuſta fortè cum ædibus bibliotheca, ſcripta à ſe elaborata amiſit: ſed ea magna poſtea ex parte iteratis laboribus reparavit. Extant in jus Canonicum Commentaria *ad tres Decretalium Libros*, *ad Sextum Decretalium & Clementinas*; præter *Conſilia & Repetitiones quaſdam*. Obiiſſe traditur Bononiæ anno 1436.

GUIDO PAPÆ.

Videtur GUIDO PAPÆ jus Pontificium Gratianopoli profeſſus, eoque nomine in Conſilium Delphinale allectus, quod poſteà Parlamenti nomen à Ludovico Delphino accepit anno 1454. Præter *Deci-*

ſiones

ſiones Senatus Gratianopolitani, libellum etiam de *Reſcriptis* compoſuit, itemque opuſcula de *Præſumptionibus*, *Appellationibus primo ſecundoque Decreto*, & egregia *Reſponſa*. Obiit jam ſenior circa annum 1485.

JOANNES DE ANANIA.

Oriundus *Anania* Campaniæ Romanæ Civitate hic JOANNES, Bononiæ diu profeſſus, inter alios Alexandrum Tartagnum & Andream Barbatiam Auditores habuit: Religionis & Theologiæ non minùs quàm juridicæ ſcientiæ nomine commendatus; unde à Bartholomæo Socino vir ſcientiæ & conſcientiæ vocatur. Et verò nulla unquam ex cauſa conſuetas preces aut ſacra intermiſiſſe memoratur. Tandem Bononiæ Archidiaconatu decoratus, ibidem obiit fermè octogenarius an. 1458. In *Quintum Decretalium* librum commentaria, atque erudita *Reſponſa* conſcripſit, quæ diu apud Barbatiam, alioſve ſuppreſſa, publici tandem juris facta ſunt à Ludovico Bolognino.

JOANNES A TURRE CREMATA.

Ab oppido Hiſpaniæ in Regno Caſtellæ ac Diœceſi Palentina, quod vulgò *Torquemada*, ortum ex nobili familia, & cognomen ſumpſit JOANNES A TURRE CREMATA. Religionem Prædicatorum profeſſus eſt apud Valliſoletum ſeu Vallem Oleti, vulgò *Valladolit*, Theologiæ & Juris ſtudiis excultus, multa in utroque genere ſcripſit. Imprimis Gratiani Decretum ab anno 1449. Romæ per quinque & viginti annos interpretatus eſt: Quæſtiones canonicas Theologorum more tractans, veſtigiiſque ſancti Thomæ Aquinatis inſiſtens. Extant præter quinque volumina Commentariorum *in Decretum*, *Summa de Eccleſia, & ejus autoritate quatuor libris*: *de Pontificis Maximi Conciliique autoritate ad Baſileenſem Oratorem reſponſio*: *in Pſalterium Davidis*: *Sermones de tempore & de Sanctis*: *de Aqua Benedicta*: *De veritate Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ Tractatus in 13. partes diviſus*: *Commentaria in Regulam S. Benedicti*. Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis interfuit, atque ob præclaram doctrinæ ac pietatis famam, ſancti Sixti Presbyter *Cardinalis* ab Eugenio 4. deinde à Pio 2. Sabinenſis creatus Epiſcopus, deceſſit ann. 1468. ætatis 80. Romæ in Baſilica S. Mariæ ſupra Minervam, quam ſuis ſumptibus refecerat, marmoreo Sepulcro conditus in Sacello B. Virginis Annunciatæ, cujus celeberrimam Societatem collocandis in matrimonium per ſingulos annos puellis inſtituit.

ANDREAS BARBATIA.

ANDREAS BARBATIA, quibuſdam *Barbatius*, & plerumque à patria *Andreas Siculus*, anno 1448. Bononiam profectus, ſub Joanne Imolenſi & Joanne Ananienſi utriuſque juris ſtudiis eſt initiatus. Ferrariæ ac deinde Bononiæ primò jus Pontificium, deinde etiam Civile docuit, magna nominis celebritate: in hoc Alexandrum Concurrentem ſive Antagoniſtam habuit, quem memoriæ præſtantia magis quàm judicio ſuperavit. In tantum enim memoria valuit, ut quæcumque legerat retinere diceretur, & de re quavis ex tempore diſſereret: ſed ambitione immodica & ingenii levitate receptas veraſque opiniones ſummo ſtudio impugnare

cona-

conatus eſt, adeò ut ea de cauſa ſæpè deliraſſe dicatur. In jure Canonico Bartholomæus *Bellencinus* Mutinenſis Antagoniſta fuit Barbatiæ, cui impingitur à Felino furti vitium. Obiit circa annum 1482. ſepultus Bononiæ apud S. Petronium. Extant ejus in primam & ſecundam partem *Primi Decretalium* Libri, itemque in primam & ſecundam *Secundi* ampla Commentaria, itemque Lectura in *Clementinas*, aliaque Pariſiis & alibi edita.

PHILIPPUS FRANCUS.

PHILIPPUS FRANCUS Peruſinus, in patria diu jus Pontificium profeſſus, deinde Ticinum evocatus, magna nominis fama claruit, circa annum 1460. Habentur erudita ejus in *Decretales* & *Sextum* Commentaria.

PRÆPOSITUS.

Joannes Antonius à S. Georgio, Placentinus, & Patricius Mediolanenſis, anno ætatis 28. Ticini profiteri cœpit: deinde Præpoſitus fuit ædis Ambroſii apud Mediolanum; unde ipſi inditum PRÆPOSITI cognomen: tum ab Innocentio 8. ob doctrinæ ac ſanctitatis celebritatem Auditor ſacri Palatii ſeu Rotæ, ac Referendarius Apoſtolicus; poſteà Alexandrinus in Longobardia Epiſcopus, ac tandem anno 1493. Presbyter *Cardinalis* eſt renunciatus ſub titulo Sanctorum Nerei & Achillei. Extant ejus Commentarii in *Primas duodecim Cauſas Decreti*, cujus & primam partem interpretatus dicitur, quemadmodum & *Clementinas*: habetur etiam in hominum manibus Interpretatio ejus *in Quartum Decretalium*. Obiit anno 1493.

GUYMERIUS.

Coſmas Guymer Pariſinus, Canonicus primùm fuit Eccleſiæ Collegiatæ B. Thomæ ad Luparam, ac poſteà Decanus Eccleſiæ itidem Collegiatæ ſancti Juliani Laudunenſis; ac privilegiorum Apoſtolicorum Academiæ Pariſienſi conceſſorum, Conſervator ab Epiſcopo Meldenſi dictus: tandem ſub annum 1500. Senatoris & in prima Inquiſitionum claſſe Præſes à Ludovico XII. creatus, Regnante Carolo 8. *Pragmaticam* Caroli VII. *Sanctionem* eruditis Gloſſis illuſtravit, quas in ſcholis Juris Pariſienſibus dictavit, ediditque anno 1486. Fruſtrà Carolus Molineus hujus operis laudem à Guymerio ad antiquiorem Advocatum, nomine *Mareſchal*, derivare conatur: contrarium enim evidentiſſimis argumentis demonſtrat Vir Clariſſimus Franciſcus Pinſonius in præfatione noviſſimæ illius operis editionis, quæ anno 1666. Pariſiis prodiit, cum Philippi Probi additionibus, aliiſque ſelectis monumentis eam ad rem accommodatis.

FELINUS.

Ex nobili Sandeorum familia, Parentibus Ferrarienſibus à Felina, Caſtro Agri Regienſis ubi caſu natus eſt, nomen ſortitus FELINUS *Sandeus*, Ferrariæ primùm docuit jus Pontificium; poſtea Piſis jus Civile eſt interpretatus, concurrentibus Franciſco Aretino & Bartholomæo Socino. Philippi Decii aliquandiu familiaris, adeò ut ejus opera in

ſolvendis aliquot legum nodis uſus dicatur. Inde orta ſimultate, Felinus an. 1488. Romam ſe contulit, ab Innocentio 8. Auditor declaratus. Ejus diſceſſum ægrè ferentes Academiæ Piſanæ Præfecti, Decium dimiſerunt, qui Senas migravit. Felinus multi laboris & multæ lectionis, potiùs quàm magni acuminis habitus, à receptis Majorum opinionibus rarò diſcedit, ſed & rarò utilia prætermittit. Eccleſiæ Ferrarienſis Canonicus, ac tandem Lucenſis Epiſcopus creatus, deceſſit anno 1503. Nota ſunt ejus *in Decretales* monumenta.

GAGUINUS.

Inter egregios ſacrorum Canonum profeſſores, floruit hoc ſeculo in ſchola Pariſienſi Robertus GAGUINUS in Atrobatum finibus natus, religioſum Ordinem SS. Trinitatis ab adoleſcentia ingreſſus, in Nipenſi ejus Ordinis Cœnobio: indè Lutetiam, ſtudiorum cauſa, miſſus, omnis literarum genere mentem excoluit. Sed Juris potiſſimùm Canonici peritia claruit: imò Theologus, Juriſconſultus, Orator, Poeta, Hiſtoricus habitus, eoque nomine Trithemio & Eraſmo laudatus: anno 1473. Ordinis ſui Generalis Præfectus eſt electus: deinde variis legationibus pro Carolo VIII. & Ludovico XII. Regibus decoratus.

Præter Hiſtoriam Francorum libris 12. exaratam, aliaque monumenta, ſcripſit, quod ad noſtrum facit inſtitutum, Tractatum *de variis in Eccleſia Dei Ordinibus*. Sæpiùs Decani munere functus in facultate Juridica. In fine ultimi ſui Decanatus triennalis hæc adſcripſit, *die Veneris* 13. *anno Domini* 1500. & paulò poſt, *& eodem die repoſui officium Decanatus in manibus Domini Nicolai de Conty Decani naturalis Facultatis: qui annus erat mihi Jubileus, quia ego fueram Regens in ipſa Facultate annos* 20. *& compleveram Jubileum annum, ſecundum ſtatuta Facultatis. Quæ poſtea ſequentur, proſpera faciat Deus, Amen. Robertus Gaguinus ſeptimo & ſexageſimo ætatis meæ anno hæc ſcripſi.*

Obiit die Sabbati 22. Maii anno 1501. De ejus exequiis hæc in Tabulario 2. Facultatis noſtræ leguntur ſcripta nomine Dionyſii Allegret Decani in actu: *Dominica* XXIII. *delatum eſt ejus cadaver, aſſiſtentibus Dominis, in parte anteriori de Conty, & Me: & in poſteriori Dugaſt & Dorigny tenentibus extremitatem Pallii.*

Erant eo tempore Doctores Conſultiſſimæ Facultatis actu Regentes, præter Joannem Picard, alioſque qui diuturna anteceſſura functi, & per eam Senatorum in ſuprema Curia honorem adepti; poſtquam utrumque officium conjunctim plures per annos exercuerant, in Senatoria dignitate ſeneſcentes conquieſcebant; Erant, inquam, Doctores Regentes *Nicolaus de Conty* Decanus naturalis ſive Primicerius, *Dionyſius Allegret* tunc Decanus in actu, *Claudius de Hangeſt* Senator, *Simon Dugaſt* (cujus Fratris filius Robertus, poſteà ipſe quoque Doctor ejuſdem Facultatis, Collegium ſanctæ Barbaræ extruxit ac dotavit) & *Nicolaus Dorigny*, quem proximo ineunte Junio, inter tres è numero Advocatorum à Curia, pro illorum temporum more, nominatos, à Rege delectum & receptum in Conſiliarium Curiæ Parlamenti, teſtantur eadem ſcholæ noſtræ monumenta. Dorignius autem ille, poſtmodùm claſſis Inquiſitionum Præſes, cum anno 1560. jam nonagenario major, ad *Capitulum omnis utriuſque ſexus* concionem, ſecundum ſcholæ noſtræ inſti-

tutum,

tutum, haberet, tanta vehementia in erumpentes jam Sectariorum errores invectus eſt, ſuperante ætatem ardore religionis ac ſanæ doctrinæ: ut deficientibus, hac animi contentione, viribus, eumdem intra diem occubuerit.

Gaguini porrò corpus terræ mandatum eſt in æde ſacra Maturinenſium ſuorum, ante majus Altare: legiturque pium ejus Epitaphium ab ipſomet compoſitum, ſupra januam ſacrarii, eidem altari proximam: ubi coram Chriſto ad judicium ſedente jacere humiliter cernitur, extremamque cum ſpe miſericordiæ ſententiam expectare, & his orat verbis:

Chriſte ſalus hominum, meritorum æquiſſime Cenſor,
Servulus ecce tuus, jam Carnis lege ſolutus,
Dormit & expectat quo mentem examine verſes.
Peccavi, miſerere, nec horrida pende flagella
Criminibus, tua ſum factura, perennis imago.
Quod fuit humanum Tellus vorat: accipe ſanctam
Effigiem, Rex Magne, tuam; quam percupit hoſtis.
Tu vitam & mores, tu mentis condita noſti,
Omnia ſunt in ſpe, tantùm miſerere Gaguino.

Eſt autem admodùm notatu dignum quod ab erudito ac religioſo viro Jacobo du Breul Congregationis ſancti Mauri monacho memoratur [a], cum juxta Gaguini ſepulcrum locus humando alteri cadaveri effoderetur, apparuiſſe integrum poſt novem & quadraginta annos ipſius corpus, ac permiſſu Theobaldi Muſnier, avulſum à trunco caput à Jacobo Bourgeois Ordinis per Picardiam Provinciali & Cœnobii Duacenſis Miniſtro, ut vocant, ad ſuos delatum; ubi in bibliotheca, excavato ea de cauſa muro, incluſum, per feneſtellam crate munitam viſitur.

[a] Antiquit. Pariſ. lib. 2.

CAPUT VIII.

Seculo XVI. Interpretes & Doctores.

DECIUS.

TRISTANO de Dexio, Cive Mediolanenſi, nati ſunt celebres duo Juriſconſulti, Lancelottus & Philippus. Prior juſtis nuptiis procreatus, Ticini & Piſis Jus Civile profeſſus eſt. PHILIPPUS ex Concubina ortus, anno 1454. graſſante Mediolani peſte, Ticinum ad Fratrem receſſit: quem & Piſas vocatum à Florentinis, ſecutus eſt; & utrobique profitentem quæſtionibus ſuis fatigavit. Piſis itaque valdè juvenis docere cœpit: ubi cum Felino concertans, ei cauſam diſcedendi præbuit; ipſe ea de cauſa dimiſſus, Piſas poſteà revocatus, tum ad Patavinum ſtudium à Venetis conductus, tandem Ludovico XII. Francorum Rege eum velut

ſubjectum vendicante, Ticini docuit duorum millium florenorum honorario. Deinde ob conſultationem pro Concilio Piſano editam, Ticino per Epiſcopum Sedunenſem, Helvetiorum in Gallos concitatorum ducem, capto, ingentem fortunarum jacturam fecit, direptis ædibus atque aſportatis è bibliotheca quadringentis Commentariis, præter alia volumina: unde in Galliam migrare coactus ſub annum 1510. à Rege Senator Gratianopolitanus cum ducentorum quinquaginta aureorum honorario eſt deſignatus: inde Valentiam, auditoribus ferè deſtitutam, translatus, aſſignato quingentorum aureorum ſtipendio: dein pari præmio Romam accitus à Leone X. qui ipſius Auditor fuerat: tum revocatus à Franciſco I. Demum Piſas cum octingentorum aureorum ſtipendio conductus eſt: atque à Mediolanenſi Senatu, & à Bononienſibus, ac Venetis mille aureorum promiſſo ſtipendio fruſtra ſolicitatus, multis annis ibidem perſtitit, atque ad mille quingentorum aureorum honorarium pervenit. Capite exiguo, ſed vultu decoro fuit: acumine ingenii ſingulari, dicteriis promptus, Auditoribus gratus, aliorum Doctorum invidiam ſæpè concitavit. Concurrentes habuit præ cæteris Bartholomæum Socinum & Felinum; Franciſcum etiam Soderinum, qui poſtea Epiſcopus Volaterranus ac tandem Cardinalis fuit; & Robertum Strotium Florentinum Piſani Archiepiſcopi vices gerentem. Nemo pluribus locis, aut diutiùs Jus utrumque profeſſus legitur: tandem ſenio confectus Joanni Coraſio inſignia Doctoris traditurus, memoria lapſus defecit. Obiit Senis anno Chriſti 1535. ætatis 81. Translatus Piſas & magnifico monumento illatus, quod ſibi candido è marmore, cum impoſito ſimulacro apertum librum tenente, vivus paraverat, in campo quem Sanctum vocant, hoc adjecto Epitaphio.

Philippus Decius, ſive de Dexio, Mediolanenſis, Juriſconſultus celebri fama notiſſimus: cum primum locum ſtudii in jure Canonico, vel Civili tenuiſſet, Piſis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ, ac demum ultra montes in Gallia; revocatus in Italiam ab excelſa Florentinorum Rep. poſteaquam ſtipendium mille quingentorum aureorum in auro pro Lectura conſecutus fuiſſet, de morte cogitans, hoc ſepulchrum ſibi fabricari curavit: ne poſteris ſuis crederet.

Nota ſunt ejus opera: in quibus non rarò Interpretum ſententias in alium ſenſum detorquet, & falſis aliquando citationibus utitur: Ejus tamen *in Decretales* Commentarii habentur inter primos.

ROCHUS CURTIUS, ſive de CURTE.

Jaſonis Auditor ROCHUS CURTIUS Ticinenſis, Franciſci Junioris aut frater aut fratris filius, in patria circa annum 1525. jus Pontificium docuit: deinde Senator Mediolani eſt creatus, cum priùs an. 1470. Guilielmo Marchioni Montisferrati à conſiliis fuiſſet: ejus ſcripta viſuntur, de *Conſuetudine & de jure Patronatus*.

PARISIUS.

Petrus Paulus PARISIUS Conſentinus, docuit initio Romæ; tum Patavii ſive Paduæ, ac Bononiæ; deinde Romam ſe conferens, Auditoris Cameræ

Apo-

Apoſtolicæ munus ſibi comparavit: poſteà Mediolani Senator à Carolo V. Imdictus, & Senis præfectus: tum patriæ Epiſcopus, ac tandem à Paulo III. Cardinalitia dignitate decoratus fuit an. 1536. Leguntur ejus *Conſilia de re Beneficiaria.*

LUDOVICUS GOMESIUS.

LUDOVICUS GOMESIUS Hiſpanus Oriola, Regni Valentiæ Civitate oriundus, in Academia Patavina jus profeſſus, circa annum 1522. deinde anno 1528. Romam profectus, Rotæ Auditor, ac demum Epiſcopus Sarnenſis creatus, in Rotæ Auditoris munere Antonium Auguſtinum ſucceſſorem habuit. In *Sextum Decretalium* & *Regulas Cancellariæ Commentaria* reliquit: plura, ut creditur, additurus, ſi longiùs vitam produxiſſet.

SEBASTIANUS BRANT.

Argentorati in Germania natus, ſub initium hujus Seculi SEBASTIANUS BRANT, hoc eſt latinè *Titio*, multa ſcripſit, tum metro, tum proſa, imprimis autem quod ad rem noſtram pertinet, *Breves utriuſque Juris Titulorum Expoſitiones.*

ALCIATUS.

Andreas ALCIATUS Mediolanenſis, apud Biturigas ab anno 1529. docuit, deinde Ticinum vocatus anno 1532. Primus poſt Guillielmum Budæum, aut eodem tempore cum Budæo, Juriſprudentiam, barbaro docendi genere anteà involutam, humaniorum litterarum, tum Græcarum, tum Latinarum lumine illuſtrare, atque ad veros fontes revocatam, priſtino nitori reſtituere cœpit: habitus inter Juris Interpretes Doctiſſimus, inter Doctiſſimos Juris Conſultiſſimus. Obiit Papiæ anno 1548. ſepultus in æde Sancti Epiphanii. Commentaria ſcripſit in aliquot Juris Canonici Rubricas & Capitula, nempe in *Rubr. & cap. pernicioſa, & cap. quod ſedem, de Offic. Judic. ordinar. in cap. cum non ab homine, & cap. novit, de Judic. in Rubr. & cap. cum contingat, de Jurejur. in Rubr. & cap. placuit, de preſcriptionib.*

REBUFFUS.

PETRUS REBUFFUS, apud Montem Peſſulanum in Occitania natus, in patria, & Toloſæ Juriutrique operam dedit: tum in utraque illa Academia, atque in Pictavienſi legit extra ordinem, profeſſus Cadurci: anno 1527. Biturigis unà cum Alciato anno 1529. Pariſiis denique anno 1534. inſtaurata Juridica facultate ſex ordinariorum Doctorum Juris primus eſt renunciatus: ubi uſque ad annum 1557. Jus & praxim Canonicam docuit magna cum laude. Reperiuntur ejus Repetitiones *in titulum de Cauſa poſſeſſ. & propriet. in cap. an ſit deferendum, de appellat. in paragr. qui verò parochialem, cap. extirpandæ conſuetudinis, de Præb. in cap. nulla, de conceſſ. præbendæ; in cap. poſtulaſtis, de Clerico excommunicato, &c. in cap. Rainutius, de Teſtam. in cap. conſuluiſti, & cap. cum Marthæ, de celebrat. Miſſar. in cap. omnis utriuſq. ſexus, de pœnitentiis; itemque in Can. decernimus XVI. quæſt. 7. in Can. ſi quis ſuadente VII. quæſt. 4.* Præcipua ejus opera ad Beneficia Eccleſiaſtica pertinent, nimirum

Praxis Beneficiaria, quæ in tres partes diviſa eſt, *Practica Cancellariæ Apoſtolicæ, & Additiones* in *Regulas Cancellariæ*: tum *Commentaria in Bullam Cœnæ Domini & Bullam jejuniorum & ſupplicationum pro pace*. Commentaria quoque *in Concordata* Franciſci primi cum Leone X. Addendi Tractatus *Congruæ Portionis Beneficiorum*, Tractatus de *Pacificis Poſſeſſoribus*. Ac præterea Tract. de *Decimis* & aliis *in quibus caſibus Judices ſeculares poſſunt cognoſcere de perſonis Eccleſiaſticis*, ac Tractatus ſpecialis *de Jure Nominationum Academicarum*. Mitto Commentaria in Regias *Conſtitutiones*, & ſi quæ alia ad jus Civile aut Gallicum magis quàm ad Pontificium referuntur. Obiit anno 1557. Sepultus in ædicula Collegii Auguſtodunenſis Pariſiis. Cum ordine receptionis Decanus eſſet inter Pariſienſes profeſſores, Decanatum quoque in actu, electione Collegarum, per annos 15. continuavit, & poſt vicennalem in ſchola noſtra profeſſionem, *Comitis* titulo decoratus eſt. Secundum antiqua facultatis noſtræ ſtatuta, reformatis anno 1598. Henrici IV. Regis autoritate ſtatutis renovata.

QUINTINUS.

JOANNES QUINTINUS Heduus, ſive Auguſtodunenſis, Ordinis Hoſpitalariorum Joannitarum religioſus Presbyter, Melita redux, ubi in Magni equitum Magiſtri Lilladami Rhodo pulſi familia, ei cæteriſque ordinis proceribus carus, aliquandiu egerat, anno 1536. ordinarius Juris in Academia Pariſienſi Profeſſor lectus, opera complura edidit: quorum hæc ad me pervenerunt. *Repetita* Duorum Capitum *Prælectiones*, *Capituli de multa providentia*, *de Præbendis & dignitatibus*, & Cap. *novit*, *de Judiciis* in antiquis: quarum altera Beneficiorum Eccleſiaſticorum Eccleſiaſtica diſpenſatio deſignatur: altera Chriſtianæ Civitatis Ariſtocratia deſideratur, Pariſiis anno 1552. Octoginta quinque Regulæ ſeu *Canones Apoſtolorum*, cum vetuſtis Joannis Monachi Zonaræ ſcholiis Latinè modò verſis, anno 1558. *Speculum Sacerdotii*, ſive Apoſtoli deſcribentis Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum mores, *σημείωσις*, ex viginti quinque *Gratiani* Diſtinctionibus excerpta, Decretorum Parte prima, de Clericorum moribus & ſingulari vita, anno 1559. *Synodus Gangrenſis*, Sæculi præſentis errores, multaſque multorum ſuperſtitiones & impietates condemnans: explicata Commentariolis ex Gratiani *diſtinctione* 30. anno 1560. *Hæreticorum Catalogus* & Hiſtoria, ex Gratiano, eodem anno. Agnovi ex ſcriptura & manu qua Juridicæ Facultatis Pariſienſis acta eorum annorum, magnam partem ſcripta ſunt, ejus eſſe, verſionem *Syntagmatis Canonum* Græcorum à Matthæo *Blaſtare* Monacho compoſiti, quæ in Bibliotheca Regia ſervatur: de qua, cum Græco (cujus in eadem aliiſque Bibliothecis, multos Pariſiis manuſcriptos Codices habemus) edenda, & novæ Editioni Græcorum Canonum græco-latinæ Collectionis ſubjungenda, egeram cum viro Clariſſimo Claudio Carcavio ejus Bibliothecæ curatore: facturus libenter, niſi Guillelmus Beveregius Anglus, vir eruditus, utiliori ſua opera, utraque hac cura me ſub id tempus liberaſſet. Porro Quintinus ad Comitia Aurelianenſia delegatus, elegantem habuit orationem. Obiit Lutetiæ 1561. terræ mandatus in Choro Eccleſiæ ſancti Joannis Lateranenſis, hoc ſuperſcripto Epitaphio.

Cele-

Digitized by Google

Celeberr. Jur. Doct. & ordinarii Lutetiæ Profeſſoris Fr. Jo. Quintini Hedui.

EPITAPHIUM.

Quintinus Doctor, Librorumque helluo ſummus,
Dum nulla dapis alterius tentatur orexi,
Dumque fidem pro qua calamo pugnavit, & ore
Fortiter, affligi videt, acriùs & dolet, ex hoc
Orbe, invitis, non invitus, migrat amicis.
Obiit nona Aprilis 1561.

CUCCHUS.

Antonius CUCCHUS, Juris in Academia Ticinenſi Profeſſor, imitatione Juſtiniani *Juris Canonici Inſtitutiones* duplici opere compoſuit, breviori uno & concinno, altero majoris molis. Priùs *Minores*, poſteriùs *Majores Inſtitutiones* quo tempore Tridentina Synodus celebrabatur, appellans.

LANCELOTTUS.

Eodem fermè tempore *Joannes Paulus* LANCELOTTUS Juriſconſultus Peruſinus, non diſpari conſilio, *Inſtitutiones Juris Canonici* conſcripſit, atque hortatu Pauli IV. Pontificis ſuſceptas, Pii IV. auſpiciis in vulgus emiſit, circa annum 1560. paulò ante Tridentini Concilii exitum. Huic quamquam ſuperſtes per aliquot annos, nihil tamen ex novo per illud invecto jure adjiciendum operi ſuo, vel in eo immutandum cenſuit: ſive laboris tædio, ſive alia ex cauſa. Hæ Inſtitutiones, pari cum Cucchianis Minoribus inſtituto nec multum diſpari forma, paulò fortè minus elegantiæ, ſed paulò plus perſpicuitatis habent. Ordo non multùm diverſus: uterque vix ultra Decretalium & minorum Collectionum metas excurrit: quarum verbis preſſiùs inhæret Lancelottus. Ex noſtris in hunc Notis, aliquis antiquitatis Eccleſiaſticæ guſtus, & aliqua uſus Gallicani notitia ambobus accedere poterit. Scripſit præterea Lancelottus de *Comparatione* Juris Pontificii ac Cæſarei & utriuſque *Interpretandi ratione*.

CAROLUS MOLINEUS.

Carolus Molineus, Pariſienſis, ineunte hoc ſeculo natus, hauſta Aureliis juris diſciplina, inter Advocatos diu claruit, atque in pretio fuit, ad ſtudium literarum magis quàm rei familiaris attentus. Inter initia Calviniani dogmatis, ejus particeps non abs re habitus eſt: quam opinionem liberioribus in Curiam Romanam dictis ſcriptiſque confirmavit. Quamobrem ſolum vertere coactus, Tubingam profectus eſt anno 1553. vocatus à Chriſtophoro Duce Wirtembergico, Conſiliarii Ducalis, & primi juris Profeſſoris titulo. Argentorati prætereà & Dolæ honorificè à Senatu & Academia accitus, itemque Veſontione, ſed velut in tranſitu, per dies aliquot profeſſus, tandem in patriam rediit, anno 1557. ubi anno 1668. die 28. Decembris, poſtquam in manibus Parochi ſui Franciſci le Court, adſtantibus Claudio Spenſeo & Re-

nato Bonella Collegii Pleſſiaci gymnaſiarcha, etrotem ſuum ejutaſſet; deceſſit; elatuſque eſt ſine pompa in cœmeterium ſancti Andreæ; uti ex mortuario ejus parochiæ tabulatio, ptobat oculatus teſtis V.C. Franciſcus Pinſſonius. Multa de jure Civili & Patrio ſcripſit: quod attinet ad jus Canonicum, circumferuntur in univerſum illius corpus Marginales Molnei *Annotationes*, tum ſcholæ, tum foto accommodatæ, Commentaria in tres *Cancellariæ* Apoſtolicæ *Regulas* in Galliareceptas, itemque in *Edictum* Henrici ſecundi *contra parvas datas*. Extat etiam ejus conſultatio de *Concilio Tridentino*, & *Unio quatuor Evangeliſtarum*, ac Tractatus *de Uſuris*. Præterea Notæ *in* Ttactatum Joannis Selvæ de Beneficiis. Commentaria in Philippi Decii ad jus Pontificium libros. Teſtatur ipſe, expoſitam a ſe annum ætatis XXI. agente Arborem Conſanguinitatis, tum Auteliis, tum deinde Pariſiis in ſcholis juris, his verbis, *Iſta duobus verbis complexus ſum, dum interpretarer Arborem Aurelii anno Domini* 1521. *dicendo quod aſcendentes nunquam repræſentant deſcendentes, & quod deſcendentes in linea directa in infinitum repræſentant, & quod collaterales non repræſentant ultra fratrum filios. Lecturam illam novem lectionibus in ſcholis Decretorum abſolvi, brevi ſtylo ſed ubere, raro tantùm auditorio ob contemptum imberbis ætatis meæ.*

NAVARUS.

Martinus ab Azpilcueta ex nobilibus parentibus natus in Cantabtia, circa annum 1490. Beati Franciſci Xaverii Societatis Jeſu fundatotis alterius, & magni Indiatum Apoſtoli cognatus ac ferè æqualis. *Navarri* nomen ſumpſit à Regione cui patrium oppidum contributum. Inter Canonicos Regulates profeſſum ſe ipſe teſtatur. Toloſæ imprimis juri utrique operam dedit; atque in ea urbe, mox Salmanticæ, deinde Conimbticæ, vocatus magno cum honore à Joanne tertio Portugalliæ Rege, demum Cadurci jus Pontificium magna cum laude interpretatus eſt; donec ex illarum Academiarum Decretis rude donatus, à profitendi munere immunis ptonunciatus eſt, dignuſque viſus qui eodem ptæmio impoſterum gaudetet, quo inter profitendum fruebatur. Inde Romam ptofectus, operoſam atque honorificam, inter preces ac labores continuos mira abſtinentia vitam longiſſimè produxit, valetudine inconcuſſa: quantum ſibi parcus, tantum in pauperes effuſus; ad extremos uſque vitæ annos quotidiè ſacra celebrare ſolitus, quadrageſimale etiam jejunium ſervabat. Romæ annos 17. quietem habuit ſub Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. qui ejus ſapientiæ graviſſima quæque pœnitentium præſertim negotia committebant. Obiit anno 1586. die 24. Junii ſepultus in templo ſancti Antonii de Padua dicti in campo Martio, funus ejus celebrante Thoma Correa Luſitano. Permulta & ptæclata doctrinæ, ingenii ac judicii non vulgaris monumenta teliquit, quæ in tres Tomos diviſa circumferuntur. Primo Tomo continentur Commentarius in Can. *inter verba* XI. quæſt. 3. de Regularibus. Commentarii quatuot *in Can.* nimirum *cui portio*, *& Can. non dicatis* XII. *quæſt.* I. in Can. *nullam* XVIII. quæſt. 2. & in Can. *ſtatuimus* XIX. *quæſt.* 3. *Ad principium & gloſſam ſummæ Cauſæ* XII. *quæſt.* 2. *& ad Can. non liceat*, *ead. Cauſa & quæſt. Ad Can. ſi fœneraveris*, XIV. *quæſt.* 3. *Ad Can. quoniam quidquid*, XVI. *quæſt.* I. *Ad Can. humanas aures*, XII. *quæſt.*

quæſt. quinta Ad Can. cum miniſter, XXIII. *quæſt. quinta & Commentarii in ſeptem Diſtinctiones de Pœnitentia.*

In Secundo Tomo habentur *Conſilia in omnes ferè Titulos Decretalium* Gregorii IX. in quibus plura, tum Decreti, tum Decretalium, Sexti & Clementinarum loca, ſpeciatim explicantur.

In Tertium Tomum collata ſunt ea Commentaria, quæ reliquis aliis ſacratiora & myſteriis divinis propiora ad ſalutem cujuſque & vitam æternam conſequendam faciunt, & ad pietatem virorum, tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, conſervandam & promovendam non parum juvant: Nempe *Enchiridion ſive Manuale Confeſſariorum & pœnitentium* Capitibus ſeptem & viginti abſolutum. *Enchiridion ſive Manuale* aliud *de Oratione*, *Horis Canonicis* atque aliis *divinis Officiis* (ubi & *Miſcellanea* quædam de *Beneficiis*) Commentarius de anno Jubilæo, & *Indulgentiis* omnibus.

B A L D U I N U S.

Franciſcus Balduinus Atrebas Antonii filius, natus 1520. Calendis Januariis, antiqua & nobili familia, Lovanii humaniorum literarum & juriſprudentiæ tyrocinium poſuit. Deinde, cum aliquandiu in aula Caroli V. degiſſet, in Galliam profectus, cum Budæo, Baifio, aliiſque viris eruditione claris, amicitia junctus, in Caroli Molinei etiam familiam venit. Hinc anno 1549. in Bituricenſium Anteceſſorum Collegium cooptatus, exequente inaugurationis ſolemnia Eguinario Barone, ibi per ſeptennium jus profeſſus, Tubingam trans Rhenum evocatus eſt. Sed cum ex itinere accepiſſet Carolum Molineum eò reverti velle, Argentorati ſubſtitit, ubi anno uno jus Civile docuit: tum Heidelbergæ præter ordinariam juris profeſſionem, Hiſtoriæ quoque docendæ munere functus eſt annis ferè quinque. Dein cum in Comitatu eſſet Caſimiri Comitis Palatini, in Lotharingiam à Patre Friderico miſſi, ab Antonio Borbonio Rege Navarræ adſcitus in domeſticam clientelam, tradito ipſius diſciplinæ Carolo Regis filio naturali; & Antonius Rex ipſius opera in Reipublicæ negotiis, & Religionis controverſiis uti voluit. Id verò minùs æquo animo Calvinus tulit, ſibi fortè à Balduino metuens, quem multorum ſuorum conſiliorum conſcium teſtemque habuerat: unde Calvini aſſeclæ invidia in Balduinum abrepti, multa in eum moliebantur. Fatetur [a] Balduinus ſe cum illis erraſſe, & dum Calvino obſequitur, optimos adoleſcentiæ annos perdidiſſe. Cæſo apud Rothomagum Navarræo Rege, Tridento, quò ſeceſſerat, in Galliam rediit Balduinus, fortunis omnibus exutus. Ad recens inſtitutam Academiam Duacenam vocatus, ibi non diu ſubſtitit. Bellorum civilium metu pulſum excepit primò Lutetia, dein Andegavum. Unde poſt triennium, juſſu Henrici Andegaviæ Ducis, in Poloniæ Regem electi, Pariſios demum reverſus, ibique altero poſt reditum menſe fato functus eſt. Morienti oculos clauſit Joannes Maldonatus Societatis Jeſu Theologus & Profeſſor eximius. Sepultus eſt in clauſtro Maturinenſium juxta Joannis de Sacro Boſco tumulum, cum hoc Elogio & Epitaphio, merita hominis & tempus mortis indicantibus.

a In reſponſione ad Calvinum edita Pariſiis & Coloniæ anno 1562.

Cujaci, BALDUINUS *hìc jacet*: *Hoc tecum reputa & vale. Mortuis vobis juriſprudentiam corripiet gravis ſopor.*

FRANCISCUS BALDUINUS *Juriſconſultus, obiit anno ætatis 53. nono Cal. Novembris, à partu Virginis M. D. LXXIII.*

Papirius Maſſonus Juriſconſultus Balduini Auditor, tumulum poſuit.

De ejus rebus ſcripſit pluribus verſibus Joannes Auratus Poeta Regius.

Multa extant ab eo conſcripta volumina: in quibus maximè operam dedit, ut Juriſprudentiam cum hiſtoria & humanioribus literis conjungeret. Ad inſtitutum noſtrum pertinent aliquatenus, *Conſtantinus* ſeu de Legibus Eccleſiaſticis & Civilibus Conſtantini Imperatoris, quem Romani & Belgici Cenſores atque Autor ipſe repurgandum cenſuere. *Leges & Edicta* veterum Imperatorum, *de Chriſtianis*. *Hiſtoria Carthaginenſis Collationis*. *Delibatio Africanæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, ſive Optati Milevitani de ſchiſmate Donatiſtarum libri VII. *Victoris Uticenſis de Vandalica perſecutione libri tres*, cum Prolegomenis & Annotationibus Balduini. Prolegomena in Minutii Felicis Octavium. Ipſi adſcriptus eſt Libellus *de officio pii viri & publicæ tranquillitatis amantis, in hoc Religionis diſſidio*; qui reverâ Georgii Caſſandri erat; unde Calvinianorum in eum iræ. Ejus quoque nomine editum Argentinæ Libellum *titulo Chriſtianorum Juriſconſultorum contra Duarenum*, ſuppoſititium ipſe in Apologiis affirmat.

CASSADORUS ET GIGAS.

Guilielmus Caſſadorus Epiſcopus Algarenſis, ſive Algherienſis in Sardinia, utriuſque ſignaturæ Referendarius, & ſacri Palatii cauſarum Auditor, *Deciſiones* canonicas collegit, tum juxta Decretalium ordinem digeſtas ex quæſtionibus ſuo tempore habitis, tam in Signatura, quàm in Rota, earumve obſervationibus, tum ad regulas Cancellariæ; quæ ſaltem per decem aut undecim annos elaboratæ videntur, ab anno ſcilicet 1513. ad 1523.

Hieronymus GIGAS Foroſempronienſis, ſtuduit Bononiæ, ſub Joanne Croto de Monteferrato, Antonio Burgos Hiſpano, à quo Jus Canonicum audivit; & Hippolyto de Marſiliis, à quo ad Doctoratus gradum eſt promotus anno 1514. Audivit etiam jus Civile per quinquennium in Gymnaſio Peruſino, ſub Guilielmo Pontano. Ab eo egregium *de Penſionibus Eccleſiaſticis* tractatum habemus, quem Benedicto Accolto Cardinali Ravennati inſcripſit anno 1542.

DUARENUS.

Duo è Minori Britannia celebres Juriſconſulti, Bituricenſem Academiam hoc ſeculo illuſtrarunt; *Eguinarius Baro* Leonenſis, & *Franciſcus Duarenus* Briocenſis: initio diſcordes, ſed poſtea ex mutua exiſtimatione amiciſſimi. Duarenus ex Guilielmi Budæi familiaritate Græcis literis, & omni antiquitatum genere imbutus, eam notitiam ad jus utrumque dilucidandum contulit. Memoria minùs valuiſſe dicitur, ut vix niſi ex ſcripto Orationes, aut recitationes ſuas proferret: quod ejus famæ in exteris quas obivit Academiis, non nihil detraxiſſe tradunt. Inauguratus eſt apud Biturigias 6. Aprilis an. 1540. ut ex viri clariſſimi Catherinot in Bituricenſi prætura Regii Advocati per V. C. Franciſcum Pinſonium didici. Deceſſit an. 1559. ætatis fermè 50. ſub hoc elogio ſepultus.

Viator

Viator ſparge humum floribus: flos ille juriſconſultorum Franciſcus Duarenus hìc ſitus eſt. Doctrina, eruditione, moribus clarus. In Gall. atque Belg. Academiis notus. Tandem poſt innumeras in Legali palæſtra Palmas adeptas, terrenam gloriam cum cæleſti commutavit.

Inter ejus opera doctrinam ipſius teſtantia, quorum maxima pars jus civile reſpicit, faciunt ad rem noſtram *de Sacris Eccleſiæ miniſteriis & Beneficiis libri octo*: Et pro *libertate Eccleſiæ Gallicæ* defenſio Pariſienſis Curiæ Ludovico XI. Regi quondam oblata.

COVARUVIAS.

Didacus Covaruvias à Leyva, Toleti natus anno 1512. poſtquam Mattinum Navarrum in Salmanticenſi Academia audiverat, ipſe in eadem jus Pontificium interpretari cœpit anno 1543. tum à juriſprudentiæ profeſſione ad juris dicendi munus translatus, & pro more Regum Catholicorum Senatoris officio in ſupremo Granatenſi Auditorio donatus eſt: Dein à Philippo II. Hiſpaniarum Rege cum Fratre Antonio, cum Auguſtino, aliiſque ſacra eruditione conſpicuis viris, Tridentum Legatus; inde Caſtelli Rodericii dein Segovienſis & Conchenſis Epiſcopus eſt deſignatus. Neque hìc Principis in ornando excellentis doctrinæ viro ſtudium ſubſtitit: Senatus quoque Regii, ſive ſacri Conſiſtorii Præſidem ex Anteceſſore creavit. Inter alia, laudanda temporis avaritia imprimis laboravit, adeo ut ne momentum quidem ullum vacuum ſibi ſine ſtudio ac fructu aliquo labi ſineret. Obiit Madriti Præſes, die 27. Septembris ann. 1577. ætatis 66. Scripta ejus in pretio ſunt, non immeritò: uſus enim eſt ſolido judicio, congrua methodo, ſtylo puro atque perſpicuo. Opera in tomos duos diviſa, ad jus Pontificium maxima ex parte referuntur. Extant in primo Tomo primò Commentarii *de Teſtamentis*, ſecundò Epitome libri 4. Decretalium *de Sponſalibus & matrimoniis*, tertiò Explicatio Capituli *quamvis pactum*, *de pactis in* ſexto ubi de juramento, quartò Explicatio Capituli *alma mater*, *de Sententia Excommunicationis in ſexto*, itemque explicatio Regulæ *Poſſeſſor malæ fidei*, & Regulæ *peccatum*, *de regulis juris in ſexto*, & Clementinæ *ſi furioſus*, *de homicidio*. Ac denique collatio veterum numiſmatum. Tomus 2. continet 4. libros variarum *Reſolutionum*, & practicarum *Quæſtionum* librum unum.

CONTIUS.

Antonius Contius (vulgo le *Conte*) Noviomenſis, eodem hoc ſeculo in Bituricenſi & Aurelianenſi Academia, aliquandiu etiam in Pariſienſi Juriſprudentiam magna cum laude profeſſus eſt. Ei cum Duareno & Hotomanno non uſquequaque convenit. Ex contentionibus orta inter eos æmulatio, opera hinc inde egregia peperit. Illum tanti fecit Cujacius, ut numquam ſe non doctiorem ab eo diſceſſiſſe profeſſus ſit. Obiit Contius poſt annum Bituricenſis Profeſſionis duodecimum, anno 1586. ſepultus in æde S. Hippolyti juxta Duareni cineres, fato eorum corpora ſociante, quorum animos aliquatenus vita diſſociaverat. Ejus ſcripta ad jus civile dilucidandum maxima ex parte pertinent: illuſtrando tamen Pontificio non minimam dedit operam. Nam præter *Kalendarium* Eccleſiæ

cleſiæ Latinæ & Græcæ, & *Chronologiam* tripertitam ex Beato Nicephoro Epiſcopo Conſtantinopolitano, ad fidem Anaſtaſiani exemplaris emendaram & notis illuſtratam: id quoque curavit ut nova & emendatior Juris Canonici editio, docta præfatione & notis aucta, prodiret; & prodiit quidem Antuerpiæ anno 1570. ſed aliquatenus mutilata; qua de re à me dictum eſt hujus operis libro 4. cap. 13. pag. 397.

VIGELIUS.

Nicolaus Vigelius de Dreiſa, Germanus, Marpurgi in Haſſia Juriſprudentiam docuit, circa annum 1570. & ſequentes. De Jure civili multa methodicè ſcripſit. Extat & ipſius *Methodus univerſi Juris Pontificii* in quinque Libros diſtincta.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

Antonius Auguſtinus, Cæſarauguſtæ è nobili atque excellentium virorum fæcunda familia ortus, patre Antonio Auguſtino Aragoniæ Cancellario, natus anno 1517. Primò ad Complutenſem, deinde ad Bononienſem Academiam miſſus à patre, ibi Paulum Pariſium, eique mox ob ſingularem eruditionem cum pari pietate conjunctam, in ſacrum Patrum Purpuratorum Senatum adſcito, ſuffectum Andream Alciatum Inſubrem aſſiduè audivit; ac deinde Patavii Marianum Socinum Minorem: inde abſoluto juridici ſtudii curriculo, Florenriam adiit, ubi Lælio Taurello juriſconſulto & Petro Victorio aliquandiu familiariter uſus eſt; ac poſtea Romam profectus, ibi ſacri Palatii Auditor Paulo III. Pontifice factus, in eo munere mira cum integritate, ſcientia & ſeveritate verſatus eſt. Unde paulò poſt Julio III. Pontifici Maximo gratus adeò fuit, ut intimis adhibitus conſiliis, ab eo legatus ſumma cum autoritate ſit Britanniam Inſulam ad Philippum Secundum Regem Mariæ Anglicæ maritum: ſed rebus mutatis morte Reginæ, reverſus in urbem eſt Auguſtinus, armis Hiſpanicis cinctam, & nuperæ direptionis metu conſternatam: quæ tamen paulò poſt tranquillitati priſtinæ reddita. Auguſtinus brevi poſt reditum Alliſanus Epiſcopus dictus à Paulo IV. atque ad Ferdinandum Cæſarem in Germaniam miſſus; dein Philippi Regis Catholici autoritate Siciliam Inſulam Cenſor luſtravit. Mox ad Epiſcopatum Ilerdenſem repugnans à Pio IV. provectus, ad Synodum Tridentinam cum Petro fratre Oſcenſi Epiſcopo profectus eſt, ubi id imprimis egit, ut ſoluta diſciplina ad priſtinum decus revocaretur: tum in Hiſpaniam reverſus, Ilerdenſem Eccleſiam annis 13. piè ac religioſè rexit: randem ad Tarraconenſem Archiepiſcopatum à Gregorio 13. translatus eſt. Multa de ejus temperantia, integritate, & gravitati juncta humanitate, dicenda eſſent; & præſertim de tam effuſa in pauperes liberalitate, ut iis alendis in annonæ caritate, ſi pecunia deeſſet, vaſa argentea, ſacros etiam calices pignori opponi, & Libros magno ſtudio conquiſitos, ac magno ære comparatos, vendi eam in rem juberet; quod quantum ſit charitatis exemplum, literatus quiſque æſtimabit. Tanta ejus fuiſſe lenitas, & manſuetudo fertur, ut totis viginti annis eum nemo domeſticorum iratum viderit. Procera fuit ſtatura, flava coma, oculis admodum exiguis, atque ob aſſiduas lucubrationes hebetatis, ut perſpicillis perpetuò uteretur. Cæterùm egregia corporis habitudine, ac firmi-

firmitate, & robuſta ad extremam uſque ætatem valetudine. Naturæ conceſſit anno Chriſti 1586. inſtitutis ex aſſe hæredibus Chriſto, ac ſancta Thecla. Illatus in ſacellum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Adjectum eſt tumulo ſequens Epitaphium.

D. O. M. S.

Ant. Auguſtino, Domo Cæſar. Aug. Romæ olim in Urbis, & orbis luce, XII. *Viro, & litium judicand. Ex Alliſano, & Ilerdenſi Epiſcop. Tarracon. Archiepiſc. in pauperes munifico B. de Antiquit. & literis mer. In hoc Ædis ſacræ D. Theclæ Virg. & Martyr. à ſe ampliatæ membro, & ad aram in ſpem Reſurrecti. quieſcenti. S. P. Q. Tarrac. P. H. C. & Colleg. Canonic. Pon. Cur. vixit ann.* LXX. M. III. D. III. *Obiit damno publico Prid. Kal. Junias* IↃLXXXVI.

Dicitur Bibliothecam, omni Librorum & antiquitatum genere inſtructam, legaſſe Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi, eam affectanti. Præter opera quamplurima, quibus humaniora ſtudia, & Jus civile illuſtravit, eximiis etiam lucubrationibus Jus Canonicum & res ſacras exornavit. Extant ejus generis *Antiquæ Quatuor Collectiones Decretalium*, & *Canones Pœnitentiales*, utrumque opus cum eruditis ipſius notis. *De Emendatione Gratiani Libro duo*, quorum uterque, viginti Dialogis ſive Capitibus conſtat: Quod quidem opus occaſione adornatæ mandato Gregorii 13. editionis compoſitum eſt. *Conſtitutiones Provinciales & Synodales Tarraconenſes*, & *Epitome Juris Pontificii veteres* in tres partes, de perſonis, de rebus, & de judiciis diviſa: quarum Prima pars edita eſt Tarraconæ, anno 1586. Poſteriores duæ diu deſideratæ, in publicam lucem emanarunt Pariſiis, & alibi editæ. Duo ſunt quibus hoc opus per ſe eximium, minùs tamen utile redditur. Alterum quòd dubiæ fidei Canones certis ſæpè admiſcuerit, quo nomine Gratianum ipſe imprimis reprehendebat: Alterum quòd, dum ordini ac diſtinctioni materiarum nimis anxiè ſtudet, in tot titulos opus ſuum diſtraxit, ut vix memoria comprehendi ac retineri poſſint. Ab eo quoque ſunt *Concilia Græca & Latina*, quæ autoritate Pontificia è Typographia Vaticana exierunt. Dicitur præterea Pontificii Juris *Inſtitutiones* concinnaſſe.

V E N A T O R I U S.

Daniel Venatorius Juriſconſultus Germanus, Moguntiæ, ni fallor, docuit. Scripſit *totius Juris Canonici methodicam dilucidationem*, quinque libris diſtinctam, ſub Titulis Decretalium antiquarum: quam Danieli Archiepiſcopo Electori Moguntino, ac Præatis & Canonicis Capitularibus ejuſdem Eccleſiæ dicavit, anno Chriſti 1579.

C O R A S I U S.

Joannes Coraſius Toloſas, honeſto loco natus, hauſtam domi non perfunctoriè juris doctrinam, in pluribus Academiis Aurelianenſi, Pariſienſi, Andegavenſi, Valentina, Ferrarienſi etiam, & ipſa Toloſana publicè cum laude profeſſus; in Senatorum numerum Toloſæ cooptatus eſt, &

Regni

Regni Navarræi Cancellarius dictus. Sed cum Sectariorum partibus addictus crederetur, primò urbe, doctrinæ Catholicæ ſemper tenaciſſima, pulſus anno 1562. deinde cum Michaelis Hoſpitalii Franciæ Cancellarii patrocinio reſtitutus fuiſſet, tandem decennio poſt à tumultuante plebe eſt confoſſus, ejuſque exanime corpus, toga Senatoria indutum, ex ulmo ſuſpenſum, quæ adhuc ante fores Curiæ viſitur. Paulò poſt reddita legibus & Magiſtratibus autoritate, indignæ cædis autores ex eadem arbore pependerunt. Superſunt egregia ejus ſcripta, tum quod ad jus civile, tum quod ad Pontificium ſpectat; Tractatus de beneficiis Eccleſiaſticis, ſive *Paraphraſis Sacerdotiorum*.

D U R A N T I U S.

Joannes Stephanus Durantius, ipſe quoque Toloſas (vulgò *Duranti*) alterum patriæ per ea tempora lumen, Senatore natus, Advocati Regii generalis munere egregiè functus, tum in locum Joannis Daſis ſoceri ſui primus ejuſdem Senatus Præſes renunciatus, ſummam dignitatem ſingulari integritate, æquitate, cum perfecta juris utriuſque notitia conjunctis, præclarè geſſit, ab anno 1568. ad 1579. quo cæſis apud Bleſas Guiſiis fratribus, oborta, ut in aliis non paucis Galliæ civitatibus, ita etiam Toloſæ quoque immani ſeditione, Durantius, dum pro ratione officii jus nomenque Regium tueri conatur, à factioſis intra Dominicani cœnobii ſepta in cuſtodiam datus, ac poſt dies paucos graſſantis plebeculæ furori objectus, crudeliter ſævientium manibus eſt peremptus: Cecidit eodem fato Jacobus Daſius Præſidis filius vir integerrimus, qui Durantio in Advocati Regii munere ſucceſſerat, parumque abſuit ab eodem caſu Bertrandus Dayguà Generalis & ipſe Regis Advocatus, Catharinæ Dayguà proaviæ meæ frater, Daſiſio ac Durantio proxima conjunctus affinitate. Huic poſtmodùm erectum marmoreum Manſoleum, hoc addito titulo.

D. O. M. S.

Joannes Stephanus Durantius
Hic ſitus ſum.
Toloſæ honeſto natus loco,
Primò Actor cauſarum nobilis,
Dein patronus Fiſci,
Poſtremò ampliſſimi Senatus
Princeps fui.
(Abſit vero invidia)
Merui in eo gradu:
Steti dum res ſtetit Gallica,
Cecidi cadente Regno,
Iniquorum conjuratione oppreſſus.
Cæſum luxerunt omnes boni,
Et civitas facta parum tranquillior
In auctores necis, exemplum
Grave ſtatuit;

Et

Et honorem habuit mortuo
Quàm potuit maximum.
Annos vixi LV.
Vive plures viator, & feliciùs morere.

Ejus eruditionis pariter ac religionis certiſſimum teſtimonium Durantius dederat, editis tribus Libris *de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ*: quod quidem opus, ut firmandis Orthodoxorum partibus utiliſſimum, Sixto V. Summo Pontifici adeò acceptum fuit, ut & illud Romæ ſuis impenſis excudi juſſerit, & ejus auctorem ſingulari benevolentia ſit proſecutus.

V V A M E S I U S.

Joannes Vvameſius, Leodii natus, anno Domini 1524. poſt melioris literaturæ, ac præſertim juriſprudentiæ utriuſque ſtudium Lovanii conſummatum, in Ordinariorum Profeſſorum numerum anno 1555. cooptatus, jus Civile per annos ſedecim interpretatus eſt. Inde Primarius Canonum Anteceſſor anno ſeculi 70. deſignatus, munere illo per annos viginti functus eſt. Ingenium ei promptum & facile, judicium acre, memoria juriſconſulto verè digna, labor indefeſſus, eminens in utroque jure doctrina, rerum etiam Forenſium uſus ſingularis; Reipublicæ, non minùs quàm ſcholæ, idoneus. Hinc factum, ut à Joanne Auſtriaco Belgii Prorege in Secretioris Conſilii Senatum Philippi Secundi Regis Catholici nomine evocatus ſit. Exceſſit è vivis anno 1590. ſepultus in Baſilica ſancti Petri. Extant, & magno in pretio habentur, ipſius *Reſponſorum*, ſive *Conſiliorum de Jure Pontificio*, Tomi duo ordine & librorum & Titulorum qui in Decretalibus, præter Reſponſorum ad Jus forumque Civile pertinentium Centurias ſex.

C U J A C I U S.

Jacobus Cujacius Toloſæ humili genere natus, non Parentum, nec Magiſtrorum ope, ſed ingenii proprii viribus & improbo labore, ad ſummam omnis literaturæ ac præſertim juris peritiam pervenit. In patria primùm Juris ſcientiæ operam dedit, Arnoldo Ferrerio docente. Relinquendæ patriæ cauſam ei fuiſſe volunt, quòd in petitione Cathedræ repulſam paſſus eſſet, prælato Stephano Forcatulo Beterrenſi; cujus eruditos habemus *de Jure Civili*, *& de Imperio Regum Francorum* Commentarios. Sed hujus repulſæ nulla in Academiæ tabulariis mentio. Ut ut ſit Cadurcum migravit, mox Biturigas, eò per Michaelem Hoſpitalium Margaritæ Henrici II. Regis ſororis Ducíſque Biturigum Cancellarium evocatus. Omnia ferè Doctorum atque Interpretum Juris volumina evolverat, cujus poſteà laboris eum pœnituit: ſed cum nullas ex ea lectione ſordes contraxiſſet, è Græcis fontibus meliorem interpretandi rationem hauſit: quam bonorum utriuſque linguæ Autorum, atque Hiſtoriæ veteris, ac Romanæ præſertim, luminibus, ad culmen perduxit. Nec tantùm Academias antè memoratas, ſed alias quoque non paucas, etiam extra Regnum, eruditione ſua illuſtravit, Valentiam, agente Bertrando Simiana Gordeſio Delphinatium Prorege, vocatus, Franciſcum Roaldeſium Rutenum, moribus & eruditione præſtantem Juriſcon-

conſultum, collegam habuit: opinor & Antonium Goveanum; cujus ingenium & doctrinam tanti fecit, ut præ ſe tulerit ſe ipſi, tanquam primas in tractanda Juriſprudentia partes habituro, facile ceſſurum fuiſſe, niſi eum laboris minùs patientem noviſſet. Hoc tempore Cujacius Senatoris Gratianopolitani munere donatus à Rege, hujus honoris titulo contentus, re ac jure fermè abſtinuit, ne à docendi munere avocaretur. Inde, pari cum dignitate, Auguſtam Taurinorum trans Alpes vocatus ab Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, Margaritæ Franciscæ marito, aliquandiu ei Academiæ decori fuit. Inde Biturigum precibus revocatus, ibi ad extremum vitæ tempus perſtitit: niſi quòd ſeditione ibi exorta, tumultuantibus, ob egregiam fidem in Regem, ſuſpectus, ut imminens periculum vitaret, Lutetiam confugit, & in ſchola Pariſienſi anno 1578. jus Civile docuit. Gregorius quidem 13. ad Bononienſem Academiam, in qua ipſe jus fuerat profeſſus, Cujacium paucis ante obitum annis per literas invitavit ampliſſimis conditionibus: ſed ingraveſcentis ætatis incommoda, huic honorificæ migrationi obſtiterunt. Docuit per annos fermè quadraginta, indefeſſo labore, continuas ſex ſeptemve horas ſingulis lectionibus meditandis ac digerendis impendere ſolitus: ac, ſi qua de re non ſatis liqueret, comperendinare, ac recitationem in alium diem differre non dubitabat. Neque ex ſcripto dictabat, ut fieri ſolet; ſed continua, paulòque lentiore oratione jura exponebat. Quadrato, firmo, ac benè conſtituto corpore fuit, brevi ſtatura, colore candido, voce firma & clara, barba prolixa atque in juventute nigerrima, ſimilique capillitio: canitiem ſenectus induxerat. Deceſſit Avarici Biturigum, annos natus fermè 79. die 4. Octobris anno Chriſti 1590. Publico funere elatus nobiliorum diſcipulorum humeris, frequentiſſimo omnium civitatis ordinum & Collegiorum concurſu, ſepultus in æde S. Petri ad Pontem Avaronis; poſtridiè funebri oratione à Claudio Mareſcallo Cl. V. & Regio in Senatu Pariſienſi Conſiliario, Auditore quondam ſuo, publicè laudatus. Nota ſunt ejus opera, quorum duo volumina ab Autore ipſo edita: Reliqua collatis Auditorum ſcriptis, qui ea ex ore dicentis exceperant, ad Tomos octo excreverunt; in his ſunt *Recitationes ad Secundum, Tertium & Quartum Decretalium*, ad quas enarrandas, non niſi provecta jam ætate acceſſit, viam monſtrans ſequentibus qua ſtudium Canonum tractare, atque excolere oporteret.

BOETIUS EPO.

Rordahuſæ in Friſia honeſtis & Catholicis parentibus natus anno 1529. *Boetius Epo*, Coloniæ adoleſcentiam in linguarum & Philoſophiæ ſtudio conſumpſit; Lovanii Theologiæ ac Juri ſtuduit: Pariſiis annum unum hæſit: atque hinc Nicæam docendi cauſa vocatus ab Euſtathio Chapuyſio, Sabaudiei apud Lovanienſes Collegii fundatore, variorum dogmatum fæce reſperſus eſt, ſalutato etiam Genevæ Calvino. Paulò poſt cognita veritate in viam rediit. Toloſam profectus, auſpiciis Berengarii Fernandi eximii Profeſſoris, juris utriuſque lauream adeptus eſt an. 1560. ætatis 30. Lovanium reverſus, inde anno 1562. in novam Academiam Duacenſem adſcitus eſt: ubi per annos 37. in docendo, conſulendo, tractandiſque rebus publicis egregiè verſatus, titulo *Comitis* Palatini donatus,

natus, ac Juris Pontificii primarius Anteceſſor dictus. Moritur ſeptuagenario major anno 1599. die 15. Novembris, conditus apud Patres Societatis Jeſu, brevi hac, uti juſſerat, inſcriptione.

Boetii corpus quieſcit hic Eponis,
Animam reſpice, ò Jeſu, benigniter:

Ex pluribus liberis, cognominem Eponem Boetium in Canonum primaria profeſſione ſucceſſorem habuit. Plura ſcripſit ad utrumque jus ſpectantia. Præter rei Teſtamentariæ volumen, edita duobus tomis habentur, *Antiquitatum Eccleſiaſticarum* ſyntagmata; totidemque tomis *Heroicarum & Eccleſiaſticarum quæſtionum* Libri, cum Libris *de Jure ſacro* vel principiorum Juris Pontificii.

C A N I S I U S.

Henricus Caniſius Noviomagus, Petri Caniſii Societatis Jeſu conſpicui Sacerdotis fratre natus, Juris ſtudiis Lovanii, Præceptore imprimis Petro Pecquio, peractis, perpetuus fuit ſacrorum Canonum in Academia Ingolſtadienſi Anteceſſor. Vir fuit omnis literaturæ ſtudioſus, idque ſemper curavit, ut ex ipſis fontibus depromptam juriſprudentiam perſpicuè, certoque ordine traderet. Obiit poſt annum 1509. Extant ejus opera Canonica quæ ſequuntur, *Summa Juris Canonici* in libros 4. Inſtitutionum contracta. *Commentarius in Regulas Juris*, è lib. *6.* Decretalium, cum Appendice *de Differentiis Juris Canonici & Civilis*. *Commentarius in Rubric. lib. 6. Decretalium*. *Prælectiones Academicæ* in Tit. duos ſingulares Juris Canonici. I. *de Decimis, Primitiis, & oblationibus*. II. *de Uſuris*. In Librum III. *Decretalium* ſeu Titulos illius celebriores. *De Sponſalibus & Matrimonio*, in lib. IV. Decretalium. *Refutatio trium Tractatuum de Judice cauſarum Matrimonialium*. Idem *Hiſtoriam Miſcellam Pauli Diaconi*, à *Landulpho Sagaci* ad Imperium Leonis IV. productam, notis illuſtravit. Poſtremò edidit *Tomos 6. Antiquæ Lectionis*, in quibus varia exhibet ſcriptorum priſcorum monumenta, ad hiſtoriam mediæ ætatis illuſtrandam, nunquam anteà evulgata.

C H O P P I N U S.

Renatus Choppinus Andegavus, apud Balleolum anno 1537. natus, inter Pariſienſes Advocatos doctrina & judicio excelluit. Præter Libros de Dominio Franciæ, alioſque, quibus jus Gallicum explicuit, duos de Jure Sacro Tractatus edidit, ſtylo ex affectatione antiquitatis paulò obſcuriore: nimirum *de Sacra Politia Forenſi Libros tres* Henrico III. Regi dicatos, anno 1577. & *Monaſticon* ſeu de jure Cœnobitarum Libros duos, qui anno 1600. ineunte prodierunt. Obiit Pariſiis anno 1606. Die 30. Januarii. Conditus in æde S. Benedicti ſub hoc Epitaphio.

Chopinus hic cubat memoriæ theſaurus & penus Legum.
Tota Gallia nunc gemit Chopinum:
Andi municipes gemunt Alumnum,
Cives Pariſii gemunt Patronum,
Quem nunc Elyſii tenent colonum.

Prænot. Canonic. Doujat.

GERMONIUS.

Natus eſt anno 1551. *Anaſtaſius Germonius* ex nobili & antiqua Cevæ familia, apud Salas Oppidum in Marchionatu Cevæ. Ad annum ætatis 22. Græcæ ac Latinæ Grammaticæ, & humaniorum literarum diſciplinam neglexerat: ſed intra biennium tanto ardore prima illa ſtudiorum rudimenta arripuit, ut cum fructu ad diſcendam juriſprudentiam accedere potuerit. Joannem Manutium & Guidum Panzirolum Auguſtæ Taurinorum, Patavii verò Decianum & Menochium audivit. Itaque accepto Doctoris gradu, ſtatim publicè docere cum laude cœpit, delata ultrò à Taurinenſis Academiæ moderatoribus Veſpertina Juris Pontificii Cathedra: nec legendi provinciam deſeruit, quamvis Protonotarii Apoſtolici & Taurinenſis Archidiaconi dignitate auctus. Clemens VIII. eum in locum Hieronymi à Ruvere Archiepiſcopi Taurinenſis & Cardinalis ſuffecit in congregatione Compilationis Decretalium in librum unum, quem *Septimum* vocarunt: eique uni curam mandavit intexendi ei volumini Canones Tridentinos: quod ab ipſo perfectum magno ſtudio, licèt nondum in publicam lucem hic liber exierit. Ab Urbinate primùm Duce, deinde etiam à Sabaudo Carolo Emmanuele, Legatus ad Apoſtolicam ſedem, & huic & illis gratum officium præſtitit. Aſtenſem & Salutiarum Epiſcopatus oblatos recuſavit. In Hiſpania, quò ab eodem Sabaudiæ Duce Legatus fuerat, obiit anno 1627. compluribus relictis lucubrationibus, quæ ad ſtudia Canonica pertinent. Hæc ſunt, *Paratitla* in libros quinque *Decretalium* Gregorii IX. tum Libri *Animadverſionum* duo, duo item Tractatus, alter *de Indultis* Apoſtolicis, alter *de ſacrorum Immunitatibus*. Scribit Pancirolus Jacobum Cujacium confectis in Libros Pandectarum, & Codicis Paratitlis, animum ad Jus Pontificium convertiſſe: ſed cum Germonii Paratitla vidiſſet impreſſa, dixiſſe, idem ſtadium ſe libenter currere voluiſſe, ſed Germonium ſibi palmam præripuiſſe.

PETRUS GREGORIUS.

Petrus Gregorius, *Toloſanus* dictus à Patria, Palladia ſcilicet Toloſa, in cujus celeberrima omni ævo Academia, ut & in Cadurcenſi, ab anno 1570. ad annum 1580. publicè Jura interpretatus eſt: poſtremò in Lotharingicam Muſſipontanam ſtudiorum univerſitatem, à Carolo Duce recens inſtitutam, anno 1582. Decani titulo, & cum ſumma poteſtate accitus eſt, atque in ea utrumque Jus magna cum laude profeſſus. Circumferuntur duobus voluminibus ejus opera ad jus Pontificium ſpectantia: priori volumine continentur *Partitiones* totius *juris Canonici*, in quinque libros digeſtæ, ſcholiis & annotationibus illuſtratæ, inſtar ſyntagmatis totius juris Eccleſiaſtici, quæ à methodo Partitionum Ciceronis Oratoriarum diverſæ, Summam potius Hoſtienſis imitantur. Non enim brevem per ſumma Capita & certo ordine diſpoſitam Epitomen continent, ſed amplos de tota materia tractatus. Poſteriori volumine comprehenduntur *Commentaria & Annotationes in Decretalium proœmium*. *Ad Tit. de ſumma Trinitate & fide Catholica*. *De Conſtitutionibus*. *De Reſcriptis* tractatus, in duas ſectiones diſtinctus. *De electione* in re beneficiaria clara ac lucida *Enarratio*. *Ad Cap. conquerente, de Officio & poteſtate Judicis*

ordin.

ordin. Rei Beneficiariæ Eccleſiaſticæ Inſtitutiones. Ad Tit. de Sponſalibus & Matrimoniis. De Uſuris libri tres. Sed & ad jus quoque Canonicum ex parte refertur *Syntagma juris univerſi*, in tres partes digeſtum, & in Libros quinquaginta diſtributum; in quo divini & humani juris totius materia, naturali ac nova methodo explicatur. Scripſit & præter alia, Reſponſionem ad conſilium Caroli Molinæi de Trid. Concilio in Gallia non publicando. Obiit anno 1597. ſummo totius Academiæ luctu, illatus in ædem Clariſſarum.

CAPUT IX.

Currentis Seculi XVII. Canonum Interpretes & Doctores præcipui recenſentur.

QUò propiùs ad noſtrum hoc tempus accedimus, eò minùs noti ſunt Autores, Autorumque res & opera. Et verò infiniti laboris eſſet cunctos memorare, etiamſi cunctorum ad nos & nomina & ſcripta perveniſſent. Itaque ex iis ipſis qui nobis non prorſus ignoti, præcipuos recenſebimus, non vitam cujuſque, ut hactenus à nobis quà potuit, factum eſt, proſecuturi: ſed Patriam atque Opera breviter indicaturi. Excuſationem opinor merebitur ſilentium noſtrum, apud eos quos per ignorantiam magis, quàm ex contemptu prætermiſerimus.

FREROTUS.

Nicolaus Frerotus Carnotenſis Juris conſultus & in ſuprema Gallorum Curia patronus, *Paratitla* ſeu Synopſim *Juris Canonici* ſcripſit, ſecutus ordinem Diſtinctionum & Quæſtionum Decreti, & ſingulorum Titulorum, tam Decretalium Gregorii Noni, quàm Sexti, & aliarum Compilationum Minorum: editum eſt hoc opus anno 1603.

PACIUS.

Julius Pacius, à Beriga Gentilitio fundo cognomen ſumpſit. Natus Vicentiæ anno 1550. Vir fuit planè ad ſcientias natus, doctarum linguarum cognitione inſtructus, & Philoſophiæ pariter ac Juris ſcientia illuſtris; quæcunque didicerat, mira facilitate docere ſolitus. Cum librorum prohibitorum lectione ſuſpectus Epiſcopo Vicentino factus eſſet, quaſi pravorum dogmatum ſectator, in Helvetiorum fines ſeceſſit. Hinc prædicante ipſius eruditionem fama, Heidelbergæ Philoſophiam, in ulteriori Germania jus profeſſus eſt. Inde Sedanum, ac poſt Montempeſſulanum vocatus, inde avocatus Aquas Sextias agente Peireſco: profeſſus & Valentiæ, & Patavii, quo à Venetis accitus fuit ampliſſimis & præmiis & honoribus: Torque etiam Equeſtri Ordinis ſancti Marci donatus: precibus tamen familiæ in Delphinatu relictæ, revocatus Valentiam, ubi anno 1635. diem clauſit extremum, annos 85. natus. Vitam ipſe ſuam verſibus compoſuerat: cujus caſus præcipuos complexus eſt amicus hoc diſticho.

Itala dat cunas tellus, Germanica famam,
Gallica jus civis. Dic mihi quæ patria?

Præter Notas in Ariſtotelis diverſa opera, & Tractatum de arte Lulliana, ac plures de Jure Civili Commentarios; ſuperſunt ejus *Definitiones & Iſagogica* Juris utriuſque, in quibus *Summam Decretalium* explicat juxta ſeriem Titulorum.

MARANUS.

Toloſæ natus eſt anno 1549. ultimo Junii *Guilielmus Maranus*, honeſtis parentibus Joanne Marano & Bertranda Vergeria. In florentiſſima tunc temporis Toloſæ Academia, omni ſcientiarum genere inſtructus, juris ſtudio imprimis incubuit: cujus principia ubi plenè hauſit, Valentiam Cavarum profectus, Cujacium, ibi publicè docentem, per annum audivit, à quo poſt triduanam Diſputationem Laurea Doctorali ornatus, rogatuſque eſt, ut curam ſuſciperet rerum Toloſæ à Cujacio relictarum, & quæ ex his reliquiis colligi poſſent, ad eum tranſmitteret. In patriam reverſus Cauſas aliquandiu egit, non ſine multiplici laude, Duranto Primo Præſidi charus atque in pretio; Joanni Catello Senatori tantæ admirationi, ut Magdalenam filiam ultrò ei uxorem daret. Dein anno 1583. defuncto Garda Senatore ſimul & Anteceſſore, nemine præter ipſos Anteceſſores Diſputationum aleam ſubire auſo, vacantem Juris Pontificii Cathedram eſt aſſecutus. Romam deinde Legatus ut religioſorum votorum veniam impetraret Henrico Joyoſæ, quem poſt Scipionis fratris caſum, Occitana Provincia ducem è Capucinorum familiâ ſibi dari poſcebat: poſtquam Maſſilia ſolverat, à Piratis poſt cruentum Navale prælium in ſervitutem abductus eſt: ubi præter pecuniam, lucubrationum Canonicarum, quas Summo Pontifici deſtinabat, autographum amiſit. Poſt octo menſes, captivitatis ærumnis liberatus, commendatione imprimis Joan. Lud. Valettæ Spernonii Ducis Provinciæ Proregis, liberatus Toloſam rediit, ubi oblatam à Franciſco Joyoſa Cardinali Archiepiſcopatus Narbonenſis, quo ipſe fruebatur, ſucceſſionem non admiſiſſe dicitur, ſed huic dignitati Juris utriuſque ſtudium antepoſuiſſe. Tunc conſtitutum eſt Toloſæ, ut ab Anteceſſoribus Leges & Canones alternis tractarentur: idque ut commodiùs procederet, acciti ejus opera, hinc Cadurco Joannes Acoſta, inde Aurelia Vincentius Cabotius. Paulò poſt, ne oblatam à Bituricenſi Academia, vacuam morte Cujacii Cathedram acciperet, obſtitit Patriæ amor. Inter alia præclara Marani opera, prætermittendus non eſt Spernonii filius Henricus Foxius Candala à Calvinianis erroribus, in quos maleſano amore impulſus deflexerat, ad meliora per eum revocatus. At Maranus anno ætatis ſexageſimoſeptimo è ſella decidens crus fregit; atque ex eo caſu Academiæ vale dicens, reliquos quinque annos ad mortis & æternæ vitæ cogitationem tranſtulit. Defunctus tandem anno 1621. die 1. Decembris in Metropolitana Baſilica tumulatur. Nec ſolum è Maranis Guilielmum Anteceſſorem habuit Toloſa: habuit & Raymundum ejus filium, habet & nepotem Jacobum, ut tanti nominis ita & dignitatis ſucceſſores. Dubium non eſt quin eximios in Jus Canonicum Commentarios compoſuerit, & damnum amiſſorum per captivitatem, redux ſarcierit. Sed nihil eorum (quod ſciam) publicam adhuc lucem aſpexit. Vidi tamen in tranſcurſu quædam ejus dictata, nempe ad Libri primi Decreta-

lium

lium Titulum Nonum *de Renunciatione*, ad Libri Tertii Titulum itidem Nonum *ne Sede vacante aliquid innovetur*, ad Titulum Decimum *de iis quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli*, ad Titulum Trigeſimumoctavum *de Jure Patronatus*, atque ad Titulum Undecimum Libri Quinti *apud Bonifacium*, *de ſententia Excommunicationis*, *Suſpenſionis*, *& Interdicti.* Ejus Paratitla ad duos & quadraginta libros Digeſtorum in omnium manibus verſantur.

M I N O S.

Claudius Minos, Divionenſis, in ſchola Pariſienſi Jus publicè profeſſus exeunte Seculo XVI. Humaniorum literarum floſculis Juriſprudentiam ornavit. Exceſſit è vivis ſub annum 1610. Inter ejus Dictata, inveniuntur adhuc in quorundam ipſius Auditorum Muſæis commentaria in quatuor primos Titulos Libri tertii Decretalium, *de Vita & honeſtate Clericorum*, *de Cohabitatione Clericorum & Mulierum*, *de Clericis Conjugatis*, *de Clericis non Reſidentibus in Eccleſia vel præbenda*: & præterea in Titulos *de Regulis Juris*, tum apud Gregorium, tum apud Bonifacium, unà cum Tractatu *de re Beneficiaria*. Legitur & elegans ejus Oratio anno 1606. edita ſub hoc titulo, *Panegyricus ſeu Relatio pro ſchola Juris Pariſienſi*, ubi ejus antiquitatem & dignitatem egregiè commendat; non ſine querela neglectorum publicè per ea tempora jurium & commodorum Anteceſſoribus debitorum. Mitto nemini incognitas ipſius Minois in Plinium Secundum Notas. Idem ſtatuta Facultatis Juris Canonici anno 1598. in generali Pariſienſis Academiæ reformatione compoſuiſſe dicitur.

G U I J O N I U S.

Hugo Guijonius illuſtrium literis quatuor Fratrum poſtremus, Auguſtoduni natus eſt anno 1552. In foro Pariſienſi aliquandiu verſatus, tranſiit in ſcholam juridicam; tranſactis Academicarum Concertationum ſolemnibus adverſus Petrum Victorem Palmam Cajetanum, haud vulgaris doctrinæ virum, Anteceſſor renunciatus, atque à Claudio Minoe Facultatis tunc Decano inauguratus anno 1597. Deinde verò procurante Petro Jannino Regii Ærarii Præfecto, ſacrorum Canonum Profeſſor Regius dictus eſt anno 1613. Dotata tunc primùm nova Cathedra hortatu Jacobi Davii Cardinalis Perronii Magni Franciæ Eleemoſynarii. Per hæc tempora Guijonius Facultatis Juridicæ Decanus, iis qui nummis corrupti Pratum clericorum (quod nomen eſt prædii ſuburbani ab Academia optimo jure jam diu poſſeſſi) Margaretæ Valeſiæ Regum ſorori, vili pretio addicere deſtinaverant, fortiter obſtitit: eoque nomine non mediocrem ab Academicis gratiam iniit. Oravit ſæpiùs in Senatu: ſed nunquam facundiùs, quàm cum ſuperiorum Academiæ Ordinum, ſive Facultatum, jura defendit contra Sermocinalium Artium Magiſtros, qui ſpretis majoribus Facultatibus, ſoli jus ſibi vindicabant actuarium ſive ſcribam, & coactorem ſeu quæſtorem Academiæ inſtituendi. Finem vivendi fecit Lutetiæ anno 1622. ætatis 70. terræ mandatus in parochiali æde ſancti Stephani à Monte, procurante funeris impenſas Jannino antè memorato. Vacuam ejus obitu Regiam Canonum profeſſionem adeptus Joannes Dartis, exorſus eſt à publica Deceſſoris ſui laudatione in Regio Gymnaſio habita coram Jannino eodem, atque ampliſſima Pro-

cerum ac Literatorum hominum corona, ut teſtatur V. C. Philibertus de la Mare Senator Divionenſis. Extant ejus Orationes tres, *Prima de Origine, excellentia & utilitate Juris Canonici* contra illius æmulos & detractores: *Secunda Scholæ Regiæ Encænia ſive de reſtauratione Pariſienſis Academiæ: Tertia pro Facultate Juris Canonici contra Sermocinalium Artium Magiſtros*. Inveniuntur & in quibuſdam Bibliothecis Tractatus manuſcripti, præſertim *de Sequeſtratione poſſeſſionis*, & *fructuum*, & *de Confeſſis*.

ZOESIUS.

Henricus Zoeſius Amersfortii, quod eſt oppidum agri Ultrajectini, Catholicis & Patriciis parentibus natus, Lovanii operam juriſprudentiæ dedit, ubi an. 1597. Baccalaureorum Decani munus ei, Collegarum electione, delatum eſt. Poſt Hiſpanicam cum V. N. Chriſtophoro Van Etten, Domino Couverburgio peregrinationem, Doctoris gradum in Academia Lovanienſi conſecutus, Linguæ Græcæ in trilingui Collegio Buslidiano Profeſſor conſtituitur. Inde Inſtitutiones Juris Civilis tredecim annos publicè interpretatus: Anno 1619. in ordinaria legum profeſſione à Senatu populoque Lovanienſi ſuffectus in locum Petri Gudelini, Pandectas per octennium prælegit, ac vitæ curſum conſummavit ann. 1617. ſepultus in primario S. Petri templo. Cum doctis ad Pandectas, Codicem, & Feudorum Libros commentariis, non abſimilem *in Decretales* Gregorii IX. commentarium reliquit.

ZYPÆUS

Franciſcus Zypæus vulgò *Vandenzype*, Mechliniæ natus anno 1580. eaque urbe ab hæreticis occupata, infans translatus eſt Antuerpiam. Hinc Juris ſtudio ſe Lovanii dedidit, ubi Baccalaureorum collegio aliqnandiu præfuit. Inde à Joanne Miræo Antuerpiæ Præſule vocatus, ut ei ab Epiſtolis ſecretioribus eſſet, Canonicus, Officialis, atque Archidiaconus ejus Eccleſiæ fuit. Plura ad jus ſacrum ſpectantia ejus Commentaria extant. Nimirum *Juris Pontificii novi Analytica Enarratio*, quæ tertiis curis auctior Coloniæ prodiit anno 1641. *Judex, Magiſtratus, Senator*, Libri tres: *Conſultationes Canonicæ*, pleræque ex jure noviſſimo, Conc. Trid. recentiorumque PP. Conſtitutionibus depromptæ.

CABOTIUS.

Vincentius Cabotius Toloſas, honeſtioribus quàm locupletioribus parentibus natus, anno ætatis vigeſimoquarto ſuſcepta concertatione pro juris in Pariſienſi auditorio Cathedra, eam ſcientiæ atque ingenii famam contraxit, ut paulò poſt ad Aurelianenſem Anteceſſuram fuerit ultrò vocatus, quam difficiliùs, civilium bellorum temporibus, per annos quatuordecim non mediocri cum laude exercuit. Indè in patriam adnitente Petro Fabro Sanjoriano Senatus Toloſani digniſſimo Principe revocatus, in celebri illa Academia per annos duos & viginti jus utrumque eſt interpretatus. Stylum atque eruditionem ſuam ad captum Auditorum accommodabat, cum diceret illorum utilitati potiùs inſervire, quàm famæ & gloriolæ ſuæ veliſicari debere publicum Profeſſorem. Refert Leonardus Campiſtronius qui ejus Politicorum libros Gallicè ſcriptos anno 1630. vulgavit,

vit, ab eo cum apud Aurelianos doceret editos fuiſſe Diſputationum *de Jure publico & privato* Libros duos. Hi ad me nequaquam pervenerunt. Verùm Tractatum *de Beneficiis* in Sectiones 12. tributum, quem inter opera V.C. Joannis Dartis, ab ejus ſcriba domeſtico Maturino Langlais mihi pro Dartiſiano traditum, certis poſteà teſtibus comperi Vincentii Cabotii partum eſſe, ex ore dictantis Toloſæ exceptum ab ipſo Dartiſio, itemque ab Aymone Moneto, qui deinde Aurelianenſis Anteceſſor. Qua in re nec mea, nec Dartiſii culpa eſt ulla: ſed amanuenſis error, domino ſuo vindicantis quidquid in ſchedis ejus repererat. Obiit Cabotius anno 1261. aut ſequenti.

V A L L E N S I S.

Andreas Vallenſis, vulgò del Vaulx, Andana, Comitatus Namurcenſis municipio oriundus, Lovanii Canonum Profeſſor ordinarius nominatus anno 1621. in docendo aſſiduus, in conſulendo ac judicando ſincerus, ab animi candore & modeſtiæ commendatus. Obiit anno 1636. Opus edidit ſcholæ ac foro accommodatum cui titulus *Paratitla*, ſive *ſummaria & methodica Explicatio Decretalium D. Gregorii Papæ IX.*

A C O S T A.

Janus, ſive potiùs *Joannes à Coſta*, (vulgò de Lacoſte) nobili genere natus, Cadurci, quod erat natale ſolum, jactis linguarum & humanioris literaturæ fundamentis, apud Biturigas. Cujacium audiit per quinquennium: Roaldeſii deinde clari Anteceſſoris Toloſani familiaritate excultus, ſolenni certamine ad Anteceſſorium munus in patria concordibus omnium votis, potiùs quàm ſuffragiis, evectus eſt anno 1593. aut ſequenti. Inde Toloſam poſt quinquennium evocatus, in hac verè Legum nutrice civitate, jus utrumque tanta eruditione, ac ſubtilitate, tamque limato judicio per annos 30. docuit, ut non modò à Bituricenſi, & Bononienſi Academia expetitus; ſed ab ipſo ſummo Pontifice ingentibus præmiis, oblatoque Conſiliarii munere Avenionem invitatus ſit. Sed eam ſtationem ut deſereret, non niſi amore patriæ adduci potuit. In Comitiis Cadurcorum, autore imprimis Illuſtriſſimo Doctiſſimoque Viro Petro Habert de Montmor Epiſcopo Cadurcenſi, ut longè ſolito uberius honorarium ei de publico penderetur, decretum eſt; Regiiſque eam in rem Codicillis impetratis, Cadurcenſi Academiæ, velut poſtliminio, reſtitutus eſt anno 1630. eximius Anteceſſor. Hilari vultu ac vividis oculis, robuſto ac bene conformato corporis habitu fuit, genio ad omne humanitatis genus propenſo, memoria tenaci, acri ingenio, quale ex ſcriptis facilè cognoſcitur. Poſt emenſos in publica Juris profeſſione annos tres & quadraginta, placidè & conſtanter è vita diſceſſit die 28. Auguſti anno 1637. Multa ſcripſit in Jus præſertim Canonicum: ſelecta tantùm quædam opera in lucem emiſſa ſunt ſtudio V.C. Franciſci de Launay Andegavi in ſupremo Galliarum ſenatu cauſarum Patroni, qui nunc Gallici Juris in Academia Pariſienſi Profeſſor ſuo merito dictus: Præfatio ſcil. *in Decretales* Gregorii IX. tum *Summaria* in omnes *Libri primi Decretalium*, & in *novem* priores *Libri ſecundi Titulos*: Liber ſingularis *ad c. cum Martinus Nonum de Conſtitutionib.* Commentarii deinde ad *Tit. de Reſcriptis*, & varia *ejus Capitula*: ad Tit. etiam *de officio judicis Ordinarii*, & ad

ejuſdem Tit. Capitula; ad Tit. quoque *de Judiciis*, ejuſque Capitula; ad *Cap. Vigilanti Quintum de Præſcriptionib. ad Tit.* quoque *de Præbend. & dignitatib.* ejuſque capitula, ad *Tit.* & capp. *de Pignoribus*, ad capit. *Raynutius Decimoſextum de Teſtamentis*: ad Tit. *de jure Patronatus*, ejuſdemque Tituli capitula: itemque *Addenda* ad Tit. *de officio Archidiaconi*: Denique Commentatii *ad tertiam & quintam* Juſtiniani *Novellam*; quarum prior de *numero Clericorum* Conſtantinopolitanorum, poſterior *de Monachis*. Latere dicuntur non pauca apud Carthuſianos Cadurcenſes, ipſis ex præſcripto Petri Haberti Epiſcopi ab illuſtriſſimo quondam & eruditiſſimo ipſius fratris filio, ac Libellorum ſupplicum Magiſtro præſtantiſſimo Henrico de Montmor tradita: ex colloquiis nimirum, quæ apud digniſſimum illum Præſulem per homines doctos apud eum convenientes, plures per annos habita fuerant, de veteri Eccleſiæ Politia, & vero priſcorum Canonum intellectu: quorum conventuum arbiter ac moderator, communi cœterorum conſenſu conſtitutus fuerat celeberrimus hic Anteceſſor.

B A R B O S A.

Auguſtinus Barboſa Luſitanus, Juris utriuſque Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Congregationis Indicis Conſultor, & major Vimaranenſis in Portugallia Eccleſiæ Theſaurarius, ac tandem Epiſcopus Ugentinus in Regni Neapolitani Provincia Hydruntina; complura de utroque jure ingentia volumina conſcripſit, ab anno 1629. ad 1641. Horum præcipua ſunt, quæ quidem faciunt ad jus Canonicum: *Juris Eccleſiaſtici univerſi Libri tres*, in quibus de perſonis, de locis & de rebus Eccleſiaſticis pleniſſimè agitur: tum Tractatus *de Officio & poteſtate Epiſcopi*, *de Canonicis & Dignitatibus*, *de Officio & poteſtate Parochi*, & prætereà *Collectanea Doctorum in jus Canonicum*, quod quidem opus plurimorum Interpretum in Decretales Gregorii IX. in Sextum aliaſque Collectiones, atque in Decretum Gratiani Annotationes complectitur: addenda & *Collectanea in Concilium Trid.* &c.

G A U F R E U S.

Ambroſius le Gaufre, natus in agro Cenomanenſi anno 1568. poſt ſtudia Lutetiæ peracta, Anteceſſor in Academia Cadomenſi creatus eſt, atque ab Epiſcopo Bajocenſi Magnus ibidem Vicarius, Officialis item, & Academiæ ipſius Vicecancellarius dictus eſt. Rebus quàm honoribus geſtis illuſtrior, gloriam ſibi comparavit per gloriæ fugam, occultandæ perinde ac colendæ virtutis ſtudioſus. Cum Eccleſiæ, reique publicæ utiliſſimam per annos fermè triginta operam navaſſet, obiit 23. Novembris anno 1635. ætatis ſuæ 67. Mortuum tota Provincia incredibili deſiderio eſt proſecuta. Ejus nepotum cura in lucem exiit *Synopſis Decretalium*, ſeu ad ſingulos Gregorianæ Collectionis Titulos methodica omnium Juris utriuſque mutationum Diſtinctio: quod opus ex Commentariis ad Inſtitutiones Lancelotti, ab eo antea dictatis, magna ex parte depromptum videtur. Deſunt ſub finem Tituli *de Pœnitentiis & Remiſſionibus*, *de ſententia Excommunicationis*, *de Verborum ſignificatione & de Regulis juris*.

FABROTUS.

Carolus Annibal Fabrotus, Aquiſextienſis Anteceſſor, Baſilicorum editione aliiſque operibus, jus Civile non parùm illuſtravit. Sed & Prælectionem edidit *ad Tit. Decretal. de Vita & honeſtate Clericorum* anno 1651.

FLORENS.

Franciſcus Florens apud Arnæum Ducis, quod Burgundiæ oppidum eſt, Joanne in Senatu Divionenſi Advocato ſub exitum proximi ſeculi natus, Toloſæ juri operam dedit, & cum aliis claris Anteceſſoribus Guilielmum præſertim Maranum & Joannem à Coſta audivit, illuſtribus condiſcipulis Petro de Marca, Franciſco Boſqueto, Innocentio Cironio, Petro Chuppæo, & Nicolao Macquino, qui cuncti excellenti juris peritia ad ſacros Anteceſſorioſve honores pervenerunt. Abſolutis juriſprudentiæ ſtudiis Florens, aliquot annis cauſas egit in Divionenſi Curia. Deinde Pariſiis Henrico Memmio, cæteriſque togatis Proceribus, viriſque doctrina conſpicuis innotuit familiariter. Inde ad Cathedram Aurelianenſem promotus anno 1632. ac poſt annos duodecim ad Pariſienſem ſcholam evocatus eſt, ubi inter Anteceſſorii muneris exercitationes primoribus, atque omnibus eruditis pariter & eruditionis avidis in pretio habitus, Literarios cum ſelectis Procerum congreſſus inſtituit cum Ludovico præſertim Boucheratio, Guilielmo Lamonione, Michaele Marilliaco, itemque cum Jacobo Amelotio; quos omnes natalium ſplendore ſubnixa doctrinæ ac virtutum merita ad ſummas togæ dignitates evexerunt. Solum ex hoc numero ſuperſtitem nunc habemus *Boucheratium*, qui ſacri Palatii quæſturam (Magni Franciæ Cancellarii dignitas apud nos vulgò vocatur) ſupremum inquam illud honoris faſtigium ornat, magis quàm ab eo ornatur, utque diutiſſimè ornet optant omnes boni, poſcit Regis regniqne felicitas. Florens ſeptimo Pariſienſis Anteceſſuræ anno, Aureliæ obiit 29. Octobris an. 1650. In majori cœmeterio ſepulturæ honorem cum elogio ſortitus.

Ego ejus loco ad Anteceſſuram Pariſienſem paulò poſt vocatus, illuſtris Anteceſſoris memoriæ hoc debere putavi, ut tum à ſuperſtite edita, tum inter Auditorum manus errantia ipſius opera in unum colligerem volumen, duabus partibus diſtinctum. Prior pars, cum diſſertatione *de Origine, arte & autoritate Juris Canonici*, & Præfatione *de Methodo & autoritate Gratiani & aliarum Compilationum*, atque Oratione *de recta ratione diſcendi Juris Canonici*, Tractatus novem continet, ad totidem priores libri primi Decretalium Titulos; itemque diſſertationem *ad Cap. auditis de Præſcriptionibus*, Tractatum *ad Tit. de Vita & honeſtate Clericorum*, Præfationem *de Diſpenſationibus Eccleſiaſticis*, ac diſputationem *de Nuptiis Conſobrinarum*. Poſteriori parte continentur Tractatus tres ad Cauſas Decreti, nempe *de ſtatu Regularium*, *de Antiquo jure Patronatus*, & *de Sponſalibus & matrimoniis*: Tractatus præterea quinque ad Titulos Decretalium *de Officio & poteſtate Judicis Delegati*, *de Officio Legati*, *de Officio Judicis Ordinarii*, *de Præb. & dignitatibus*, & *de jure Patronatus*: Additæ ſunt Notæ & obſervationes in

Alexan-

Alexandri *Chaſſanei Paratitla Decretalium*. Acceſſit in ſpecimen eruditionis civilis, Tractatus ad Titt. Digeſtorum & Codicis *de Solutionibus & liberationibus*.

DARTIS.

Non diſpari officio functus antea fueram in edendis, quà licuit, *Joannis Dartis*, mei in Regia Canonum profeſſione deceſſoris, operibus. Is Cadurci natus, in patria & Toloſæ juri operam dedit ſub Guilielmo Marano, aliiſque Anteceſſoribus: & juris ac Theologiæ lauream conſecutus, à Nicolao Verduno, illius tum Senatus Principe, in familiam aſcitus eſt curandæ ipſius bibliothecæ. Eodem Præſide ad Senatum Pariſienſem translato, Lutetiam Dartiſius quoque venit, ubi anno 1618. Anteceſſor eſt renunciatus: ac defuncto poſt quinquennium Hugone Guijonio Anteceſſore & Regio Canonum Profeſſore, vacua per illius obitum Cathedra Regia auctus eſt. Deceſſit anno 1651. die 21. Aprilis, octogenario major, longa tabe contracta, tum ex ætate, tum ex abſtinentia & labore aſſiduo. Obiit autem ſingulari, ut vixerat, Chriſtianæ pietatis ſenſu, atque admirabili patientiæ inter dolores exemplo. Sepultus in Parochiali Eccleſia S. Stephani de Monte, mediocri, ut mandaverat, pompa elatus. Opera quædam vivens vulgaverat; reliqua, ex magna parte, ejus hæredum humanitas ſubminiſtravit. Hi fuere Benedictini Monachi Congregat. S. Mauri. Nec tacenda ejus in Facultatem Juridicam liberalitas, viginti millium librarum Francicarum legato in eam certis conditionibus collato. Editi ab eo ſunt anno 1648. Libri tres *de Ordinibus & dignitatibus Eccleſiaſticis*. Alia Opuſcula anteà in lucem emiſſa, in tertiam partem ejus Operum mea cura editorum collata ſunt. Primum *de ſtatu Eccleſiæ tempore Apoſtolorum*. Secundum *de Hierarchia Eccleſiaſtica*. Tertium *de Canonica Eccleſiæ diſciplina circa Sacramentum Pœnitentiæ*. Quartum Animadverſiones *in Annales Eccleſiaſticos Baronii & Caſaubonii Exercitationes*. Quintum Diſſertatio *de Jure naturali gentium & civili*. Sextum *Athleta Chriſtianus*. Septimum Præfatio *de recta docendi & diſcendi ratione*: tum *de Suburbicariis Regionibus & Eccleſiis*, Libri tres. At prima parte continentur ejus in Decretum Gratiani Commentarii. Quæ tertia prælectione in Decretales dictaverat, editioni parata, ea in qua manus eo moriente inciderint, mihi planè incompertum eſt. Jam Tractatum de *Beneficiis*, in ſecundam Dartiſii operum partem conjectum, non ab eo, ut mihi affirmatum fuerat, ſed à Vincentio Cabotio compoſitum fuiſſe, jam anteà indicavi.

AXELIUS.

Honorius van Axel de Seny Ultrajactenſis, civis & Advocatus Romanus, anno 1628. edidit totius Juris Canonici Compendium, ſive *Brevem Summam in quinque Libros Decretalium*, Concilii Tridentini Decretis accommodatam, in qua Juris Canonici Primæ Inſtitutiones ſeu Elementa ita traduntur, ut plurima breviter ac deciſivè explicentur, & Canonum, Gloſſarum ac Doctorum receptorum autoritate communiantur: cui acceſſit Compendioſa *Praxis Beneficiaria ex Concordatis* Nationis Germanicæ cum Sede Apoſtolica initis deducta, opera Laurentii

rentii Nicolarts Theologiæ Doctoris, & Collegiatæ S. Joannis Evangeliſtæ apud Leonium Eccleſiæ Canonici.

BLEYNIANUS.

Antonius Fabricius Bleynianus, ex eadem familia cum Antonio Fabro Primario Senatus Sabaudiæ Præſide, natus in Delphinatu anno 1569. Studio juris operam dedit in Academia Toloſana, & quibuſdam Italicis: ac tandem in Valentina conquievit, Anteceſſor creatus, quo munere accuratè & concordi cum Collegis animo functus, obiit anno 1626. ſepultus in monumento, quod ſibi vivus paraverat juxta ſacellum Eccleſiæ S. Apollinaris. Scripſit *Introductionem in Theoriam & praxim beneficiorum Eccleſiaſticorum*, & *Inſtitutiones Theoricas & practicas*, ſeu Rudimenta *Juris Canonici*: quod opus diu poſt ipſius mortem vulgatum eſt, ſtudio Anteceſſorum Valentinenſium. Nec juris tantùm ſcientia, ſed linguarum, etiam Hebraicæ, itemque Mathematicæ diſciplinæ peritia, religione & æquitate præcipua commendatur.

CIRONIUS.

Innocentius Cironius, Joannis Baptiſtæ Inſulati, in Toloſano Senatu Præſidis frater, juris utriuſque Profeſſor, Canonicus, ac Eccleſiæ, & Academiæ Toloſanæ Cancellarius: *Quintam antiquam Compilationem Decretalium* Honorii tertii, ex Manuſcriptis Codicibus primùm edidit cum notis: addidit *Paratitla in Quinque Libros Decretalium Gregorii IX.* & *Obſervationum in jus Canonicum* Libros quinque, quæ opera Toloſæ anno 1645. in lucem emiſit.

DAVEZANUS.

Joannes Davezan Vaſco, in Valle Aurana, ad extremum ſub Pyrenæis Armaniacis Comitatum nobili familia, deſinente ferè ſuperiori ſæculo natus, perfectis in Academia Toloſana Jurius utriuſque ſtudiis, Lutetiam venit, & Senatus conſulto Aurelianenſis Anteceſſor, non ſine certamine pronunciatus eſt, anno 1626. ac trigeſimo poſt anno extra ordinem ad Pariſienſem ſcholam evocatus Regio reſcripto 26. Julii anno 1659. procurante imprimis Guilielmo Lamonione primario Præſide, ſalvis ob Veterani Privilegium emolumentis ac Juribus, quibus in Aurelianenſi Academia fruebatur: aſſignato præterea mille ducentarum Librarum ſtipendio è regiis reditibus ſingulis annis percipiendo; idque exemplo Florentis iiſdem conditionibus ab Aurelianenſi ad Pariſienſem Academiam ante annos ſedecim tranſlati. Eodem tempore Davezanus honorario quoque Comitis Conſiſtoriani Titulo ab Illuſtriſſimo Petro Seguerio Franciæ Cancellario decoratus, deceſſit Pariſiis anno 1669. Omiſſis libris de ſervitutibus, deque Contractibus, qui ad Jus Civile pertinent; edidit etiam tractatus *de Matrimonio*, *de jure Patronatus*, & librum *de Cenſuris Eccleſiaſticis*, cum diſſertatione *de Pontificia & Regia poteſtate*.

PASTOR.

Melchior Paſtor, apud Aquas Sextias Anteceſſor, Tractatu *de Beneficiis & Cenſuris Eccleſiaſticis* nobilitatur: ad eum tractatum, quemadmodum

modum & ad Inſtitutiones Lancelotti, utiles atque ad uſum fori maximè accommodatas annotationes ſcripſit *Joannes Solier* in Senatu Toloſano Advocatus, atque expediendorum per Romanam Curiam reſcriptorum curator.

ALEXANDER CHASSANÆUS.

Alexander Chaſſanæus Juriſconſultus Pariſinus, (vulgo *de la Chaſſagne*) *Paratitla in quinque Libros Decretalium* protulit an. 1612. Nicolao Verduno Primo Senatus Pariſienſis Præſidi nuncupata, eruditionis & elegantiæ nomine commendata.

PETRUS DE MARCA.

Petrus de Marca, antiqua & clara admodum ſtirpe in Benearnenſi Provincia editus anno 1594. Catholicis parentibus. Poſt exacta apud Auſcos ac Toloſates ſtudia, ante annum ætatis vigeſimumſecundum renunciante Joanne Patruo, Senator Supremi Benearnenſis Conſilii deſignatus eſt anno 1615. ac ſexennio poſt, Conſilio Provinciali in Parlamenti nomen ac Titulum evecto anno 1621. ipſe Præſidis dignitate donatus ob ſingularia merita, incredibile eſt quantùm ſcientia & religione ſua contulerit ad reſtaurandum in eo Principatu Catholicum cultum. Anno deinde 1639. ad ſacrum Conſiſtorium adſcitus à Ludovico XIII. juſſuſque eſt, de ſacræ & regiæ juriſdictionis finibus ſcribere; atque anno 1642. ad Epiſcopatum Conſerannenſem nominatus: tum ineunte an. 1644. Viſitaroris ſive Cenſoris ampliſſimo titulo miſſus in Catalonlam à Ludovico XIV. factioſorum aliquot conſpirationes prudentia, conſtantiaque ſua diſcuſſit; & ex Eccleſiarum ac Monaſteriorum tabulis multa collegit, quibus ad Juris Canonici interpretationem præclarè uſus eſt. Anno 1651. adita & quantum fieri potuit diſpoſita Conſerannenſi Eccleſia, reverſus ad Regem, ab eo ſequenti anno nominatus eſt ad Archiepiſcopatum Toloſanum, ac tandem ad Pariſienſem: cui tamen ne, ut ſperabatur, prodeſſe poſſet, mors interceſſit: ſtatim enim ab acceptis Pontificiis Codicillis, anno 1661. raptus eſt Eccleſiæ Gallicæ, atque adeò Catholicæ votis: ſepultus in Baſilica B. Virginis Pariſienſis. Ejus ego memoriam celebrare conatus ſum ſolenni Oratione in ſcholis noſtris habita, quas cum illuſtriſſimis viris Ludovico Boucheratio, Guilielmo Lamonione, Franciſco Boſqueto, aliiſque ſacri & togati Ordinis Proceribus, Honorariis Facultatis juridicæ Pariſienſis Doctoribus, tuendas, fovendaſque, & priſtino ſplendori reſtituendas ſuſceperat. Præcipuum ejus opus inſcriptum eſt *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, ſeu *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*: cujus primi quatuor Libri anno 1641. prodierunr. Poſteriores quatuor (cum prioribus emendatis auctiſque) poſt Illuſtriſſimi Patroni obitum ejuſque mandato edidit Stephanus Baluzius, qui & vitam ejus accuratè compoſuit, & alia ejuſdem opuſcula collegit: inter quæ non ultimum obtinet locum Tractatus *de primatu Lugdunenſi & cæteris primatibus*.

BOSQUETUS.

Franciſcus Boſquetus Narbonenſis, Toloſæ in Collegio Fuxenſi inter eruditos ſodales, Latini, Græcique & Hebraici ſermonis cognitione viam

viam ſibi ad Juriſprudentiam paravit: cujus peritia inſtructus, præturam primum in patria geſſit, deinde Lutetiæ Henrico Memmio patrono uſus, literatis omnibus haud vulgaris doctrinæ nomine cognitus: Petri Seguerii Franciæ Cancellarii præſidio, Regii in Senatu Rothomagenſi Procuratoris munere aliquandiu functus, Lutevenſis Epiſcopus anno 1648. à Rege deſignatus eſt, deinde anno 1655. translatus ad Epiſcopatum Montis Peſſulani, voluntaria Cardinalis Eſtenſis ceſſione. Obiit anno 1676. Scriptis ſuis Canonica ſtudia non parum adjuvit. *Innocentii 3. Epiſtolas* commentariis Hiſtoricis illuſtravit, *Vitas Pontificum* Avenione commorantium notis auxit, *Synopſim Legum* Græcam *Michaelis Pſelli* elucidavit Juris annotationibus. *Raimundi Martini* Dominicani opus *Pugionis fidei* contra Judæos & Mauros, in pulvere Bibliothecæ Fuxenſis tenebris damnatum, ejus ope & opera, publica luce donatum eſt: *Eccleſiæ Gallicanæ Hiſtoriarum exordia* quatuor libris, à primo Chriſti in Gallias Evangelio, ad datam Eccleſiæ pacem publici Juris fecit: quarum continuatio, & plura alia majoris molis opera, à litteratis expetita, imprimis verò Commentaria vel Notæ in Decretum Gratiani, nondum prodierunt: nec ubi lateant, diſcere ulla ratione adhuc potui.

TONDUTUS.

Petrus Franciſcus Tondutus Sanlegerius (Gallicè *de Tonduti de S.Leger*) Juriſconſultus Avenionenſis, inter alia, tractatum ſcripſit *de Penſionibus Eccleſiaſticis*, ad ſtylum Curiæ Romanæ, & ad praxim tribunalium Galliæ accommodatum, Lugduni editum. Priùs etiam compoſuerat *Reſolutiones Beneficiales*, & *Regales*, ac de *Præventione judiciali* ſive de contentione juriſdictionum, anno 1659.

DADINUS ALTASERRA.

Antonius Dadinus ab Altaſerra, in Cadurcis nobili genere natus initio hujus ſeculi, Franciſci Dadini Salvazonii Anteceſſoris Pictavienſis frater natu major, poſtulatione ad Anteceſſuram Toloſanam vocatus anno 1644. commendante ejus doctrinam Petro Seguerio Franciæ Cancellario. Scriptis ſuis de utraque juriſprudentia, deque hiſtoria Gallica reverà optimè meritus. Imprimis quæ ad noſtrum hoc inſtitutum pertineant, *Diſſertationum Canonicarum* libros ſex compoſuit: Notas tum in *Epiſtolas B. Gregorii*, tum in *Anaſtaſium Bibliothecarium* de vitis Romanorum Pontificum: Commentarios item *in omnes Innocentii Tertii Decretales*, quo ordine Gregorianæ Collectioni ſunt inſertæ; quibus haud abſimiles commentarios in Alexandri Tertii Decretales in ſcholis dictavit, quorum editionem in dies expectamus. Extant & ipſius *in Clementinas* Commentarii. Deceſſit Toloſæ anno 1682. octogenario major. Sepultus in æde B. Mariæ à Nazareth.

BENGEUS ET PINSSONIUS.

Antonius Bengeus Bituricus (vulgò *Bengy*) à Forenſibus negotiis ad publicum docendi munus anno ætatis 27. vocatus, atque in demortui Cujacii locum auſpicatò ſuffectus, operoſo huic muneri aſſiduè incubuit per annos 24. immaturo fato ſublatus anno Domini 1616. ætatis 52. Inter ejus ſchedas *Franciſcus Pinſſonius*, Franciſci Anteceſſoris Bitu-

Bituricenſis in Juris Canonici interpretatione præcipuè, ab anno 1611. ad 1643. verſati, filius, Bengei per Mariam filiam nepos, in Senatu Pariſienſi pereruditus cauſarum patronus, ſpecimen Tractatus *de Beneficiis Eccleſiaſticis* invenit, quod avus ex definitione beneficii deſumendum quotidianis recitationibus paraverat, ſed vix ad tertiam partem perduxerat. Inceptum avi materni perfecit accurato ſtudio nepos, atque ad uſum fori Gallici, & libertatum Eccleſiæ Gallicanæ accommodatum, edidit Pariſiis anno 1654. & nunc magno in publicum commodo ad ſecundam Editionem parat. Mitto alia ejuſdem *Pinſſoni* Opera, tum edita, tum editioni proxima, veluti Notas *ad Indulta* nonnulla, tractatum de *Regalia*, quæ & Gallicè ſcripta, & magis ad ſpecialem Fori Gallici uſum, quam ad jus commune referuntur.

R O Y A.

Franciſcus de Roye Andegavus, patre in prætura Andegavenſi Conſiliario natus, avo materno Franciſco Dory d'Argentè Anteceſſore, & ipſe, in ea ſtudiorum Univerſitate, Anteceſſor, Commentarium edidit in Canonem EGO BERENGARIUS 42. *de Conſecrat. diſt.* ſecunda; itemque tractatum *de Juribus honorificis in Eccleſia*, atque alium *de Jure Patronatus*, Andegavi anno 1667. atque hunc priùs quidem in lucem emiſſum, Florentis ea de re tractatu, qui tamen longè anteà & compoſitus, & in ſcholis noſtris dictatus fuerat. *Inſtitutiones* quoque *Juris Canonici* conſcripſit in tres libros digeſtas, eruditione haud vulgari refertas, quas Illuſtr. Dom. Hieronymo Bignonio Patricio & Comiti Conſiſtoriano inſcripſit anno 1681. Vivere deſiit anno 1686. Januarii 24. die.

F A G N A N U S.

Proſper Fagnanus Juris Canonici in Academia Romana inſignis hoc ſeculo Profeſſor, diu Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum à ſecretis fuit; vir perſpicaci inter cæcitatis incommoda ingenio: Abſolutiſſima *in Quinque Libros Decretalium* Commentaria emiſit ſub annum 1660. quibus recepta in Italia jura, ſive jus commune Canonicum, eruditè ac ſubtiliter exponit.

C A B A S S U T I U S.

Joannes Cabaſſutius Aquiſextienſis, Presbyter congregationis Oratorii Domini Jeſu. Hactenus Opera duo inſignia edidit. Altero *Theoriam & praxim Juris Canonici*, ſex libris complexus eſt, qui anno 1660. Lugduni prodiit: Alteri titulus eſt *Notitia Eccleſiaſtica*, Hiſtoriarum, Conciliorum & Canonum invicem collatorum, veterumque juxta ac recentiorum Eccleſiæ rituum, ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, ad noſtra uſque tempora, ſecundum cujuſque ſeculi ſeriem, accuratè digeſta: quod repetita editione longè auctius prodiit anno 1680. atque inter auctores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ referri non immeritò poteſt.

C O R V I N U S.

Arnoldus Corvinus à Belderen, Hollandus, ſed Catholicus, Juris utriuſque Doctor, cum plura ad jus Civile, Feudale, & Municipale, enu-

enucleandum ſcripſerit, concinnum quoque opus dedit libris quatuor comprehenſum, quod anno 1648. Amſtelodami editum, Inſtitutionum Canonicarum loco eſſe poteſt. Ei titulus eſt *Jus Canonicum per Aphoriſmos* ſtrictim explicatum.

URBANUS AB ASCENSIONE.

Urbanus ab Aſcenſione Carmelita, in Provincia Turonenſi Theologiæ Profeſſor emeritus, & Provinciæ ejuſdem Ordinis Aquitanicæ Exprovincialis ac Cuſtos, edidit anno 1659. *Inſtitutiones Juris Canonici*, veteris & novi principia complectens, ad uſum utriuſque fori, tribus partibus diſtinctas.

MIRBELLUS.

Prodierunt anno 1608. *Inſtitutionum* quoque ejuſdem Juris *Libri duo*, Autore Cæleſtino *Mirbello* Biturige J. C. & patrono (*Mirebeau*) à quo prætermiſſa ſunt, quæ cum Jure Civili communia Jus Pontificium habet.

LALANDA.

Jacobus de Lalande, Anteceſſor Aurelianenſis, & in Præſidiali Judicum conſeſſu Exconſiliarius; inter alia, Exercitationem *ad Titulum de Ætate & qualitate* & *ordine præficiendorum*, cum brevi tractatu *de Nuptiis Clericorum* vetitis aut permiſſis an. 1654. *Prælectiones ad Titulum* de *Decimis, primitiis & oblationibus*, anno 1661. vulgavit.

GONZALES.

Emanuel Gonzales Telles, Collegii Majoris Conchenſis in Academia Salmanticenſi Alumnus, juri operam dedit ſub Franciſco Ramos del Manzano Primario Juris Civilis Profeſſore, qui poſteà Mediolani Præſes, & Caroli II. Regis doctrinæ ac morum Magiſter, & ſub Joſepho Fernando de Retes Juris Cæſarei primario quoque Profeſſore; tum anno 1655. ad minorem in eadem Academia Decretalium Cathedram vocatus; dein Proprietarius Sexti Anteceſſor renunciatus, & antiquioris veſpertinæ ſacrorum Canonum Cathedræ proprietarius Interpres; in Pinciano, ſeu Valliſoletano, Inquiſitionis tribunali Apoſtolicus Inquiſitor, & in ſupremo Inquiſitionis Senatu Conſiliarius: ſcripſit *Commentaria perpetua in ſingulos textus quinque Librorum Decretalium Gregorii IX.* Cui operi accuratè elaborando, ſinguliſque Decretalibus per Notas ab Hiſtoria & Chorographia petitas, perque uberes Commentarios illuſtrandis, viginti annos ſe impendiſſe teſtatur. Exierunt in lucem hæc Commentaria Lugduni anno 1673. in quatuor Tomos diviſa.

MAJORETUS.

Joannes Majoretus Toloſas, atque in Academia ſua clari nominis noſtris temporibus Anteceſſor, *Commentaria in Libros quatuor Inſtitutionum Juris Canonici Joannis Pauli Lancelotti*, compoſuit. Ea filii atque in Anteceſſura ſucceſſoris ſtudio, publici juris facta ſunt, Toloſæ 1676.

ENGELIUS.

Ludovicus Engel Ordinis Benedictini, è Mellicenſi Auſtriæ Monaſterio, Salisburgenſis Archiepiſcopi Conſiliarius Eccleſiaſticus, & in Univerſitate Salisburgenſi Procancellarius, ſanctorum Canonum Ordinarius Profeſſor, *Collegium univerſi Juris Canonici* adornavit, quod initio partitum juxta triplex juris objectum, anno deinde 1681. ſervato ordine Decretalium accuratiùs translatum eſt.

STREINIUS.

Joannes Streinius Germanus, Societatis Jeſu, *Summam Juris Canonici* conſcripſit, quæ Coloniæ edita eſt.

MELLÆUS.

Stephanus Mellæus Pariſinus (*de Melles*) ex Philoſophiæ Profeſſore Anteceſſor in eadem Academia, de Origine, diviſione, & dotatione *Parochiarum*, deque Parochorum gradu, inſtitutione & officiis, Prælectionem *ad Titulum extrà de Parochiis & alienis Parochianis*, emiſit in lucem anno 1678.

HENRICUS VVAGNERECK.

Henricus *Vvagnereck* Societatis Jeſu, utriuſque Juris quondam Profeſſor & Cancellarius in Academia Dilingana. Scripſit Commentarium Exegeticum SS. Canonum, ſive Expoſitionem brevem & claram omnium Pontificiarum Decretalium, quæ Dilingæ anno 1672. edita eſt.

Ibidem prodiit anno 1674. Juris Canonici Methodus nova Enrici *Pirhing* ejuſdem Societatis Profeſſoris Emeriti.

Adjiciendi ſuperioribus Bartholomæus *Cartagena* Hiſpanus, cujus expoſitio Titulorum Juris Canonici exiit Lugduni anno 1624. & Joannes Petrus *de Maurize* Pariſienſis Juriſconſultus, qui anno 1658. Juris Canonici Selecta, & eorum quæ ad uſum Fori Gallicani pertinent, Summam Pariſiis edidit. Addatur & Eraſmus *Ungepaverus* Germanus, in Lutheranis Academiis Altorfina & Salana Profeſſor, cujus Commentarius poſthumus ſuper Decretales Jenæ primùm prodiit an. 1660.

PETRUS HALLÆUS.

Nefas mihi fuerit veterem Collegam hìc præterire. Is eſt *Petrus Hallæus* Bajocenſis, qui in Cadomenſi Academia, cum in ea Rectoris munere fungeretur, Juris utriuſque Doctor, coram illuſtriſſimo quondam Petro Seguerio Cancellario, ſolemni ritu renunciatus anno 1640. tum deinde à Pariſienſi Artium Facultate abſens cooptatus, in Harcuriano Gymnaſio diuturna ac laudabili humaniorum literarum & eloquentiæ profeſſione, ad Juriſprudentiam, (quæ ſine his ſtudiis intelligi & conſiſtere non poteſt) ſelectæ Juventuti viam muniſſet; in ſcholam Juridicam, geminato Fr. Florentis & Jo. Dartiſii funere afflictam ac propè deſertam, mecum anno 1655. extra ordinem accitus, in eodem adhuc ſtadio feliciter perdurat; atque inter aſſidua laborioſæ Anteceſſuræ munia, exaratis eleganti ſtylo, ac facili methodo, *Inſtitutionibus Juris Canonici*, quæ anno 1685. editæ ſunt, Tractatus haud diſpa-

res;

res *de Matrimonio*, *de Beneficiis*, alioſque editioni paratos habet, ad illuſtrandum Jus omne, Commentarios. Et cum Cadomus Antonio Hallæo Eloquentiæ Profeſſore ac Poeta eximio, nec minùs celebri Anteceſſore Henrico Hallæo glorietur; utrumque Petrus noſter Pariſienſi Academiæ planè repræſentat. Cæterùm non omittam, quod ipſi honorificum, in eo Anteceſſoria Dignitate angendo partes ſuas ex continuata in eundem benevolentia & ſtudio, interpoſuiſſe ampliſſimum Seguerium: cujus ego Mecœnatis publicas laudes, & propria in meipſum merita, cum tacere nunquam debeam, nunquam poſſum ſatis ex animo commemorare.

DOUJATIUS.

Quidni Mei quoque ultimo loco meminiſſe liceat? qui non laudem quæram; ſed ſtudioſis indicare ſatagam qualiacumque Opera, quæ ad enarrandum Jus Canonicum videntur poſſe conducere. Ego itaque Toloſæ natus, Patre & Avo Advocatis in Senatu, hoc etiam Capitolino; Proavo Guilielmo Conſiliario Regio in Parlamento Toloſatum (cujus extat enarratio in *Reſponſa Juriſconſultorum Naturalia* primæ & ſecundæ partis Digeſtorum,) Abavo Ludovico, qui primus Regius in Magno Conſilio Advocatus fuit: ſtudio Juridico in patria peracto ſub Mich. Vergerio & Joan. Majoreto, in Advocatorum numerum ibidem relatus ſum an. 1637. Dein Pariſiis an. 1651. Joanne Dartiſio poſtremis tabulis commendante, Regius ſacrorum Canonum Profeſſor dictus fui, Regis autoritate, ab Eminentiſſimo Alphonſo Ludovico Pleſſiaco Richelio, Cardinali Lugdunenſi, Magno Franciæ Eleemoſynario, ut tunc mos erat: tum poſt quadriennalem ferè Juris Canonici in Regio Franciæ Collegio profeſſionem, de ſententia Illuſtriſſimi Matthæi Mole Senatus Principis, & Illuſtriſſimorum Regiorum Triumvirorum, Aud. Talæi, Ach. Harlæi, Hier. Bignonii, atque Academiæ Decreto ad primam vacantium in Juridica Facultate Cathedram cooptatus à V.C. Philippo de Buiſine, qui ſolus Anteceſſor ſupererat: Ab eo tempore ad hunc uſque diem Dei benignitate munus Anteceſſorum, nunc apud nos longè quàm alibi operoſius, etſi dudum Emeritus ac Primicerius, pro virili exequi non deſtiti. Quamvis autem ante quinquennium, Inſtitutiones Canonicas ipſe quoque ex animi mei ſententia elaboratas dictaveram; malui tamen *ad Lancelottum* emendatum *Notas* paulò uberiores edere, ob rationes allatas in Præfatione ejus operis, quod prodiit exeunte anno 1684. Accedent Deo volente *Paratitla* ſive Summaria Methodica *in Decretum* Gratiani, atque adeo in univerſum Jus Canonicum; ejuſdem Juris *Epitome*, brevis *de Matrimonio* Tractatus ad Librum quartum Decretalium, atque alia, quæ jamdiu in ſcholis Juris à me dictata, nondum ultimam manum acceperunt.

Hiſtorica, & ad illuſtrandum Jus Civile aut Gallicum pertinentia, quæ ab anno 1671. edidi, iis memorandis, meis ſcilicet æquè ac alienis, nunc abſtinendum cenſui, ne nullus ſit operi finis. Gallici Juris Autores, atque Interpretes locum ſuum invenire poterunt in *Manuductione* mea ad Forum Gallicum, ſi opuſculum jamdiu inchoatum, ſed ob graviora & urgentiora negotia dilatum, ad finem perducere propitium Numen annuerit. Sed nec Canonica, idiomate noſtro

conſcripta recenſere, jam vacat. Satis ſuperque fatigatos mecum fore ſuſpicor tam longa Auctorum enumeratione, pleroſque Lectorum: in qua ut quoſdam eorum qui mihi & noti, & in pretio ſunt, excidiſſe animadverto; ita & nonnullos, qui ſine magno Legentium damno prætermitti fortè potuiſſent, irrepſiſſe non dubito. Exciderunt ſanè & *Joannes de Selva* Pariſienſis, inter primos rei Beneficiariæ Scriptores memorandus, & cum præcipuis aliquot autoribus Conſiliorum, quæſtionumque forenſium, Nicolaus *Boerius* Burdigalenſis, Guilielmus *Benedicti* Toloſas, atque ex recentioribus Bartholomæus *Carthagena*, Petrus *Alagona*; denique Cardinalis *Tuſchus* Concluſionum Practicarum autor ſeu Collector, aliique non pauci. Verùm quæ hic querunt, ſupplere affatim, licebit ex iis qui ſuperiori ſeculo vitas Juriſconſultorum, & hoc noſtro Bibliothecas Juridicas collegerunt, de quibus cap. proximo.

CAPUT X.

Recenſentur Scriptores præcipui, qui Autorum Eccleſiaſticorum, & Juris Canonici Doctorum, Res atque Opera per indicem memorarunt.

1. Autorum Eccleſiaſticorum Nomenclatores. I. AUTORUM Sacrorum Hiſtoricum cenſum, ut ita dicam, egerunt multi ſcriptores. Agmen ducere videtur B. *Hieronymus*, quem ſecuti ſunt *Gennadius* Maſſilienſis circa annum 492. *Iſidorus* Hiſpalenſis circa annum 630. *Honorius* Auguſtodunenſis *de Luminaribus Eccleſiæ* circa annum 1124. Joannes *Trithemius* Spanheimenſis in *Catalogo* ſcriptorum Eccleſiaſticorum, ad annum 1494. *Sixtus* Senenſis in *Bibliotheca ſancta*, *Robertus* Bellarminus Cardinalis: & poſt hos, ut alios taceam, Aubertus *Miræus* Canonicus Antuerpienſis in *Bibliotheca* Eccleſiaſtica, & Philippus *Labbe* Bituricus, Societatis Jeſu Theologus, in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quos attigit Bellarminus. Addi poteſt Supplementum de Scriptoribus vel ſcriptis Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis, collectore *Caſimiro Oudin* Presbytero veteris Inſtituti Ordinis Præmonſtratenſis, Pariſiis hoc anno 1686. Nec omittendus Antonius *Poſſevinus* in *Apparatu* ſacro.

2. Doctores Iuris Canonici antiquos, quinam recenſuerint. II. Interpretes Juris Canonici & Civilis ſimul collegerunt, eorumque vitam, & cujuſque ſcripta recenſuerunt imprimis Joannes *Nevizanus*, Ludovicus *Gomeſius*, Joannes *Fichardus*, Joannes Baptiſta *Zilettus*, & Joannes Vvolfgangus *Freimonius*, Autor Symphoniæ utriuſque Juris, itemque Valentinus *Forſterus*, atque illis accuratiùs Guido *Panzirolus* Regienſis, Patavinus Anteceſſor Primarius lib. ſecundo & tertio *de claris Legum Interpretibus*, ad finem uſque ſeculi ſuperioris, utpote mortuus anno 1592.

3. Vnde haurienda notitia poſteriorum Iuris Canonici Doctorum. III. Illuſtrium Juris Interpretum qui proxima ætate floruerunt, laudes colligi poſſunt, tum ex *Hiſtoria* Jacobi Auguſti *Thuani*, qui ſub finem cujuſque libri, demortuorum memoriam celebrat, ab anno 1550.

1550. ad 1607. tum ex *Hiſpaniæ Bibliotheca* anno 1610. edita Francofurti, in ſeptima claſſe quæ eſt Juriſconſultorum; itemque ex Valerii Andreæ *Deſſelii* Juriſconſulti *Bibliotheca Belgica* anno 1643. Ex ſecunda parte *Bibliothecæ Eccleſiaſticæ Miræi* 1649. Ex *Elogiis* Scævolæ *Sammarthani* & Papirii *Maſſoni*; ex Melchioris *Adami* vitis Juriſconſultorum Germanorum hujus ſeculi. Quædam ex Recentiorum Epiſtolis Nuncupatoriis & Præfationibus operi cuique præfixis peti poterunt.

4. Operum Juridicorum Index ampliſſimus.

IV. Opera cujuſque Autoris, ad utrumque jus ſpectantia ſub rerum & materiarum Titulis, ordine Alphabetico digeſta ſuggeret M. Martinus *Lipenius* Gymnaſii Lubecenſis Conrector in *Bibliotheca Reali Juridica* anno 1679. Francofurti edita. Ejuſdem Lipenii labore, Theologi (permixti ſcilicet Orthodoxis Heterodoxi) Medici, Philoſophi &c. ſua quique habent ejuſdem generis volumina.

5. Tractatuum ſpecialium Collectanea.

V. *Repetitiones*, ſive ſpecialia Commentaria in plurimos Decreti Canones aut Decretalium Titulos, & Capitula, quæ ſparſim vagabantur, collecta fuere Gregorii XIII. mandato. Extantque *Repetitionum* hujuſmodi volumina quinque, tum Venetiis, tum etiam Coloniæ Agrippinæ anno 1610. Ejuſdem eruditiſſimi Pontificis auſpiciis prodierunt Romæ anno 1584. *Tractatus Tractatuum*, materias XVIII. à variis Juris Conſultis tractatas, continens voluminibus XXV. opera Franciſci Zileti: ſed ad Civile magis, quam ad Canonicum jus pertinentes.

CAPUT XI.

De Præcipuis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Generalis Autoribus.

1. Cur Hiſtoriæ cognitio ſtudioſis Canonum neceſſaria.

I. CANONICÆ Diſciplinæ cupidis non ſufficit Canonum Interpretes noſſe, niſi Eccleſiaſticæ quoque Hiſtoriæ Autores ſaltem præcipuos cognitos habeant. Conſtitutionum quippe & Decretorum cauſæ ex rebus quæ diverſis temporibus contigerunt, ſæpenumerò apparent; ideoque ad percipiendam Canonum vim, conducit mirum in modum Hiſtoriæ notitia.

2. Hiſtoriæ veteris Teſtamenti Autores & Collectores.

II. Et ſacram quidem *Hebræorum* Hiſtoriam ignorare nemini Chriſtiano licet. Ea ex ipſorum *veteris Teſtamenti* Codicum fontibus petenda, ad quam illuſtrandam valent Flavii *Joſephi* (qui aliis Joſippus) *Antiquitatum Judaicarum* Libri viginti, & de bello Judaico quod geſtum eſt à Veſpaſiano libros ſeptem conſcripſit. Eandem in ordinem digeſſit *Petrus Comeſtor* libris ſexdecim *Hiſtoriæ ſcholaſticæ* circa annum 1160. Hac verò noſtra ætate, Annales ſacros veteris teſtamenti undequaque collectos ediderunt Auguſtinus *Torniellus* anno 1613. *Jacobus Salianus* Avenionenſis Societatis Jeſu Theologus, 1619. Henricus *Spondanus* Appamiarum Epiſcopus.

3. Eccleſiaſtica Hiſtoria in varias claſſes diviſa.

III. At Eccleſiaſtica poſt Chriſtum Hiſtoria plures habet inſpectiones. Aut enim res ad generalem Eccleſiæ ſtatum pertinentes deſcribit: aut ſpeciatim, vel Romanorum Pontificum, vel Epiſcoporum aliorum, ſive Nationis, ſive Provinciæ, ſive etiam Civitatis alicujus, ſeriem ac

geſta perſequitur: aut Ordinum Monaſticorum aliorumve Regularium, originem & progreſſum, reſque alias hujuſmodi tractat. Nec deſunt qui ſeorſim de Hæreſibus, deque Conciliis ſcripſerint, quæ tamen ad Univerſalem Hiſtoriam ferè referuntur: His adjiciendi qui Sanctorum vitas collegerunt.

4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Generalis Autores veteres Græci, & 1. Euſebius. IV. *Generalem* Eccleſiæ *Hiſtoriam*, partim Græci, partim Latini compoſuerunt. Inter Græcos eminet *Euſebius*, *Pamphili* dictus, Epiſcopus Cæſareæ in Palæſtina, cujus extant libri decem *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* ab initio naſcentis Eccleſiæ, ad relatas de Maxentio ac Licinio victorias; & Libri quatuor *de vita Conſtantini*.

5. Socrates. V. Poſt Euſebium *Socrates* Scholaſticus, Eccleſiaſticam à Conſtantino Magno Hiſtoriam, ſpatio centum quadraginta annorum, Libris ſeptem, ad Theodoſium Juniorem perduxit, ejuſque Conſulatum decimoſeptimum, ſive annum Chriſti 449.

6. Sozomenus. VI. Hermias deinde *Sozomenus*, & ipſe Scholaſticus dictus, quòd diu in Forenſibus Actionibus Conſtantinopoli verſatus fuerit: ejuſdem temporis ac Soctates Hiſtoriam ſcripſit ab anno 324. ad annum 439. Libris novem. Sed eſſe ultimorum ferè viginti annorum narrationem, colligi poteſt ex Epiſtola ipſius dedicatoria ad Theodoſium Juniorem. His verò tribus primis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Autoribus non habendam in omnibus fidem facilè judicabit, qui Euſebium noverit Arianorum fautorem haberi, Socratem & Sozomenum Novatianos fuiſſe.

7. Theodoritus. VII. Secutus eſt *Theodoritus* Epiſcopus Cyri in Syria qui inter alia multa, decem Libris Hiſtoriam Eccleſiaſticam centum & quinque annorum, à fine librorum Euſebii uſque ad ſua tempora ſcripſit, id eſt à Vicennalibus Conſtantini uſque ad decimotertium ni fallor Conſulatum Theodoſii Junioris: ſive à Concilio Nicæno fermè ad Epheſinum. Hic in id imprimis incubuiſſe videtur, ut à prioribus prætermiſſa ſuppleret. Reliqua ejus opera lib. ſecundo cap. attigimus.

8. Evagrius. VIII. Poſt hos *Evagrius* Scholaſticus, Epiphania Syriæ urbe oriundus, ſex libris Hiſtoriam Eccleſiaſticam annorum 166. complexus eſt, ab anno circiter 431. quo in Concilio Epheſino damnata eſt Hæreſis Neſtoriana, ad annum uſque 597. qui fuit Imperatoris Mauricii duodecimus; quemadmodum ipſe in fine operis ſui memorat: ubi etiam teſtatur ſe aliud quoque opus ſcripſiſſe, quod Relationes, Decreta, Orationes, Diſputationes, aliaque ejuſmodi continebat. In eo imprimis laudandus eſt, quòd ex Græcis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus, ſolus rectæ fidei doctrinam illibatam ſervavit, uti poſt Photium Baronius in Annalibus obſervat: aliunde reprehendendus quòd luxuriante ſtylo, Bellicis aliiſque rebus prophanis narrandis, paulò ultra modum immoretur.

9. Philoſtorgius. IX. Præter hos, Eccleſiaſticam Hiſtoriam Græcè ſcripſit *Philoſtorgius*, initio ducto ab Arii Alexandrini adverſus Alexandrinum Patriarcham diſſenſione, ut ipſe vocabat: & progreſſus uſque ad Valentiniani tertii tempora & Joannis Tyranni cædem. Verùm ejus Hiſtoria hæreticorum Encomium, Orthodoxorum autem criminatio potius quàm Hiſtoria dicitur à Photio, qui duodecim ejus Libros in Epitomen redegit. Epitomæ adjuncta ſunt aliunde fragmenta.

10. Theodorus Lector. X. Accedunt Collectanea *Theodori Lectoris* Byzantii, excerpta apud Nicepho-

phorum Calliſtum. Theodori illius duo fuere Opera. Primum nihil aliud erat quàm *Hiſtoria Tripartita* duobus Libris comprehenſa, quam ex Socrate, Sozomeno ac Theodorito unum in corpus collegerat, à vigeſimo anno Conſtantini, ad Principatum uſque Juliani: Alterum opus, Theodori duobus quoque libris comprehenſum, res in Eccleſia per annos ferè 70. geſtas complectabatur, ab iis temporibus in quibus deſierat Socrates, uſque ad Principatum Juſtini Senioris, ſive ab anno 449. ad annum 519. Atque ex his duobus poſterioribus Libris deſumpta ſunt illa Nicephori Collectanea, ut notat vir doctiſſimus & limati judicii amicus quondam noſter Henricus Valeſius, qui hos omnes Autores emendato textu, propriaque verſione & Notis eruditiſſimis illuſtratos, edidit Pariſiis anno 1659. ac ſequentibus.

XI. Addendus eſt ſuperioribus *Nicephorus Calliſtus*, ſive Calliſti Xanthopuli filius, qui vixit ſub Andronico Seniore Palæologo, ejuſque filio Michaele & nepote Andronico juniore, atque *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libros 18. ſcripſit, à Chriſto nato ad mortem Phocæ Imperatoris & annum 610. cum Argumentis aliorum 5. Librorum ab exordio Heraclii ad mortem Leonis Sapientis Imp. quæ accidit anno 911. Extant Græcè & Latinè ex interpretatione Joannis Langi, recognita ſtudio & opera Frontonis Ducæi Societ. Jeſu Theologi, Pariſiis duobus Tomis in folio an. 1630. Multa habet futilia atque ex dubiæ fidei Autoribus deprompta; non ideò tamen nullius pretii Autor habendus, ut vult Caſaubonus: ſunt enim apud eum non pauca ex fidis Autoribus deſumpta, quorum Opera ad nos non pervenere. Prudentis igitur Lectoris eſt, à vilibus diſcernere pretioſa. *11. Nicephorus Calliſtus.*

VII. Latinorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Autorum, nec parem copiam habemus, nec parem librorum numerum. *Hegeſippus* Romæ ſub Eleuthero Pontifice, Imperante Marco Antonino Philoſopho, *Hiſtoriam Actuum Eccleſiaſticorum* Libris quinque diſtinctam ſtylo ſimplici texuit, à Chriſti paſſione ad ſuam ætatem, annum nimirum 180. aut circiter. *12. Latini Autores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Præcipui Hegeſippus.*

XIII. *Severus Sulpitius* genere ac literis clarus, in Aquitania floruit, & partim in Nitiobrigibus, partim Toloſæ habitavit ſub IV. Seculi finem, Beatis Martino, Auguſtino, Paulino, aliiſque ejus ætatis Sanctis Præſulibus notus. In ſenectute à Pelagianis deceptus, errore tandem agnito, ſe uſque ad mortem ſilentio damnavit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo elueret. Inter ejus Opera extant *Hiſtoriæ ſacræ Libri duo*, à mundi exordio ad ſuam memoriam, hoc eſt ad annum Chriſti 400. Unde apparet conjunctam ab eo fuiſſe Hiſtoriam veteris Teſtamenti cum Eccleſiaſtica & Chriſtiana. *13. Severus Sulpitius.*

XIV. *Marcus Aurelius Caſſiodorus* Senator inter cætera libro ſecundo à nobis memorata Opera, ſcripſit *Chronicon ad Theodoricum Regem*, quod deſinit in annum 519. & *Tripartitam Hiſtoriam*, quam ex Socrate, Sozomeno, ac Theodorito, Latinè per Epiphanium Scholaſticum amicum ſuum redditis, concinnavit. *14. Tripartita Hiſtoria Caſſiodori.*

XV. *Haymo* Halberſtatenſis in Germania Epiſcopus, ex Monacho Fuldenſi & Abbate Hirsfeldenſi, exemplo Severi Libros decem ſcripſit, de *Chriſtianarum rerum memoria*, ſive Epitomen Hiſtoriæ ſacræ circa annum 850. *15. Haimo.*

16. Oroſius, Vincentius, Antoninus.

XVI. *Paulum Oroſium* Presbyterum Hiſpanum, qui ſub initium Seculi V. *Hiſtoriarum ab exordio Mundi* libros ſeptem compoſuit uſque ad annum 416. hortante S. Auguſtino; *Ordericum Vitalem*, Benedictinum qui anno 1141. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* compoſuit; *Vincentium Bellovacenſem* Ordinis Prædic. qui præter Doctrinale, Morale, ac Naturale ſpeculum, ſcripſit etiam *Speculum Hiſtoriale*, ad annum uſque 1254. continuatum ad 1494. *S. Antoninum Florentinum* Archiepiſcopum ex eodem Ordine, qui Summæ Theologicæ addidit *Summam Hiſtorialem* in tres partes tributam, quæque ad annum 1458. porrigitur, nominaſſe hoc loco ſufficiat: alios qui propè innumeri Univerſalem Hiſtoriam ita conſcripſere, ut plerique prophanis magis quàm Eccleſiaſticis rebus inhæreant, prætermittendos putavi.

17. Recentiores Annalium Eccleſiaſticarum Collectores, & I. Centuriatores Magdeburgenſes Lutherani.

XVII. Alia ratio eſt eorum, qui data opera rerum Eccleſiaſticarum ſeriem ex prioribus colligentes, iis certiùs explicandis geſta Imperantium attexuere. Hoc inceptum occuparunt ſuperiori ſeculo firmandæ, ac, ſi fieri poſſet, promovendæ Lutheranæ Sectæ, *Mathias Flacius Illyricus*, *Joannes Vvigandus*, *Matthæus Judex*, *Baſilius Faber*, ſub titulo *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ*, integram Eccleſiæ Chriſti Ideam quantum ad locum, propagationem, perſecutionem, tranquillitatem, doctrinam, hæreſes, cæremonias, gubernationem, ſchiſmata, Synodos, perſonas, miracula, Martyria, Religiones extra Eccleſiam, & ſtatum Imperii Politicum attinet, ſecundum ſingulas Centurias, perſpicuo ordine complectentis. Hi *Centuriatores* Magdeburgenſes vulgò dicuntur, quòd opus ſuum Magdeburgi in Saxonia compoſitum, per annorum Centurias diſtinxerint. Centuriæ autem ſingulæ, ſexdecim ferè capitibus conſtant, ſecundum ea quæ in Operis Titulo proponuntur. Prodiit illud ſaltem ann. 1560. & proximè ſequentibus, continetque Centurias 13.

18. Eyſengreinius.

XVIII. Adverſus novam hanc Hiſtoriam Eccleſiaſticam Guilielmus *Eyſengreineus* Spirenſis, Centenarios ſexdecim ſcribendos ſuſceperat, continentes deſcriptionem rerum memorabilium in Orthodoxa & Apoſtolica Chriſti Eccleſia geſtarum, cum diligenti annotatione eorum, quæ contra veram, Catholicam, Chriſtianam & antiquiorem, cum maxima laude traditam, receptamque religionis aſſertionem, infideliter planè conſcribi deprehenduntur: ut veritatis objecto clypeo, falſitas ſcripto notetur. Extant duo ejus Centenarii; primum vidi editum Ingolſtadii anno 1566. & non abſimili à Centuriatoribus ordine in Capita diſtinctum.

19. Baronius.

XIX. Centuriatoribus opponi omninò poſſunt Cæſaris *Baronii* ex Oratorii Jeſu Presbytero, Cardinalis Romani *Annales Eccleſiaſtici* abſolutiſſimi, à Chriſto nato ad Innocentii tertii tempora & annum 1198. cujus Operis egregiam Epitomen concinnavit Henricus *Spondanus*, (*de Sponde*) Epiſcopus Apamiarum in Gallia Narbonenſi.

20. Bzovius, & Spondanus.

XX. Baronium excepit *Abrahamus Bzovius Polonus* è S. Dominici familia, qui duodecim Annalium voluminibus Res geſtas Eccleſiæ ab anno Chriſti 1198. ad ſua uſque tempora, hoc eſt ad initium fermè hujus ſeculi profecutus eſt. Continuavit quoque Baronium ad annum 1638. *Spondanus* jam laudatus.

21. Raynaudus.

XXI. Sed horum Operibus quantumcumque laude dignis deterritus non eſt ab eodem incepto *Odoricus Raynaudus* ex eodem Oratorii ſodalitio,

litio, ex quo prodierant Annales Baronii. Scripſit ergo poſt eum Res Eccleſiæ ad dimidium uſque ſeculum ſuperius, voluminibus octo, quæ ideò imprimis habentur in pretio, quòd Autori patuerint Bibliothecæ Vaticanæ arcana.

XXII. In Baronium porrò inſurrexere complures Hæretici, imprimis *Iſaacus Caſaubonus* conſcriptis exercitationibus ad ejus Annales anno 1614. quibus Julius Cæſar *Bulengerus* Diatribas ſuas oppoſuit anno 1617. Adverſus hunc Richardus *Montacutius* Antidiatribas ſcripſit an. 1625. Partes quoque ſuas interpoſuit Joannes Dartiſius ſuprà capite 9. memoratus, & alii. *22. Baronii adverſarii & defenſores.*

CAPUT XII.

De iis qui Res Pontificum Romanorum & Epiſcoporum cujuſque Nationis ſcripſere.

I. PRÆTER univerſalem Eccleſiæ totiùs Hiſtoriam, utile admodùm eſſet Res quoque ſingularum Eccleſiarum, ſi fieri poſſet, perſpectas habere. Sed nobis ſat erit poſt Romanæ Sedis Hiſtoriam, præcipuos Scriptores referre, qui Epiſcoporum cujuſque Nationis ſeriem atque Acta collegerunt. Non enim exhauriendos ſuſcepimus ampliſſimarum Bibliothecarum Catalogos: ſed indicandos Autores, qui ad enarrandos Canones, ac pleniùs & faciliùs intelligendas Decretales, conducere præ cæteris videntur. *1. Hujus noſtræ Diſquiſitionis Termini.*

II. Pontificum Romanorum vitas deſcripſit poſt Damaſum, ſive alium Pontificalis Autorem, *Anaſtaſius* Bibliothecarius, à S. Petro ad Nicolaum I. Ex ejus libro collecta eſt ab *Abbone* ſive Albone Floriacenſi *Epitome de vitis Romanorum Pontificum* 91. Sunt & cum his edita Moguntiæ *Luitprandi* Ticinenſis, qui poſteà Cremonenſis Epiſcopus, Opuſcula de Vitis Romanorum Pontificum. Secutus eſt Joannes Baptiſta, ſive, ut alii volunt, Bartholomæus *Platina* Cremonenſis, qui à Petro ad Paulum ſecundum (à quo peſſimè habitus fuerat) Vitas Romanorum Pontificum continuavit. Editus eſt cum Annotationibus & continuatione *Onuphrii Panvinii* ad Pium V. *Onuphrius* idem Romanos Pontifices & Cardinales à Leone X. ad Paulum IV. collegit, itemque Pontificum Romanorum Elogia & Imagines æneis typis. Extant & Bonifacii *Simonettæ* & *Vvicelli* de Vitis Pontificum Libri editi, ille Baſileæ anno 1509. hic Coloniæ 1549. Acceſſit Papirius *Maſſonus* de Epiſcopis urbis qui Romanam Eccleſiam rexerunt ad ann. 1586. Scripſit etiam *Ptolemæus Lucenſis* Annales Pontificum Romanorum ab anno 1063. ad annum 1303. Indicata eſt ſuprà Franciſci *Boſqueti* Hiſtoria Pontificum Romanorum, qui è Gallia oriundi in ea ſederunt. Addidit Joannes Antonius *Petramellarius* continuationem ad Librum Onuphrii de Summis Pontificibus & Cardinalibus à Paulo IV. ad Clementem VIII. ſive ab anno 1565. ad annum 1592. Imprimis verò celebrantur *Alfonſi Ciaconii* Vitæ & Res geſtæ PP. RR. & Cardinalium à S. Petro ad Urbanum *2. Vitæ Pontificum Romanorũ.*

Digitized by Google

VIII. cum additionibus Andreæ Victorelli, Franciſci Cabreræ &c. anno 1630.

Neque omittenda ſunt à Religioſo & Erudito Viro Claudio *Dumolinet*, Canonico Regulari è S. Genoveſæ Congregatione, Collecta Summorum Pontificum Numiſmata & Elogia anno 1680. Pariſiis edita.

3. De Patriarchis Orientis. III. Majorum aliorum Patriarcharum ſeriem damus in Appendice. Priſcorum geſta ſparſim deſcribuntur à veteribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Autoribus. Enumerantur iidem à Theodorito in fine Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, à viceſimo anno Conſtantini magni, ad Theodoſii Junioris imperium.

4. Galliæ Præſulum ſeries & Geſta. IV. Eccleſiaſticam Hiſtoriam Galliæ inchoavit Illuſtr. Franciſcus de *Harlay* Archiepiſcopus Rothomagenſis anno *1629*. Eandem attigit anno 1632. Illuſtr. Franciſcus *Boſquetus*, de quo anteà diximus. Sed res Epiſcoporum Galliæ per ſingulas Diœceſes contexuerat noſtro ſeculo Claudius *Robertus in Gallia Chriſtiana*, anno *1626*. in lucem emiſſa. Hoc autem Opus Scævolæ & Ludovici *Sammarthanorum* Geminorum Fratrum labore, Roberti precibus ſuſcepto, adeò auctum, ut novum omninò videretur, à Petro Abelio & Nicolao Scævolæ filiis, pari cum Patre & Patruo cura conquiſitis undique monumentis, adjecta etiam Abbatiarum Hiſtoria, ab uno in quatuor volumina excrevit: quæ anno *1656*. mandato Cleri Gallicani Lutetiæ prodierunt. At Digeſtos per temporum ſeriem *Annales Eccleſiaſticos Francorum* ab anno Chriſti 235. ad an. 845. Carolus *Le Cointe* Trecenſis, Congregationis Oratorii D.N.J.C. Presbyter, perduxit tomis octo, in quibus cum eruditione elegantia certat.

5. De Epiſcopis Italiæ. V. Exemplo fortè Roberti & Sammarthanorum Gemellorum invitatus Ferdinandus *Ughellus* Florentinus, Abbas SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias Ordinis Ciſtercienſis, Italicorum Antiſtitum tempora & res, ſervato Provinciarum viginti, & Civitatum ad unamquamque pertinentium ordine, accuratè perſcripſit ingenti opere, cui titulus *Italia Sacra* ſive *de Epiſcopis Italiæ* & Inſularum adjacentium, rebuſque ab iis præclarè geſtis, deducta ſerie ad noſtram ætatem: ubi Eccleſiarum Ordines, Urbium conditiones, Principum donationes, recondita monumenta in lucem proferuntur. Emanare cœpit in publicum ingens Opus anno 1644. Tomus nonus exiit 1662. *Siciliæ* Epiſcopatuum Hiſtoriam priùs attigerat Rocchus *Pyrrhus in Notitia Sicilienſium* Eccleſiarum, anno 1630.

6. De Epiſcopis Hiſpaniæ. VI. Epiſcopalem cæterarum Nationum Hiſtoriam non video eadem forma, eademque cura opere uno collectam atque deſcriptam: Per partes itaque inquirenda eſt. Priſcorum Hiſpaniæ Epiſcoporum nomina congeſta invenio magis quàm digeſta in Hiſtoria Eccleſiaſtica Joannis *Mariettæ* ex Ordine Prædicatorum: Martyrum quidem lib. primo, Confeſſorum autem lib. quinto, quæ inde exſcripta ſunt in Hiſpaniæ Bibliotheca, Tomo primo cap. quinto. Hiſpanico tamen idiomate multarum ejus gentis Eccleſiarum conſcriptæ res extant, veluti Caſtellæ & Legionis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, exceptis Toletanis, per Ægidium *Gonzalem de Avila*. De Toletanis ſcripſit Didacus de *Caſtejon & Fonſeca*. De Portugalliæ Eccleſiis Hieronymus *Maſcarenhas*, de aliis alii.

VII.

VII. Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gentis *Anglorum* inchoaverat Venerabilis *Beda*. Eam hoc noſtro ſeculo tractavit Nicol. *Harpſfeldius*. Scripſit & Franciſcus *Godovinus* de Præſulibus Angliæ. His interſeri poterunt *Edmerus* Benedictinus Hiſtoriæ rerum ſui temporis libris ſex, Guilielmus *Malmesburienſis* de Geſtis Pontificum Angliæ, Guilielmus *Neubrigenſis*, Rogerius de *Hoveden*, aliique Hiſtoriæ Anglicæ Autores; qui Regum ſuorum geſtis res etiam Epiſcoporum admiſcent. De Præſulibus *Hiberniæ* ſcripſit Jacobus *Varæus* Eques. *7. De Epiſcopis Angliæ & Hiberniæ.*

VIII. Eccleſiarum *Germanicarum* Hiſtoria colligi poteſt ex Gaſparis *Bruſchii* Epitome de Epiſcopatibus & Metropoli Moguntina anno 1549. prolata: idem de Laureaco & Patavio Germanico ſcripſit, deque Abbatiis Germaniæ. Extat & Alberti *Crantzii Metropolis Saxoniæ* ſuperiori ſeculo, & Marci *Adami* Hiſtoria Eccleſiarum *Hamburgenſis & Bremenſis*, edita an. 1609. & Vvolteri Henrici *Streversdorf* Primas *Magdeburgenſis*. Sed hi cautè legendi, utpotè Heterodoxi. De *Metropoli Salisburgenſi*, ejuſque ſuffraganeis ſcripſit *Vviguleius Hund* à Zultzenmos 1620. Nicolaus *Serarius* de Archiepiſcopis *Moguntinis*, de *Trevirenſibus Chriſtophorus Brouverus*. Poſt hos Gabriel *Bucellinus* in *Germania ſacra* Catalogos inſtituit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum atque Abbatiarum. *8. De Epiſcopis Germaniæ.*

IX. In rebus Epiſcoporum Belgii tractandis verſati ſunt Ferrolus *Locrius* Paulinas, cujus eſt *Chronicon Eccleſiaſticum Belgicum* an. 1616. Joannes *Buzelinus* in *Gallo-Flandria ſacra* & prophana, an. 1620. Arnoldus *Raiſſius* in *Belgica Chriſtiana*, anno 1632. Huc etiam pertinent pleræque *Donationes* & alia ab Auberto Miræo collecta. *9. De Belgii Epiſcopis.*

X. De *Bohemiæ* Epiſcopis ſcripſit Thomas *Jordanus*, & de rebus geſtis Antiſtitum *Pragenſium & Olomucenſium* ſpeciatim *Dubravius*. Joannes Longini ſive Dlugloſſius Canonicus Cracovienſis ſcripſit de Epiſcopis *Poloniæ*: Stephanus *Domalevicius Varta* vitam Archiepiſcopoporum *Gneſnenſium* tractavit. Hiſtoriam Metropolitanæ Eccleſiæ *Upſalenſis* in Suetia habemus à Joanne *Magno Gotho*, ejus Eccleſiæ Archiepiſcopo, ad annum ferè 1560. Eccleſiaſticam ejuſdem ac vicinarum ad Arctum regionum Hiſtoriam dederunt *Bazius* & *Paulinus*. Aliarum Gentium Epiſcopi ex cujuſque gentis Hiſtoricis excerpendi erunt. *10. De Bohemiæ, Poloniæ & Sueciæ Epiſcopis.*

XI. Rerum Syriacarum per tempora quibus Chriſtiani rerum ibi potiebantur, Hiſtoriam ſacram cum civili ſcriptis mandarunt imprimis Guilielmus *Tyrius* Archiepiſcopus Libris tribus & viginti, & Jacobus *de Vitriaco* Aconenſis Epiſcopus ac S. R. E. Cardinalis tribus Libris. *11. Res Orientalis Eccleſiæ medii ævi.*

CAPUT XIII.

De Hiſtoriæ Monaſticæ Scriptoribus.

I. MONACHORUM & Regularium Ordinum originem ac progreſſum, quidam in genere, quidam ſpeciatim ſuſcepta cujuſque ordinis Hiſtoria, literis mandarunt. Præter *S. Hieronymum*, *Palladium*, Joannem *Caſſianum* alioſque, qui priſcorum *Monachorum* in Eremo degentium Vitam atque inſtituta jam olim conſcripſerunt; extat *Anto-* *1. Præcipui ſcriptores Rerum Monaſticarum in genere.*

niana

nianæ Hiſtoriæ compendium, id eſt Hiſtoria Ordinis ſancti ANTONII magni, anno 1534. deinde *Heriberti Roſvveydi* de Vitis Patrum, ſive Hiſtoria Eremitica, 1628. Jacobi *Middendorpii* Originum Anachoreticarum Sylva 1614. Auberti *Miræi* de Originibus Monaſticis 1620. & Proſperi *Stellartii* Annales Monaſtici 1621. Regularium autem jura in univerſum tractarunt apud nos Ren. *Choppinus* & Ant. ab *Altaſerra* in Libris Monaſticon, de quibus diximus. Varias illorum *Regulas* collegerunt Hugo *Menardus & Stellartius*.

2. De Rebus Ordinis Benedictini. II. Quæ ad Ordinem S. BENEDICTI pertinent, tractarunt Joannes *à Boſco* in Bibliotheca Benedictina, Arnoldus *Vion* Belga in *Ligno vitæ*, ubi deſcribitur hiſtoria totius religionis S. Benedicti. Gabriel *Bucellinus* in Menologio & Annalibus Benedictinis. Accedit Clementis *Reineri* Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia. Huc etiam referri poſſunt *Leonis Oſtienſis* Chronica *Caſſinenſia*, & Bibliotheca *Cluniacenſis*; itemque Auberti *Miræi* Origines Ordinis Benedictini in Belgio. S. Benedicti *Regulam* ſpeciatim edidit cum notis Jacobus *du Breuil*.

3. Ordinis Ciſterc.ienſis. III. *S. Roberti* Abbatis Chronicon Ordinis CISTERCIENSIS auctum à S. Bernardo, publicatum eſt à prædicto Auberto Miræo anno 1614. Scripſit prætereà Annales Ciſtercienſes Henricus *Manriquez* 1649. Menologium verò Ciſtercienſe Chryſoſtomus *Henriquez*.

4. Canonicorum Regularium S. Auguſtini. IV. CANONICORUM REGULARIUM S. Auguſtini Chronicon ſcripſit Joannes *Buſchius*: Gabriel verò *Pennotus* Hiſtoriam tripertitam Ordinis Canonicorum S. Auguſtini vulgavit an. 1630. eaque materia Auberti Miræi diligentiam non fugit.

5. Eremitarum S. Auguſtini. V. EREMITARUM *S. Auguſtini* Joſephus *Pamphilus* Annales ſcripſit nuper, hoc eſt an. 1681. Habetur & Nicolai *Cruſenii* Monaſticon Auguſtinianum; & Cornelii *Curtii* Elogia, atque Icones Virorum Illuſtrium ex Ordine Eremitarum B. Auguſtini.

6. Carthuſianorum. VI. CARTHUSIANORUM Origines, cum Bibliotheca Carthuſiana Theod. Petrei dedit ſæpiùs laudatus Miræus: habemus & Petri *Dorlandi* Chronicon Carthuſienſe, anno 1608. editum, & Arnoldi *Raiſi* Origines Carthuſianorum Belgii anno 1632.

7. Ordinis Præmonſtratenſis. VII. Chronicon Ordinis PRÆMONSTRATENSIS edidit *Miræus*: Bibliotheca verò Ordinis Præmonſtratenſis emiſſa eſt in lucem per Joannem *le Page* anno 1663.

8. Carmelitarum. VIII. Speculum CARMELITARUM anno 1607. editum eſt: de illorum Origine & laudibus ſcripſit Joannes *Tritbemius*: Annales eorumdem concinnavit Joan. Baptiſta *de Lezana*.

9. S. Franciſci Minorum & Capucinorum. IX. FRANCISCANORUM plures ſunt Ordines. *Seraphicæ Religionis* Hiſtoriarum libros edidit Petrus *Rodulphius* anno 1586. Scripſit etiam Franciſcus *Gonzaga* de Origine ejuſdem *Seraphicæ* religionis anno 1587. At poſt hos Hiſtoriam quoque *Seraphicam* edidit Henricus *Sedulius*, in qua continetur Vita S. Franciſci Aſſiſmatis, illuſtriumque perſonarum &c. anno 1613. Annales *Minorum* per Lucam *Vvadingum* Lugduni exierunt 4. Voluminibus anno 1625. Inter Acta Concilii Conſtantienſis legitur diſſertatio, cui titulus Fratrum Ordinis *Minorum* de Obſervantia *Status* adverſus Patrem Bonifacium Provinciæ Franciæ Miniſtrum, cum reſponſione Bonifacii. *Capucinorum* autem Annales duobus voluminibus vulgavit Zacharias *Boverius* an. 1632.

X. PRÆ-

X. PRÆDICATORUM ſive Ordinis S. Dominici Chronicon publici juris fecit Antonius *Senenſis* an. 1585. Thomæ *Malvenda* Annales ejuſdem Ordinis prodierunt Neapoli anno 1617. *10. Prædicatorum.*

XI. Aliorum Ordinum res, Latino ſermone minùs celebratas invenio. *Camaldulenſium* Hiſtoriam Auguſtinus *Florentinus* anno 1575. Florentiæ; *Archangelus Haſtivillius* Pariſiis anno 1631. ſcriptis prodiderunt. *Olivetanam* Secundus *Lancelottus* Peruſinus 1623. Annales Ordinis *Servorum* B. Mariæ Arch. *Gianius* 1618. Chronicon Ordinis *Minimorum Lanovius* 1635. *Fontis Ebraldi* exordium Michael *Coſnier*. *11. Aliorum Ordinum.*

XII. Minorum aliorumque Mendicantium privilegia ſcriptis ſuis collegerunt & defenderunt imprimis Antonius *de Medina*, Alphonſus *de Caſſarubios*, Hieronymus *à Sorbo*, Emmanuel *Rodericus*, Rogerius *Chomoe*: Mendicantium verò & non Mendicantium Joannes Baptiſta *Confettius*. *12. De illorum Privilegiis.*

XIII. Nec omittendi prorſus Ordines Militares ſive Equeſtres. Aubertus *Miræus* jam ſæpiùs citatus Origines dedit *Equeſtrium* ſeu militarium *Ordinum* libris duobus anno 1609. Franciſcus *Mennenius* delicias Equeſtrium Ordinum, id eſt eorum Origines, ſtatuta & inſignia conſcripſit circa annum 1613. *Joannitarum* verò, qui & Rhodii, & poſteà *Melitenſes*, Hiſtoriam ſeorſim libris duodecim complexus eſt Henricus *Pantaleon* anno 1572. *13. De Ordinibus Militaribus.*

CAPUT XIV.

De Martyrum, aliorumque Sanctorum Hiſtoria.

I. PASSIONIBUS Martyrum deſcribendis, inſtituti Romæ fuerunt à Sancto Clemente Notarii ſeptem, Regionarii dicti, quòd ex quatuordecim Urbis Regionibus duæ unicuique attributæ eſſent, in quibus quiſque Acta Martyrum exactè perquirerent, & litteris conſignarent, ut refert Anaſtaſius in ejus vita. Anno deinde 238. Antero Pontifici ea cura cauſam Martyrii præbuiſſe dicitur in libro de Romanis Pontificibus, quòd ſcilicet Geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiiſſet, & in Eccleſia recondidiſſet. Ejus nihilominùs Succeſſor Fabianus ſeptem illis Notariis, totidem Subdiaconos præpoſuit. *1. Servanda ſanctorum memoriæ initia.*

II. Ex hoc more initium traxiſſe videntur *Martyrologia*, quæ propriè Res Martyrum, ſed latiori acceptione aliorum quoque Sanctorum geſta breviter tradunt, aut certè nomina indicant digeſta per menſes dieſque, quibus cujuſque obitus ac feſta in Eccleſia celebrantur; ideoque à Græcis, hujus generis Libri *Menologia* dicuntur, quaſi Menſium rationes: in quibus tamen inſerta à ſchiſmaticis hominum quorumdam ab Eccleſia Catholica damnatorum nomina. Ad hæc enucleanda conducet non parùm Calendarium utriuſque Eccleſiæ, Latinæ & Græcæ, quæ invicem collata dedit Antonius Contius in fronte Chronographiæ Nicephorianæ. *2. Hinc Martyrologia & Menologia.*

III. Hic quatuor præcipua Martyrologia memoraſſe ſat erit. Poſt Hierony- *3. Præcipua Martyrologia.*

rony-

ronymum, Bedam & Florum, *Uſuardus* Monachus, ni fallor, S. Germani Pariſienſis, juſſu Caroli Magni circa annum 800. *Martyrologium* conſcripſit: quod cum additionibus ex Martyrologiis Romanæ aliarumque Eccleſiarum, & annotatione Autorum qui de Sanctorum Vita ſcripſere, Joannes *Molanus* Lovanienſis Theologus cum Tractatu ſuo de Martyrologiis, & indiculo Sanctorum Belgii, edidit Antuerpiæ in octavo anno 1583. quæ Editio his de cauſis potior prioribus habetur. Paulò poſt ſecutum eſt circa annum 870. *Adonis* Viennenſis Archiepiſcopi Martyrologium Sanctorum per circulum anni, prolixis Martyrum Elogiis inſigne; quod Heriberti Roſvveidi Ultrajectini Societatis Jeſu Theologi ſtudio emendatum & Notis illuſtratum eſt. Martyrologium quoque *Romanum* cum Notis edidit *Baronius Cardinalis*. At Martyrologium Gallicanum duobus voluminibus Andreas *du Sauſſay*, Tullenſis poſtea Epiſcopus, conſcripſit.

4. Vitæ Sanctorum. IV. Hiſtoriam verò Sanctorum generaliter attigit ex veteribus *Gregorius Turonenſis*, ſub titulo *de gloria Martyrum & Confeſſorum*. Medio ævo celebrantur duo ejus inſtituti Autores, *Simeon Metaphraſtes* Græcus, & Jacobus de Varagine (*corruptè de Voragine*) Latinus: illum Bollandus cap. primo præfationis generalis in Vitas Sanctorum Seculo Decimo affigit, non improbabilibus argumentis. Leo autem Allatius in Commentario *de Simeonibus* rejicit ad initium ſeculi decimiquarti ſive annum 1314. Is ex communi eruditorum Catholicorum ſententia, illuſtri genere natus Patricius & Logotheta fuit, teſte Michaele Pſello, qui anno 1070. florebat, ejuſque encomium ſoluta & ſtricta Oratione celebravit. Certum eſt eum magno labore ac ſumptu conquiſita Sanctorum Acta, memoriæ poſterorum commendaſſe, atque ad menſium dies digeſſiſſe. Ejus fidem aliqui elevant, quaſi non pauca ex incertis monumentis hauſerit, aut antiquiorum ſcripta interpolaverit, ſive breviùs & ſimpliciùs tradita inani verborum pompa amplificando, ſive ob rerum amplitudinem fuſiùs explicata nimiùm contrahendo: aut denique, quòd, ut notat Bellarminus, multa ex proprio ingenio ediderit, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt. Illud certè admodùm probabile, quod Baronius quoque agnoſcit, aliquot Sanctorum Hiſtorias à junioribus eſſe adjectas, quæ fidem reliquis fortè detraxerint. At Jacobus *de Varagine*, ſic dictus à Varagine Oppido Liguriæ maritimo, doctrina & vitæ integritate inſignis, ex Ordine Prædicatorum, atque anno 1299. Genuenſi Eccleſiæ datus Archiepiſcopus, tum alia ſcripſit, tum Sanctorum Hiſtoriam, quæ vulgò *Legenda aurea*, & *Speculum Sanctorum* appellatur: alii *Legendam ferream* vocant, aut vitream, ut quæ veris fabulas, mala bonis permixta habeat plurima: unde hodie non pluris fit, quàm *Catalogus* Sanctorum *Petri de Natalibus* Epiſcopi Equilini in Venetia, an. 1382. ad exitum perductus.

5. Vitæ Sanctorum Poſteriores. V. Superiori & noſtro hoc ſeculo majorem lucem acceperunt hæ piæ hiſtoriæ. Imprimis autem Laurentius *Surius* Carthuſianus de vita Sanctorum ſex volumina exaravit, ſeptem verò conſcripſit Aloyſius *Lipomanus* Epiſcopus Veronenſis, apud quem extant Vitæ Sanctorum in duodecim anni menſes diſpoſitæ, quæ Simeoni Metaphraſti adſcribuntur, in Latinam linguam à Guilielmo Sirleto poſteà Cardinali, Petro Franciſco Zino Veronenſi, & Gentiano Herveto Aurelianenſi, eruditis interpreti-

pretibus, converſæ. Sed licèt hi duo, & Simeonis, & aliorum veterum narrationes neceſſariò ſuis locis intexuerint, ut potè melioribus autoribus plerumque deſtituti: eas tamen non ſine cautione ut plurimum adhibent. Verùm hæc accuratiùs adhuc tractare cœperunt, hinc Heribertus *Roſuveydus*, inde Joannes *Bollandus*, eique adjunctus Godefridus *Henſchenius* inter Societatis Jeſu Presbyteros clari.

VI. Extra eos qui Religioſorum Ordinum Annales, Menologia, Chronica, Origines, Elogia, Bibliothecas, aliaque Hiſtorica ejus generis opera compoſuerunt; (de quibus ſuperiori Capite dictum eſt) nonnulli Sanctorum Ordinis ſui res ex profeſſo complexi ſunt. Lucas *d'Acheri* imprimis & Joannes *Mabillonius*, Acta Sanctorum *Benedictinorum* paucos ante annos ſcriptis conſignarunt. Extat & ſine Autoris nomine Faſciculus *Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis* anno 1623. editus per Chryſoſtomum Henriquez. Natales autem & vitam *Sanctorum Ordinis Præmonſtratenſis* dedit Chriſtophorus *Vanderſterre*. *6. Collectæ Res Sanctorum qui ex certis Ordinibus Religioſis prodierunt.*

VII. Sunt & qui rebus Sanctorum ſuæ quique nationis deſcribendis incubuere, quò ſpectant Martyrologia, ut ita dicam, popularia, quale Gallicanum Andreæ *du Sauſſay*, de quo ſuprà: itemque Imagines & Elogia Sanctorum Galliæ *Belgicæ* opera Auberti *Miræi* 1606. & Joannis *Molani* Natales Sanctorum *Belgii* 1595. cum Auctario per Arnoldum *de Raiſſe* 1626. atque Antonii *Sanderi* Hagiologium *Flandriæ*. Catalogus Sanctorum Eccleſiæ *Italiæ* à Philippo Ferrario editus 1613. à quo eſt etiam Catalogus Generalis *Sanctorum*, qui in Martyrologio Romano non ſunt, 1625. Chriſtophori *Brouveri* Sidera Illuſtrium & *Sanctorum* virorum in *Germania* 1616. Camerarius Presbyter de *Sanctis Scotiæ* & infidelium converſione ſcripſit 1627. Joannes Thomeus de *Sanctis Illyricanis* 1632. Inveniuntur etiam vitæ & Acta *Sanctorum* Hiberniæ inſulæ, cum notis & appendice per Joannem Colganum. *7. Sanctorum Hiſtoria per Nationes.*

VIII. Hoc loco prætermittenda non videtur illuſtris atque ab illuſtribus eruditione viris ante hos quadraginta annos agitata apud nos quæſtio de Patria & ætate Beati Dionyſii primi Pariſienſis Epiſcopi, hinc à Jacobo *Sirmondo* in diſſertatione peculiari, qua *Dionyſii Pariſienſis & Dionyſii Areopagitæ* diſcrimen oſtendere voluit, & à Joanne *Launoio* Pariſienſi Theologo aliiſque Sirmondi ſententiæ inhærentibus: indè à Joanne *Samblancato* Toloſate, Archidiacono Tarbienſi, qui non contemnendis argumentis Hilduini Abbatis & communem ex longa traditione ſententiam tueri non dubitavit, libello cui titulus *Palladium Franciæ* ſeu Dionyſius Areopagita: quam in rem prodiit etiam anno 1638. Germani *Millet* vindicata Gallicanæ Eccleſiæ, de ſuo *Areopagita* Dionyſio gloria: qui ambo ad contrarias animadverſiones & Diſſertationem de duobus Dionyſiis reſponderunt. *8. De Dionyſio Areopagita & Pariſienſi.*

CA-

CAPUT XV.

De aliis ſacri ſtudii adminiculis.

1. Materiæ quatuor ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentes.

I. NON inutile Sacrorum Canonum ac Theologiæ ſtudioſis futurum videtur, ſi poſt varias Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partes, brevi quaſi anacephaleoſi, quotidianatum aliquot materiarum Autores præcipuos indicarem: eorum nempe, qui de ritibus ac divinis officiis ſcripſerunt; qui Chriſtianam Morum diſciplinam tractarunt, per quam licita ab illicitis diſtinguuntur, ſive Caſus ut vocant Conſcientiæ; qui de Conciliis diſſeruerunt; qui denique Hæreticorum Sectas recenſuere.

2. Qui de Divinis officiis & ritibus Eccleſiæ ſcripſere.

II. De RITIBUS Eccleſiæ, præter Liturgiarum Græcarum Autores, *Gregorius* Papa ejus nominis primus volumina duo reliquit, *Antiphonarium*, & *Sacramentarium* ſive Librum Sacramentorum, quem adjectis eruditis commentariis in lucem emiſit Hugo *Menardus* Ordinis Benedictini. Secutus eſt Iſidorus Hiſpalenſis in libro *Quæſtionum*, & tempore Carolidarum *Alcuinus*, in libro de divinis Officiis; *Amalarius* Fortunatus, ſive Treverenſis, ſive Metenſis, quorum ille librum de Sacro Baptiſmate ad Carolum Magnum, hic libros quatuor officiales, hoc eſt, de Eccleſiaſticis ſeu de *Divinis Officiis*, & librum de ordine Antiphonarii conſcripſit; Vvalafridus *Strabo* de rebus Eccleſiaſticis; tum deinde Guilielmus *Durantes* Epiſcopus Mimatenſis, ſpeculator vulgò dictus, in *Rationali Divinorum Officiorum*, quod libris octo conſtat; & denique Joannes Stephanus *Durantius* Senatus Toloſani Primus Præſes, cujus extant eruditi de *Ritibus* Eccleſiæ Catholicæ Libri tres. Horum Operum Autores jam antea ſuis locis indicavimus, tum libro ſecundo Gregorium Primum Pontificem, pag. 264. Iſidorum pag. 266. Albinum Alcuinum 268. Amalarios pag. 269. Vvalafridum pag. 270. tum hoc libro quinto Guilielmum Durantem pag. 439. & Joannem Stephanum Durantium p. 462.

3. De Caſibus Conſcientiæ.

III. Inter eos qui de rebus dubiis ad Conſcientiam ſpectantibus ſcripſere, primas tenet Magiſter Raymundus *Pennafortius*, idem, qui Gregorii IX. mandato, Decretales ex prioribus quinque compilationibus collectas in ordinem redegit circa annum 1230. Et verò, cum hæc omnis ſcientia ex Canonibus ferè pendeat, eam ab illis maximè tractari convenit, qui Canonum peritiam habent. Secuti ſunt *Aſteſanus* Aſtenſis, qui hortante Cajetano Cardinali, ſcripſit anno 1317. *Summam de Caſibus Conſcientiæ*, libris octo diſtinctam, quæ vulgò *Aſteſana* vocatur. Bartholomæus *Piſanus* Ordinis Prædicatorum, à quo eſt *Summa Caſuum Conſcientiæ* abſoluta anno 1338. quæ vulgò *Piſanella* dicitur, ſeu *Magiſtruccia*. *S. Antoninus*, Florentinus Archiepiſcopus ex Dominicano, qui inter alia librum ſcripſit de *Eruditione Confeſſorum* circa annum 1445. *Pacificus* Minorita ſcripſit quoque circa an. 1470. *Summam Caſuum Conſcientiæ* quæ *Pacifica* vocatur. Angelus *Clavaſius* (*de Chivas.*) ex Ordine etiam Minorum, autoritate Juris utriuſque in deciſionibus ſuis uſus, cujus Summa *Angelica* nominatur, ſub annum 1470. Baptiſta *Trovamala*, ejuſdem Ordinis & nationis, circa annum 1483. cujus *Summa*

Digitized by Google

ma vulgò *Roſella* dicitur. *Sylveſter Mozolinus*, cognominatus *Prierias* à Prierio vico in Pedemontio, ex S. Dominici familia, Magiſter fuit ſacri Palatii Apoſtolici, & circa ann. 1520. Leoni X. *Summam* ſuam inſcripſit, quæ *Sylveſtrina* de ipſius nomine vocatur, & *Summa Summarum*. Joannes *Cagnatius*, *Tabienſis* dictus ab oppido Liguriæ in diœceſi Albingaunenſi, ex Ordine Prædicatorum, cujus *Summa* circa annum 1524. conſcripta, *Tabiena* nominatur. Bartholomæus *Fumus*, Placentinus, Prædicatorum ipſe quoque Ordinis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitor, ſub annum 1545. Scripſit *ſummam* cui *Armillæ Aureæ* titulum fecit. Præ cæteris verò ſuperioris ſeculi hoc argumentum egregiè tractavit *Martinus Navarrus* in Manuali, & in Conſiliis, de quo nos pag. 456. Celebrantur exeunte ſuperiori & ineunte hoc noſtro ſeculo plures ex Societate Jeſu Hiſpani, Theologiæ Moralis ſive caſuum doctrinæ Autores: Franciſcus *Toletus* Cardinalis, in Summa caſuum, Joannes *Azorius*, qui Compluti & Romæ ſacram diſciplinam publicè docuit, ac tria ingentia volumina *Inſtitutionum Moralium* compoſuit. Mitto Gabrielem Vaſquem, & Franciſcum Suarem, Scholaſticæ Theologiæ lumina: ſed in re de qua agitur, nemini, opinor, cedunt Henricus *Henriquez* in Academia Salmanticenſi Theologiæ Profeſſor, Paulus *Laymannus* Germanus, qui ambo ex eadem Societate *Caſuum Conſcientiæ* Doctrinam autoritate maxima Sacrorum Canonum fundarunt: hic etiam quæſtiones Canonicas de Prælatorum Eccleſiaſticorum Electione, Inſtitutione & Poteſtate, defenſionem Papæ & Cæſaris in cauſa monaſteriorum extinctorum, & bonorum Eccleſiaſticorum vacantium ſcripſit. Multa edidit huc ſpectantia Martinus *Bonacina* Mediolanenſis, Theologiæ ac Juris utriuſque Doctor, Comes Palatinus & utriuſque ſignaturæ Referendarius Apoſtolicus: & noviſſimè Antoninus *Diana* Panormitanus Clericus Regularis, quem Innocentius decimus examinandis Epiſcopis præfecit, Tomis octo, reſolutiones Morales complexus.

IV. Ab exordio Chriſtianæ Religionis ſingulis ſeculis ortæ ſunt *Hæreſes* variæ, ſubinde à Conciliis ſuorum temporum damnatæ, defenſa SS. Patribus & Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus vera fide, à Sanctis Ignatio & Irenæo imò ab ipſo Joanne Evangeliſta, ad Bellarminum & cæteros hujus ævi controverſiarum diribitores. Sed Conciliorum, quantum ad inſtitutum noſtrum ſufficere viſum eſt, brevem hiſtoriam dedimus à Capite primo ad vigeſimum quo loco Collectiones Conciliorum præcipuas, atque Autores indicavimus, qui in eorum Canones ex profeſſo notas ſcripſerunt. Satis erit hoc loco ſcriptores præcipuos indicaſſe, qui Hæreticorum ad ſua uſque tempora Catalogum contexuerunt. In his numerantur imprimis S. Epiphanius in Panario, contra omnes Hæreſes ſcripto, quæ eo tempore octoginta numerabantur, ſeculo ſcilicet quarto. *4. De Hæreſibus.*

Eodem extremo ſeculo *Philaſtrius* Brixienſis Epiſcopus Librum *de hæreſibus* ſcripſit, qui extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum, in quo tamen Libro quædam inter hæreſes numerantur, quæ revera hæreſes non ſunt. Scripſit & paulò poſt Beatus *Auguſtinus* Librum *de Hæreſibus*, *ad Quodvultdeum*, cui à *Gennadio* additæ ſunt quatuor hæreſes, Neſtoriana, Eutychiana, Prædeſtinatiana, & Timotheana. *Theodoritus*

quinto

Digitized by Google

quinto ſeculo *Hæreticarum Fabularum* libris quatuor prioribus, ſingularum hæreſeon brevem hiſtoriam complexus eſt: Quintus verò divinorum Decretorum Epitomen continet. *Vincentius* deinde *Lirinenſis* in *Commonitorio* ſuo priori, & tribus ultimis Capitulis Commonitorii ſive Libelli poſterioris, adverſus profanas omnium hæreſeon novitates pro Catholicæ fidei antiquitate & univerſitate pugnavit. Initio ſeculi duodecimi *Honorius Auguſtodunenſis Hæreſeon* ab ortu Eccleſiæ *Catalogum* conſcripſit, contexuit & ſeriem Romanorum Pontificum à S. Petro ad Innocentium Secundum qui anno 1130. electus eſt. Circa annum deinde 1320. *Guido* ex Priore generali duodecimo Carmelitarum, & Inquiſitore fidei generali, Majoricenſis primùm, tum Elnenſis Epiſcopus ingens volumen *de omnibus Hæreſibus* ſcripſit. Exiit Baſileæ anno 1556. Hæreſeologia ſive vetera Theologorum ſcripta contra Hæreſes. Adde Alfonſum à Caſtro.

CAPUT XVI.

De Auctoribus Geographiæ Eccleſiaſticæ.

1. Geographiæ & Chronographiæ cognitio neceſſaria.

I. CÆCA eſt Hiſtoria, tum ſacra, tum prophana, ſine ope Chronologiæ & Geographiæ. Quamobrem utriuſque Auctores ſtudioſis cognitos eſſe oportet, quatenus ad intelligendos ſacros veteris & novi teſtamenti Codices, Canonumque loca & tempora diſtinguenda conferunt.

2. De locis in utroque Teſtamento memoratis.

II. Palæſtinæ vicinarumque Regionum loca in ſacris litteris memorata, illuſtravit initio hujus ſeculi *Adrianus Adricomius Belga* in Theatro Terræ Sanctæ. Sed accuratiſſimè omnia rimatus creditur *Nicolaus Sanſo* Geographus Regius, cujus ſunt Geographiæ ſacræ Tabulæ tres, Bibliorum editioni Pariſienſi anni....... additæ, adjuncto Alphabetico *Indice*, quo ſingula Regionum & locorum nomina explicantur. Videndus & Samuel *Bochardus*, duobus voluminibus quorum alteri nomen indidit *Phaleg*, alteri *Chanaan*.

3. De Provinciis & locis quæ ad res Eccleſiæ Primitivæ referuntur.

III. Ad Eccleſiæ primitivæ res apprimè cognoſcendas, non mediocriter conducit Imperii Romani *Notitia*, quale ſub Primis Cæſaribus fuit. Ea diſci poteſt ex *Strabone*, *Plinii* Naturali Hiſtoria, & *Ptolemæi* Geographia; ex Sigonio item, aliiſque criticis, qui cuique obvii. Eritque ad hoc non parum utilis Philippi *Ferrarii Topographia* in *Martyrologium* Romanum. Conducet quoque Theatrum Converſionis Gentium totius orbis, auctore Arnoldo *Mermanno*.

4. Quæ ad Conſtantini & proxima poſt eum tempora ſpectant.

IV. Ad noſcenda loca, in quibus Res Eccleſiaſticæ ſub Conſtantino ejuſque Succeſſoribus ad Honorium uſque geſtæ ſunt, aditum dabunt imprimis *Subſcriptiones Epiſcoporum* Nicænæ, ac ſequentibus Synodis adjectæ. Provinciarum Imperii Romani (intra cujus fines Eccleſia ferè adhuc continebatur) aperiet *Notitia* utriuſque *Imperii* cum notis *Guidi Panziroli*; poteritque his adjici Philippi *Berterii* Præſidis Toloſani *Pithanon* Diatribæ.

V. No-

V. Nominatum antiqua, tum hodierna *Provinciarum & Metropoleon, Seculo VI.* cognitarum, inveniet Lector in Appendice huic operi ſubjecta c. 1. Sed pleniſſimam illorum temporum, quantum ad hæc, cognitionem ſuppeditabit *Geographia Sacra Caroli* Vialar, dicti à *S. Paulo*, Congregationis Fulienſis tunc Superioris Generalis, ac poſteà Epiſcopi Abrincenſis, anno 1641. Pariſiis edita: cui ſubjectæ ſunt notitiæ aliquot Græcæ, partim Eccleſiaſticæ, partim Civiles, ſequentibus temporibus ſcriptæ, ſive ab Hierocle, ſive ab aliis, ex Codicibus Manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ & Regiæ. *5. Quæ ad ſextum & ſequentia ſecula pertinent.*

VI. Immutata eſt apud Græcos diſpoſitio Metropoleon Conſtantinopolitano Patriarchatui ſubjectarum ab Imperatoribus Orientis, præſertim à Leone VI. cognomento Sopho circa annum 900. & ab Andronico Palæologo Seniore circa annum 1300. Utramque protulit Joannes *Leunclavius* in jure Græco Romano: poſteriorem dilucidavit Georgius *Codinus* vulgò Curopalates dictus, in libro de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *6. Metropoleon & Epiſcopatuum ſub Conſtantinopolitano Patriarcha diſpoſitio poſt an. 900.*

VII. Notitiam quinque Patriarchatuum & Sedium cuique ſubjectarum, duplicem ex Regia & Thuana Bibliothecis eruit, atque ad calcem operis ſui edidit jam laudatus *Carolus* Abrincenſis Epiſcopus; quarum prior ante annos fermè quingentos deſcripta, poſterior ſeculo uno aut altero junior videtur: & illa quidem, quantùm ad Patriarchatus Orientis, non ſanè multùm differt ab ea, quam Guilielmus Tyrius Archiepiſcopus circa annum 1180. hiſtoriæ ſacræ inſeruit. Ejus temporis notitiam Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani Aubertus *Miræus*, ex quatuor antiquis *Provincialis Romani* Codicibus, in lucem emiſit: quem valdè mendoſum Petrus *Rebuffus* ediderat ad calcem Praxis ſuæ Beneficialis. *7. Notitia Patriarchatuum poſt an. 1100.*

VIII. Hodiernum Epiſcopatuum & Religionis per Orbem ſtatum ſuggerent, qua licet, ſubjecta Latinæ appellatione vulgari: hinc ſæpè nominatus Aubertus *Miræus*, tum *in Politia & Geographia Eccleſiaſtica*, tum in poſteriore editione *Notitia Epiſcopatuum*: inde Philippus *Labbæus* ſæpiùs quoque citatus, in *Apparatu* ad novam Conciliorum editionem. *8. De hodiernis Epiſcopatibus.*

IX. *Abbatiarum* autem Orbis Chriſtiani *Catalogum* vetuſto Provinciali omnium Eccleſiarum Cathedralium ex Codice Cancellariæ Apoſtolicæ deſcripto, quod in Bibliotheca Clar. Viri Claudii Puteani Senatoris olim Pariſienſis erat, annexum fuiſſe invenio, eoque uſum in explicando jure Pontificio Jacobum Cujacium: ſed & ejus editionem à Carolo Labbæo in eadem Curia quondam Patrono ſuſceptam lego: quæ ſanè res illuſtrandis ſummorum Pontificum Epiſtolis non mediocre afferret adjumentum. Verùm, dum hic Catalogus alicunde prodeat, poſſet Notitia Cœnobiorum, Capitulorum, tam Cathedralium, quàm Collegialium, dignitatumque & officiorum quæ in his ſunt, ex hiſtoria Eccleſiaſtica, partim generali, partim ſpeciali Nationum, Provinciarum, Eccleſiarum, Ordinumque & Monaſteriorum, quæ ſeu Latino ſeu vulgari ſermone conſcripta habetur, longo labore ac ſtudio colligi. Hujus autores à nobis magna ex parte indicati ſunt. *9. De Abbatiarum aliorumque locorum Catalogis.*

CAPUT XVII.

De Chronologia Eccleſiaſtica.

1. Chronologicæ Artis hodierni Auctores præcipui.

I. INTRICATIOR hæc materia eſt, quàm ut in tranſcurſu dilucidari poſſit. Ea nobis ſtrictim delibare ſufficiet, quorum cognitio ad intelligendam ſacram, ante & poſt Chriſtum, hiſtoriam, neceſſaria videri poteſt: qui plura & accuratiora volet, legat Joſephi Juſti *Scaligeri* Iſagogicorum Chronologiæ Canonum Libros tres, ſive Opus *de Emendatione temporum*, cum ejuſdem in Chronologica Euſebii (qui hæc poſt Africanum, inter primos tractavit) animadverſionibus, adjecto Dionyſii Petavii *de doctrina temporum* Opere.

2. Chronologiæ Hiſtoricæ Methodi variæ.

II. Sed hæc ad *Artem* ipſam explicandam, ac certis ex Hiſtoria & Aſtronomia petitis argumentis firmandam pertinent: partem autem ejus diſciplinæ Hiſtoricam contexendi duo ſunt modi: unus per *Epitomen*, & univerſim, ubi res Regnorum, Rerumpublicarum, Eccleſiarum, per annorum ſeriem ſummatim recenſentur: alter, quo eædem per ſingulos annos expanſos, ac mutuam diverſorum Regnorum, Regum & Epocharum comparationem, indicantur. Atque hæc poſterior *Chronologiæ Hiſtoricæ* explicatio duplici ratione inſtitui poteſt; aut ita ut concurrentia in eumdem annum geſta uno contextu indicentur; aut ut *per Tabulas*, ſegmentis & quaſi columnis, variarum Gentium geſta continentibus diſtinctas, & per certa annorum ſpatia deductas.

3. Euſebii aliorumque Chronologica diverſi generis Opera.

III. Utramque viam *Euſebius* Cæſarienſis inierat duobus Libris, quorum prior *Chronographia* vocabatur, poſterior verò *Chronicus Canon* dicitur, in Latinam linguam verſus & continuatus à B. Hieronymo, quem ſecutus eſt Proſper Aquitanus, ac poſt hunc alii. Priori inſtiterunt, apud Græcos veteres, Autor *Chronici Alexandrini*, ſeu Faſtorum Siculorum, & Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: inter Latinos Venerabilis *Beda*. Noſtris verò temporibus Gilbertus *Genebrardus*, *Petavius* ipſe in priori Rationarii ſui parte, aliique; ex Heterodoxis verò Sethus *Calviſius*, Jacobus *Uſſerius* Armachanus. Poſteriorem methodum commodiſſimè omnium executus eſt Chriſtophorus *Helvicus* è Proteſtantium quoque numero, in *Theatro Hiſtorico & Chronologico*, omnibus mundi ætatibus, per æqualia in ſingulis paginis, averſis rectiſque ſibi reſpondentibus, quinquaginta annorum intervalla, denariis diviſa: iiſque ab Orbe condito ad noſtrum hoc ſeculum perductis. Quod opus ſæpiùs editum & continuatum eſt. Sed & hic & reliqui hujuſcemodi Operum Autores, Technica ſive quæ ad artem Chronologicam ſpectant, in fronte Chronologiæ ſuæ Hiſtoricæ pro ſe quiſque attigerunt; & cum Eccleſiaſticis prophana miſcuerunt.

4. Res apud varios in ſacris & prophanis geſtas ad ſua quæque tempora revocare difficile.

IV. Verùm, quoniam tempora alii aliter computarunt; & pro nationum ac populorum diverſitate, diverſa fuit tum annorum ratio, tum ſignandorum temporum nota; non ſanè facile eſt certam rerum ſacrarum, ſive Judaicarum, ſive Chriſtianarum, cum civilibus, vel prophanarum quoque inter ſe, quæ ſcilicet varias apud nationes contigerunt, comparationem inſtituere. Quin etiam in aſſignandis rerum apud unamquamque gentem geſtarum temporibus, populares inter ſe ipſi diſſentiunt. His inter

ter ſe conciliandis maximè conducunt *Epochæ* variæ, quibus inſignium eventuum tempora quaſi affixa, & rerum memoriam quodam modo ſuſtinent, & inter ſe collatæ diſtantiam patefaciunt eorum quæ ubique patrata memorantur. Has etiam *Æras* dixere, cujus nominis origo ex eo à pleriſque deducitur, quòd quaſdam apud gentes conſignatio annorum ad tempus imperantis Auguſti diu relata fuit; idque his literis notabatur, A. ER. A. hoc eſt *Annus Erat Auguſti*.

5. Epochæ præcipuæ veteris Teſtamenti.

V. Sacra veteris Teſtamenti Hiſtotia, præcipuis ſeptem Epochis ab Orbe condito ad Cbriſtum natum, diſtingui ſolet. Prima eſt *Diluvii*. Secnnda Vocationis *Abrahami* à Deo & promiſſionis Chriſti ex eo naſcituri. Tertia *Exitus* Iſraelitarum ex Ægypto per Moſem. Quarta *Templi* Primi inchoati à Salomone. Quinta Templi ejuſdem *deſtructi* à Nabuchodonoſore, & *Captivitatis Babylonicæ*. Sexta Templi Secundi à Zorobabele abſoluti. Septima eſt Seleucidarum ſive Macedonum poſt Alexandrum Magnum in Syria regnantium.

6. Earum certè dimetiendarum difficultas.

VI. In annis Æræ cujuſque dinumerandis, aliquid inter Chronographos diſcriminis eſt. Horum quidem omnium temporum intervalla è ſacris literis haurienda ſunt. Sed quamvis prima fronte opus hoc totum ſola numerorum, qui ſuis locis referuntur, computatione conſtare videatur: res tamen eſt admodùm perplexa, & multis difficultatibus involuta. Hinc, ubi ſpatia indicantur interjacentium inter præcipuas Epochas temporum, rotundus annorum numerus deſcribitur, ſine menſium ac dierum in extremis annis ſuperfluentium aut deficientium mentione; Contrà verò ubi ſigillatim narrantur ipſa rerum Capita quæ diverſas Epochas conſtituunt, denotantur plerumque & anni & menſes & menſium dies. Præterea cum nos anno Juliano utamur, qui à primo Januarii ad ultimum Decembris decurrit; Hebraicorum autem & Græcorum annorum alia ratio ſit; nec illorum menſes noſtris reſpondeant, & annorum ipſorum initia non coincidant: operæ non mediocris eſt hæc cuncta ad verum calculum revocare. Negotium imprimis faceſſit quòd ne ipſæ quidem Bibliorum Editiones eoſdem ubique numeros habent. In deſignandis certè Patriarcharum ad Abrahamum uſque natalibus (ex quibus tota priſcorum illorum temporum petenda eſt menſura) longè differunt Septuaginta Interpretes, quibus Græci & Latini veteres utuntur, ab Hebraico textu, & à Latina Editione vulgata; undè mirum non eſt, ſi in ſequentibus ad Chriſtum uſque temporibus deſignandis, ingens ſit inter nos & Græcos diſcrimen: quin nec ipſi inter ſe Græci, ut nec Judæi, nec Latini in omnibus conſentiunt.

7. De Periodo Iuliana.

VII. Nec multùm juvat Joſephi *Scaligeri* inventum, quo tribus Cyclis inter ſe conjunctis, Lunari ſcilicet ſive Aureo numero annorum 19. Solari (diei Solis ſive Dominicæ indice) annorum 28. & Romanæ Indictionis annorum 15. *Periodum* excogitavit, *Julianam* dictam, quòd ad methodum anni Juliani ejuſque Cyclorum accommodata ſit. Uſſerius tamen in Annalium veteris Teſtamenti Præfatione ad Lectorem, eam rem à Roberto Lotharingo Herefordenſi in Anglia ante quingentos annos Epiſcopo, primùm notatam conjicit, ſed à Joſepho Scaligero Chronologicis uſibus aptatam. Multiplicatis itaque in ſe Cyclorum illorum numeris, Periodum ſuam confecit annorum 7980. quorum quilibet certum annum demonſtrat propriis Cyclis ita ſignatum, ut nullus alius in

tota Periodo eoſdem trium Cyclorum numeros habeat. Exempli cauſa primus annus Periodi habet Cyclum Solis Primum Lunæ Primum Indictionem Primam. Hi verò tres Cycli in nullum alium totius Periodi annum concurrunt. Quamobrem, cum ab Orbe condito ad nos uſque, nulla Chriſtianorum aut Judæorum Chronologia ad eum annorum numerum pervenerit, patet ad certò cognoſcendam annorum inter ſe diſtantiam, nihil dici poſſe commodius. Si enim retrorſum ab hoc anno * ad initium Æræ Chriſtianæ, aut etiam ab anno vulgaris illius Æræ, horum Cyclorum ſeries in anteriora tempora, ſervata eadem ratione, (per ea quoque ſecula aſcendendo, quibus nondum cognitus erat eorum Cyclorum uſus,) uſque ad Caput Periodi progrediaris, deprehendes in primo ejus anno concurſum Cycli Lunaris 1. Cycli Solaris 1. & Indictionis 1. Si deinde ab hoc initio ad annum Orbis conditi, ad Diluvium, ad Chriſti Natalem, ad ætatem noſtram deſcendendo, annos numeraveris, facilè apparebit quantum annus v. g. milleſimus ſexcenteſimus Periodi Julianæ, diſtet ab anno ejuſdem milleſimo ac trecenteſimo. Verùm quia ut diximus, qui ex Hebraicis, Græcis, Latiniſve Codicibus annos ab Orbe condito numerant, in ea opinionum varietate verſantur, ut vix unus inveniatur, qui cum altero in omnibus conſentiat: hoc tantùm in Epochis indagandis ex hac Periodo adjumentum capi poteſt, ut videamus quantùm Chronologorum quiſque, in hac vel illa Epocha aſſignanda, ab alio diſcrepet. Unde dubium nihilominus remanebit cujus verior ſit computatio. Scaliger creationem Adami & Mundi exordium alligat anno 763. Periodi Julianæ, Petavius an. 730. Uſſerius ann. 710. Deme hos numeros ex cujuſque rationibus, habebis annos ab Orbe condito: ex quibus ſtatim apparebit quantùm inter ſe diſtent in collocandis rerum eventibus.

* 1686. qui Aureum numerum ſive Cyclum Lunæ habet 15. Cyclum Solis 15. Indictionem 9.

8. *Diverſarum Computationum cauſæ præcipuæ, Et neceſſitas Tabellæ, quæ eas inter ſe comparet.*

VIII. Relicta igitur hanc rem ex profeſſo tractantibus, accuratiore annorum diſquiſitione, ſufficere nobis videtur ſi numeros annorum quos ex Septuaginta Interpretum editione, non modò Græci, ſed & Latini veteres ſequuntur, cum numero annorum qnem ex Hebraicis voluminibus Judæi, & poſt Hieronymum Latini poſteriores amplexi ſunt, brevi ſchemate inter ſe collatos complectamur. Hoc verò ad Græcorum & veterum etiam Latinorum intelligenda ſcripta omninò neceſſarium eſt. Cum enim illi, non (ut nunc apud Nos ex Dionyſii Exigui inſtituto uſus invaluit) per vulgarem Chriſti Æram, ſed per annos Mundi, Tempora computent; ſine fructu ab iis leguntur qui hanc Chronologiam ignorant. Diverſitatis cauſa duplex præſertim eſt: altera quòd Septuaginta, *Gen. quinto* (ubi priſcorum Patriarcharum ab Adamo ad Noachum, tempora deſignantur) pro centum annis quos Hebraica littera habet, ducentos ferè ubique legerint: altera quòd cap. decimo ejuſdem Libri, à Septuaginta Interpretibus interjiciatur cæteris Patriarchis *Cainan* ſecundus, qui in Hebræo & Latino non legitur, memoratur tamen in Evangelio B. Lucæ. Ejus autem generationi 130. anni aſſignantur.

Sed & Judicum annos alii aliter numerant, præſertim quantùm ad ſeptem Iſraelitici Populi ſervitutes, quibus identidem oppreſſus ab alienigenis fuit. Harum enim annos Judæi aliique temporibus inſerunt Judicis, ſive Principis cujuſque, per quem liberatus fuit populus: plerique extra ea tempora computant. Petavius partim Principatibus adſcribit, partim ab illis

ab illis diſtinguit. Mitto ab aliis regimen Seniorum, qui poſt mortem Joſuæ Populum rexerunt, confundi cum tempore ipſius Joſuæ, ab aliis verò ſejungi ac ſeparari; & prætereà duodecimum Judicem Ailon, aliàs Eglon, cui vulgò decem anni tribuuntur, nominatum olim non fuiſſe apud Septuaginta Interpretes, Euſebio teſte. Ubi obſervandum eſt in his Judicum annis dinumerandis, non modò Euſebio ex Judæorum traditione; ſed & B. Auguſtino, Oroſio, Iſidoro, Bedæ minorem ſupputationem placuiſſe; Nicephoro cæteriſque Græcis majorem.

IX. Ad hæc dilucidanda, Laterculum ſubjicimus Epocharum à Mundo condito ad Chriſtum natum, ſecundum magis receptas apud Græcos & Priſcos Latinos ex Editione Septuaginta Interpretum, itemque ſecundum Judæos ex Hebraico textu & Rabbinorum computatione, & ſecundum Recentiores Latinos, aut certè Primarios Chronologiæ Annaliumve Eccleſiaſticorum hoc ſeculo Scriptores. *9. Quibus Autoribus in hac Epocharum Tabella uſi ſimus.*

X. In Computatione Judaica uſus præcipuè ſum Chronologia *Davidis Ganz* cui titulus *Tſemach David*, hoc eſt *Germen Davidis*: qui ab ortu Mundi ad annum Chriſti 1550. Chronologiam ſuam perduxit: & quamvis priorum Judæorum veſtigiis plerumque inhæreat, non tamen ineptis eorum Hypotheſibus, aut inordinatæ Computationi omninò inhæret. Celebrantur apud eos in hoc genere tum Autores alii, tum imprimis Opera duo: alterum *Seder Olam Rabba*, hoc eſt Ordo, ſeu Chronicon Mundi majus, quod Hiſtoriam texit ab exordio Mundi uſque ad Imperatoris Adriani tempus, quo falſum Meſſiam, Coſſibam dictum, profligavit: id eſt ad annum Mundi 3881. Chriſti 130. Alterum *Seder Olam Sutha*, ſive Chronicon Mundi minus, ab Orbe condito ad annum Creationis 4881. vel Chriſti 522. Prioris Autor creditur Rabbi Moſes Ben Chilpeta, qui Præceptor fuit R. Judæ Sancti, Autoris Libri Miſchnaioth: poſterioris incertus autor vixiſſe videtur circa annum Chriſti 1124. *10. In computatione Iudaica.*

XI. In dinumeratione Græca *Nicephorum* ferè ſecuti ſumus: in ſupputatione Latina, trium præcipuorum Chronologorum ſententias contulimus, *Tornelli* (à quo vix abeunt Sallianus, Spondanus, Brietus, Labbeus) *Petavii*, & *Uſſerii*, qui accuratiſſimè computationem temporum Sacræ Paginæ diſcuſſiſſe videntur. *11. In Græca & Latina Computatione.*

XII. Porrò autem non videtur hoc loco prætermittendum, non ſatis convenire in computando initio ac fine tum ſeptuaginta annorum Captivitatis Babylonicæ, quibus impletis reducendos in patriam Judæos, vaticinatus eſt Hieremias cap. 29. verſ. 10. tum ſeptuaginta hebdomadum annalium id eſt annorum lunarium 490. quos Danieli cap. nono verſu vigeſimo-quinto à promulgato Edicto de inſtaurandis Hieroſolymis, ad Chriſti mortem, numerandos Gabriel Angelus prænunciavit. Plerique horum initium referunt ad annum 20. Artaxerxis Longimani, cujus tamen regnum non ab omnibus eodem modo computatur. *12. De Septuaginta annis Hieremiæ & ſeptuaginta hebdomadis Annalibus Danielis.*

Prænot. Canonic. Doujat. TA-

TABULA EPOCHARUM VETERIS TESTAMENTI.

EPOCHÆ *Sacræ ante Chriſtum.*	*Secundum Græcos & Septuaginta.*	*Secundum Judæos.*	*Secundum Latinos recentiores.*		
			Torniellum.	*Petavium.*	*Uſſerium.*
DILUVIUM.	2242.	1656.	1656.	1656.	1656.
Vocatio ac fœdus ABRAHAMI, & promiſſio Chriſti ex ejus ſemine.	3409.	2018.	2113.	2023.	2084.
MIGRATIO Jacobi IN ÆGYPTUM.	3624.	2238.	2329.	2237.	2298.
EXITUS Iſraelitarum ex Ægypto per Moſem.	3839.	2448.	2544.	2453.	2513.
Jacta TEMPLI Primi fundamenta per Salomonem.	4473.	2928.	3023.	2973.	2993.
Deſtructio ejuſdem *Templi* à Nabuchodonoſore, & CAPTIVITAS BABYLONICA.	4914.	3238.	3447.	3400.	3416.
Ædificatio TEMPLI Secundi per Zorobabelem.	4984.	3408.	3537.	3470.	3485.
Regnum GRÆCORUM, ſive Macedonum, Seleucidarum in Syria, Ptolemæorum in Ægypto Regnantium.	5197.	3448.	3743.	3672.	3693.
CHRISTI Naſcentis Æra vulgaris.	5508.	3761.	4051.	3984.	4004.

Circa Chronologiam Sacram videri poſſunt Ludovici Capelli Tabulæ.

XIII. Porrò

XIII. Porrò Æra Seleucidarum ſive Græcorum qua plurimum uſi ſunt Judæi, ex quo ſub Regum Syro-Macedonum ditione eſſe cœperunt, plures ſortitur appellationes. Albategnius aliique Arabes vocant *Terik dhilkarnain*, id eſt Epocham Δικέρωτος, ſive *Cornigeri*. Is eſt Alexander Magnus, qui ſe Ammonis, ſive Jovis Cornuti filium exiſtimari volebat: ſive alia cauſa fuit inditorum Macedonicis nummis Cornuum. Verùm non ab Alexandri Regno, aut morte initium capit hæc Æra; ſed à duodecimo poſt ejus obitum anno, quo tempore ipſius Duces (atque imprimis Seleucus, qui in Syria, Babylonia & Perſide imperabat) ſumpto Diademate, Regum titulum uſurparunt. Hanc Æram Judæi מנין שטרות *Menin Schetroth* appellant, hoc eſt Æram *Contractuum*, quòd illam ad obſignandos contractus adhiberent. *13. De Annis Græcorum per quos notantur Machabæorum tempora.*

XIV. Quod ad Chriſti Epocham attinet, ad cujus normam anni apud Latinos hodiè numerantur, diximus eam à Dionyſio Exiguo inſtitutam tempore Juſtiniani Imperatoris. Procedit autem ab anno Auguſti 42. deſinente, quo Romæ Conſules erant Publius Cornelius Lentulus, & Lucius Calpurnius Piſo: atque in hoc æræ Chriſtianæ capite omnes conveniunt, quamvis de vero Natali Domini magna inter Chronologos controverſia ſit. Alii enim uno aut altero, alii etiam pluribus annis priùs natum eſſe Chriſtum Dominum arbitrantur. Hujus Æræ notatio non tantùm ad indicanda poſteriora ad nos uſque tempora uſui eſt, ſed etiam ad priora: ut ab Helvico, Petavio, & Uſſerio factum; qui per annos ante Chriſtum antiquiora geſta, æquè ac poſteriora, per annos à Chriſto deſignant. *14. De Æra Chriſtiana.*

XV. Aliæ prætereà ſunt ante & poſt Chriſtianam Epochæ celebres, ſtudioſis rerum Eccleſiaſticarum non ignorandæ, utpote à SS. Patribus, aliiſque veteribus Scriptoribus memoratæ, etiam ex Hiſtoria prophana, veluti Olympiadum, Romæ conditæ, Auguſti (quæ non unius generis eſt) Antiochena, Hiſpanica, Diocletiani, Indictionum, Hegiræ apud Arabes, apud Perſas Izdegerdis, & Aſtronomica Judæorum. *15. Noſcendæ & aliæ Epochæ.*

Olympiades Græcorum, reſtitutis ab Iphito ludis Olympicis, per annos quatuor evolvi cœperunt, quorum initium in Æſtivum Solſtitium incidebat: Primum autem hujuſmodi ludicrum confertur in annum ante Æram Chriſtianam 776. tempore Oſiæ Regis Juda.

Tempus *Romæ* à Romulo *Conditæ* refertur ex Verrio Flacco ad annum quartum deſinentis Olympiadis ſextæ, id eſt, 748. ante Æram Chriſtianam.

Initium AUGUSTI variè numeratur. Primò quidem ab ipſius poſt Cæſaris mortem primo *Conſulatu*, inito Menſe Octobri, quæ Epocha anno primo Juliano proxima, decurrit ab anno primo Olympiadis 184. Urbis conditæ 711. ante Chriſtum 44. quamquàm hanc Epocham anno uno quidam antevertunt.

Altera dinumeratio ſumitur ab *Actiaca Victoria* & Monarchia Auguſti, quæ adhuc quadrupliciter computatur: vel à Navali ad Actium pugna ipſo Cæſare Octaviano tertiùm & M. Valerio Meſſala Conſulibus, & anno Urbis 723. Vel à morte Antonii & Cleopatræ, quæ anno ſequenti contigit: vel ab anno quarto poſt pugnam eandem Actiacam, quo ex Munacii Planci ſententia Octaviano Cæſari ſeptimùm Conſuli, cum Imperio tributum eſt Auguſti nomen; unde *Auguſtorum* anni proce-

Ii 4 dunt,

dunt, ab anno ſcilicet Urbis conditæ 726. Olympiadis 188. anno ſecundo, ante Chriſtum 28. Denique adjicitur *Alexandrinorum* Æra anno quinto poſt Cleopatræ mortem & Ægyptum redactam ab Auguſto in Provinciæ formam, anno Ægyptiorum vago & mobili in annum fixum & ſtabilem mutato ad Juliani modum, niſi quòd ejus Neomenia in 29. Auguſti menſis diem competit.

Auguſti temporibus innexa eſt *Æra Hiſpanica*, quæ familiaris eſt Conciliis ejus gentis, atque ab eo, ut anteà notavimus, nomen ſumpſit. Ea repetitur ab anno 39. ante Chriſti vulgarem Epocham, ut ſolidis annis 38. noſtram Æram antecedat: unde ab hac ſupputatione detrahendi ſunt anni 38. ut habeantur anni Chriſti.

In notandis temporibus utuntur Evagrius aliique Græci Æra Antiochena, τ̃ χηματισμῦ Ἀντιοχέων ab Indictione Juliana, quam poſt annos 360. excepit Conſtantiniana. Ea repetitur à recepta ejus urbis libertate, biennio ſaltem anterior anno 1. Juliano: exordiumque habet ab anno Urbis 706. & vulgarem Chriſti Æram annis 48. antecedit.

Diocletiani Æra, vocatur etiam, propter atrocem ſub eo perſecutionem, Æra *Martyrum*, vel *Gratiæ*, Ambroſio, Epiphanio aliiſque cognita, in uſu adhuc eſſe dicitur apud Abiſſinos: incipit ab anno Chriſti 284. atque à 29. Auguſti decurrit.

Annorum per *Indictiones* computatio cœpit anno Chriſti 312. à die 24. Septembris. Ejus frequentiſſimus eſt uſus apud Græcos, Latinoſque Hiſtoricos: eaque utuntur adhuc Imperatores Germanici, utuntur & in Reſcriptis ſuis Romani Pontifices: ſed ita ut Indictiones ſuas inchoent à 25. Decembris, vel certè à proximis Kalendis Januarii, ut ad initium anni Juliani propiùs accedant. Cæſares Græci Indictiones ſuas inchoabant à 1. Septembris. Inſtituta eſt à Conſtantino. Cauſa nominis variè traditur. Probabilis admodum eſt Scaligeri ratio, qui obſervat Indictionem initio fuiſſe luſtrum penſionum, quæ quinquenniis vertentibus fiebant, & Imperatorum temporibus fieri cœperunt luſtro quadriennali Juliano à Biſſexto in Biſſextum. Poſtea Indictio dicta eſt Syſtema trium luſtrorum quinquennalium, qui ſunt anni quindecim; idque ſemper in orbem recurrens. Cæterùm cum dicimus *Indictione prima*, *ſecunda*, *tertia*; ita intelligendum eſt ut idem ſit ac anno primo, ſecundo, tertio currentis Indictionis: quomodo dicitur Cyclus primus, ſecundus, tertius, pro anno primo, ſecundo, tertio Cycli ſive Lunaris, ſive Solaris. Græci Indictionem lingua ſua vocant ἐπινέμησιν, quaſi dicas diſtributionem, ſeu largitionem; ab Editione ſcilicet ludorum & ſpectaculorum quinquennalium, decennalium &c. quorum cauſa ſolebant Imperatores, tributa ac reſidua debitorum, aut tollere aut relaxare.

Hegira nomen eſt Arabicum, quod exilium, ſeu religionis cauſa perſecutionem ſignificat: inditum enim eſt huic Epochæ hoc vocabulum à fuga Mahometis ex urbe Mecha, qua is ſibi conſuluit, ne à Magiſtratibus ejus urbis ob novam legem diſſeminatam regnumque affectatum comprehenderetur: à qua fuga collecto exercitu, urbem cepit, regnumque ſibi conſtituit. Videri poteſt Mahometes Imperii ſui exordium ſub hujus exilii ſeu fugæ nomine conſtituiſſe, imitatione Æræ Martyrum, ſive Martyrii, à Chriſtianis Diocletiani tempore inſtitutæ. Incidit autem fugæ illius tempus in an. Chriſti 622. die 16. Julii, feria 6. Eam Epocham ſequuntur

tur Saraceni, Turcæ, aliique Mahometani: Conſtat annis lunaribus; quemadmodum & Æra *Izdegerdis* ab illuſtri ejus nominis Rege Perſarum ſic dicta, nec niſi decennio poſterior Mahometica.

Periodus *Judaica* à *Rabbi Hillel Hannaſi* artificioſè ad methodum Lunæ conſtructa circa annum Chriſti 344. à Judæis uſurpatur pro Epocha Mundi conditi, cum reverà multis annis poſterior, nec Hiſtorica ſit, ſed Aſtronomica, per annos Jubilæos & Sabbaticos, Neomenias, & feſta Judaica inveſtigans. Septimus quiſque annus Sabbaticus eſt, iniens ab Autumno: ſeptimus eſt Jubilæus ex Scaligeri ſententia.

CAPUT XVIII.

Abbreviationes utriuſque Juris, & allegandi Juris Canonici ratio.

I. NON tantùm his generalibus cognitionibus quæ hactenus à nobis traditæ ſunt, inſtructum eſſe oportet Juris noſtri ſtudioſum; ſed & aliis quibuſdam quæ propriæ ſunt ipſius Juris Pontificii; ut enim initio libri 3. de finibus Cicero inductione probat, habent ſingulæ ſcientiæ, ſingulæque artes vocabula quædam Technica, & loquendi ſcribendique formas, à communi uſu alienas, artificibus tantùm & peritis cognitas; quibus ea quæ ſunt artis ac diſciplinæ inter ſe exprimunt: habent & Axiomata quædam univerſalia, ex quibus rationes ſuas, velut ex certiſſimis principiis, deducunt. Hæc quandiu quis ignoraverit, haud ſanè magnos faciet in arte ulla progreſſus.

1. Singulis Diſciplinis ſuæ loquendi ac ſcribendi formæ.

II. Quemadmodum itaque propriis notis ac vocibus Aſtronomi Sidera ſignaque Cœleſtia, eorumque motus & aſpectus; Arithmetici numerorum vim, Medici remedia, & remediorum mixturam ac pondera, Dialectici ratiocinandi modos, Opifices denique omnes operum ſuorum inſtrumenta, formaſque varias deſignant: ita Juris-conſulti peculiaribus utuntur ſignis atque vocabulis ad ea ſignificanda, quæ tanquam ſcientiæ quam profitentur inſtrumenta, identidem neceſſariò memoranda recurrunt.

2. Jus Canonicum proprias habet voces & Notas.

III. Primum inter hæc locum obtinent *Abbreviationes* ſive Compendiariæ ſcripturæ. Extantque *Magnonis* ABBREVIATURÆ Juris, Pariſiis anno 1586. editæ: undè habentur præfixæ Codici Juſtinianæo, Commentariis Dionyſii Gotofredi illuſtrato, literarum *Notæ*, quæ per 12. libros Codicis, vel in Conſtitutionum inſcriptionibus, vel in temporum denotationibus viſuntur, cum ratione eas legendi. Scripſit & Jaſon Maynus, aliique paulò recentiores de modo legendi Abbreviaturas, quarum pleræque communes ſunt utrique Juri, quia & Leges Canonibus, & Canones Legibus firmandis adhiberi ſolent.

3. Præcipua Abbreviationes Utriuſque Juris.

Hæ autem vulgares Abbreviationes Juridicæ non unius ſunt generis: Aliæ per *Sigla*, hoc eſt per ſingulas literas fiunt quæ primæ ſunt vocum uſu maximè tritarum; veluti cum ſcribitur S. P. Q. R. pro *Senatus Populuſque Romanus*, vel A. R. pro *Appellatione Remota*. Secundò per Notas loco literarum, veluti §. pro *paragrapho*. 3. per literas adjuncta

certa

certa nota diſtinctas, ut q̃ pro *quæ*. Quartò per compendia literarum, quibus ut plurimùm omittuntur vocales, ut qm̃ pro *quoniam*. De Signis & Notis, à quibus Notarii dicti, videndus Cujacius 12. obſervat. cap. ult. Harum Abbreviationum, etſi præcipuas alibi collegimus non inutile fuerit paulò accuratiorem Catalogum hìc attexere.

NOTARUM UTRIUSQUE JURIS, ſive Abbreviationum uſu frequentiorum Explicatio.

IN GRATIAM TIRONUM.

Alleg.	*Allegat, allegatione.*
ap. Bonif.	*apud Bonifacium. Vide in 6.*
ap. Greg.	*apud Gregorium. Vide* ë.
ap. Juſtin.	*apud Juſtinianum. Vide Inſt.*
a. r.	*appellatione remota.*
arg. ar.	*argumento.*
Auth.	*Authentica: id eſt, Summa novellæ alicujus, Codici inſerta.*
C. cau.	*cauſa, ſive in 2. parte Decreti Gratiani.*
c. can.	*canone, id eſt capitula decreti ejuſdem, aut alicujus Concilii.*
cap.	*Capite, Capitulo, Decretalium Tituli, Novellæ alicujus, aut libri alterius extra Jus utrumque.*
Clem.	*Clementina, id eſt, Decretali Clementis V. ſeu Capitulo Tituli in Clementinis.*
Cod.	*Codice Juſtinianæo.*
C. Th.	*Codice Theodoſiana.*
col.	*columna, id eſt, in paginæ duabus columnis diſtincta parte dextra aut ſiniſtra, cujus ſcilicet numerus indicatur.*
Coll.	*Collatione, hoc eſt, in ea parte Novellarum Juſtiniani cujus adjicitur Numerus. Diviſæ enim ſunt hæ Novellæ in IX. Sectiones, & quaſi Libros, qui Collationes vocantur.*
D.	*Digeſtis. Vide* ff.
d. diſt.	*Diſtinctione, in prima præſertim Decreti parte, & Libris Sententiarum Petri Lombardi.*
d.	*dicta, dicto, &c.*
d. f. n.	*dilectus filius noſter, vel dilecto, &c.*
de conſ. / de conſecr.	*De conſecratione, quæ eſt Tertia Pars Decreti.*
de pœn. / de pœnit.	*De Pœnitentia, in eo ſcilicet Tractatu Decreti, can. 33. quæſt. 3.*
dñs. dñicalis.	*dominus, dominicalis.*
e. c.	*eodem cap.*
ë ê. ex.	*extrà, id eſt, in Decretalibus Gregorii IX.*
ê.	*eſt.*

e. vel

e. *vel* eod.	*Eodem titulo*, vel *libro*.
ep̃s. ep̃m.	*Epiſcopus. Epiſcopum.*
ead. C. & qu.	*Eadem cauſa & quæſtione.*
et.	*etiam.*
Extr. Comm.	*Extravaganti Communi.*
Extr. Jo. 22.	*Extravagante Joannis vigeſimi ſecundi.*
f. fi.	*finali, finalis, fine.*
ff.	*Pandectis, ſeu Digeſtis Juſtiniani.*
f. t.	*Fraternitas tua, Fraternitati tuæ &c.*
Gl. Glo.	*Gloſſa, ſeu receptæ in Jus utrumque notæ.*
h.	*hic.*
h. t.	*hoc titulo.*
hm̃di.	*hujuſmodi.*
ĩ. j.	*infrà.*
j. Gl.	*juncta Gloſſa.*
in ant.	*in antiquis.*
in auth. coll. 1. &c.	*in authentico, Collatione 1. ſive in Novellis Juſtiniani, Sectione 1.*
in Extr. comm. *vel* in com.	*in Extravagantibus Communibus, in communib.*
in fine.	*in fine.*
in p. dec.	*in parte deciſa.*
in pr. in f. pr.	*in principio legis, aut tituli; in fine principii.*
Inſt.	*Inſtitutionibus Juſtiniani.*
in Sum.	*in Summa.*
in 6. in vj.	*in Sexto, in libro Decletalium à Bonifacio VIII. collectarum poſt quinque Libros Gregorii IX.*
l.	*lege.*
ll.	*leges, legib.*
li. lib.	*libro.*
li. 6. lib. vj.	*libro Sexto, ſive inter Decretales Bonifacii VIII. cura editas.*
.n.	*enim.*
no.	*nota, notat.*
Nov.	*Novella.*
p̃. p̃ter.	*præ. præter.*
ꝑ. ꝑtinet.	*per. pertinet.*
ꝓ. ꝓximus.	*pro. proximus.*
p̃t. pot.	*poteſt.*
pri. pr.	*principium, ſive initium tituli, vel legis, ante* §. 1.
ꝗ.	*qui.*
q̃. q̃ris.	*quæ. quæris.*
q̃. q́.	*quam. quamquam.*
q̃d. ꝙ.	*quod.*
qm̃.	*quoniam.*
qñ.	*quando.*
qñq;	*quandoque.*
qdm̃.	*quemadmodum.*

q. quæſt.

q. quæſt.	*quæſtiones, id eſt, Sectiones Cauſæ in Decreto.*
ſ. ſ̃.	*ſuprà.*
ſ. ſc. ſcil.	*ſcilicet.*
ſe. Ap. le.	*Sedis Apoſtolicæ legatus.*
ſeq.	*ſequenti.*
ſeqq.	*ſequentibus. ſequentia.*
ſm̃. ſdm̃.	*ſecundum.*
ſnĩa.	*ſententia.*
ſũ.	*ſumma, id eſt, principium Diſtinctionis, aut quæſtionis; vel epitome Legis, aut Capituli.*
ſuꝑ.	*ſuper.*
t. tit.	*titulus, titulo.*
teſtm̃.	*teſtamentum.*
tm̃.	*tantum.*
tp̃s. tp̃a.	*tempus. tempora.*
℣.	*verſiculo, id eſt, membro paragraphi, aut Canonis.*
v. g.	*verbi gratia.*
ult.	*ultimo, ultima, &c.*
§.	*paragrapho.*
ꝯ.	*con. contrà.*

4. Harum Notitia prorſus neceſſaria.

IV. Harum aliarumque hujuſmodi formarum notitia prorſus neceſſaria eſt ad legendos, non modò Commentarios qui Gothico charactere impreſſi ſunt; ſed etiam pleroſque eorum qui ſuperiori ſeculo Romanis aut Italicis litteris ſunt editi. Ubi obſervandum eſt Notarum illarum quaſdam non ſolùm per ſe ac ſeorſim, ſed & conjunctim cum aliis vocabulis, aut ſyllabis ſcribi, ut q̃vis, q̃ſtio, ꝑtinet, ꝓximus, ſic ꝯctibus pro *contractibus*.

5. De Abbreviatis Interpretum nominibus.

V. Laudantur & Interpretes, decurtatis compendii cauſa nominibus per primam ferè cujuſque ſyllabam. Scribitur enim *Ber.* pro *Bernardo*, *Vinc.* pro *Vincentio*, *Tanc.* pro *Tancredo*, *Goſ.* pro *Gofredo*, Ho. vel *Hoſt.* pro *Hoſtienſi*, *Arch.* pro *Archidiacono*, *Jo. An.* pro *Joanne Andreæ*, *Dy.* pro *Dyno*, &c. itemque *Abbas* vel *Panormitanus* pro Nicolao de Tudeſchis, qui & Siculus; *Archid.* pro Guidone de Baiſio ſeu Baiſio; *Henricus* pro Henrico Boich; *Cardinalis Antiquus* pro Joanne Monacho; *Cardinalis* abſolutè pro Zabarella; *Hoſtienſis* pro Henrico Seguſio; *Speculator* pro Guilielmo Durante &c. Sed hæc brevi cognita habebit quiſquis de Seculi cujuſque Doctoribus à me ſuperioribus Titulis ſcripta percurrerit.

6. De Abbreviationibus Titulorum qui citantur.

VI. Quod attinet ad Titulorum Juris Abbreviationes, non alia eſſe videtur earum intelligendarum ratio, quàm ſi omnes Utriuſque Juris Rubricæ perdiſcantur: quod & ad Librorum ſeriem, totamque Juris artem cognoſcendam omninò neceſſarium eſt. Nec factu difficile erit, ſi legendo ſcribendove paulatim ſuo quæque ordinæ memoriæ mandentur, velut certo earum numero & quaſi penſo in dies ſingulos indicto.

7. De modis allegandi Loca Iuris Canonici.

VII. De *Allegationibus*, ſive de ratione citandi Juris Canonici Loca, jam diximus lib. quarto de Citationibus, nempe *Decreti* cap. 10. pag. 388. de Citationibus *Decretalium* cap. 20. pag. 417. *Sexti* allegandi modus habe-

habetur cap. 21. pag. 418. *Clementinarum* cap. 22. pag. 419. *Extravagantium* Joannis 22. & Communium, cap. 23. pag. 420.

CAPUT XIX.

Explicantur quædam Voces Technicæ, & Formulæ maximè uſitatæ.

1. Neceſſaria vocum Technicarum cognitio.

I. INTER diſcendæ Canonum diſciplinæ adminicula, non poſtremum obtinent locum *Voces* Technicæ & loquendi Formæ Doctoribus adeò uſitatæ, ut niſi quis eas ad manum habuerit, nullum ex illorum lectione fructum percipere poſſit. Harum magnam quidem partem ex abbreviatis allegationibus ſuperiori Capite expoſitis intelligere licet. Superſunt tamen nonnullæ circa Librorum, Titulorum & Decretalium citationem, earumque Partes & ſolennes Formulas, quæ aliqua indigent explicatione.

2. Quid ſit Extrà *& in Antiquis.*

II. Quantùm ad ipſa volumina, quid ſint *Extravagantes*, & quid ſit *Extrà* adjici ſolitum locis quæ ex Decretalibus Gregorii IX. citantur, ut hoc ipſum ſignificetur in *Decretalibus* contineri, explicatum habes libri quarti capit. 23. num. primo & ſecundo pag. 420. ubi utriuſque denominationis ratio affertur. Idem ſignificat illa citandi formula in *Antiquis*, quia Decretales Gregorii IX. antiquiores ſunt Sexto & aliis.

2. De Paragraphis.

III. Decretalium Partes variè ſpectantur. Diſtingui enim poſſunt, vel in Principium & Paragraphos (ubi longiores ſunt) vel in Textum Gregorianum & Partes Deciſas. *Paragraphi* autem nomen, utroque Jure receptum, duplicem habet acceptionem: ſumitur enim Paragraphus tam pro Periodo legis alicujus vel Capituli, aut etiam Diſtinctionis & Queſtionis in Decreto, (ubi maximè de verbis Gratiani, extra Canones intelligitur,) quàm pro linea in longum protenſa, & nunc pro vulgari hac Nota §. qua deſignantur & diſtinguuntur hujuſmodi membra, ſive Sectiones Legum & Canonum. Origo vocabuli eſt à verbo Græco παραγράφω, quod, cum ſcribendi ſignificationem habet, idem eſt ac *Annoto* in margine.

4. De Partibus Deciſis.

IV. *Partes* autem *Deciſæ*, quæ in Textu Decretalium indicantur per hæc duo vocabula *& infrà*, nihil aliud ſunt quàm fragmenta longiorum Decretalium, quæ vitandæ prolixitatis cauſa Raymundus Pennafortius omittenda cenſuit, & pro poteſtate ſibi à Gregorio IX. facta, reſecuit. Ponuntur itaque voces hæ duæ *& infrà*, loco illorum fragmentorum ſive partium deciſarum, ut indicetur aliquid ibi deeſſe eorum, quæ in Authentico Epiſtolarum Decretalium ſcripta erant; nec cohærere ſequentia cum prioribus: ſed inter relata priori loco in Gregorii IX. Collectione, & ea quæ poſtea referuntur, interjectum quidpiam fuiſſe, quod prætermiſſum fuit à Compilatore, quaſi non tam ad quæſtionis deciſionem pertinens, quàm ad narrationem facti, quod deciſioni cauſam præbuit.

5. Vocis infrà *varius uſus.*

V. Sed dictionis *Infrà*, triplex eſt in Jure Canonico uſus. Primus com-

communis, cum quis aliquid præſenti ſuo ſermoni aut tractationi paulò poſt adjiciendum ſignificat, quò id de quo agitur, aut clariùs, pleniuſvè explicetur, aut validiùs confirmetur: ut, *quemadmodum infrà dicetur*: aut, *quod ex infrà dicendis patebit*. Secundùs utrique Juri cognitus, cum in Tituli, Decretalis, aut Legis alicujus interpretatione, locum alium adducimus ex poſteriori ejuſdem voluminis parte: ut ſi explicandæ legi *alienationes* decimætertiæ *D. familiæ Erciſcundæ*, qui Titulus habetur libro decimo Digeſtorum, utar ratione petita ex Libri XXIII. Titulo, *de fundo dotali*, & dicam arg. l. primæ INFRA, *de fund. dot.* aut ſi ad explicandam legem primam *Cod. ad leg. Jul. Majeſt.* qui octavus eſt Titulus Libri IX. Lectorem remittam ad legem ult. *Codic. ad legem Jul. Repetundarum* tit. 27. ejuſdem libri: ſic enim ſcribam *Vide legem ult.* INFRA *repetundarum*. Eodem modo ſi Decretalis aliqua tractetur, illuſtranda ex alia Decretali in ejuſdem libri poſteriori parte, aliove ſequentium librorum poſita, idem obtinebit: veluti ſi in exponendo capit. 38. aut 39. tit. *de Elect.* lib. primo Decretal. uti velimus autoritate capituli decimiſeptimi, aut 22. ex tit. *de regularibus*, lib. tertio Decretal. laudabitur *Capit. 17. vel Capit. ex parte* 22. INFRA *de regularibus*. Nec diſparem utroque Jure uſum præſtat adverbium SUPRA in deſignandis priorum Titulorum locis: veluti, ſi ad dilucidandum quid in libri 5. Decretal. tit. *de Sententia Excommunicationis*, afferam locum ex libri 1. tit. *de Conſuetudine*, ſic; *cap. cum inter*, quinto SUPRA *de Conſuetudine*. Utriuſque hujus adverbii adjectio eò pertinere videtur, ut paulò faciliùs Rubricæ laudatæ inveniantur ab iis qui nondum eorum ſeriem memoria complexi ſunt. Tertius ejuſdem vocis *infrà* uſus ille eſt quem diximus, ut cum particula conjunctiva *&*, ſignificet & quaſi ſuppleat locum fragmentorum, quæ in Decretali hac vel illa deſiderantur.

6. *Quando additæ Decretalium Editioni Partes Deciſæ.* VI. Repleri tamen plerumque poſſunt hæ lacunæ ex antiquis Decretalium Collectionibus, quas libri IV. capite decimoſexto memoravimus à pagina 402. Earum verò quatuor priores ab Antonio *Auguſtino*, quinta ab Innocentio *Cironio*, additis Notis editæ ſunt, ut ibidem à nobis dictum eſt. Et verò ſuis quæque Decretalibus adjectæ ſunt in Editione Antuerpienſi, quæ an. 1570. cum Antonii *Contii* Notis exiit; quamquam idem Antonius Auguſtinus Auctorem ejus rei facere videatur Franciſcum Pegnam Correctoribus Gratiani adjectum; cum ſub finem Libri I. de Emendatione Gratiani, ultimum illum inter Emendatores numerat his verbis: *Franciſcus* PEGNA, *Hiſpanus; cujus ſunt additiones Decretalium ſine nomine, quia Templum Dianæ incendiſſe viſus eſt*. Nec tamen in Editione Romana anni 1582. Correctorum curis ſubſecuta, additæ ſunt hæ, ut ita dicam, laciniæ; cum Pantinianæ illi Antuerpienſi antè 12. annos inſertæ fuiſſent, ſub hac ad Lectorem Monitoria Nota: *En prodeunt, Candide Lector, Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolæ, quæ vel à Gratiano prætermiſſæ, vel poſt ejus rapſodiam editæ ſunt à quodam Fratre Dominicano Raymundo de Penna, non ſine nimia amputatione compilatæ; nunc autem integræ, quoad fieri potuit, redditæ: ita tamen ut (ne quis veteris Raymundi editionis ordinem immutatum cavillaretur) quæ ſupplenda erant, locis interea mutilis aliquo ſigno indicatis, ad finem cujuſque capitis, in quo quid deſiderabatur,*

tur, rejiciantur: deletis prætcrea ex margine ineptis quorumdam notis, & quibuſdam utilibus & neceſſariis additis per Anton. CONTIUM *in Metropoli Biturgum profeſſorem*. Sanè cum ex facto jus oriatur, facilior ex his fragmentis ad veras deciſionum rationes indagandas aditus datur, atque utilia ex his depromuntur argumenta: laudantur autem ea hoc modo, *Cap. veritatis* decimoquarto *in parte deciſa, de jurejurando*, &c.

VII. Cum Canon aut Decretalis citatur additis duabus his vocibus, *juncta Gloſſa*, ſenſus eſt non ex ſolis verbis textus laudati omninò conſtare id de quo agitur, ſed ex textu inferri & erui à Gloſſatore in Nota textui Canonis appoſita.

7. Quid ſit juncta Gloſſa.

VIII. Lex *Canonizata* dicitur, quæ Corpori Canonum illata eſt: & ſiquidem Decretalibus inſerta fuerit à Pontifice aliquo, aut per eum approbata, vim Canonis nanciſcitur, valetque in foro Eccleſiaſtico, veluti Lex 1. *in princ. Dig. de Operis novi nunciat.* à Lucio III. comprobata, ut paulò antè dictum eſt. At ſi à Gratiano deſcripta ſit in Corpore Decretorum, ut multæ Conſtitutiones ex Codice & Novellis deſumptæ, novum ex eo robur non acquirunt, cum Gratianus Monachus, privatus tantùm Doctor fuerit: valent tamen etiam in foro Eccleſiaſtico eæ, quarum jure uſi Pontifices inveniuntur. Nam, ut ait Juſtinianus in conſtit. de conceptione Digeſtorum ad Tribonianum §. 6. *Noſtra facimus omnia quibus autoritatem impertimur*. Videndus hac de re Franciſcus Florens in Præfatione de Methodo & Autoritate Collectionis Gratiani &c. pag. 52. Editionis noſtræ.

8. Quid Lex Canonizata.

IX. Vulgaris eſt formula Pontificum Epiſcopos alloquentium, ut eos *Fratrum* ſeu venerabilium Fratrum nomine compellent, ſcribantque, exempli cauſa, *Fraternitati tuæ taliter reſpondemus*; Presbyteros autem, etiam Cardinales, itemque Principes & reliquos fideles, *Filios* ſeu *Dilectos* vel *Chariſſimos Filios* appellent. Unde falſi convincuntur Literæ Pontificiæ, in quibus Epiſcopus vocatur filius, aut alius ab Epiſcopo frater ſalutatur, *capitulo quàm gravi ſexto extrà de crimine falſi*.

9. In Reſcriptis, Epiſcopi, Fratres; reliqui, Filii appellantur.

X. Formulæ ſive clauſulæ *Appellatione Remota*, quæ Literis Delegatoriis à Summo Pontifice adjici ſolet, effectus eſt ut cauſæ cognitio ac deciſio delegatis committatur cum pleniori poteſtate: ea tamen non eò pertinet, ut nullo caſu ab eorum ſententia liceat appellare: nec tamen in id tantùm valet ut per illam frivolæ dumtaxat appellationes rejiciantur; ſed ut iis tantùm caſibus appellatione uti liceat, quibus id nominatim conceditur, *capitulo paſtoralis* 53. *de Appellationibus*.

10. De Clauſula Appellatione remota.

XI. Hæc breviter delibata ſint, ut guſtus aliquis hujuſmodi formularum habeatur. Ea quippe accuratè perſequi non eſt hujus inſtituti. Adde ſupra dictis Titulos *de Verborum ſignificatione*, tum apud Gregorium, tum in VI. Clementinis & Extravagantibus Joannis XXII.

CA-

CAPUT XX.

Indicantur aliquot Axiomata, eorumque Collectanea.

1. Regulæ Iuris Canonici.

I. AXIOMATA ſive Principia Juris Canonici generalia, magna ex parte eruere licet ex Titulis de *Regulis Juris*, qui ultimi ſunt Decretalium & Sexti.

2. Cur Axiomata Iuris dicuntur Brocardica.

II. Hujuſmodi Axiomata *Brocardica* vulgò dicuntur, detorto vocabulo ex nomine Burchardi Vormatienſis Epiſcopi, è cujus Decreto excerpta initio fuiſſe videntur.

3. Brocardicorum & Principiorum Iuris Collectores aliqui.

III. Extant in hanc rem *Damaſi* Veteris Juris Canonici Doctoris *Brocardica*, ſeu Regulæ Canonicæ, numero 135. in utramque partem breviter diſcuſſæ & concluſæ, exemplo Brochardicorum ab Azone collectorum: quæ utraque Baſileæ anno 1564. edita inveniuntur. His adjici poſſunt *Principia* & loci communes ſeu Regulæ, tam Deciſionum quàm argumentorum utriuſque Juris, ordine Alphabetico digeſtæ per Doctorem Simonem Vaz *Barboſam* Luſitanum anno 1621. Imprimis verò Cardinalis *Tuſchi* ingens Opus *Concluſionum Practicarum*, ubi Juris Regulæ ſive Axiomata, & Regularum exceptiones ac limitationes, ſervato quoque Alphabeti ordine, fusè tractantur.

4. Regulæ quædam generales.

IV. Pauca quædam horum generalium Axiomatum annotaſſe hoc loco ſufficiet.

1. Quemadmodum olim Prætores in Edictis ſuis, ita & Pontifices in Canonibus & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, naturali æquitati ac benignitati potiùs inhærent, quàm ſtricti Juris rigori aut ſubtilitati.

2. In iis quæ merè humani juris ſunt, quod Canonibus deeſt, id ex legibus ſupplendum eſt, & vice verſa: etenim quemadmodum leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum Statuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur, *Cap. primo extrà, de Novi Operis Nunciatione.*

3. In iis tamen quæ ad æternam ſalutem pertinent, Decreta Canonica Civilibus Conſtitutionibus ac Deciſionibus potiora ſunt: divinis quippe præferenda non ſunt humana; ſed contrà. Unde nec ſervanda conſuetudo divinæ veritati contraria, *Can. quinto & ſeqq. diſt. octava.*

4. Non ergo quidquid legibus licet, Canonibus probatur: ſed per eos rejicitur quidquid divinæ legi videtur adverſari. Ex his principiis manant præcipua inter jus utrumque diſcrimina, de quibus dicetur proximo titulo.

5. Quamvis in rebus credendis eadem omnibus fidelibus poſita ſit Fidei & Morum Regula, à qua diſcedere nemini licet, *Can. octavo ac duob. ſeqq. diſt.* XI. In iis nihilominùs quæ ſunt diſciplinæ & ſpecialis Conſuetudinis, liberæ ſunt Eccleſiarum obſervationes, nec ſaluti diverſa obſervantium, aut eorum adverſus alios charitati atque unioni officiunt, *Can. tertio & ſeq. diſt.* XII.

6. Con-

Digitized by Google

6. Contra ſtatuta Patrum, quæ ſcilicet in Generalibus Conciliis Univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, condere aliquid vel mutare ne Romanæ quidem Sedis autoritas poteſt, *Can. prima & ſeptima* xv. *quæſt.* 1. quod in rebus quidem fidei perpetuum eſt: in aliis interpretationem & exceptionem recipit ex legitimis ac neceſſariis cauſis.

7. Principum Catholicorum officium in eo vel maximè verſatur, ut Eccleſiæ fidem & Canonicam Diſciplinam tueantur, atque promoveant, *Can. Principes* 20. xxiii. *quæſt.* quinta; idque profitetur Juſtinianus in præfatione *Novellæ* ſextæ. Idem *Novellæ* 131. *Cap.* 1. Canonibus Conciliorum vim legum attribuit. Et verò res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat Autoritas, ut loquitur Leo Papa, *Can.* 21. *ead. cauſa & quæſt.* ideoque duarum poteſtatum fines Chriſtus ita diſtinxit, ut Reges Pontificibus pro æternis, & Pontifices Regibus pro temporalibus rebus indigerent, *Can. quoniam octavo diſt.* 10.

8. Conſtitutiones futuris dant formam negotiis, non ad præterita trahuntur, niſi aliter nominatim caveatur, *l. ſeptima Cod. de Legib. Capit. ſecundo & ult. de Conſtit.*

9. Inter plures ejuſdem generis Conſtitutiones, prioribus per poſteriores derogatur, *l. ult. ff. de Conſtit. Principum.*

10. In definiendis negotiis non ſolùm neceſſaria eſt ſcientia, ſed etiam poteſtas, *in Princ. diſt.* 29.

CAPUT XXI.

De Methodo Diſcendi Docendique Juris Canonici.

I. NON è quovis ligno fieri Mercurium, nec cujuſvis eſſe Corinthum appellere, veteribus Græcorum fertur adagiis. Hæc cum ad uniuſcujuſque diſciplinæ ſtudioſos accommodari poſſint, quatum nulla eſt quæ non propriam quandam ad perdiſcenda exercendaque artis præcepta indolem deſideret: in Canonum præſertim ac legum ſcientia valere fatendum eſt. Fruſtra itaque tam neceſſariam Eccleſiæ Regnoque diſciplinam appetierit infeliciter natus, ac genio deſtitutus: fruſtra præſtanti naturæ confidat ignavus atque alienus à ſtudio, ſine cujus, ut ita dicam, aculeis torpet natura; nec quantumcumque præclara, exurgit nunquam ad grandia.

1. Ars nulla ſine apto ingenio ac ſine induſtria acquiri poteſt.

II. Illud primùm pro certo eſt habendum, quod in Grammatica & Rhetorica probavit Quintilianus *lib.* 1. *inſt. Orator. cap.* 2. has diſciplinas in ſchola, quàm domi meliùs tradi ac percipi; id in Juriſprudentiæ ſtudio maximè obtinere. Quod agnoſcet quiſquis meminerit & eam in publico Fori lumine eſſe exercendam, & nullam eſſe artem, quæ voce Magiſtra magis indigeat, aut cujus dogmata, exceptionibus & replicationibus involuta, accuratiorem repetitionem, exercitationeſque alias deſiderent. Hujuſmodi autem exercitamenta, ut mutuo plurium conflictu peraguntur, in umbra domeſtica frigidiora, longè aliter in ſcholarum luce per æmu-

2. Utiliùs in Scholis quàm domi addiſci juriſprudentiam.

lationem incaleſcunt. His innutriti, quotidiano uſu & familiari labore id facilè conſequuntur, ut ſive ad adipiſcendos per examina publica gradus Academicos, ſive ad cauſas etiam in foro, ubi opus fuerit, orandas longè paratiores accedant: nec laborent in exprimendis quæ didicerint; aut, ut intra privatos penates inſtitutis contingere quotidie videmus, pro recto fluidoque ſermone, balbutiem reddant.

3. Diluuntur argumenta quæ contra Scholaſticum ſtudium jactari ſolent.

III. Scio antiquam eſſe parentum querelam, in ſcholarum frequentia corrumpi ſæpenumerò adoleſcentium mores; nec poſſe Doctorem unum, quantumcumque idoneum, tot auditoribus perdocendis vacare: addunt etiam ſi maximè poſſet, non tamen eo ſilentio audiri, ut cunctis liceat ſperatum ex ejus ſermonibus fructum capere. Priora illa non ſeculi noſtri, ſed omnium temporum incommoda, & vidit, & petita ex illis argumenta ſolidioribus jamdiu rationibus refellit eximius ille eloquentiæ Magiſter, loco paulò ante laudato. Oſtendit non minùs domi à pediſſequorum, aliorumve familiarium malis plerumque moribus, periculum corruptelæ Adoleſcentibus imminere. Quin & ab ipſis parentibus non rarò teneram ad prava impelli naturam, dum exemplis, blanditiiſve ſuis vitia, vel ſua inſtillant, vel aliunde ingeſta fovere non erubeſcunt: quæ per domeſticam indulgentiam depravati juvenes in ſcholas afferunt potiùs, quàm è ſcholis accipiunt. Suggerit & Patrum locupletiorum juſto metui remedium, ſi probum & fidelem lateri filiorum ſuorum teſtem & quaſi arbitrum adjunxerint; cujus aſſiduus comitatus, ut eleganter ait idem Quintilianus, etiam illos meliores faciat qui timebantur. Publico autem profeſſori addi nihil prohibet domeſticum ſtudiorum adjutorem, qui hinc moribus invigilet, inde Doctorum dictata exponat iterum, ac totius penſi ſcholaſtici rationem, ubi reddiderit, exigat: ne ſcilicet cognitio ulla neceſſaria intellectum diſcipuli fugiat, aut memoriam. Sed quibus hujuſmodi deerunt adjumenta (ſi modò nec genius, nec attentio deſit) ſufficiet procul dubio ſeduli Doctoris officium. Vox enim è ſuggeſtu dicentis, ut ad omnes qui adſunt perfertur, ita per eam, velut per commune aliquod lumen, omnes ſimul erudiri & quaſi illuſtrari poſſunt. Auditoris quoque unius interrogatio & reſponſio, non ipſi magis, quàm cæteris prodeſt. Diſputationum etiam, quæ per vices ita inſtituuntur, ut quibuslibet volentibus pateant, non intra ſolos reſpondentes atque arguentes ſtabit utilitas, ad cunctos auſcultantes pertinget. Verùm plerique ſunt, quibus horum nihil proficit, fateor. Sed ii ſcilicet, qui vagandi quàm diſcendi ſtudioſiores, ſcholam quam à ſe frequentari apud ſuos mentiuntur, nunquam aut rarò admodùm adeunt, & vix à limine ſalutant: vel ſi qui limen ſubeunt, ſcamna vexare contenti, ac ſemper aut nihil, aut aliud agentes, ſtudii, quod nullum adhibuere, non alium referunt fructum, quàm malè per oſcitantiam, aut imperitiam exceptas mutilorum commentariorum ſchedas: vel qui denique id tantùm ſtrenuè agunt, ut nugaci loquacitate, aut ſtolido ſtrepitu probent aſſiduitatem ſuam.

4. Nec Auditorũ ſtudioſorum profectui admodum obeſt paucorum in ſcholis protervia.

IV. Verùm inter hæc paucorum petulantium murmura, complures (quicumque nimirum non alienis criminationibus, ſed vero pretio, propriaque experientia ſtudia publica æſtimantes, docentium ſedulitatem attentione ac labore ſuo accuratè ſequuntur) non alio quàm

Ante-

Anteceſſorum in ſcholis ductu atque adjumento eam ſibi peritiam infra præſcripta tempora compararunt, & quotannis comparant, ut quotidiè in publicis experimentis facilè appareat (quicquid contrà invidorum temeritas effutiat) eos ex limpidis Legum & Canonum fontibus, non ex fæce ac rivulis hauſta, in ſuccum & ſanguinem vertiſſe; nec pſittacorum inſtar, aliena parùm intellecta, ſed ſua ex proprio jecore reſponſa depromere.

V. Vindicato à calumniis & falſis hominum opinionibus publico ſcholarum ſtudio, ad rem propoſitam veniendum eſt. Quæ Juriſprudentiam Diſcentis, quæ Docentis partes ſint, non aliunde meliùs meo judicio cognoſci poteſt, quàm ex ſcholæ noſtræ juridicæ Legibus, quas Henrici Magni Regis autoritate Viri Sapientiſſimi ſcripſerunt. Sequentia ſanè illarum Capita, velut ex Tripode pronunciata præcepta, mihi videntur. *Auditores ſacrorum Eccleſiæ Canonum in primis Catholicam & avitam religionem ſincerè amplectantur. Ad hoc ſtudium nullus accedat, qui non in humanioribus primùm artibus, & diſciplinis Philoſophicis probè verſatus ſit, ac linguarum Græcæ & Latinæ cognitionem habeat. Prolyta à lectione & auditione Inſtitutionum, & Canonici & Civilis Juris ſtudium exordiatur, ac ſedulam operam in eo collocet, ut utriuſque juris titulos memoriter teneat. Dictata Doctorum fideliter excipiat: Doctorem in ſuggeſtu docentem non perturbet: veſte deformi, militari chlamyde, aut varii coloris toga non utatur; ſed honeſta & gravi, pro ſtatus & ordinis ratione. A die admiſſionis in hoc totus incumbat, ut ordinarias & extraordinarias Anteceſſorum lectiones audiat, & fideliter excipiat, diſputationibuſque publicis interſit.* *5. E ſtatutis ſcholæ Pariſienſis peti poſſunt veræ ſtudii Iuridici Regulæ.*

VI. Si ergo Juris cupidus adoleſcens ingenio ac literis, ut par eſt, inſtructus, nec labori, nec tempori parcere velit, id intra præſtitutum Edicto Regio triennium haud difficilè aſſequetur, ut non modò quamplurima & maximè neceſſaria principia, totamque diſciplinæ noſtræ rationem apprimè teneat; ſed etiam ſi quid memoriam effugerit, ſive quid in ſcholis ſatis percipere non licuerit, cognitis cujuſque rei ſedibus atque interpretibus per ſe ipſum perdiſcere queat; & in vaſto Juriſprudentiæ, ut ita dicam, pelago ſine cortice natare: in quo ſanè maximum hujuſce ſtudii fructum verſari norunt periti. *6. Quantus ex his, ſecundum Edicti Regis leges & tempora obſervatis, fructus expectãdus.*

VII. Inchoandum quidem à principiis utriuſque Juris, quibus elementa ſcientiæ in epitomen redacta continentur (*Inſtitutiones* fermè vocant) jaci enim fundamenta opus eſt, ut firmum imponi ædificium poſſit. Noſcendus ab initio partium ac Librorum, quibus conſtat univerſum Juris Corpus, itemque Diſtinctionum, Cauſarum, Quæſtionum, ac Titulorum ſeu Rubricarum ordo, ordiniſque ratio: Autores Canonum ac Decretalium cognoſcendi; aſſueſcendum vocibus ac loquendi, ſcribendi, citandique formulis artis Canonicæ propriis; quæ cuncta ex hoc noſtro volumine, vel ex breviori Juris Canonici Gallicè ſcripta hiſtoria patebunt. Sed his adiicienda Axiomata generalia, & materiarum principia ſive Regulæ cum præcipuis exceptionibus: Aggredienda etiam aliquatenus nonnullorum, quæ prima fonte ſibi invicem adverſari videntur, conciliatio. Hæc verò non aliis plenè proficient, quàm qui, uti jam dictum eſt, ſedula & ſæpiùs repetita meditatione addiſcent quotidianas prælectiones; quos de difficultatibus, quæ ſubinde occurrent, Doctorem ſuum *7. De anno ſtudii primo.*

 publicè,

publicè, privatimvè, conſulere non pigebit; ac denique qui Hebdomadarias repetitionum, proponendorumque dubiorum exercitationes certatim obibunt. Nam qui laboris tædio, nimiavè ingenii fiducia, vel ſpe alienæ operæ atque opis in tertium annum, aut etiam, in poſtremum trimeſtre, ſtudia differunt ſua: hi non perpetuò profuturam ſcientiæ reperiunt margaritam (ut Innocentius III. loquitur) ſed leviſſimæ & futilis ac mox evaneſcentis doctrinæ, quaſi adulterinorum lapillorum, furtiva nundinatione, ſeque ſuoſque decipiunt; ſæpè etiam pro malè quæſito per cruda, vel ſimulata potiùs ſtudia honore, ſibi juſtiſſimæ repulſæ dedecus parant. Pauci quippe ſunt qui Ciceronis exemplo ſe triduo Juriſconſultos futuros profiteri poſſint: nec rudis tunc Cicero erat, cum hæc jactaret; ſed à Mucio Scævola, præſtantiſſimiſque aliis ſui ſeculi Juriſconſultis jamdiu inſtitutus. Cæterùm meliùs conſulti diſcipuli, qui Anteceſſores quotidiana diligentia ſubſequi, & per eos in jure proficere volent, hi, ſi me audient, primo ſtudiorum anno, Inſtitutionum quæ prælegentur, textui, & ſcriptis quæ ad eas enarrandas publicè tradi mos eſt, paucorum admodùm Interpretum libros adjungeur. Hujuſmodi fuerint, hinc ad Juſtiniani Elementa *Theophili* Anteceſſoris Paraphraſis, Arnoldi *Vinnii* breviores Notæ, & methodi ac memoriæ cauſa V. Cl. Claudii *Colombeti* Synoptica Inſtitutionum Deſcriptio: inde ad Inſtitutiones Juris Canonici, per Lancelottum, alterumvè ejus generis ſcriptorem compoſitas, Notæ forſitan noſtræ, cum Cl. Collegæ Petri Hallæi Canonicis Inſtitutionibus. Exteri enim, quæ Gallici Juris moriſvè, & apud nos præter jus commune uſui ſunt, prætermittunt. His tamen aliiſvè ſimilibus adjici omninò velim utriuſque *Juris Corpus*, quo quærendis Legibus & Canonibus, quibus ad confirmandas identidem ſententias ſuas Doctores utuntur, inſueſcant ab ipſo initio Tirones. Uſui quoque eſſe poterit *Lexicon* Juridicum Calvini aut Schardii. Qui plures addiderit Autores, is laborem augendo, minuet profectum. Sed nec nimis anxiè ſub initia inſudandum dubiis quæſtionibus agitandis, niſi ſi quæ ex ipſo contextu, quaſi ad manum, occurrent. Hæ quippe diſputationes imbutum jam certis juris principiis animum deſiderant.

8. Obſervanda in ſtudio à Tironibus inſtituendo.

VIII. Non pigebit ſpecialiores aliquot, &, ni fallor, pertinentes ſtudii rectè & commodè inſtiruendi regulas, diſcipulis poſt Polycarpum *Sengeberum*, ejuſque verbis hoc loco ſubjicere. 1. Perlegatur textus proximè prælectionibus illuſtrandus, idque in hunc finem ut videant ubi illis aqua hæreat, notentque diligentiùs quæ minùs intellexerint: ita enim ſciendi deſiderium homini aliàs naturale, eò magis excitabunt, & intellectus eò avidiùs hauriet, rapietque in ſe deſiderata anteà, firmiùſque memoria retinebit.

2. Definitionem, quæ totius materiæ ſummam ſemper exhibebit, (adde & ex ea Diviſiones) memoriæ mandare non graventur: tunc enim reliquum vel ſemel lectum, quaſi ad ſuos locos relatum, facillimè memoriæ hærebit. 3. Scripta non defunctoriè perlegant, & loca laudata, bona fide inquirant; atque ita ſecunda vice Inſtitutionum textum ſimul percurrant. 4. Tandem poſt lecta ſcripta, tertia vice textum ordine perlegant, exploraturi utrùm jam ſcriptis adjuti ſint, & ecquid fortè du-

bii

bii adhuc reſtet, vel obſcuri, quod particulari informatione eximendum.

IX. Hæc verò Canonum legumque accurata lectio, & cum dictatis collatio, Titulos ex Corpore Juris ſecundo anno ab Anteceſſoribus accipientium non minimum erit officium. Nec ultra hujus anni ſecundi metas prorogandum primi gradus Academici tempus, quem Baccalaureatum vocant: tum quia ea mens, ea lex eſt Edicti Regii; tum quia etiamſi id nulla lege præciperetur, Baccalaureatus tamen ſimul & Licentiatus gradibus ritè conſequendis, vix ſufficere unius tertii anni ſpatium poteſt. Utrumque facilè mereri poterunt, qui, uti jam diximus, in Schola Prælectionibus & Exercitationibus aſſiduitate debita operam dederint; nec in iis quæ publicè audierint, domi deinde privatim recolendis ceſſaverint. Sic quæ priùs dura & propè inſuperabilia videbantur, ea mediocri, ſed continuo magis quàm difficili labore quaſi lævigata, nullo negotio comprehendentur. Quod non eò pertinet, ut his ſtudiosè obſervatis difficultates omnes tollantur & evaneſcant: imò ita comparata ſunt ſtudia noſtra, ut quò plus quiſque diligentiæ in his adhibet, eò magis difficultatibus plena eſſe pervideat; adeo ut in nullo hærere, cuncta obvia putare, certiſſimum ſit, aut indiligentis, aut hebetis indicium. In eo itaque maximè agnoſcitur ſtudentis progreſſus; ſi multùm dubitet, ſed cur dubitet norit, & dubitationum ac ſcrupulorum ſuorum cauſas reddere poſſit. Eximendis autem his difficultatibus, à Magiſtris ſubſidia petenda erunt: ſive ab Anteceſſoribus, Doctoribuſque aliis, ſive ab Interpretum Commentariis. Nec verendum ne Profeſſori tædium afferat frequens interrogatio. Exiſtimare enim oportet amanti officium ſuum Doctori, nihil eſſe jucundius, quàm ſi à ſolerti diſcipulo difficultates novæ proponantur, quas fortè, ne ipſe quidem magiſter animadverterit. Nullum quippe majus in Auditore ſedulitatis eſt argumentum. Sed nec ipſi auditori mirum aut turpe videri debet, ſi quando in reſpondendo jure hærentem viderit Doctorem ſuum. Hærebant priſci etiam Scævolæ, Ulpiani, Papiniani. Hærebant Cujacius, Maranus, Acoſta: ideoque conſulentibus aut interrogantibus Auditoribus, etiam cum facillima proponerent, nunquam ſtatim, ſed poſt alterum tertiumve diem reſpondere ſoliti erant.

9. De Secundi ac Tertii anni ſtudio & Gradibus Academicis.

X. Interpretibus autem non multis, ſed ſelectis utendum etiam progredienti. Ut enim verè nimiùm obſervat Boetius Epo lib. ſecundo de Jure ſacro, num. 86. & ſequentibus, immenſo Interpretum numero, vel potius turba, laborat utraque legiſlatio, aliorum alios, nulla plagii religione, diripientium, & priora ſcripta plerumque ſine delectu, ſæpè etiam ne mutatis quidem verbis, ac nec correctis falſis allegationibus, exſcribentium: ità ut, qui unum aliquem è poſterioribus viderit, omnes vidiſſe dici poſſit. Provectis ergo ſufficient cum Gloſſa, ex prioribus quidem Interpretibus *Hoſtienſis* in Summa, in qua Tituli cujuſque materiam ad certa Capita, certo ordine redigit; & cum *Boicho*, *Panormitanus*, qui poſitarum ſub ſingulis Titulis Decretalium ſeu Capitulorum ordinem in Commentariis ſuis ſequuntur. Licèt enim Panormitanus, præ cæteris, in alienis lucubrationibus ad verbum deſcribendis artifex maximus, ab Epone aliiſque, fuiſſe dicatur: tamen hoc ipſo utilior ple-

10. Paucis Interpretibus utendum.

riſque aliis erit Innocentii IV. Hoſtienſis, Joannis Andreæ aliiſque veterum iis etiam quorum opera interciderunt quæ libuit excerpſit atque in ſua tranſtulit. Ex poſteriorum autem numero Ambroſius *le Gaufre*, & *Cironius* in Paratitlis Decretalium, Antonius Dadinus *Altaſerra*, *Fagnanus*, & Emanuel *Gonzales Telles*, in Commentariis, ille ad Innocentii III. hi ad omnes ferè Gregorianæ Collectionis Decretales. His addi poterunt cum fructu qui per partes aut tractatus, ſive ſub aliis Titulis Jus Canonicum expoſuerunt & illuſtrarunt, Navarrus, Covarruvias, & prædicti Cujacius, Florens: Duarenus quoque, Choppinus & ſi qui ejus generis alii. Adjungendi Forum ingreſſis Autores rei Beneficiariæ præcipui, Rebuffus, Molineus, & cum Bengeo Pinſlonius: atque ex iis qui Conſilia ſive Conſultationes ediderunt Vvameſius. Nec omittendi apud nos qui de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, poſt Petrum Pithoeum ſcripſit Petrus Puteanus, nec Collectores Senatuſ-conſultorum quorum non pauca de rebus Eccleſiaſticis lata præjudiciorum loco.

11. De Officio Antecesſorum in docendo. XI. Anteceſſoribus, in quibus doctrina requiritur, plura quoque & majora eruditionis ſubſidia neceſſaria ſunt, quæ ſibi ex memoratorum ſuperioribus Capitibus Interpretum, aliorumque Autorum operibus adſciſcere cuique licebit. Eorum quoque erga Auditores officium ex jam dictis facilè colligi poteſt. Id in rectè ac diligenter implendo quotidianarum prælectionum munere, & in excitandis per cuncta ſcholaſticarum exercitationum genera diſcipulis, maximè poſitum eſſe nemo non videt. Illud in primis obſervandum, quod in jam dictorum Statutorum noſtrorum Appendice art. 14. cavetur: *Non liceat ſcholæ Doctoribus ordinariis docere, niſi ex præſcripto Legum ſcholæ, non fruſtulatim, aut per Epitomas, ſpicilegia quædam minuta Canonum fingere, & auditores eo aſtu vel ineſcare incautos, vel ludificare*. Neque enim jam per Compendia (qua via ad ſcientiæ culmen numquam pervenitur) provectiores docendi ſunt auditores; ſed ad ipſos fontes deducendi, ipſos Canones, Decretales ipſas cum affinibus cuique legibus, accuratè exponere oportet. Mihique valdè probatur quod ait Boetius Epo lib. de Jure ſacro cap. ſecundo ſibi ſemper ſummam fuiſſe religionem Pontificium jus ullum aliunde quàm ſuis ex fontibus interpretari: quam religionem ſucceſſoribus in hoc profeſſionis genere ſuis atque adeo toti poſteritati ſummè commendat. Sic ſanè vera à falſis, obſoleta à receptis diſtinguentur. Et optandum quidem eſſet ut nihil intactum relinqueretur, totum Juris Corpus à capite ad calcem, explicando percurri poſſet. Verùm quia nec diſcipulorum impatientia, nec ultra modum feſtinantium parentum vota, id fieri permittunt; & Maximi Regis providentia, ad privatorum utilitatem aut deſideria ſeſe accommodans, ſtudiorum Juridicorum curriculum, quod non niſi ſeptem annis per Pragmaticam Sanctionem & Concordata finiebatur, triennio poſſe abſolvi conceſſit, licèt addita Juris quoque Gallici diſcendi neceſſitate: ſtandum ſapientiſſimi Edicti legibus. Id verò cum fructu ſtudentium & ſcholæ ſalvis legibus non incommodè ita fieri poſſe mihi viſum eſt, ſi nullo prætermiſſo penſi annui Titulo, materia cujuſque certo ordine ſecundùm Didacticæ Regulas ſummatim digeſtas traderetur, ac deinde Capitum ſive Decretalim, quarum maximus uſus,

maxi-

maximave difficultas eſt, accurata interpretatio ſubjiceretur. Notus eſt interpretationis hujus modus. Proponitur facti apta hypotheſis (quæ in jure Pontificio ex hiſtoria, tum Eccleſiaſtica, tum medii ævi profana, peti uti plurimùm poteſt) adducuntur dubitandi decidendique veræ rationes: contraria refelluntur conciliatis per certa rerum momenta Antinomiis; quam in rem ſolent præſertim loca & tempora diſtingui, & jus vetus, vel commune cum poſteriorum noſtrique ſeculi conſtitutionibus, aut moribus Eccleſiarum comparari, quò appareat quibus gradibus ad ea quæ nunc apud quoſque obtinent, deventum fuerit. Hac via edocti atque his ſubſidiis muniti, ubi Anteceſſorum ductu ardua quæque perceperint, in reliquis intelligendis ope librorum quos paulò ante indicavimus, non difficilè ſibi ipſi ſufficient. Videndi hac de re tota duo in utraque profeſſione deceſſores mei Franciſcus Florens, & Joannes Dartis in Orationibus ſeu Præfationibus de optima docendi diſcendique Juris Canonici ratione. Adjici poterunt Orationes aut Epiſtolæ illuſtrium Juriſconſultorum qui de methodo Juris Civilis ſcripſerunt, quæ enim methodus in Jure Civili probatur, Juri etiam Canonico magna ex parte conveniet. Hi ſunt inprimis Eguinarius Baro, Franciſcus Balduinus, Franciſcus Duarenus, Franciſcus Othomannus, Matthæus Veſembecius, Claudius Contiuncula, Chriſtophorus Hegendorphinus, Matthæus Gribaldus, Nicolaus Everhardus, Joannes Thomas Freigius, Julius Pacius, & qui alii ſub diverſis Titulis eam materiam tractarunt: quorum opuſcula à Nicolao Reuſnero collecta Spiræ prodierunt anno 1598. ſub titulo Cynoſuræ Juris, addita ſequenti anno Appendice à Bernardo Copio.

CAPUT XXII.

De Juris Canonici Fine.

I. OMNIS Legiſlatio ad tuendam hominum inter ſe ſocietatem inſtituta eſt. Quamobrem ut finis cujuſque juris perſpiciatur, ſpectanda eſt natura cujuſque ſocietatis. Leges quippe omnes ad eundem finem referri oportet, ad quem tendit unaquæque ſocietas. Nec enim Reſpublica legibus, ſed Reipublicæ leges accommodantur, ut latè probat Ariſtoteles [a]. Differunt itaque Leges ſecundùm diverſos cujuſque Politiæ fines. Idcirco tot ſunt formæ legum quot Rerumpublicarum: & ſicut Sagittarii ad ſcopum, ita Leges ad propoſitum cuique Reipublicæ finem collineare debent, autore Platone [b]. Eſt enim *Lex, Regula juſtorum & injuſtorum*, ut rectè definitur à Chryſippo celebri inter Stoicos Philoſophos [c]; quæ, *animalibus* ratione præditis atque *ad politicam Societatem à natura comparatis, facienda præcipit, non facienda prohibet*; & ſic regulæ inſtar, humanas actiones, juſtitia duce, dirigit in finem cuique politiæ idoneum. Unde cum plura ſint, nec tantùm diverſa, ſed etiam invicem oppoſita publicæ adminiſtrationis genera, errant procul dubio qui eaſdem ubique leges & conſuetudines deſiderant.

I. Finis Legiſlationis idem qui Politiæ ſive Societatis cujuſque.

a Lib. 4. politicor. cap. I.

b Dial. II. de Legib.

c Laudato à Marcian. JC. in leg. 2. Digeſt. de leg.

rant. Sex præcipuæ ab Ariſtotele numerantur Rerumpublicarum formæ, quarum tres rectæ ſunt, Regia, Optimatum, & bonorum Civium æquabile regimen quod ipſe Democratiam vocat; totidem his contrariæ, Tyrannis, Paucorum non virtute ac meritis, ſed opibus potentiaque præſtantium, & Plebis promiſcuæ impotens imperium. Sed nec unus eſt cujuſque horum ſtatuum modus: plura enim ſunt Oligarchiæ, plura Democratiæ genera: nec fieri poteſt ut eadem omnibus principatibus, aut cuivis ſive Paucorum, ſive Populi dominatui conveniant: quin & Regionum varia natura, & diverſa Populorum indoles, quædam reſpuunt alibi utilia, quædam requirunt alibi inutilia vel noxia, quemadmodum exemplo Athenienſium & Ægyptiorum probat Theophilus Anteceſſor Inſtitut. de jure naturali gentium & Civili.

2. Iuris Canonici Finis ultimus ſalus æterna; proximus vita Chriſtianè in terris agenda.

II. Volenti ergo Juris Canonici, ſive Eccleſiaſtici finem indagare, videndum eſt quis ſit finis Eccleſiæ ipſius, Jure regendæ. Hic verò Eccleſiæ nomine cœtum fidelium, & univerſum populum Chriſtianum intelligimus, eo ſenſu quo Apoſtoli in Symbolo ſuo *Sanctam Eccleſiam* dixere. Unum eſt per Chriſti fidem ſociatum corpus, una quaſi Reſpublica per totum terrarum orbem diffuſa; cujus Cives æquè ſunt Principes, Regeſque omnes Chriſtiani, omnes Optimates, Populi & Magiſtratus omnes; unà cum privatis Regi cuique aut cuique Reipublicæ ſubjectis: cujus denique legibus, in iis quæ ad communem ſanctæ hujus Societatis, Eccleſiaſticæ nimirum politiæ, finem pertinent, tenentur cuncti Fideles. Finis autem ille non fluxæ hujus vitæ terminis circumſcribitur, aut corporis commodis: ſpiritualis eſt ac ſupernaturalis, & in æterna ſalute, æternaque in regno cœlorum poſt hanc vitam beatitudine verſatur: qui quidem ultimus Finis eſt Eccleſiaſticæ politiæ & Sanctorum Communionis: ſed finis propior, per quem ad illum pervenire oportet, eſt præſentis vitæ ex vera fide, veraque virtute, ſecundùm Dei præcepta, curſus, quà fieri poteſt, innoxius. Eò itaque referri debent Eccleſiaſticæ Conſtitutiones, ut per mores homine Chriſtiano dignos, tum in iis quæ aut facienda aut vitanda, tum in iis quæ credenda ſunt, unumquemque fidelium ad finem ſacræ hujus politiæ dirigant: ad eam nempe vitæ rationem quæ peccatis, virtute ac beneficio Dei hominis mortem pro genere humano paſſi, per ejus miniſtros remiſſis, perque Sacramenta purgatis, in animorum puritate & mundo corde poſita eſt; quò nimirum ſic tranſeamus per bona temporalia, ut tandem conſequamur æterna. In ea planè ſententia cum pleriſque Doctorum noſtrorum, eſt Joannes Gerſon Pariſienſis Eccleſiæ & Academiæ Cancellarius[d]: ubi enim tradidit Leges Eccleſiaſticas partim eſſe ſpirituales vel divinas, quamvis impropriè, partim Civiles & humanas; ſtatuit nihilominus Legum Eccleſiaſticarum, ad res etiam externas pertinentium, finem eſſe beatitudinem ſempiternam. Nec verò diſſentit Boetius Epo. lib. primo de Jure ſacro; ubi de hac re tota pleniſſimè diſſerit. Hic quidem [e] duplicem conſtituit Militantis Eccleſiæ inſpectionem, quatenus ſcilicet eſt Corpus quoddam politicum ſuo tempore finiendum, & quatenus eſt Sponſa Chriſti, atque omnes fidelium juſtorum in ſe complectitur animas, quæ immortales ſunt, & nunquam deſitura beatitudine fruentur. Sed quamvis primo reſpectu neget ei aſſignandum finem, niſi qui in terris

[d] In libello de vita ſpirituali animæ, lect. 2. coroll. 3.

[e] Lib. 1. de Jur. ſacr. cap. 1. num. 23. 24. 25. & 37.

ris obtineri poſſit, vitam nempe ex Chriſti præceptis ſanctè inſtituendam: fatetur tamen poſteriori reſpectu, cum Militiæ nomine in triumphi titulum mutato, æternùm duratura ſit, finem longè ſublimiorem habere propoſitum, ejuſque immortalitati convenientem, nimirum æternam felicitatem: & ſic verbis magis quàm re à ſententia noſtra diſcedit.

III. Hinc non immeritò Melchior Canus [f], Theologo quem informat, autor eſt ut Juris Canonici peritiam ſibi comparet. Cum enim Pontificia Decreta à Jure divino, hoc eſt à libris utriuſque Teſtamenti manaverint, ex quibus fontibus Theologia ſuos rivulos ducit, ineptè facturum cenſet Theologum, niſi in rebus tractandis opera Summorum Pontificum utatur; qui Spiritu Sancto ſuggerente, ex divinis Oraculis dogmata ac leges ſive ad fidem ſive ad fidelium mores & Eccleſiaſticos ritus & cæremonias, collegerunt; tum quòd Canonicæ ſit facultatis dirigere animas per Canonicas leges in ſalutem æternam; tum denique quòd vel in ſolo volumine Decretalium permulti caſus & articuli contineantur utiles & neceſſarii, tam in conſiliis animarum & pœnitentiæ foro, quàm in regendis & diſponendis Eccleſiis, ac rebus Eccleſiaſticis. Optat ſanè Theologos, qui Canonum ſunt ignari, vel à decernendis conſcientiæ caſibus prorſus abſtinere, ne riſui habeantur, dum de his nonnunquam reſpondent ut Magiſtri, quæ nunquam ut diſcipuli didicerunt; vel certè ſemper ea præditos eſſe modeſtia, ut Juris Canonici peritos conſulant.

3. Iuris Canonici peritia Theologo neceſſaria.

f Lib. 8. de locis Theologicis, c. 6. ſub finem.

IV. Ex dictis colligere licet alium Juris Canonici finem eſſe, alium Civilis: quod & probari videtur ex diverſo Autorum utriuſque, Principum ſcilicet & Pontificum officio, qua de re Gratianus [g], & Nicolaus Primus in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, ex qua plures deſumpti ſunt Canones [h]. Atque hanc diſtinctionem agnovit Juſtinianus Imperator in Præfatione Novellæ ſextæ ubi ait, *maxima eſſe apud homines dona Dei, & ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: illud quidem divinis miniſtrans: hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibens: & ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornare vitam.* Et verò cum Canones eò tendant, ut fidelium mentes erigant ad ſpiritualia, & compoſitis ſecundùm legem divinam Eccleſiæ moribus, animas tandem perducant ad æternam in cœlis gloriam: Leges cunctæ Civiles hujus præſentis tantùm vitæ felicitatem reſpiciunt, atque in eo laborant, ut per conſentanea æquitati & naturali rationi inſtituta, publicæ tranquillitati ac terrenis Civium commodis conſulant. Atque hanc inter utrumque jus differentiam indicant Juris Pontificii conditores, cum Leges Principum ſive Civiles, modò ſeculares ſeu leges ſeculi, modò leges mundanas vocant; Canonibus autem nomen attribuunt non modò legum Eccleſiaſticarum, ſed & Divinarum & ſpiritualium.

4. Alium eſſe Iuris Canonici, alium Civilis finem.

g In §. *Sed notandum & ſeqq.* poſt canonem *nos ſi incompetenter* 41. *II. q. 7.*

h *Can. quoniam* 8. *diſt.* 10. *can. cum ad verum.* aliique *diſt.* 96.

V. In alia ſententia eſt Fortunius Garcias, qui conſcripto volumine de ultimo fine Juris Canonici & Civilis, contendit utriuſque Juris eundem omninò eſſe finem, proximum quidem, humanam ac politicam felicitatem, ultimum autem ſempiternam ſalutem. Ipſius ſunt rationes præcipuæ. Primò quòd jus Pontificium non minùs quàm Civile, ſit jus humanum & poſitivum. Secundò quòd ex iiſdem principiis utrumque jus deducatur, naturali nempe ratione, & æterna ac divina

5. Fort. Garcias eundem ſtatuit utriuſque Iuris finem, ejuſque rationes.

lege:

lege: quod & aliquatenus ſecutus videtur Didacus Covarruvias [i] non vulgaris notæ Juriſconſultus, cum dixit Juris Canonici & Civilis eadem eſſe principia & prima præcepta juſtitiæ, atque ideo eundem utriuſque finem: adjicit tamen id non admittendum in Civilibus Principum Gentilium legibus, ſed in legibus Chriſtianorum duntaxat Principum. Tertiò Garcias opinionem ſuam tuetur autoritate proœmii Decretalium, ubi Gregorius IX. ait legem prodi ut appetitus noxios ſub juris regula limitetur, per quam genus humanum ut honeſtè vivat, alterum non lædat, jus ſuum cuique tribuat, informatur. Quartò magnos alios Autores laudat, qui legum finem conſtituunt publicum ſeu commune Civium bonum. In iis ſunt Ariſtoteles [l], Cicero [m], Juſtinianus [n], ac denique S. Thomas [o]. Quintò adjicit etiam quod & ex Chryſippo apud Marcianum confirmat [p], per legem Civilem peccata prohiberi. Quibus adjici poteſt Reges Chriſtianos in legibus ſuis, æternam etiam ſubjecti populi beatitudinem non rarò ſpectare. Sextò citat etiam Iſidorum, ex cujus ſententia, lex divina eadem eſt cum naturali [q], à qua non minùs Civilis quàm Canonica legiſlatio profluxit. Septimò omne jus Morali Philoſophiæ ſubjici, ait Garcias; atque idcirco eundem eſſe juris cujuslibet finem.

6. Garciæ rationes refelluntur ab Epone.

VI. Ad hæc ſusè reſpondet Epo. Primò Jus Pontificium, licèt humanum dici poſſit, quatenus Eccleſiaſtici Canones ab hominibus conſtituti ſunt; differre tamen à Civili, inſpecta origine, & principiis ex quibus derivatur; quandoquidem Jus Civile ex ſola naturali ratione, Jus verò Eccleſiaſticum ex lege divina [r], ſeu divinitus revelata inſpirante Spiritu Sancto, deducitur [ſ]; ideoque non rarò Jus Canonicum, etiam Divinum appellatur [t]. Unde cum non ſecularis, ſed Chriſtianæ politiæ cauſa inſtitutum ſit, patet diverſum ei propoſitum eſſe finem. Ad ſecundam rationem Garciæ reſpondetur, leges quidem omnes ab æterna derivari, ſi lex æterna ſumatur pro ſumma illa ratione, quæ propriè in Deo exiſtens, quadam tamen participatione hominum mentibus indita eſt à natura, ut poſt Platonem Tullius ratiocinatur [u], & clariùs explicat B. Thomas [x]. Eamque Æternam legem, Divinam quoque & Naturalem his de cauſis vocari. Verùm cum legem Divinam propriè dicimus, eam intelligimus quæ ab ipſo Deo per Moſem, ac deinde per Chriſtum atque Apoſtolos revelata eſt, quam & Doctores nonnulli Divinam Poſitivam appellant. Hanc verò Naturali adjici neceſſe fuit ad corrigenda etiam levia peccata, ad motus actuſque humanos, non tantùm exteriùs, ſed interiùs quoque cohibendos & componendos; ad certò cognoſcendam omnem veritatem & rectitudinem, ac denique ad ſpem æternæ beatitudinis certò concipiendam, quemadmodum probat idem S. Doctor antè citatus. Ad ea verò quis non videt pertingere non poſſe rationis naturalis imbecillitatem? Ex hac porro Divina lege Novi & Veteris Teſtamenti libris comprehenſa, proceſſiſſe Canonicas Sanctiones, & res ipſa clamat, & apertè teſtatur Concilium Lateranenſe [y]. Tertiò Gregorius IX. in Proœmio Decretalium de legis officio atque præceptis in univerſum loquitur, cum tria juris præcepta refert ex naturali ratione manantia, quæ juri utrique communia ſunt, ſed excellentiùs à Jure Canonico quàm à Civili commendantur & perficiuntur. Quartò cum Ariſtoteles, Cicero, Juſti-

i In relect. cap. quamvis de pact. in ſexto parte 2. in princ. num. 1.

l Lib. 1. Ethicorum cap. 1. & alibi.

m Lib. 2. de Officiis.

n In princ. Nov. ſextæ & in Præfat. Nov. 77.

o Primæ & ſecundæ quæſt. 9. art. 2. & quæſt. 95. art. 1.

p Lib. 2. dig. de legibus.

q Can. 1. diſt. 1.

r Cap. 24. de accuſat.

ſ Can. violatores xxv. quæſt. 1. & can. igitur xxv. quæſt. 2.

t Ut cap. 2. de privil. in Sexto.

u Lib. 1. de legib.

x Prima ſecundæ, quæſt. 91.

y Cap. 8. ex quo eſt d. Capitulum 24. de accuſat.

Juſtinianus, aliive bonum publicum pro fine legis conſtituunt, hi generaliter quoque legem ſpectant, deque communi omnibus legum generibus officio agunt: ſed generales illæ definitiones, quamvis omnibus ſpeciebus aptentur, (quantùm ad ea quæ cunctis communia ſunt) non inde tamen ſequitur, ſpecierum omnium ſub uno genere comprehenſarum, eandem prorſus eſſe naturam, aut ex communi definitione plenam haberi ſingularum ſpecierum notitiam; niſi addatur quod cujuſque proprium eſt, & quo unaquæque ab aliis differt. Quemadmodum itaque Baptiſmus, licèt in eo cum Euchariſtia conveniat, quòd, quatenus ſacramentum eſt, per ſigna externa interiorem gratiam ſignificet atque efficiat; differt nihilominus fine & effectu ſpeciali: Sic jus Canonicum, etſi cum Civili & quovis alio jure in eo conveniat, quòd commune bonum perſequatur; differt tamen quòd ad aliud boni genus, ex aliis principiis, alioque fine dirigatur. Bonum enim ſpirituale, & internam etiam honeſtatem perfectamque juſtitiam, ex principiis divinæ legis, ad æternam ſalutem ſectatur: cum jus Civile bonum temporale ſpectet, externam ſcilicet privatorum honeſtatem, & juſtitiam ſpecialem ex naturalis æquitatis principiis, ad publicam ſecuritatem. Quintò Jure Civili longè aliter ac Pontificio peccata prohibentur. Illud Reipublicæ tranquillitatem ſpectat, eamque turbantes ſceleratos homines de medio tollit: at Jus Eccleſiaſticum peccata prohibet quòd animarum ſaluti adverſantur: unde nec mortis ſupplicio, ſed pœnitentia ſalutari peccantium vitia tollere nititur. Quòd ſi Princeps Chriſtianus in legibus ferendis, de fidelium æterna ſalute quandoque cogitat: id non ratione imperii ſui, & tanquam Reipublicæ caput; ſed ex Chriſtiana charitate facere videtur, & tanquam Eccleſiæ filius ac defenſor. Nam & noſtrum quilibet, in communi ſocietate duplicem perſonam gerit, & Civis & Chriſtiani; ex quibus diverſa munia exequi debet, alia in Civili politia, alia verò in Eccleſia. Sextò Iſidorus, cum ait, leges divinas natura conſtare, non ſic accipiendus eſt, quaſi velit, quæcumque jure Divino in Moſaica aut Evangelica lege caventur, à ſola natura proficiſci, aut nihil intereſſe inter legem Divinam & Naturalem. Hæc tantùm mens eſt Iſidori, præcepta morum quæ in Decalogo continentur, & ex eo, velut ſeminario, per totum ſacrarum literarum corpus ſparſa atque diffuſa leguntur, manare ferè omnia ab illa æterna lege humano generi divinitus indita, quam rationem naturalem vocamus; quamvis alioqui plurima in divinis ſcripturis contineantur humanum captum ſuperantia, & per ſolam revelationem cognita, ex quibus lex divina propriè dicta conſiſtit: atque hoc juris naturalis à divino diſcrimen agnovit Gratianus [z], & utrumque hoc jus accuratè diſtinxit Angelicus Doctor [a]. Septimò denique, quamvis mores per legem quamque informentur, non inde tamen efficitur, eundem eſſe legum omnium finem: ut enim antea demonſtratum eſt, pro diverſa ratione ſocietatum quæ hac vel illa lege reguntur, diverſi ſunt legum etiam fines.

z §. His itaque, poſt canonem tertium diſt. 6.

a B. Th. 1. 2. quæſt. 91.

VII. Ex hac finium inter utrumque jus differentia, oriuntur diverſæ multoties quæſtionum deciſiones, dum aliud commercii uſus ex civili quadam æquitate, aliud ex lege divina exactior juſtitia exigit. Hæc diſcrimina non pauci veterum & recentiorum collegerunt: in quibus poſt Bartolum, Joannes Paulus *Lancellottus* in Tractatu de comparatione Juris Pon-

7. Ex diverſo jurium Fine diverſæ naſcuntur deciſiones, & Juris utriuſque differentiæ.

Pontificii & Cæſarei, Boetius *Epo* lib. primo *de Jure ſacro* cap. ſecundo Henricus *Caniſius* in Appendice de differentiis Juris Canonici & Civilis: imprimis verò *Rittershuſius*, qui ſeptem libris differentias utriuſque juris accuratè eſt perſequutus. Itaque per Juris Pontificii placita emendantur Juris Civilis exceſſus, ac defectus, ſive à perfecta juſtitia Chriſtiana deerrationes. Hujuſmodi ſunt quæ traduntur de *Præſcriptione*, in qua bona fides initio tantùm poſſeſſionis requiritur Jure Civili, Jure autem Canonico per totum tempus [b], legibus aut Canonibus ad perficiendam præſcriptionem præſtitutum: quia lex Civilis litium finem, & per hunc pacem inter Cives reſpicit; Canonica verò ita ad quietem Eccleſiæ tendit, ut imprimis ſalutem ſpectet animarum, quæ obtineri poſſe non videtur, niſi quod quis alienum eſſe novit, id domino reſtituat. Eòdem pertinet Innocentii III. Conſtitutio de rebus ſpoliato per vim ablatis, eidem reſtituendis ab eo quoque qui non ſpoliavit, ſed à ſpoliatore ſciens accepit [c]. Adde *jurisjurandi* relaxationem ſub excommunicationis periculo imperatam [d] *Creditoribus*, qui uſuras per juramentum ſtipulati ſunt. Contrà verò *uxoribus* [e] rerum dotalium alienationi per maritos factæ conſentientibus, & *filiabus* [f] hæreditati paternæ accepta quantumlibet exigua dote renuntiantibus ſub jurisjurandi religione, impoſitam ejus pacti ſervandi neceſſitatem. Adde & *Matrimonii* ultra gradus Civili jure notatos prohibitionem [g]; atque hæredibus ex delictis defunctorum indictam reſtitutionis aut ſatisfactionis obligationem, etiamſi nihil ad illos pervenerit, neque lis cum defuncto conteſtata fuerit [h]. Mitto non pauca uſuræ vetitæ nomine per Canones damnari [i], quæ Jure Civili non prorſus improbantur. Sunt & alii caſus quibus diſſentiunt Canones à legibus, eam ob cauſam quòd legum deciſiones credantur ſine peccato ſervari non poſſe.

b Capitulo ult. de Præſcript.

c Cap. ſæpè contingit, de reſtit. ſpoliator.

d Cap. 1. & 6. de jurejur. cap. 10. de uſur.

e Cap. cum contingat eod. tit.

f Capit. 2. eod. tit. in Sexto.

g Toto tit. de Conſanguinitate & affinitate.

h Cap. in literis 5. de raptor. c. 9. de uſur. & c. ult. de ſepult.

i Cap. 1. 2. 6. 8. & ult. de uſur.

CAPUT XXIII.

De uſu Juris Canonici, & præcipuis ejus Editionibus.

1. Jus Canonicum uſui eſt in quovis foro, & quatenus.

I. SUPEREST paucis dicendum de uſu Juris Canonici: quæ inſpectio ad duo Capita refertur. Videndum enim ad quæ uſui ſit, & quæ in ipſo ejus uſu obſervanda. Quod ad primum attinet, certum eſt non modò in foro Eccleſiaſtico regnare jus Canonicum, ſed in foro quoque Civili & ſeculari non minorem ejus eſſe autoritatem: tum quantùm ad quæſtiones *Connubiales*, & cauſas *Decimarum*, *Votorum* Regularium, *Uſurarum*, Electionum, Collationum, Nominationum, Juris Patronatus, totamque materiam *Beneficiariam*; tum etiam quantùm ad *Ordinem judiciorum* univerſum: quibus in cauſis rebuſque Pontificiæ Deciſiones Cæſareis ferè anteponuntur. Sed & in foro interiori, ſive in tribunali Pœnitentiæ, negari non poteſt quin præcipuum ſit juris hujus momentum; atque ex eo, ut alibi oſtendimus, maximè pendeat difficilis *Caſuum* quos vocant *Conſcientiæ*, doctrina: utpote quæ tam ex ſacris litteris, quàm

ex

ex Conciliorum placitis & SS. Patrum ſententiis repetenda ſit, non ſine aliqua Legum Civilium mixtura, qualem haud dubiè deſiderat Canonica ſcientia.

II. Jam verò Pontificii Juris uſus partim ſcholaſticus eſt, partim forenſis. Quæ ad uſum Juris Canonici in Scholis pertinent, ſatis ex dictis proximo Capite cognoſci poſſunt. In foro autem hæc breviter notanda. *2. Ratio utendi Iure Canonico in foro.* Primò majoris momenti habendas eſſe Decretales, quàm Decretum Gratiani; non ſolùm ex generali ratione, qua leges tempore poſteriores, prioribus potiores ſunt: ſed etiam quòd Decretales Pontificia autoritate nitantur, quæ Gratiani Operi deeſt, ſi ex ipſo Autore æſtimetur: quod præterea Decretum ſuppoſititia multa & obſoleta contineat, etiam poſt Gregorii XIII. emendationem. Secundò non omnia Decretalium Capita ubique ſervari, quia eorum non paucis poſteriori Jure Pontificio, ac præſertim Tridentina Sanctione derogatum eſt, aliuſque per Eccleſias invaluit uſus. Quamvis enim in iis quæ ad fidem Catholicam & mores Chriſtianos pertinent, univerſa Eccleſia idem ſentire debeat; in iis tamen quæ ſunt diſciplinæ, leges & Conſtitutiones Eccleſiaſticæ eatenus dumtaxat obligant, quatenus receptæ ſunt, ut Gloſſa quoque fatetur ad Capitulum Primum de treuga & pace, & nos jam ante obſervavimus. Tertiò quædam eſſe Jure communi alibi recepta, quæ in Gallia non vigent, quòd nec Regio Reſcripto in acta Curiarum relata fuerint, nec uſu apud nos invaluerint. Idque non ſolùm in multis diſciplinæ Tridentinæ Capitibus, & recentioribus pleriſque Bullis obtinet: ſed & in aliquibus Gregorianæ, cæterarumque Collectionum Decretalibus, quas colligi utilius fuerit, quàm facilius. Quartò cognoſcenda imprimis apud Nos quæ propria ſunt Eccleſiæ Gallicanæ, tam ob priſcas ejus libertates (ut vocant) ex veterum Canonum jure retentas, atque ad hæc uſque tempora ſervatas: quàm ex Pragmaticæ Sanctionis reliquiis, concordatis, aliiſque juribus, quorum à nobis ſpecimen editum, & quorum rationes nemo meliùs inveſtigavit quàm Illuſtriſſimus Toloſanus ac tandem Pariſienſis Antiſtes Petrus de Marca. Quintò ex his omnibus ſeligenda præcipuo ſtudio Decreta & Conſtitutiones quæ ad praxim hodiernam, atque ad dirimendas lites maximè pertinent; & vera cujuſque principia, veraque interpretatio tenenda, ut quoties opus fuerit ad manum ſint: eas autem tritura fori, ſtudium ac diligentiam adhibentibus, brevi indicabit. Huc referri aliquatenus poſſunt generalia Quintiliani monita, de uſu (Rhetoricæ) poſt ſtudia.

III. Curandum præterea eſt, ut Juris Corpore utamur quàm emendatiſſimo: ne alioqui pro ſcientia errores hauriamus. Innumeræ quidem ejus Editiones extant: paucas & præcipuas notare ſufficiet. Ea in re duo diſtinguenda ſunt tempora, prius quod Romanam Gregorii XIII. Correctionem præceſſit, poſterius quod ab ea inſecutum eſt. *3. Iuris Corpore utendum quàm emendatiſſimo.*

IV. Priorum vetuſtiſſima videtur *Moguntina* anni 1472. quam ſecutæ ſunt tres Venetæ anni 1474. 1479. & 1493. tum Pariſienſes anni 1508. & 1512. Imprimis verò Antonii *Democharis* Reſſonei, ſive Monchiaceni, Theologi Sorbonici cura, tres: Pariſienſis anni 1550. & 1552. quæ textum exhibet 4. voluminibus in 8. Lugdunenſis anni 1555. apud Guilielmum Rovillium, ſeptem voluminibus in 16. & Pariſienſis in folio cum Gloſſis anno 1561. apud Guilielmum Merlin, Guil. Desbois, *4. Veteres Editiones ante Gregorii XIII. Emendationem.*

& Se-

& Sebaſt. Nivellium: cujus Juris Canonici Corporis primum volumen, Collectanea ſcilicet Decretorum Gratiani, textum quidem habet, ut in ſuperioribus duabus, cui Demochares prædictus brevem Summam, Paratitlorum inſtar, ſingulis Diſtinctionibus & Cauſarum Quæſtionibus præfixit, atque ad marginem numeros indicavit librorum & capitum, ex quibus Decretorum Collecti Canones fuerunt: ſed Textui adjectæ ſunt Gloſſæ. Secundum volumen, Decretalium nimirum, additas continet ex integris Decretalibus Annotationes, & Interpretationes, opera Martini Gilbert, in Facultate Pariſienſi Juris Pontificii Profeſſoris Ordinarii, ac poſtea in Toloſano Senatu Conſiliarii Regii. Tertium volumen complectitur Sextum, cum minoribus aliis Collectionibus, opera Ægidii Perrin ſuæ integritati reſtitutum, Jacobi Fontani cura illuſtratum, & Joannis Andreæ, Dominici Ancharani, Philippi Franci, Dini aliorumque Commentariis explicatiorem redditum. Has Democharis Editiones excepit quarta Textualis ex illis excerpta, Antuerpiæ anno 1570. emiſſa in octavo typis Plantinianis, adjuncta Antonii Contii Juriſconſulti Præfatione de iis, qui ante Gratianum Canones Eccleſiaſticos collegerant, aſperſiſque ejuſdem non parùm utilibus Notis. Sed Contii Præfationem non niſi mutilam ediderant Antuerpienſes: integram ex Bituricenſibus Manuſcriptis debemus V. C. Franciſci Pinſſonii curis, qui poſtremam Operum Caroli Molinei Editionem hoc monumento augendam ornandamque cenſuit. Interjectæ illis ſunt Editiones Lugdunenſes duæ cum Gloſſis, altera in folio, altera in quarto anno 1559. apud Hugonem à Porta, adjunctis ad marginem, Caroli Molinei Annotationibus ad forum maximè pertinentibus: quarum licèt pleræque non abs re Curiæ Romanæ diſpliceant, non paucæ tamen ſunt ad praxim & uſum fori Gallici utiles.

5. Editio Romana Gregorii XIII. & ſequentes.

V. Sed *Gregorii XIII.* Pontificis Maximi juſſu *Romæ*, quatuor tomis in folio prodiit anno 1582. Juris Canonici Corpus per Correctores ſuprà ſuo loco memoratos, emendato præſertim Gratiani textu, non jam ad veteres autoris Codices, ſed ad fontes ipſos, & loca Autorum, ex quibus deſumpti ab eo Canones fuerant; ſed in tantum emendato, in quantum per annexas operi univerſo Gloſſas licere viſum eſt.

6. Editiones præcipuæ hac Romana poſteriores.

VI. Attributa impoſterum ſic correctæ editioni lectionis publicæ autoritate, eam ſecutæ ſunt poſteriores ubique editiones, Lugdunenſes, Pariſienſes, diverſis voluminum generibus, ſive Textuales, ſive additis Gloſſis emiſſæ. In his maximè probatam fuiſſe video Pariſienſem, quæ anno 1587. ſumptibus Societatis Typographicæ ſub ſigno Navis exiit in folio, & textum poſt Romanam emendationem, typis elegantibus dedit.

7. De Pariſienſi anni 1686. Editione, ejuſque commodis.

VII. Verùm omnium, ni fallor, accuratiſſima Textus editio erit, quam, ex emendata illa Pariſienſi, adjectis clariſſimorum fratrum Petri & Franciſci Pithœorum, non minùs probitate morum ac ſolida pietate, quàm omni eruditionis genere illuſtrium Notis, è bibliotheca ſua depromptis, ſui eſſe beneficii vult Vir Illuſtriſſimus D. Claudius le Pelletier, Regni Adminiſter, Summuſque Ærarii Regii Præfectus digniſſimus, & Supremi Galliarum Senatus Præſes Infulatus. Cum enim univerſa Petri Pithœi proavi ſui opera, edita atque inedita: (proh quantam literaturæ omnis ſupellectilem! quanto Reipublicæ literariæ bono!) cum, inquam, tot illa eruditiſſima opera committenda prælo ſtatuiſſet: amore

Juriſ-

Juriſprudentiæ ac Juriſconſultorum, auſpicandum duxit ab his in Jus Canonicum Annotationibus. Id nempe addendum erat diuturnis reſtituendorum (quâ per hocce tempus licere viſum eſt)] ſtudiorum noſtrorum curis. Hæ verò Notæ ex Antuerpianæ an. 1570. & Pariſienſis an. 1587. editionum marginibus, Clariſſimi Eruditiſſimique Viri Franciſci de Mares Domini de Palis, in Curia patroni, & Facultatis Jurium Pariſienſis Doctoris Honorarii, opera prolatæ, tum varias continent ex manu exaratis codicibus Lectiones; tum Eccleſiaſticorum, aliorumque medii ævi Autorum loca indicant, ad intelligendos aut illuſtrandos Canones, quibus appoſitæ fuerant, apprimè utilia. Ea itaque editio, quæ per Illuſtriſſimum Pelleterium ſub Glorioſſimi Franciæ Cancellarii Michaelis Tellerii nuncupatione, partim jam prodiit, partim ſub prælio eſt, hoc ipſo anno abſolvenda; & ex hiſce doctiſſimis Notis, & aliis ex capitibus, correctior ſine dubio, & prioribus cunctis Editionibus utilior erit.

Etenim quæ ego ad novam Corporis Canonici Editionem, à me jamdiu meditatam & ex Regio privilegio mox inchoandam, comparata habebam, huic illuſtrandæ ornandæque libentiſſimè contuli; quam videbam majoribus auſpiciis ſub tanto nomine exituram eſſe in lucem. Inventa in eam rem, cogitataque mea exequutus eſt in ea Editione Antonius Broſius Arvernus Presbyter, quem convictorem adſciveram, & levibus Juris principiis imbutum, ad Doctoris gradum juxta leges ſcholæ provehi curaveram. Is jam Doctor, dictante primùm Me, Canonibus ſingulis ſua tempora & loca magna ex parte adſcripſerat: reliqua unde, & qua ratione ex Autorum libris ipſi à me traditis inquirenda eruendave eſſent acceperat: nec ego in his ad effectum perducendis ſubinde hærenti unquam defui. Hæ verò Chronologicæ & Geographicæ obſervationes, quanti in Pontificia Juriſprudentia momenti ſint, tum ſatis res ipſa docet, tum præclarè monuit docta Præfatio ei Editioni præfixa. Ex his certè variarum Eccleſiarum diverſus pro diverſis ſeculis uſus elicitur, & conciliandis quæ invicem pugnare videntur via idonea & facilis aperitur. Hæc tamen obſervatio in ſuppoſititiis ſuſpectivè Epiſtolis, quæ priſcorum ante Siricium Romanorum Pontificum nomina præferunt, adhiberi non potuit. Quis enim vera tempora aut loca iis aſſignare poſſit quæ nunquam fuiſſe creduntur? Anni ergo adſcribendi fuerunt, quos ex Conſulibus cuique epiſtolæ ſubjectis, aut ex unoquoque Pontificatu conjicere licuit. Sed præter has temporis, locique Annotationes, ei operi alia non pauca, monitu ductuque meo, acceſſerunt.

Id in primis actum eſt ut Textus Canonum quàm proximè ad Romanam Gregorii XIII. Editionem accederet, niſi quòd errata, quæ in eam irrepſerant, atque ad calcem collecta erant, hìc ſuis quæque locis emendata ſunt. Quò fit ut menda innumera, quibus turpiter ſcatebant ſequentes omnes, præter primam Lugdunenſem Editiones, ea ab hac ſublata ſint. Id Pariſienſem ſub Navis inſigni anno 1587. elegantem quidem illam, ſed incuria Operarum aut Correctorum multis locis deformatam, cum hac comparanti facilè apparebit. Plurimæ ibi voces corruptæ; nonnullæ phraſes trajectæ; verſus integri, interdum etiam plures, omiſſi: hic reſtituta omnia deprehendentur: ſenſu etiam, qui locis innumeris fœdè laborabat, ut Oedipode indigeret, redditis veris interpunctionibus, ad liquidum ubique reducto.

Dein-

Deinde ad omnia meliùs dilucidanda, hinc majuſculis initialibus literis diſtinctæ non modò Periodi, propriaque nomina; ſed voces quoque materiarum, ut ita dicam, principes: inde Canones æquali inter ſe diſtantia diſpoſiti, ſuperſcriptis atque ad capitis cujuſque initium revocatis Autoribus, qui ſæpè longiùs aberant Gratiani verbis immixti: & ſacræ Scripturæ autoritatibus, quæ in illis occurrunt, charactere Italico deſcriptis: quæ omnia non magis ad decorem, quàm ad facilem conferunt intellectum. Adde longiora Canonum Capita in Paragraphos, ad commodiorem legentium uſum, additis numeris, diviſa; ut eorum ſententiæ exactiùs impoſterum citari, & longè minori temporis jactura inveſtigari atque inveniri poſſint.

Mitto correctis falſis Canonum titulis, non rarò indicatos veros eorum autores, aut ſuos vacantibus titulo Canonibus additos: notatos etiam propriis numeris Pontifices, qui cum plures eodem nomine fuerint, & ſine ulla diſtinctione ſub communi nomine (Gregorii v.g.) citati eſſent, incertum relinquebant lectorem ad quem è pluribus referenda eſſent non pauca Decreta. Idem in Conciliis factum, ubi generali tantùm loci vocabulo deſignabantur. Sic, exempli cauſa, pro *Gregorio* abſolutè ſcripto, diſtinctè ponitur Gregorius VII. pro Carthaginenſi Concilio, Carthaginenſe Tertium.

Hoc quoque obſervatum eſt ut Rubricæ ſive breves Tituli, Diſtinctionibus & Cauſarum quæſtionibus, ubi deerant, præfigerentur, quò ſtatim à fronte intelligi poſſet, qua de re in harum ſectionum unaquaque agatur.

Præterea, ut Gratiani verba, quibus plerumque diverſorum Canonum conciliatio continetur, à Canonibus ipſis ſeu Decretis Pontificum, dictiſque Patrum primo obtutu ſecernantur, & ſic nullo negotio internoſcantur, duæ adhibitæ cautiones: altera adſcripto ad marginem cujuſque loci, nomine, *Gratianus*: altera adjectis ad latus per totum ſententiæ cujuſque contextum, virgulis inverſis, ſive ſemicirculis.

Jam nomina Anſelmi, Polycarpi, Burchardi, Ivonis, Collectorum aliorum, unde ſua Gratianus hauſit vel haurire potuit, in margine ita collocata, ut cum in aliis editionibus ſæpè à Canonibus ex Autorum illorum opere deſumptis procul aberrarent, nunc ad ſedes ſuas reducta, Canonibus ſive Capitibus quæque ſuis, per literulas indicatis, proximè reſpondeant.

Denique non ſine ſummo Broſii labore, ſed incredibili ſtudioſorum commodo, correcti, vel potiùs refecti prorſus atque inſtaurati Indices Canonum: qui ſervata Alphabeti ſerie ſic digeſti ſunt, ut adjecta ſint plura cujuſque verba, quibus incipientia ab eodem vocabulo Capita inter ſe diſtinguuntur: additus cuique Capiti ſeu Canoni titulus ſuus. Adjectus & numerus quo notantur Canones ſub ſuis quique titulis, Diſtinctionis puta, ſive Quæſtionis ſub qua continetur.

Nec minor cura in Decretalium volumine adhibita eſt, ſive Textus emendationem ſpectes, ſive Capitulorum diſpoſitionem atque ordinem, inſcriptiones, Annotationes tum Pithœanas, tum Chronologicas & Geographicas, aliaſque. Illud etiam proviſum eſt, ut Decretalis cujuſque hypotheſis ſeu facti ſpecies, à deciſione diſtingueretur cruce interjecta, & aliquanto interpoſito ſpatio. Partes Deciſæ, quamvis in

editio-

editione Romana anni 1582. prætermiſſæ, hic non modò exemplo Contii, adjectæ ſunt, tanquam ad pleniorem rerum de quibus agitur, notitiam neceſſariæ: ſed etiam ex antiquis Collectionibus, authenticiſque Epiſtolis editæ, longè correctiores quàm in prioribus editionibus. Cæterum in fine Capituli, charactere Italico à Textu diſtinctæ: indicantibus fragmenti cujuſque locum Græcis literulis.

Utilitati etiam legentium non parùm conſultum eſt, cum Decretalium, Canonumve aliorum Autores, qui cum multa conſequentia & per diverſas paginas ambulantia Capitula condiderint, ſemel tantùm in unoquoque titulo ſuo nomine, deinde verò non niſi per vocabulum *Idem*, deſignabantur; hìc repetitis per ſingulorum foliorum initia nominibus indicantur. Sic enim nullo temporis diſpendio invenientur conſtitutionis cujuſque Autores, nec ad primum Caput recurrere neceſſe erit.

Et hæc quidem cuncta in Decreto Gratiani ſatis exactè curavit Broſii diligentia. Eadem in Decretalibus aggreſſum, progreſſumque ad Titulum *de majoritate & obedientia*, mors immatura nobis præripuit: ſed commodùm oneri ſucceſſit antè memoratus Vir Clariſſimus Franciſcus Mareſius de Palis, qui inter forenſes occupationes, & edendis Pithœorum, quos inter Majores numerat, lucubrationibus acriter incumbit, & harum Decretalium pari cura continuandarum provinciam ultrò ſuſcepit.

INDEX ALPHABETICUS,

INTERPRETUM Juris Canonici.

A

A*Lciatus*, Andreas, pag. 453
Altaſerra, ſeu Antonius Dadinus, 477
Ananienſis, ſeu Joannes de Ananis, 448
Ancharanus, Petrus de Ancharano, 445
Andreas, ſeu Joannes Andreas, 442
Anguiſſola, Joannes. 442
Antonius, Auguſtinus. 460
Archidiaconus, ſeu Guido de Baiſio, 441
Axelius, ſeu Honorius van Axel, 474

B

B*Alduinus*, Franciſcus. pag. 457
Baldus, Ubaldus, 444
Barbatia, Andreas, 448
Barboſa, Auguſtinus, 472
Bartholomæus Brixienſis, 436
Benedicti, Guilielmus, 482
Bengeus, Antonius Bengy, 478
Bernardus Compoſtellanus, 438
Bernardus Papienſis, 436
Bernardus Parmenſis, 437
Bleynianus, ſeu Antonius Fabricius, 475
Boich, Henricus, 444
Boſquetus, Franciſcus, 476
Brant, Sebaſtianus, 453
Butrius, ſeu Antonius de Butrio, 445

C

C*Abaſſutius*, Joannes, pag. 478
Cabotius, Vincentius, 470
Calderinus, Joannes, 443
Caniſius, Henricus, 465
Caſſadorus, Guilielmus, 458
De Caſſanis, Zenzelinus, 446
Caſtellioneus, Vincentius, 435
Chaſſaneus, Alexander, 476
Choppinus, Renatus, 465
Cironius, Innocentius, 475
Contius, Antonius, 459
Coraſius, Joannes, 461
Corvinus, Arnoldus, 478
A Coſta, Janus, 471
Covarruvias, Didacus, 459
Creſpetius, Petrus,
Cucchus, Antonius, 455
Cujacius, Jacobus, 463
Curtius, ſive Rochus de Curte, pag. 452

D

D*Artis*, Joannes, 474
Davezanus, Joannes, 475
Decius, Philippus, 451
De Deo, Joannes, 442
Dinus, Mugellanus, 441
Doujatius, Joannes, 481
Duarenus, Franciſcus, 458
Durantus, Guilielmus, aliàs Speculator, malè Durandus, 439
Durantius, Joannes Stephanus, pag. 462

E

E*Ngelius*, Ludovicus, pagin. 480
Epo, Boetius, 464

F

F*Abrotus*, Carolus Annibal, pag. 473

Fa-

Fagnanus, Proſper, 478
Felinus Sandeus, 449
Florens, Franciſcus, 473
Francus, Philippus, 449
Frerotius, Nicolaus, 467

G

G*Aguinus*, Robertus, pag. 450
Garſias Hiſpanus, 440
Gaufreus, ſeu Ambroſius le Gaufre, 472
A Sancto Geminiano, Dominicus, pag. 446.
Germonius, Anaſtaſius, 466
Gigas, Hieronymus, 458
Goffredus de Trano, 438
Gomeſius, Ludovicus, 453
Gonzales, Emanuel, 479
Gregorius Toloſanus, Petrus, 467
Guijonius, Hugo, 469
Guymerius, Coſmas, 449

H

H*Allaus*, Petrus, pag. 480
Hoſtienſis, ſive Henricus de Seguſio, 439
Hugutio, 434

I

I*Molenſis*, ſeu Joannes ab Imola, pag. 447
Innocentius IV. 438
Joannes Semeca, ſive Teutonicus, pag. 435

K

K*Ling*, Melchior,

L

L*Alanda*, ſeu Jacobus de la Lande, 479
Lancellottus, Joannes Paulus, 455
Lappi duo, Tuſcus & Caſtellioneus, 443
Laurentius Cremenſis, 434
Lignanus, ſeu Joannes de Lignano, 444

M

M*Ajoretus*, Joannes, pag. 479
Maranus, Guilielmus, 468
De Marca, Petrus, 476
Mellaus, Stephanus de Melles, pag. 480
Minos, Claudius, 469
Mirbellus, Cœleſtinus, 479
Molineus, Carolus, 455
Monachus Cardinalis, ſeu Joannes Monachus, 441
De Monte Lauduno, Guilielmus, pag. 443.

N

N*Avarrus*, ſeu Martinus ab Azpilcueta, pag. 456

P

P*Acius*, Julius, pag. 467
Panormitanus, ſeu Nicolaus de Tudeſchis, Siculus qui & Abbas, 447
Papa, ſeu Guido Papæ, 447
Pariſius, Petrus Paulus, 452
Paſtor, Melchior, 475
Pavinus, ſeu Franciſcus de Pavinis, 446
Pinſſonius, Franciſcus, 477. & ſeq.
Pirbing, Enricus, 480
Præpoſitus, ſeu Joannes Antonius de ſancto Georgio, 449

Q

Q*Uintinus*, Joannes, pag. 454

R

R*Ebuffus*, Petrus, pag. 453
Rodulphus, Laurentius, 446

Roya, ſeu Franciſcus de Roye, 478.

S

Streinius, Joannes, pag. 480

T

Tancredus de Corneto, pag. 435
Tondutus, Petrus Franciſcus, 477
à Turre Cremata, Cardinalis, 448
Tuſchus, pag. 512. num. 3.

V

Vallenſis, Joannes, pag. 471
Venatorius, Daniel, 461
Vigelius, Nicolaus, 460
Urbanus ab Aſcenſione, 479
Vvagnereck, Henricus, 480
Vvameſius, Joannes, 463

Z

Zabarella Cardinalis, Franciſcus, pag. 445
Zoeſius, Henricus, 470
Zypæus, Franciſcus, 470

F I N I S.

PRÆ-

PRÆNOTIONUM CANONICARUM

APPENDIX.

Qua continentur quædam præcipua GEOGRAPHIÆ *atque* HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ *Capita, ad Sacri Juris ſtudium perneceſſaria: nimirum*

I. NOtitia PROVINCIARUM AC METROPOLEON ECCLESIASTICARUM, quales tempore Gregorii Magni fuerunt: addita hodierna Provinciarum & locorum nomenclatura.

II. Index Alphabeticus CONCILIORUM, quibus uſi autores noſtri: quæ ad ſua in libro ſecundo loca remittuntur: adjecta hodierna locorum appellatione.

III. Index Alphabeticus omnium PONTIFICUM ROMANORUM, annotato cujuſque numero, ſive ordine ſucceſſionis, & Pontificatus initio, ac tempore, ſingulis ad ſua in libro ſecundo loca remiſſis.

IV. Index Chronologicus PATRIARCHARUM CONSTANTINOPOLITANORUM, cum cujuſque initio.

V. ALEXANDRINORUM PATRIARCHARUM Index.

VI. Index PATRIARCHARUM ANTIOCHENORUM.

VII. PATRIARCHARUM HIEROSOLYMITANORUM Index.

VIII. Index Alphabeticus SS. PATRUM ET AUTORUM ECCLESIASTICORUM quibus uſi Canonum Collectores.

IX. ORDINUM ET CONGREGATIONUM REGULARIUM Index Chronologicus.

J. D.

LECTORI.

NE quid huic operi deeſſet, quod incœpto convenire videretur, poſſetque non improbabiliter deſiderari; non ingratum tibi futurum putavi, ſi ei parerga quædam attexerem, quorum in ſtudio Juris noſtri non mediocris eſt, nec infrequens uſus.

Eorum primum SACRARUM PROVINCIARUM, ac *Metropoleon* tibi nomenclaturam veterem & vulgarem exhibebit. Is ad ſtatum ſexti ſæculi accommodandus eſt viſus, quo Juſtinianus Africam de Vandalis, Italiam de Gothis recepit; & quo jam conſtitutis quinque majoribus Patriarchis, varièque diviſis Imperii Romani Provinciis, Concilium Quintum Oecumenicum Conſtantinopoli habitum eſt: quo ſeculo Hunni Pannoniæ pleraque; Galliam cum vicina Germania Franci ſub Chlotario, ejuſque liberis; Hiſpaniam Viſigothi ſub Levigildo, ac deinde Recaredo, (qui primus ejus gentis Catholicam Religionem profeſſus eſt,) Britanniam denique Angli aliique Saxonum populi obtinebant. Hoc ſeculum illuſtris Gregorii Pontificatus clauſit, cum jam Italia inter Longobardos & Imperatores Græcos, horumve Exarchos ſeu Vicarios diviſa eſſet. Quæ in his ab eo tempore mutatio, veterum Provinciarum in plures ſectionibus, & novarum Metropoleon erectionibus contigerit, inſtituta hodiernarum & præſertim Auberti Miræi, Notitiarum cum hoc Indice collatione, facilè quiſque perſpicere poterit.

Adjecti ſunt Indices accurati ſeptem, partim Alphabetici, partim Chronologici, tum *Summorum Pontificum* & aliorum quatuor *Patriarcharum*; tum *Conciliorum* Generalium, aliorumque celebriorum, & ſanctorum *Patrum*, quorum frequens apud ſacros ſcriptores mentio.

Horum Indicum poſtremo, Religioſæ familiæ, ſive *Monachorum*, *Mendicantium*, *Clericorum Regularium Ordines*, & Reformatæ *Congregationes*, ab Eccleſiæ ferè incunabulis ad hæc noſtra tempora, ita, ſervata ſeculorum ſerie, recenſentur, ut cujuſque Autor, Regula, Locus, Tempuſque deſignetur. Specimen hic tantùm dedi, quod mea, vel aliorum opera, & emendatius prodire, & juſtum in opus excreſcere poterit.

Primum & ultimum hujus Appendicis articulos alteri operi adjunctos, ſuperilluſtri quondam Mæcenati meo *Petro Seguerio*, Franciæ Cancellario digniſſimo, nuncupatos, tibi nunc reddo cum fœnore, ut Eccleſiaſticæ penus inſtar habeas. Cæterùm temperare mihi non poſſum, quin, implendi officii cauſa, hujus, ſeu lucubrationis, ſeu collectionis frontem Epiſtola tanto Viro inſcripta ornari cupiam: quò meæ in Heroem optimè de me, deque omni re literaria meritum, perpetuæ obſervantiæ, gratique in pios manes, animi extet hoc qualecumque monumentum.

NOTI-

Digitized by Google

NOTITIA SIVE INDEX

PROVINCIARUM ET METROPOLEON ECCLESIASTICARUM,

Prout Seculo Chriſti VI. conſtitutæ erant.

CAPUT I.

UNIVERSUS Orbis Chriſtianus, in quinque majorum gentium *Patriarchas*, ſine diſpendio Eccleſiaſticæ unitatis, diviſus fuit, ROMANUM, ALEXANDRINUM atque ANTIOCHENUM, velut ab ipſis Eccleſiæ incunabulis inſtitutos, agnovit Nicæna Synodus *can.6.* rel. apud Gratianum in *can. mos antiquus, diſt.65.* quòd ſcilicet has tres Eccleſias in maximis trium Orbis tunc cogniti partium urbibus, B. Petrus Apoſtolorum Princeps erexiſſet, Romanam & Antiochenam per ſeipſum, Alexandrinam per S. Marcum diſcipulum & comitem ſuum, *can. ſacroſancta 2. verſ. Prima ergo, diſt.22.* HIEROSOLYMITANO, ſive Æliæ (ab Ælio Hadriano inſtauratore ſic dictæ) Epiſcopo eadem Nicæna Synodus *can.7.* qui refertur in *can. quoniam mos, ead. 65. diſt.* ex vetuſta traditione & antiquitùs recepto more, ſeſſionem inter Patriarchas firmavit, ſalvo tamen jure Metropoleos, nimirùm Cæſareæ, quæ poſt everſa à Veſpaſiano Hieroſolyma, Palæſtinæ primaria civitas fuerat conſtituta. Eadem ſeſſionis jura obtinuit novo more *Conſtantinopolitanus* Epiſcopus, Concilii 2. Oecumenici *can. 5.* quem Gratianus exſcripſit *can. 5. diſt.22.* Sedendi prærogativæ adjectum eſt Chalcedonenſis Concilii Decretis, tum CONSTANTINOPOLITANO, tum HIEROSOLYMITANO, jus ordinandorum Epiſcoporum: illi quidem ejus Synodi *can.28.* aſſignatis tribus Diœceſibus Thracica, Aſiana, & Pontica; quarum adminiſtratio Conſtantinopolitani 1. Concilii *can.2.* propriis cujuſque Epiſcopis relicta fuerat, ſub Heracleenſi, Epheſino, & Cæſarienſi Cappadociæ, velut Exarchis ſive Primatibus. *Hieroſolymitano*, ejuſdem Concilii *act. 7.* ſubjectæ fuerunt Patriarchico jure Palæſtinæ tres: quas tamen innovationes, tanquam Concilii Nicæni primi Conſtitutioni adverſantes, diu Eccleſia Romana repudiavit, non modò poſt Theodoſii junioris Conſtitutionem *l. omni 6. C. de ſacroſ. Eccl.* ſed & poſt Novellam Juſtiniani 131. quibus jus & honor Patriarchæ, Conſtantinopolitano delatus eſt: imò poſt Quiniſextam ſive Conſtantinopolitanam in Trullo Synodum, cujus *Canone 36. rel. in can. renovantes, diſt.22.* Conſtantinopolitanæ ſedi, quòd ibi Roma nova eſſet, juxtà Chalcedonenſe decretum, ſecundus locus & paria cum veteri Roma privilegia firmabantur, ſervato Alexandrinæ ſedi tertio, Antiochenæ quarto, Hieroſolymitanæ quinto loco: quod adhuc Octavæ quoque Synodi generalis *can.21.* innovatum videre eſt *in 22. diſt. can. ult.* His nihilominùs reſtitere Summi Pontifices, uti ex S. Leonis, S. Gregorii, Nicolai 2. ac Leo-

nis 9. epiſtolis conſtat. Verumtamen unionis & concordiæ tuendæ cauſa, Imperatoribus Græcis tandem in hoc gratificati ſunt Romani Pontifices, ſaltem Innocentii 3. temporibus: atque hic hodie ordo inter Patriarchas ſervatur, *Cap. inter quatuor* 8. *in parte deciſa, e. de majorit. & obed.* quod & in Concil. generali Lateranenſi 4. receptum, *Cap. antiqua* 23. *e. de privil.* Cæteri verò quibus Patriarcharum attributus eſt titulus, hi minorum gentium Patriarchæ, ac veriùs Primates, ſeu Græca voce Exarchi ſunt habendi; quæ intermedia eſt inter Patriarchas & Metropolitanos dignitas, & Archiepiſcopali titulo aliquando deſignatur, ut apud Iſidorum in *Can. Cleros* 1. *verſ. ordo Epiſcoporum, diſtinct.* 21. Etenim Archiepiſcopi titulus communis eſt iis omnibus qui ſupra unius civitatis Epiſcopos conſtituti ſunt.

De Metropolitanorum, qui vulgò Archiepiſcopi dicuntur, deque Primatum poteſtate atque officio agitur apud Gratianum, *Cauſa* præſertim 111. *quæſt. 6. & 9. quæſt.* 3. Item *Cap.* 8. *& quatuor ſeqq. e. de offic. & poteſt. Jud. Ordin. & cap.* 14. *atque ult. e. de Majorit. & Obedient.* Ordo Juriſdictionis colligitur ex tit. *de appellat.* De Conciliis Provincialibus, & Synodis Diœceſanis tractatur *diſtinct.* 18. Veniamus ad Provinciarum nomenclaturam ſecundum Patriarchatuum ordinem.

P A-

PATRIARCHATUS ROMANUS.

EPISCOPORUM, & Metropolitanorum ſacra Juriſdictio, Civitatum ac Provinciarum Romanarum limitibus magna ex parte continebatur, politico regimini ſeſe accommodante Eccleſia. Verùm alia fuiſſe videtur Patriarcharum ratio, ut non tam certis ſibi aſſignatis Provinciis præeſſent, quàm ſemel conſtitutis ſedibus Patriarchalibus, prout quiſque regiones & loca, ſive per ſe, ſive per Epiſcopos ab ſe miſſos ad fidem Chriſti convertiſſet; ita fines ſuos, tam intra, quàm extra Romanum imperium, prorogarent; atque in iis Provinciis, & urbibus Epiſcopos ſibi ſubjectos haberent.

Patriarchatus Romanus, cujus Antiſtes majores Diœceſes obtinere dicitur, præeſt Occidenti univerſo, qui ſex Diœceſes ſeu majores Provinciarum inter ſe junctarum adminiſtrationes complectebatur, Italiam, Africam, Illyricum (olim totum), Galliam, Britanniam, atque Hiſpaniam.

IN DIOECESI ITALIÆ.

IN ITALIA.

PRIMATUS ROMANUS,
Sub quo ſex Provinciæ Eccleſiaſticæ.

I. PROVINCIA ROMANA.

Metropolis ROMA. *Roma*.

Hujus Provinciæ ſacræ ambitu continebantur Civiles Provinciæ, ſeu Regiones Suburbicariæ novem quæ abſque Metropolibus Eccleſiaſticis erant: nam aliæ duæ Suburbicariæ ſacras habebant Metropoles.

1. Latium & Campania: *La Campagna di Roma e Terra di Lavoro, col Principato Citeriore.*
2. Tuſcia & Umbria: *La Toſcana e Ducato di Spoleto.*
3. Valeria: *La Sabina e parte dell' Abruzzo ulteriore.*
4. Picenum Suburbicarium: *La Marca d' Ancona.*
5. Picenum Annonarium. *Il Ducato d'Urbino.*
6. Samnium. *La parte maggior dell'Abruzzo.*
7. Apulia, & Calabria: *La Puglia o Capitanata e la Terra di Bari, colla Terra d'Otranto.*
8. Lucania, & Brutii: *La Baſilicata e la Calabria.*
9. Corſica Inſula: *L'Iſola di Corſica.*

II. Provincia SICILIA. *L'Iſola di Sicilia.*

Metro-

Metrop. Syracuſæ. *Siracuſa*, vulgò *Saragoſſa*.

III. Provincia SARDINIA. *L'Iſola di Sardegna*.

M. Calaris, aliàs Caralis. *Cagliari*.

IV. Provincia MEDIOLANENSIS. *La maggior parte della Lombardia*.

M. Mediolanum. *Milano*.

Continebantur ſub ea Provinciæ quatuor civiles, ſine Metropolibus Eccleſiaſticis.

1. Liguria. *Lombardia di quà, e di là dal Pò, e la Riviera di Genova*.
2. Alpes Cottiæ. *Parte del Piemonte*.
3. Rhetia prima. *I Griggioni, il Tirolo, Trento*.
4. Rhetia ſecunda. *Parte della Svevia e Ducato di Baviera*.

V. AQUILEJENSIS, ſub qua, Venetia, & Iſtria. *La Marca Trevigiana e Friuli coll'Iſtria*.

M. Aquileja. *Aquileja*.

VI. RAVENNENSIS.

Sub qua Provinciæ civiles, ſine Metropolibus ſacris, duæ.

1. Flaminia. *La Romagna*.
2. Æmilia. *La Lombardia di quà dal Pò*.

M. Ravenna. *Ravenna*.

IN DIOECESI AFRICÆ.

IN BARBARIA.

Metrop. Carthago, Juſtiniana 3. ſeu Africana dicta. *Cartagine*, vulgò *Almenara* hodie, aliis *Cartin*.

Ejus Epiſcopus per totam Diœceſin Africanam Primatus habebat jura.

Sub eo Provinciæ civiles ſex, quibus pro Metropoli Eccleſiaſtica erat ſedes antiquioris per unamquamque Provinciam Epiſcopi, qui Primas ſive Primæ ſedis Epiſcopus dicebatur.

1. Africa propria, ſive Proconſularis, aliàs Zeugitana. *Il Regno di Tuniſi verſo l'Occidente*.
2. Byzacium, ſeu Byzacena. *Il Regno di Tuniſi verſo l'Oriente*.
3. Tripolitana, ſive Tripolis. *Il Regno di Tripoli di Barbaria*.
4. Numidia. *Il Paeſe di Conſtantina*, & de *Bugia, dipendente d'Algeri*.
5. Mauritania, Cæſarienſis ſcilicet, Sitifenſis per Juſtinianum, Numidiæ, ut puto, reddita. *Il Regno d'Algeri*.
6. Tingitana. *I Regni di Fez e di Marocco*.

Sardi-

Sardiniam Juſtinianus, poſt Vandaſos, huic Diœceſi adjecerat, *l.* 1. *Cod. de Offic. Præf. Prat. Afr.* quæ tamen ad Italiam, & Primatum Romanum pertinebat, uti antè à nobis memorata.

IN DIOECESI ILLYRICI OCCIDENTALIS.

NELLA SCHIAVONIA.

Hæc Diœceſis ſex Provinciis civilibus conſtabat, præter Valeriam, quæ militaris erat, atque à Duce regebatur. Verùm & hæc, & Pannonia ſecunda ſive inferior, maxima ex parte, à Barbaris occupatæ fuerant, diruto Attilæ temporibus Sirmio: quod non modò ſecundæ Pannoniæ, ſed & ſolidi Illyrici caput fuerat, tum in civili, tum in ſacra politia; donec ſedes Præfecti Prætorio, ea civitate amiſſa, Theſſalonicam translata eſt, ſi qua Juſtiniano fides, *Novella XI.* Fuere poſt hæc in hac Diœceſi Provinciæ Eccleſiaſticæ duæ.

I. LAUREACENSIS.

Qua continebantur, opinor, Provinciæ quatur civiles.

1. Noricum Ripenſe. *La maggior parte dell'Auſtria.*
   M. Laureacum. *Lorch appreſſo Lintz.*
2. Noricum Mediterraneum. *Salsburgo e Carintia.*
3. Pannonia 1. ſive ſuperior. *L'Ungheria Criſtiana verſo il mezzo dì; la Stiria e parte dell' Auſtria inferiore.*
4. Savia, Pannoniæ veteris ac Liburniæ pars. *La Schiavonia alta con parte della Croazia e Carniola.*

II. SALONITANA, ſub qua, ni fallor, Provincia civilis una.

1. Dalmatia. *Dalmazia* con parte *della Croazia, e della Boſnia.*
   M. Salona. *Salona, rovinata, vicino a Spalatro.*

IN DIOECESI GALLIARUM, QUÆ jam tum ferè tota ſub Francis.

IN FRANCIA.

Civiles in hac Diœceſi Provinciæ ſeptemdecim fuere Honorio imperante: nondum tamen in eum numerum excreverant Provinciæ Eccleſiaſticæ, quarum ſtatus cum civili ſæpiùs, aliqua ex parte, mutatus. Eum hìc deſcribimus, qui ſub primis Francorum Regibus fuiſſe videtur.

Eo tempore quatuor, quantùm conjicere licet, intra Galliarum Diœceſin

ceſſin extitere Primates, pro numero Provinciarum ab Auguſto inſtitutarum, Arelatenſis, Lugdunenſis, Treverenſis, ac Bituricenſis.

I. PRIMATUS ARELATENSIS.

Sub quo Provinciæ quatuor Eccleſiaſticæ, Civiles totidem: anteà etiam quinque fuiſſe videntur, connumerata Alpina, cum nondum proprium haberet Metropolitanum.

1. Prov. ARELATENSIS, in Viennenſi Provinc. Civili, quæ in duas Eccleſiaſticas ſecta eſt. *Parte di Provenza e Dolfinato verſo l'Occidente.*

M. Arelatum, cujus Epiſcopus plerumque ſedis Apoſtolicæ per Galliam Vicarius. *Arles.*

2. Viennenſis, in eadem Civili Prov. cui ſubjectæ Alpes Grajæ ubi poſteà Tarantaſiæ Metropoliticum jus eſt attributum. *Parte del Dolfinato e Savoja.*

M. Vienna. *Vienna.*

3. Narbonenſis prima, adhuc majori ex parte ſub Viſigothis. *La Linguadoca per la maggior parte.*

M. Narbona. *Narbona.*

5. Narbonenſis ſecunda. *La Provenza verſo il Mezzodì.*

M. Aquæ Sextiæ, (quæ ad hæc uſque tempora inter Epiſcopales numerabatur) his addenda, ex Narbonenſis veteris ſegmentis. *Aix in Provenza.*

5. Alpina, ſive Alpes Maritimæ. *Parte del Dolfinato e Provenza verſo l'Oriente.*

M. Ebrodunum, aliàs Ebredunum. *Ambrun.*

II. PRIMATUS LUGDUNENSIS.

Quem agnovere Epiſcopi Civilium quinque Provinciarum, Eccleſiaſticarum verò quatuor.

1. Lugdunenſis prima, qua includebatur, ni fallor, Maxima Sequanorum, ubi deinde Veſontio Metropolis etiam Eccleſiaſtica facta. *Il Lioneſe, la Borgogna, la Franca Contea, &c.*

M. Lugdunum. *Lion.*

2. Lugdunenſis II. *La Normandia.*

M. Rothomagus. *Roven.*

3. Lugdunenſis III. ſeu Turonica. *La Turena, Angiò, Maine o Manceſe, Bretagna.*

M. Civitas Turonorum. *Turs.*

4. Lugdunenſis IV. Senonia. *Il Senoneſe, Beauſſe parte di Francia e di Sciampagna.*

M. Civitas Senonum. *Sans.*

Ex hac detracta eſt Metrop. Pariſienſis hoc noſtro ſeculo.

III. PRIMATUS TREVERENSIS.

Cujus non adeò indubitata occurrunt argumenta, & cujus reverà non diu autoritas ſtetit, ſive ob conceſſa Eccleſiæ Rhemenſi privilegia, ſive aliis de cauſis. Continebat quatuor Civiles Provincias, Eccleſiaſticas duas. Hæ fuere.

1. Belgica 1. adjunctis, ni fallor, Germania 1. & Germania 2. in quibus octavo ſaltem ſeculo Moguntiacus, & Colonia Agrippina Metropoleon titulo decoratæ ſunt. *Treviri e la Lorena, l'Alſazia, il Palatinato inferiore, Colonia e le Provincie Unite.*
M. Civ. Treverorum. *Treviri.*

2. Belgica II. *La Sciampagna verſo l'Oriente, la Picardia e i Paeſi-Baſſi Cattolici.*
M. Civ. Rhemorum. *Rems.*

IV. PRIMATUS BITURICENSIS.

Quæ ſedes olim toti Aquitaniæ præfuit: ſed deinde Burdigalenſi conceſſa fuere privilegia ſua. Sunt autem Aquitanicæ tres Provinciæ, tam Eccleſiaſticæ, quàm Civiles.

1. Aquitania prima. *Il Berrì, il Limoſin, l'Avvergna, &c.*
M. Biturica Civ. *Burges.*
2. Aquitania ſecunda. *La Guienna, il Poetù, &c.*
M. Burdegala. *Bordeos.*
3. Novempopulana. *Guaſcogna.*
M. Eluſa, cujus ſedes Auguſtam Auſcorum poſteà translata. *Aux in Armagnac.*

IN DIOECESI HISPANIARUM, ſub Gothis, & Svevis.

Nella SPAGNA.

Præter Tingitanam, quæ, trans fretum Gaditanum in Africano ſolo poſita, nihilominus diu Hiſpaniæ contributa fuit; & præter Baleares Inſulas, quas Notitiæ quædam ab Hiſpania Tarraconenſi ſejungunt: Provinciæ Civiles quinque in Hiſpanica Diœceſi fuerunt: Eccleſiaſticæ verò ſex extremo ſeculo ſexto, ſub duabus Pontificis Romani Vicariis, Hiſpalenſi ac Tarraconenſi.

SUB HISPALENSI VICARIATU Provinciæ numerabantur duæ.

1. Bætica. *Andaluſia e Granata.*
M. Hiſpalis. *Siviglia.*

2. Lu-

2. Luſitania. *Il Portogallo per la maggior parte colle Frontiere di Caſtiglia e di Eſtremadura*.

Emerita, unde tandem ſedes Compoſtellam translata. *Merida*.

SUB VICARIATU TARRACONENSI Provinciæ tres Civiles, Eccleſiaſticæ quatuor.

1. Tarraconenſis. *Catalogna*, *Aragona*, *Navarra*, *e parte di Caſtiglia*.
   M. Tarraco. *Tarragona*.
2. Carthaginenſis. *Murcia Valenza*, *Caſtiglia nova per la maggior parte*.
   M. Carthago nova. *Cartagena*.

Deinde Toletum, cui attributus totius Hiſpaniæ Primatus ann. 589. *Toledo*.

Gallecia, quæ tempore Theodemiri Suevorum Regis in duas Provincias Eccleſiaſticas diviſa eſt. *Gallizia*, *Aſturia*, *Leo*, *Biſcaglia*, *e parte di Portogallo verſo Settentrione*. Sic fuit.

3. Prov. Bracarenſis, cujus Metr. Bracara. *Braga in Portogallo*.
4. Lucenſis.

Cujus Metr. Lucus Auguſti, quæ poſteà dignitatem Metropoliticam amiſit. *Lugo in Gallizia*.

IN DIOECESI BRITANNIARUM
Sub Anglis, aliiſque Nationibus.

Nella Gran B R E T A G N A.

Britanniarum Primatus Epiſcopo DOROVERNENSI aſſignatus eſt, cui paruiſſe creduntur, intra veteres Imperii Romani fines, Provinciæ tres Eccleſiaſticæ: extra eos Provinciæ duæ initio fuerunt.

1. Britannia Auſtralis ſive Prima: & Media ſive Flavia Cæſarienſis. *Regno di Kent*, *Eſſex*; *Vveſt-ſex*, *e Suſſex*: *Oſt-Angeln*, *e Mercia*.
   M. Londinum. *Londra*.

Poſteà tempore S. Gregorii Dorovernum, quæ & Cantuaria. *Cantorbery*.

2. Anglia Borealis, olim Maxima Cæſarienſis. *Nortumbria*.
   M. Eboracum. *York*.
3. Cambria, anteà Britannia Secunda. *Il Paeſe di Galles*.
   M. Carleona, ſive Legio ſecunda, aliàs Iſca Silurum. *Caer. leon*.
   Poſteà Meneviam translata. *Santo David*. Prætereà.
4. Scotia, Cujus priſca Metropolis incerta. *Scozia*.
5. Hibernia. *Irlanda*.
   M. Armacha. *Armach*.

IN TRACTU ILLYRICI ORIENTALIS.

Nell' IMPERIO DEL TURCO IN EUROPA.

AC PRIMO IN DIOECESI MACEDONIÆ.

IN GRECIA O MACEDONIA E MOREA.

PRIMATUS THESSALONICENSIS.

Sub quo Provinciæ Civiles ſeptem, Metropoles novem Eccleſiaſticæ.

1. Macedonia 1. *La Macedonia verſo il Mezzodì.*
M. Theſſalonica, cujus Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ Vicarius; *Teſſalonica*, vulgò *Salonichi*.
2. Macedonia 2. *Jamboli o Macedonia verſo il Settentrione.*

(Quæ in Nov. 11. Primæ Juſtinianæ Primatui aſſignatur. Sed omittitur in Nov. 131. cap. 3.)

M. Philippi. *Filippo.*
3. Theſſalia. *Teſſaglia, Comenolitari.*
M. Lariſſa. *Lariſſa.*
4. Achaja, ſive Græcia, quæ & Proconſularis. *La Morea e Livadia che propriamente ſono la Grecia.*
M. Corinthus. *Corinto, Coranto.* Cui additæ Metropoles.
Patræ, *Patraſſo*, Athenæ in Hellade. *Atene, in Turco Satine.*
5. Epirus vetus. *Larta, Janina, e Canina.*
M. Nicopolis. *Preveſa.*
6. Epirus nova. *Albania, Arnautili in Turco.*
M. Dyrrachum. *Durazzo.*
7. Creta inſula. *L'Iſola di Candia; in Turco, Kirit-ada.*
M. Gortyna. *Gortina.*

IN EJUSDEM ILLYRICI DIOECESI DACIÆ.

Nella *SERVIA*.

PRIMATUS ACHRIDANUS.

Achridem ſive Achridam patriam ſuam Juſtinianus, à ſe inſtauratam, *Primam Juſtinianam* appellari juſſit, eique ſex Provincias Civiles aſſignari, quas & ejus Epiſcopo, Archiepiſcopi, ſive Primatis dignitate decorato, in ſacris ſubjici voluit, huncque Vicarium in iis Romanæ Sedis conſtitui, quod à Vigilio Papa impetratum. *Nov.* 11. *& Nov.* 131. *cap.* 3.

M. Prima JUSTINIANA ſive Achris, poſteà Bulgarorum regia. *Juſtandil.*

1. Prov. Dacia Mediterranea, detractaex veteri Mœſia. *Frontiera di Servia, e di Bulgaria, verſo il Mezzodì.*

M. Sardica. *Triadizza, vicino a Sofia.*

2. Ripenſis, ſive Secunda, *Frontiera di Servia, e di Bulgaria, lunga il Danubio.*

Ex Mœſia quoque veteri decerpta, quæ an diſtincta in ſacris à ſuperiore fuerit, minùs compertum.

M. Ratiaria, *Areſar*, vel Aquæ *verſo Zargena.*

3. Prævalis, ſeu Prævalitana. *Frontiera di Dalmazia e d'Albania.*

M. Scodra. *Scutari, in Turco Iſcodar.*

4. Dardania. *La Servia Orientale, verſo il Mezzodì.*

M. Scupi. *Uſcup.*

5. Mœſia ſuperior cum parte Pannoniæ Secundæ. *La Raſcia o Servia Occidentale.*

Quam in Eccleſiæ politia disjunctam à Dacia pronunciare non eſt in promptu.

M. Viminacium, *Vrucziderna*, aliàs *Bidena*, aut Singidunum. *Zenderim.*

PATRI-

Digitized by Google

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS,

Cui attributæ tres Diœceſes, Thracia, Pontus, Aſia: His acceſſit totum Illyricum Orientale, imò & Sicilia tandem cum Calabria, foventibus Græcis Cæſaribus Patriarchæ Conſtantinopolitani effrænatam ambitionem: Sed de his dictum in Patriarchatu Romano, ad quem reverâ ſpectant.

IN DIOECESI THRACIARUM,

in ROMANIA, RUMELI in Turco.

M. CONSTANTINOPOLIS. *Conſtantinopoli*, vulgò *Stambol.*

Exarchatus HERACLEÆ.

In hac Diœceſi Provinciæ ſex numerabantur.

1. Europa ſtrictè ſumpta. *La Romania Orientale, verſo il Mezzodì.*
   M. Heraclea, aliàs Perinthus. *Eraclea*, vulgò *Iraclia.*
2. Thracia propriè dicta. *La Romania Occidentale.*
   M. Philippopolis. *Filippopoli*, v. *Felibe.*
3. Hæmimontus. *La Romania Orientale, verſo il Settentrione, Zagorie.*
   Hadrianopolis. *Andrinopoli, T. Edrena.*
4. Rhodope. *La Romania Meridionale.*
   M. Trajanopolis. *Trajanopoli.*
5. Mœſia ſecunda, ſive inferior. *La Bulgaria Orientale, verſo il Mezzodì.*
   M. Marcianopolis. *Marcianopoli*, v. *Preslavia.*
6. Scythia, minor ſcilicet, cis Iſtrum. *Sirfia, Bulgaria Orientale verſo il Settentrione.*
   M. Tomi. *Tomiſvvar.*

Huc pertinebat Gothia.

Ad hanc quoque Diœceſin referebantur, extra Imperium Romanum, Ruſſi.

IN DIOECESI PONTICA.

Nella NATOLIA SETTENTRIONALE.

Exarchatus CÆSAREÆ MAGNÆ.

In hac Diœceſi Provinciæ Civiles fuere duodecim ex diſpoſitione Juſtiniani, conjunctis Paphlagonia cum Honoriade, & Ponto Polemoniaco cum Helenoponto; inſtituta præterea tum Cappadocia tertia, & nova Juſtiniana, ex confiniis majoris, minoriſquæ primæ Armeniæ ac Ponti Polemoniaci coagmentata; additiſque Armenia magna & Lazica, qua Romanis ſive Græcis parebant: At Metropoles Eccleſiaſticæ plures fuere, unicuique conjunctarum Provinciarum ſervata ſua Metropoli ſacra, & ubique ferè ſervato Eccleſiæ ſtatu, quo in quibuſdam Provinciis jam plures Metropoles conſtitutæ fuerant.

1. Cappadocia prima. *Parte d'Aladula, e d'Amaſia.*
   M. Cæſarea magna, anteà Mazaca. *Ceſaria, Careſer* in tabulis.
2. Cappadocia ſecunda. *Frontiera d'Aladula, e di Caramania.*
   M. Tyana. *Tiagna.*
3. Cappadocia tertia. *Frontiera d'Aladula, e di Kiangara.*
   M. Juſtinianopolis, aliàs Mociſſus. *Mociſſa.*
4. Armenia 1. *Sivas, e Pegian.*
   M. Sebaſtea. *Savſtia, o Suvas.*
5. Armenia 2. *Bozoch.*
   M. Melitene. *Malattia.*
6. Galatia prima. *Kiangara verſo il Settentrione, v. Gelas.*
   M. Ancyra. *Anguri.*
7. Galatia ſecunda, ſive Salutaris. *Kiangara, verſo il Mezzodì, e parte di Kiontaja.*
   M. Peſſinus. *Poſſena.*
8. Bithynia. *Burſia, v. Oſman-ili.*
   Metrop. Nicomedia. *Comidia. T. Iſnighimid.* Huic additæ Nicæa, *Nicea, Iſnich*, & Chalcedon, quæ etiam Juſtiniana. 3. *Calcedonia, Scutareto.*
9. Honorias, ab Honorio Imperatore dicta. *Bolli.*
   M. Claudiopolis. *Boli.*
10. Paphlagonia. *Roni*, aliàs *Flagania.*
    M. Gangra. *Cangria. T. Kiengar.*
11. Helenopontus, à Conſtantino de nomine matris Helenæ appellatus. *Amaſia verſo l'Occidente.*
    M. Amaſea. *Amaſia.*
12. Pontus Polemoniacus. *Amaſia verſo l'Oriente.*
    M. Neocæſarea. *Nicſar.*

Ad hanc Diœceſin ſpectabant Boſporani, & Zechi Scythiæ, ac Lazi Col-

Colchidis populi, quorum partem Juſtinianus ſubegit; & omninò extra Imperium *Alani.*

IN DIOECESI ASIANA.

Nella NATOLIA VERSO IL MEZZODI.

Exarchatus EPHESINUS.

Hæc Diœceſis Provincias Civiles undecim, at ſacras Metropoles quatuordecim complectebatur.

1. Aſia propria, ſeu Proconſularis. *Sarchan, ò Sarchiam,* aliis *Quiſcon.*
   M. Epheſus. *Eſeſo,* rovinato.
2. Helleſpontus, olim Myſia, & Phrygia minor. *Becſangil.*
   M. Cyzicus. *Ciſico.*
3. Inſulæ Cyclades. *Iſole dell' Arcipelago intorno all' Aſia minore.*
   M. Rhodus. *Rodi.*
   Huic adjecta
   Mitylene in Lemno. *Metelino.*
4. Lydia. *Caraſia.*
   M. Sardis. *Sardia.*
5. Phrygia 1. ſeu Pacatiana, quibuſdam Cappatiana. *Germian, verſo il Mezzodi Occidentale.*
   M. Laodicæa ad Mæandrum. *Laodicea, v. Laudichia.*
   Eique addita Hierapolis Phrygiæ. *Seidiſcheber. T.*
6. Phrygia 2. Salutaris. *Germian, verſo il Greco, e p. di Kioutaja.*
   M. Synnada. *Sinada.*
7. Caria: cujus pars Borealis, Carophrygia dicta. *Aidin eli.*
   Metrop. Aphrodiſias, è cujus ruinis crevit Stauropolis. *Apodiſia. Santa Croce.*
8. Lycia. *Menteſia.*
   M. Myra. *Strumita.*
9. Piſidia. *Verſac eli,* parte della *Caramania largamente preſa.*
   M. Antiochia Piſidiæ. *Antiochia di Piſidia.*
10. Lycaonia. *Cogni.*
   M. Iconicum. *Cogni.*
11. Pamphylia. *Settalia Orientale,* parte di *Caramania largamente preſa.*
   M. Sida. *Scandelor, ò Satalia vecchia.*
12. Pamphylia altera. *Satalia Occidentale.*
   M. Perge; poſtea Syllæum, tandem Attaliam translata. *Pirgi.*

PATRIARCHATUS ALEXANDRINUS.

IN DIOECESI ÆGYPTI.

In EGITTO, v. *EL-CHIBET*.

Conſtabat hic Patriarchatus, intra Imperii limites, Ægyptiaca Diœceſi, quæ tempore Juſtiniani diviſa erat in novem Provincias.

1. Ægyptus prima. *Erriſ verſo l'Occidente*.
M. Alexandria. *Alexandria di Egitto*, v. *Scanderia*.
2. Ægyptus II. in occidua Niliaci Delta regione. *Erriſ verſo l'Oriente*.
M. Cabaſa. *Mahatelimi*.
3. Auguſtamnica, partim intra, partim extra Delta. *Bechria verſo l'Oriente e'l Settentrione*.
M. Peluſium. *Berelles*, *vicino a Belbais*.
4. Auguſtamnica II. *Bechria verſo l'Occidente e'l Mezzodì*.
M. Leontopolis. *Leonton*.
5. Arcadia, dicta ab Arcadio Imperatore, olim Heptanomis. *L'Egitto intorno e ſopra il Cairo*.
M. Oxyrinchus Entre. *Dealmarath*, *e Palema*.
6. Thebais I. *Sahid*, *verſo il Settentrione*.
M. Antinoe. *Anthios*.
7. Thebais II. *Sahid*, *verſo il Mezzodì*.
M. Ptolemais Hermii. Vers *El-Fium*.
8. Lybia ſuperior, ſeu Pentapolis, anteà Cyrenaica. *Barca verſo l'Occidente*.
Ptolemaïs Pentapoleos. *Tolometta*.
9. Libya ſecunda, Inferior, ſive Marmarica. *Barca*, *verſo l'Oriente*.
M. Darnis. Pres de *Bonandria*.

Extra Romanum Imperium, Alexandrinum Patriarcham reſpiciebant Æthiopes, ſub Primate ſive Catholico ſuo, & ex parte Indi atque Arabes.

PATRI-

PATRIARCHATUS
ANTIOCHENUS
IN DIOECESI ORIENTIS.
Nel LEVANTE O SORIA, ARAB. SCHAM.

Hæc Diœceſis (præter Palæſtinas) habebat Provincias tredecim, quæ Antiocheno Patriarchæ parebant.

1. Syria I. *La Soria, verſo il Maeſtro.*
M. Antiochia, ſive Theopolis. *Antiochia*, v. *Antachia*, rovinata.
2. Syria II. Salutaris, pars Cœles, ut & ſuperior. *Soria, al Mezzodì della precedente nelle terre.*
M. Apamea. *Hama*, ou *Hamous*.
3. Theodorias, à Juſtiniano, ut puto, inſtituta de nomine Theodoræ uxoris. *La Soria, verſo il Mezzodì della prima, lungo il mare.*
M. Laodicæa. *Lica.*
4. Phœnicia propria, Paralia ſcilicet, ſive Maritima. *La Fenicia*, v. *Founiki*.
M. Tyrus. *Sor.*
Cui adjecta Berytus. *Bairut.*
5. Phœnicia Libani. *La Soria, intorno a Damaſco.*
M. Damaſcus. *Damaſco*; *Arab. Scham.*
6. Euphratenſis, anteà Comagene. *La Soria, verſo il Nord-Eſt, lungo l'Eufrate.*
M. Hierapolis. *Non lungi d'Aleppo.*
7. Arabia, Petræa ſcilicet. *Barraab.*
M. Boſtra. *Buſſereth.*
8. Cilicia prima. *La Caramania maritima, verſo il mezzo.*
M. Tarſus. *Tarſo. T. Terſiſch.*
9. Cilicia ſecunda. *La Caramania Orientale, e Settentrionale.*
M. Anazarbus. *Acſar.*
10. Iſauria. *Sauria, parte Occidentale della Caramania.*
M. Seleucia Iſauriæ. *Selekia.*
11. Cyprus inſula. *L'Iſola di Cipro. T. Couprus-ada.*
M. Conſtantia Cypri, aliàs Salamina; poſteà Juſtiniana ſecunda. *Conſtanza, rovinata, vicino a Famagoſta.*

Trans Euphratem.

12. Oſrhoene, anteà Adiabene. *Il Diarbecher verſo l'Occidente.*
M. Edeſſa. *Orfà. Ar-Rhoais.*
13. Meſopotamia. *La maggior parte del Diarbecher.*
M. Amida. *Cara-Hemit.*

Huc pertinebant extra Romanum ſolum Iberia, Armenia major, cum Catholico ſive univerſali Præſule ſuo, qui poſt Patriarcha dictus: Perſis item, ubi Catholicus Seleuciæ Parthorum ſeu Cteſiphontis; *Bagdat*, cæteræque nationes ad Indiam uſque.

PATRIARCHATUS HIEROSOLYMITANUS

IN PALÆSTINA.

IN TERRA SANTA.

M. HIEROSOLYMA, aliàs Ælia. *Jeruſalem*, *Arab. Kouts-Scherif.*

Huic Patriarchæ aſſignata fuit Palæſtina triplex, id eſt in tres Provincias diviſa, quæ anteà parebat Antiocheno.

1. Palæſtina prima. *Judea, Samaria, e parte di Galilea.*
M. Cæſarea Paleſtinæ. *Ceſarea*, v. *Caiſar.*
2. Palæſtina ſecunda. *Galilea Orientale, e Paeſe oltre il Giordano. v. Bidumi.*
M. Scythopolis anteà Nyſſa. *Bethſan.*
3. Palæſtina tertia, ſalutaris. *Parte d'Idumea, Arabia Petrea, e Giudea Meridionale.*
M. Petra. *Montereal*, v. *Crach*.

II.

II.

INDEX CONCILIORUM, UNIVERSALIUM omnium ; Localium autem omnium quorum Collectores Canonum meminere, aliorumque aliquot Celebriorum ad Seculum uſque 12.

Adjiciuntur ad pleniorem notitiam, vulgaria ſingulorum nomina, *tempora, & loca Prænotionum in quibus de unoquoque agitur.*

Inſerta ſunt præcipua quædam *Conciliabula* charactere Italico diſtincta, tum & alia *Opera* Canonibus immixta quæ Aſteriſco prænotantur.

Nota 1. Concilia Generalia literis majuſculis ſcribi.

Nota 2. quæ *apud* aliquam Civitatem ſive locum habita dicuntur, ea in ordine initialis ſive primæ cujuſque loci literæ quærenda eſſe.

A.

ACQUIRENSE, lege & quære *Ancyranum.*
Africanum generale, *d'Africa*, ſub Zoſimo P.p. aliàs Carthaginenſe 6. anno Chriſti 417. v. Prænot. pag. 146.
Africanum ſeu Carthaginenſe generale ſub Cæleſtino, an. 424. (aliquando citatur pro Milevitano) v. pag. 146.
Agathenſe in Gallia, *d'Agde*, anno 506. pag. 149.
Agrippinenſe ſive Colonienſe in Germania, *di Colonia*, fortè anni 887. pag. 167.
Apud Alichium, lege apud *Altheim.*
Apud Alpheſum, idem.
Apud Altenem, idem.
Altheimenſe, in Rhetia, *d'Altheim*, anno 917. pag. 167.
Altiſſiodorenſe, vide *Antiſſiodorenſe.*
Alverniæ, vide *Claromontanum*, & Arvernicum.
Apud Alumnias, corruptè pro *apud Alvernias*, vide *Claromontanum*, citatur pro Valentino.
Ananethenſe, lege & quære *Nannettenſe.*
Anchiritanum, vide *Ancyranum* ſequens.
Ancyranum, quod & Ancyritanum, & Ancyrenſe, vel Anquirenſe, in Pontica, *d'Ancira*, an. 314. pag. 145.
Anglicum ſive Anglicanum, *d'Inghilterra*, à Dunſtano Cantuarienſi habitum, an. 969. pag. 168.
Anglicum generale, ſive Londonienſe, præſide Lanfranco, ann. 1075. pag. 168. & ſeq.
Anquirenſe, pro Ancyrenſi, ſeu Ancyrano: citatur aliquando pro Concilio Romano Damaſi.

Antiochenum in Syria, *d'Antiochia*, an. 341. pag. 145.
Antiſſiodorenſe vel Autiſſiodorenſe, in Gallia, *d'Außerra*, an. 578. pag. 151.
Aphricanum, lege *Africanum*, ut ſuprà.
In Apulia, vide *Melphienſe*.
Aquiſgranenſe in Galliæ Germaniæque confinio, *di Aquiſgrano*, anno 816. pag. 162.
Aquiſgranenſe II. an. 838. pag. eadem.
Aquiſgranenſe III. anu. 862.
Arauſicanum I. ſive Arauſionenſe, quod & Autaſicum, in Gallia, *d'Orange*, ann. 441. pag. 148.
Arauſicanum II. ann. 529. pag. ead.
Arelatenſe I. in Gallia, *d'Arles*, ann. 314. pag. 138.
Arelatenſe II. quod & Arelatenſe abſolutè, anno 452. pag. 147.
Arelatenſe IV. quod à Collectoribus tertium dicitur, ann. 524. pag. 148.
Arelatenſe V. anno 554. pag. 148.
Arelatenſe VI. (aliquando perperam III.) anno 813. pag. 161.
Ariminenſe Conciliabulum in Italia, *d'Arimini*, an. 359. pag. 142.
Arvernenſe I. *d'Avvergna*, an. 535. pag. 150.
Arvernenſe II. ſive apud Arverniam, anno 549. pag. 151.
Auguſtodunenſe in Gallia, *d'Autun*, Sancti Leodegarii an. 670. p. 152.
Auguſtodunenſe ſive Eduenſe, an. 1077. ab Hugone Legato habitum pag. 165.
Auguſtodunenſe aliud ſive Eduenſe, perperam *Oſtionenſe*, anno 1094. pag. eadem.
Auraſicum ſive Autaicenſe, lege *Arauſicanum*, ut ſuprà.
Aurelianenſe I. in Gallia, *d'Orleans*, an. 511. pag. 149.
Aurelianenſe II. an. 533. ibidem.
Aurelianenſe III. an. 538. ibidem.
Aurelianenſe IV. anno 541. pag. ead.
Aurelianenſe V. anno 549. pag. 150.
Autiſſiodorenſe V. vide *Antiſſiodorenſe*.

B

BASILEENSE generale, in Helvetia, *di Baſilea*, anno 1431. ad 1439. pag. 136.
Bellovacenſe ſive *apud Belvacum* in Gallia, *di Boves*, ann. 845. pag. 162.
Belvacenſe ſive Bellovacenſe aliud, anno 1114.
Beneventanum Urbani Papæ, in Italia, *di Benevento*, anno 1091.
Bonifacii Papæ, id eſt Romanum I. ſub Bonifacio, *di Roma ſotto Bonifazio III.* anno 606. pag. 157.
Bracarenſe II. aliis III. in Gallecia, *di Braga in Portogallo*, an. 563. pag. 154.
Bracarenſe II. Martini, aliis III. an. 572. pag. 154.
*Breviarium Alarici ſive Codicis Theodoſiani Editio Gothica, an. 506.
Bylonenſe, falſum, fortè pro Cabilonenſi cujus Canones non extant, quod habitum anno 1063.

CABI-

C

CABILONENSE I. in Gallia, *di Scialon ſopra Saona*, anno 650. pag. 152.
Cabilonenſe II. anno 813. pag. 162.
Cabilonenſe aliud, anno 515. pag. 164.
Cæſarauguſtanum, in Hiſpania, *di Saragoſſa*, anno 592. pag. 152.
Calchedonenſe, vide *Chalcedonenſe*.
* Canones Apoſtolorum circa annum 281.
Cantuarienſe in Anglia, *di Contorbery*, an. 820. falsò pro Canonibus Apoſtolorum aliquando laudatum.
* Capitularia Regum Francorum, collecta circa annum 830. &c. p. 367.
Cariſiacenſe, ſive apud Cariſiacum, malè *apud Tanſiacum*, *di Creſſy*, anno 849. pag. 163.
Caroli Imperatoris Concilium, pro Capitularibus Caroli Magni.
Carthaginenſe Cypriani, (quod habetur in Collectionibus Græcorum) in Africa, *di Cartagine*, circa an. 254. pag. 145.
Carthaginenſe abſolutè, ſive Africanum generale, circa annum 424. pag. 146. ſumitur etiam pro 2. 3. & aliis Carthaginenſibus.
Carthaginenſe I. anno 348. pag. 145.
Carthaginenſe II. an. 390. pag. eadem.
Carthaginenſe III. anno 397. pag. eadem.
Carthaginenſe IV. veriùs 5. anno 398. pag. eadem.
Carthaginenſe V. veriùs IV. eodem anno, pag. 146.
Carthaginenſe VI. & VII. anno 418. pag. 146.
Carthaginenſe VIII. citatur pro Milevitano.
Caſſellanum ſive Caſſilienſe, *di Caſſel in Irlanda*, an. 1172.
CHALCEDONENSE ſive Calchedonenſe in Bithynia, œcumenicum 4. *di Calcedonia*, an. 451. pag. 124.
Claromontanum, aliàs Arvernicum, ſive Alverniæ & Urbanenſe Alverniæ, *di Chiaromonte in Avvergna*, an. 1095. pag. 140.
* Codex Theodoſianus, anno 438.
* Codex Juſtiniani, anno 534.
Colonienſe, vide *Agrippinenſe*.
Compendienſe, ſive apud Compendium, in Gallia, *di Compiegne*, an. 757. pag. 161.
Confluentium, ſive apud Confluentiam, in Germania, *di Coblens*, ann. 822. pag. 167.
In Baſilica Conſtantiniana, id eſt apud Lateranum. Vide Romanum ſub Nicolao II. *di S. Giovanni in Laterano*, ann. 1059. pag. 158. perperam alicubi pro Conſtantinopolitano.
CONSTANTIENSE Generale XVI. in Germania, *di Coſtanza*, an. 1414. pag. 135.
CONSTANTINOPOLITANUM Primum generale II. in Thracia, *di Conſtantinopoli*, anno 381. pag. 121.
Conſtantinopolitanum ſub Menna Patriarcha, anno 536. pag. 146.
CONSTANTINOPOLITANUM II. generale V. anno 553. p. 127.
CONSTANTINOPOLITANUM III. generale VI. an. 680. & 681. p. 129.

Con-

Conſtantinopolitanum in Trullo, *Quiniſextum*, quod *Sextæ* Synodi nomine aliquando appellatur, ſed perperam, an. 692. pag. 139.
Conſtantinopolitanum Conciliabulum, ſive Synodus *Pſeudoſeptima*, an. 754. pag. 142.
Conſtantinopolitanum Photianum in templo Apoſtolorum Conciliabulum, Græci *Primam & Secundam* Synodum, Nicolaus Papa Latrocinalem vocat, an. 861. pag. 142.
CONSTANTINOPOLITANUM IV. Oecumenicum VIII. anno 869. & 870. pag. 130.
Conſtantinopolitanum Photianum in templo Sophiæ: Græcis Schiſmaticis, *Pſeudo-octava* Synodus, anno 879. pag. 142.
Apud Convicinum, prope Silvanectum, in Gallia, *ſ. di Gouvieux*, anno 863. pag. 170. v. *Silvanectenſe*.

D

DIGESTA, ſive Pandectæ Juſtiniani, anno 533. pag. 279.

E

EDUENSE, ſive Auguſtodunenſe, in Gallia, *d'Autun*, malè alicubi *Educenſe*, anno 670. pag. 154.
Eduenſe ſub Gregorio VII. anno 1077. pag. 165.
Eduenſe, ſeu Auguſtodunenſe aliud, ſub Urbano II. anno 1094. pag. 165.
Eliberitanum, ſive Elibertinum, vel *Elibermum*, in Hiſpania, *d'Eliberi, ovvero d'Elvira*, an. 305. pag. 154.
Emeritenſe, in Hiſpania, *di Merida*, anno 666. pag. 154.
Epaunenſe, ſive Epaonenſe in Gallia, *d'Epaona*, *o di Ponas*, malè aliquando *Eupanenſe*, anno 517. pag. 150.
EPHESINUM I. generale III. in Aſia, *d'Efeſo*, anno 431. p. 123.
Ephesinum II. Conciliabulum, ſive Synodus Epheſina Latrocinalis, anno 449. pag. 142.
Apud Epheſum, corruptè pro *apud Erphesfurt* ſequenti.
Erphordienſe, ſive apud Erphesfurt, in Germania, *d'Erford*, an. 932. pag. 168.
Eugenii Papæ, ſive Romanum ſub Eugenio II. *di Roma ſotto Eugenio*, anno 826. pag. 158.

F

Apud FAVENTIAM, *di Faenza*, nullum extat: fortè pro Placentino, anni 1095.
FLORENTINUM generale XVIII. in Italia, *di Firenze*, an. 1438. ad 1441. pag. 137.
Forojulienſe, in Italia, *di Friuli*, an. 791. pag. 159.
Francicum, fortè pro Liptinenſi, *di Leſſines*.
Francofordienſe, ſive Francofurtenſe, in Germania, *di Francfort*, anno 794. pag. 140.

GABI-

G

GABILONENSE, lege Cabilonenſe.
Gangrenſe in Pontica, *di Gangra*, circa annum 324. pag. 145.
Gerundenſe in Hiſpania, *di Gironna*, an. 517. pag. 154.
* Geſta Pontificum Romanorum, circa an. 968.
Apud Guarmatiam, vide Vormacienſe.
Guaſtallenſe in Longobardia, ſive apud Guardaſtallum, *di Guaſtallà*, an. 1106. pag. 160.

H

HADRIANI Papæ, *di Roma ſotto Adriano II.* anno 868. pagin. 158.
Heduenſe, vide *Eduenſe*, & Auguſtodunenſe.
Hibernenſe, ſive Hibernicum, *d' Irlanda*, fortè anni 1151. pagin. 169.
Hilerdenſe, ſcribe & quære *Ilerdenſe*.
Hipponenſe, malè quibuſdam Hyponenſe, *d' Ippona*, in Africa, an. 393. pag. 146. aliquando perperam citatur pro *Epaunenſi*.
Hiſpalenſe I. in Hiſpania, *di Siviglia*, circa an. 590. pag. 154.
Hiſpalenſe II. anno 619. pag. eadem.
* Hiſtoria Tripertita, circa 528.
* Hiſtoria Miſcella, circa 880.
Hybernenſe, imò Hibernenſe.

I

ILERDENSE in Hiſpania, *di Lerida*, anno 524. pag. 154.
* Inſtitutiones Juſtiniani, anno 533. pag. 279.
Joannis Papæ IX. Ravennæ habitum in Italia, anno 904. vide Ravennate, pag. 160.

L

LAODICENSE, ſive Laodicenum, *di Laodicea*, in Aſia, circa ann. 320. pag. 146. citatur aliquando pro Carthaginenſi IV.
Lateranenſe, ſive Romanum ſub Martino I. *di Roma in San Giovanni di Laterano*, vide Martini.
Lateranenſe, ſub Stephano III. an. 769. vide Romanum ſub Stephano III. pag. 158.
Lateranenſe Eugenii II. anno 826. vide Romanum Eugenii II. p. 158.
Lateranenſe ſub Nicolao II. anno 1059. vide Romanum Nicolai II. pag. 158.
Lateranenſe ſub Gregorio VII. quaſi generale, anno 1078. vide Romanum V. ſub Greg. VII. pag. 258.
LATERANENSE I. generale IX. *primo Generale Lateranenſe*, anno 1123. pag. 131.

LATE-

LATERANENSE II. generale IX. an. 1129. pag. 132.
LATERANENSE III. generale XI. an. 1179. & 1180. pag. 132.
LATERANENSE IV. generale XII. an. 1215. pag. 133.
LATERANENSE V. generale XIX. an. 1511. ad 1518. pag. 137.
Leonis Papæ ſine numero, *di Roma ſotto Lione IV.* an. 853. vide Romanum Leonis IV. pag. 158.
Leonis III. ſive Romanum ſub Leone III. circa annum 800. p. 158.
Leonis IX. Papæ, *Romano ſotto Lione IX.* circa an. 1050. pag. ead.
* Liber Diurnus, circa annum 714.
* Liber Pontificalis, ſive de Vitis Pontificum, an. 870.
Liptinenſe, in Gallia, *di Leſſines*, an. 743. pag. 166.
Londonienſe Lanfranci, ſive Londinenſe, in Anglia, *di Londra*, quod & Anglicum anno 1075. pag. 168.
Londonienſe B. Anſelmi, ſeu Vveſtmonaſterienſe, an. 1102. p. 169.
Londonienſe aliud Anſelmi, anno 1108. pag. ead.
Londonienſe ſub Albetico Oſtienſi Epiſcopo Legato, an. 1138. p. ead.
Lugdunenſe II. Provinciale in Gallia, *di Lion*, an. 567. pag. 153.
Lugdunenſe III. anno 583. pag. ead.
LUGDUNENSE I. generale XIV. anno 1243. pag. 134.
LUGDUNENSE II. generale XV. an. 1274. pag. ead.

M

MACIENSE, ſive apud Maciam, citatur pro Iſidoro.
Maguntinenſe, vide *Moguntinum*.
Manetenſe, lege *Nannetenſe*.
* Martini Bracarenſis collectio eſt Canonum Orientalium, anni 572.
Conc. Martini Papæ, eſt Romanum ſive *Lateranenſe*, ſub Martino I. anni *649*. Sæpè etiam citatur pro collectione *Martini Bracarenſis*.
Maticenſe, fortè pro Matiſcenſi: ſed citatur pro Vvormàcienſi.
Matiſcenſe, aliàs Matiſconenſe I. in Gallia, *di Maſcon*, anno 581. pag. 153.
Matiſconenſe II. ann. 585. pag. ead.
Apud S. Medardum, *di S. Medardo*, vulgò *San Mardo di Soiſſons*, vide Sueſſionenſe II.
Mediomatricis, vide *Motenſe*.
Mediolanenſe in Italia, *di Milano*, Conciliabulum, priùs Catholicum, deſiit in hæreticum, anno 355. pag. 141.
Meldenſe in Gallia, *di Meaux*, aliàs apud Meldam, an. 845. pag. *163*.
Melfienſe, vide apud Melphiam, proximè ſequenti articulo.
Melphitanum, ſive apud Melphiam, in Apulia, *di Melfi*, anno 1090. pag. 160.
Merech, lege & quære *Emeritenſe*.
Metenſe I. ſeu Mediomatricenſe in Gallia, *di Mets*, fortè anni 835.
Metenſe II. ſeu apud Metiam, an. 888. pag. 164.
Milevitanum II. in Africa, *di Milevi*, an. 416. pag. 147.
Moguntinum, ſeu Moguntiacenſe, aliàs Maguntinenſe, in Germania, *di Mogonza*, an. 813. p. *161*. citatur aliquando pro Cabilonenſi II.
Moguntinum I. ſub Rabano Archiepiſcopo, an. 847. pag. 167.

Moguntinum II. ſub eodem Rabano, anno 848.
Moguntinum III. ſub eodem, anno 852.

N

NANNETENSE in Gallia, *di Nantes in Brettagna*, anno 890. pag. 164.
Navatenenſe, perperam pro *Nannetenſi*.
Neocæſarienſe in Pontica, *di Neoceſarea*, circa an. 314. pag. 145.
NICÆNUM I. Oecumenicum, in Bithynia, *di Nicea*, an. 325. vide pag. 115.
NICÆNUM II. ibidem, Oecumenicum VII. an. 787. pag. 130.
Nona Synodus Oecumenica, vide Concilium *Lateranenſe I.* generale.
* Novellæ Juſtiniani, ſive Authenticum, circa an. 560.

O

OCTAVA Synodus, vide Concilium *Conſtantinopolitanum IV.* generale VIII.
Oxonienſe, in Anglia, *d'Oxford*, an. 1222.

P

PARISIENSE III. quod & abſolutè Pariſienſe, in Gallia, *di Parigi* anno 557. pag. 151.
Pariſienſe V. an. 615. pag. ead.
Pariſienſe VI. an. 829. pag. 162.
Pictavenſe in Gallia, *di Poitiers*, an. 1078. pag. 165.
Pictavenſe aliud anni 1100. ead. pag.
PISANUM in Italia, generale, *di Piſa*, an. 1409. pag. 135.
Piſtenſe, ſeu apud Piſtas, in Gallia, *di Piſtres*, an. 863.
Placentinum ſive Placentiæ in Italia, *di Piacenza*, an. 1095. pag. 160.
* Pœnitentiale Theodori Cantuarienſis, circa annum 660. pag. 364.
* Pœnitentiale venerabilis Bedæ, ſive Egberti, circa an. 710. pag. 365.
* Pœnitentiale Romanum poſterius, circa annum 850. pag. 367.

Q

QUINISEXTA Synodus, ſive *Trullana*, quæ & pro *Sexta* aliquando citatur; eſt Concilium Conſtantinopolitanum in Trullo Palatii, anni 692.
Quinta Synodus, vide Conſtantinopolitanum II. Concilium.

R

RAVENNATE, ſive Synodus Ravennæ in Italia ſub Joanne VIII. anno 877. pag. 159.
Ravennate aliud ſub Joanne IX. an. 904. pag. ead.
Ravennate ſub Gregorio V. an. 997. pag. 160.

Regia-Ticina Synodus, pro Ticinenſi.
Regienſe, ſeu Reienſe, *di Riez*, an. 439. pag. 148.
Remenſe, ſeu Rhemenſe in Gallia, *di Rems*, an. 630. pag. 153.
Remenſe II. an. 813. pag. 161.
Remenſe tempore Leonis IX. an. 1049. pag. 164.
Rhemenſe, vide Remenſe.
Romanum I. ſub Silveſtro in Italia, *di Roma*, an. 315. pag. 155.
Romanum II. ſub eodem, an. 324. pag. 156.
Romanum III. ſub Silveſtro, an. 325. pag. ead.
Romanum II. ſub Julio contra Arianos, an. 342.
Romanum Leonis II. an. 445.
Romanum ſub Hilaro, ſeu Hilario, an. 467. pag. 156.
Romanum ſub Gelaſio, an. 494. pag. ead.
Romanum I. ſub Symmacho, an. 499. pag. ead.
Romanum II. ſub eodem, an. 500. ead. pag.
Romanum III. ſub eodem, an. 501. ead. pag.
Romanum IV. ſive Synodus *Palmaris*, ſub eod. an. 502. pag. ead.
Romanum V. & VI. ejuſdem, an. 503. ibidem.
Romanum III. ſub Gregorio I. ſive *Lateranenſe*, an. 601. pag. 157.
Romanum II. ſub Gregorio I. an. 595. pag. ead.
Romanum ſub Boniſacio III. an. 606. pag. ead.
Romanum ſub Joanne IV. an. 641.
Romanum ſeu Lateranenſe ſub Martino I. quod dicitur etiam Martini Papæ, an. 649. pag. 157.
Romanum I. ſub Gregorio Juniore, in Baſilica ſancti Petri, anno 721. pag. ead.
Romanum II. ſub Gregorio III. an. 731.
Romanum ſub Zacharia, an. 743. pag. 157.
Romanum ſub Stephano III. an. 769. pag. 158.
Romanum Leonis III. anno 800. pag. ead.
Romanum ſub Eugenio II. anno 826. pag. ead.
Romanum ſub Leone IV. anno 853. pag. ead.
Romanum ſub Nicolao III. an. 863.
Romanum Conciliabulum Leonis VIII. ſic falsò dicti Antipapæ, anno 962. pag. 158.
Romanum ſub Leone IX. an. 1050. pag. ead.
Romanum ſub Nicolao II. an. 1059. pag. ead.
Romanum I. Alexandri II. anno 1063. pag. ead.
Romanum II. & III. ſub eod. 1065. pag. ead.
Romana ſub Gregorio VII. an. 1074. & ſeqq. pag. ead.
Romana ſub Urbano II. anno 1089. & 1099. pag. 159.
Rothomagenſe I. ſive Rotomagenſe, in Gallia, *di Roven*, an. 1050. pag. 164.
Rothomagenſe II. an. 1072. pag. 165.

S

SALECUNSTADIENSE, ſeu Salegunſtanum, in Rhetia, *di Salgunſtat*, an. 1022. pag. 168.

Sardi-

Sardicenſe, quaſi generale, in Dacia, *di Sardica*, ann. 347. pagin. 139.
Sardicenſe Conciliabulum, eod. anno pag. ead.
Senonenſe in Gallia, *di Sens*, ann. 920. aliud an. 1140. contra Abelardum.
Sexta Synodus eſt CONSTANTINOPOLITANA III.
Septima Synodus eſt NICÆNA II.
Spalenſe, lege *Hiſpalenſe*.
Sueſſionenſe II. in Gallia, *di Soiſſons*, ſeu apud ſanctum Medardum, an. 853. pag. 163.
Silvanectenſe in Gallia, *di Senlis*, vide Apud *Convicinum*, an. 863.
Sirmienſe Conciliabulum, in Pannonia, ex parte Catholicum, *di Sirmio, ovvero Sirmiſch*, an. 357. pag. 141.
Synodus Chalcedonenſis, Nicæna, Romana &c. vide *Chalcedonenſe, Nicænum, Romanum Concilium*.
Synodus generalis ſub Innocentio. Vide *Lateranenſe*.
Synodus in Trullo. Vide *Conſtantinopolitanum*.
Synodus ſub Juſtiniano congregata, eſt VII. ſive Concilium *Nicænum II.* ſub Juſtiniano 2.
Stephani Papæ III. habitum in Baſilica Conſtantiniana. Vide *Romanum* ſeu *Lateranenſe* Stephani 3.

T

TARRACONENSE in Hiſpania, *di Tarracona*, ann. 516. pag. 153.
Taurinate, ſeu Taurinenſe, in Subalpinis, *di Torino*, circa annum 347. pag. 148.
Apud Tanſiacum, lege Apud *Cariſiacum*.
Apud Theodonis villam, in Gallia, *di Thionvilla*, ann. 821. pagin. 162.
Teleptenſe, aliàs Telenſe, in Africa, an. 418. pag. 147.
Ticinenſe in Longobardia, *di Pavia*, an. 855. pag. 159.
Tyrium in Oriente Conciliabulum, *di Tiro*, an. 335.
Toletanum, abſolutè pro non uno priorum Toletanorum citatur.
Toletanum I. in Hiſpania, *di Toledo*, an. 400. pag. 152.
Toletanum II. anno 531. pag. 153.
Toletanum III. an. 589. in quo Vviſigothi Catholicam fidem amplexi ſunt. pag. 153.
Toletanum IV. anno 633. pag. ead.
Toletanum V. anno 636. eadem pag.
Toletanum VI. anno 638. ibid.
Toletanum VII. anno 646. ibid.
Toletanum VIII. anno 653. ibid.
Toletanum IX. anno 655. eadem pag.
Toletanum X. anno 656. pag. eadem.
Toletanum XI. anno 675. pag. ead.
Toletanum XII. anno 681. pag. ead.
Toletanum XIII. anno 683. pag. ead.

Toletanum XVI. anno 693. pag. ead.
Trecenſe, ſeu Tricaſſinum, in Gallia, *di Troyes*, an. 878. pag. 163. & ſeq.
Triburienſe in Germania cis Rhenana, ſive Gallica, *di Triburia*, anno 895.
Triburienſe III. anno 1036.
TRIDENTINUM, in Italiæ & Germaniæ confinio, generale ultimum, *di Trento*, ab anno 1545. ad 1563. pag. 137.
Trosleianum in Gallia, *di Trouilly*, anno 909. pag. 164.
Tullenſe I. ſive apud Saponarias, *di Tul nella Lorena*, ann. 859. pag. 163.
Tullenſe II. apud Tuſiacnm, anno 860. pag. ead.
Turonenſe ſive Turonicum I. in Gallia, *di Turs*, an. 461. pag. 149.
Turonenſe III. aliàs II. an. 813. pag. 161.
Turonenſe aliud, quod quidam tertium vocant, ſub Alexandro III. an. 1163. pag. 140.

V

VALENTINUM I. in Gallia, ſive apud Valentiam, *di Valenza nel Dolfinato*, anno 374. pag. 148.
Valentinum III. anno 855. pag. 163.
Valentinum Hiſpanicum, anno 524. pag. 154.
Vaſenſe, ſeu Vaſionenſe, perperam Varenſe, in Gallia, *di Vaiſon*, anno 529. pag. 149.
Veneticum in Gallia, *di Vannes in Bretagna*, an. 465. pag. 149.
Apud Vermeriam, ſive Vermerienſe, in Gall. *di Verberia*, an. 753. pag. 161.
Viennenſe in Gallia, *di Vienna nel Delfinato*, anno 892.
VIENNENSE generale XV. in Gallia, *di Vienna*, an. 1311. pag. 134.
Urbani Papæ, celebratum Alverniæ: vide *Claromontanum*.
Urbani, ſive Urbanenſe, habitum in Apulia, idem cum *Melphitano*.
Urbani II. Placentiæ, vide *Placentinum*.
Urbanenſe, perperam citatur pro Arvernenſi I. anni 535. pag. 151.
Urbicum, videtur citari pro *Autiſſiodorenſi*.
Vvormacienſe, ſive apud Vvarmatiam, vel apud Guarmaciam, in Germania, *di Vormes*, circa annum 868.

INDEX

III.

INDEX ALPHABETICUS ROMANORUM PONTIFICUM.

A

Numero ſive ordine.	
LXXVII.	ADEODATUS, iniit an. 671. ſedit annos 7. menſ. 2. dies 17.
	Adrianus, vide Hadrianus.
LVIII.	Agapetus I. iniit 511. ſedit menſ. 10. d. 14. aut 18.
CXXX.	Agapetus II. iniit 946. ſedit an. 9. men. 7. d. 19.
LXXX.	Agatho, iniit 678. ſedit an. 3. men. 6. dies 25. Vide Prænot. pag. 211.
VII.	Alexander I. iniit 119. ſedit an. 10. men. 5. dies 20. vide Prænot. pag. 185.
CLIV.	Alexander II. iniit 1061. ſedit an. 11. dies 22. v. Prænot. pag. 217.
CLXVIII.	Alexander III. iniit 1159. ſedit an. 21. men. 11. dies 22. v. Prænot. pag. 220.
CLXIX.	Alexander IV. iniit 1254. ſedit an. 6. menſ. 5. dies 4. v. pag. 222.
CCIV.	Alexander V. in. 1409. ſedit menſ. 10. dies 8.
CCXIV.	Alexander VI. in. 1492. ſedit an. 11. dies 8.
CCXXXVII.	Alexander VII. iniit 1655. ſ. an. 12. men. 1. dies 15.
CCXLI.	Alexander VIII. iniit 1689. an. 1. m. 3. d. 25.
V.	Anacletus I. iniit 101. ſ. an. 9. men. 3. dies 10. v. pag. 184.
	Anacletus II. ſeu Petrus Leonis, Antipapa, 1130.
XL.	Anaſtaſius I. in. 398. ſ. an. 4. men. 1. dies 13. v. pag. 198.
LI.	Anaſtaſius II. in. 496. ſ. an. 1. men. 11. d. 23. v. p. 203.
CXXI.	Anaſtaſius III. iniit an. 910. ſ. an. 2. menſ. 2.
CLXVI.	Anaſtaſius IV. in. 1153. ſ. an. 1. men. 4. d. 24.
XII.	Anicetus iniit 165. ſ. an. 7. men. 8. dies 24. v. pag. 187.
XX.	Anterus iniit 235. ſ. menſ. 1. vide pag. 190.

B

LXIII.	BENEDICTUS I. iniit 573. ſedit an. 4. menſ. 2. dies 15. vide Prænot. pag. 208.
LXXXII.	Benedictus II. iniit 684. men. 8. dies 17. vide pag. 212.
CVI.	Benedictus III. 855. an. 2. men. 6. dies 10.
CXVII.	Benedictus IV. 905. per aliquot menſes.
CXXXII.	Benedictus V. 964. an. 1. circiter.
CXXXV.	Benedictus VI. 972. an. 1. menſ. 3. dies aliquot.
CXXXVI.	Benedictus VII. 975. an. 9.
CXLIV.	Benedictus VIII. 1013. an. ferè 12.

CXLVI. Benedictus IX. 1034. an. 10. menſes aliquot.
Benedictus X. ſeu Joannes Mincius Antipapa, 1059.
CXCII. Benedictus XI. 1303. menſes 8. dies 17.
CXCV. Benedictus XII. 1334. an. 7. men. 4. dies 6.
Benedictus XIII. Antipapa, Petrus de Luna dictus, 1394.
XLIII. Bonifacius I. 418. an. 4. menſ. 9. dies 28. v. pag. 200.
LVI. Bonifacius II. 530. an. 2. dies 2. v. pag. 205.
LXVII. Bonifacius III. 606. men. 8. dies 23. v. pag. 210.
LXVIII. Bonifacius IV. 607. an. 6. menſ. 8. dies 13.
LXX. Bonifacius V. 617. an. 7. men. 10. dies 1.
Bonifacius VI. 897.
Bonifacius VII. Francus Antipapa, 974.
CXCI. Bonifacius VIII. 1294. an. 8. men. 9. dies 18.
CCI. Bonifacius IX. 1389. an. 14. men. 11.

C

XLIV. COELESTINUS I. iniit 427. ſedit an. 8. menſ. 5. dies 3. vide Prænot. pag. 200. & ſeq.
CLXIII. Cœleſtinus II. iniit 114. ſedit menſes 5. dies 13. v. p. 219.
CLXXIII. Cœleſtinus III. 1191. an. 6. men. 8. dies 28. pag. 221.
CLXXVII. Cœleſtinus IV. 1241. dies 18.
CXC. Cœleſtinus V. 1294. menſ. 5. dies 8.
XXIX. Cajus 283. an. 12. men. 4. d. 5. pag. 193.
XVII. Calliſtus I. 219. an. 5. men. 1. d. 12. pag. 189.
CLX. Calliſtus II. 1119. an. 5. men. 10. d. 13. pag. 218.
CCIX. Calliſtus III. 1455. an. 3. men. 5. d. 29. pag. 225.
Calliſtus ſive Theobaldus, 1124.
Calliſtus III. ſeu Joannes Abbas Stranenſis Antipapa, 1162.
CXIX. Chriſtophorus 906. menſ. 7.
IV. Clemens I. 91. an. 9. men. 6. dies 6. pag. 182.
CXLVIII. Clemens II. 1046. menſ. 9.
CLXXII. Clemens III. 1188. an. 3. men. 2. dies 10. pag. 220.
CLXXXI. Clemens IV. 1265. an. 3. men. 9. dies 2. pag. 223.
CXCIII. Clemens V. 1305. an. 8. men. 10. dies 16. pag. 224.
CXCVI. Clemens VI. 1342. an. 10. menſ. 6. d. 29. pag. 225.
CCXIX. Clemens VII. 1523. an. 10. men. 10. d. 7.
CCXXXI. Clemens VIII. 1592. an. 13. men. 1. d. 3.
CCXXXVIII. Clemens IX. iniit 1667. an. 2. m. 5. d. 12.
CCXXXIX. Clemens X. iniit 1670. an. 6. m. 2. d. 23.
CCXLIII. Clemens XI. iniit 1700.
Clemens III. Antipapa, ſeu Giubertus Ravennæ Archiepiſcopus, 1080.
Clemens VII. Robertus Gebennenſis Epiſcopus Antipapa, 1378.
Clemens VIII. Ægidius Antipapa Paniſcholæ, 1424.
III. Cletus iniit an. 78. an. 12. men. 7. dies 2. 182.
LXXXIV. Cono 686. men. 11. dies 23.
LXXXIX. Conſtantinus 708. an. 6. men. 1. dies 2.

Con-

Conſtantinus Antipapa, 768.
XXII. Cornelius, 251. an. 4. dies 17. pag. 191.

D

XXXVIII. DAMASUS I. iniit 367. ſedit an. 17. menſ. 2. dies 27. vide Prænot. pag. 197.
CXLIX. Damaſus II. iniit 1048. ſedit dies 23.
LXIX. Deus-dedit 614. an. 2. men. 11. dies 26. pag. 210.
XXVI. Dionyſius, 258. an. 12. menſ. 3. dies 14. pag. 192.
Dioſcorus Antipapa quintus, 530.
LXXIX. Donnus I. 676. an. 1. menſ. 5. dies 10.
CXXXIV. Donnus II. 972. menſes 3.

E

XIV. ELEUTHERIUS iniit 177. ſedit an. 15. dies 23. vide Prænot. pag. 188.
VI. Evariſtus, in. 110. ſedit an. 9. men. 3. pag. 185.
LXXVI. Eugenius I. 655. men. 5. aut 6. ad d. 23.
CI. Eugenius II. 824. an. 3. men. 2. dies 23. pag. 214.
CLXV. Eugenius III. 1145. an. 8. menſ. 4. dies 13. pag. 219.
CCVII. Eugenius IV. 1431. an. 15. men. 11. dies 20. pag. 225.
Eulalius Antipapa tertius, 418.
XXXII. Euſebius, 309. an. 2. men. 8. dies 21. pag. 194.
XXVIII. Eutychianus, 275. an. 8. men. 6. dies 4. pag. 192.

F

XXI. FABIANUS iniit 236. ſedit annos 15. dies 5. vide Prænot. pag. 190.
XXVII. Felix I. iniit 270. ſedit an. 4. men. 4. dies 29. pag. 192.
Felix cum Liberio, 356.
XLIX. Felix II. 483. an. 8. men. 11. dies 22. pag. 197.
LV. Felix III. 526. an. 3. men. 3. dies 14. pag. 202.
Felix IV. Amedeus, Dux Sabaudiæ, Antipapa, 1439. vide pag. 205.
CXIII. Formoſus, 890. an. 6. menſes 6.

G

L. GELASIUS I. iniit 492. ſedit annos 4. menſes 8. dies 19. vide Prænot. pag. 203.
CLXIX. Gelaſius II. 1118. an. 1. dies 4. pag. 218.
LXV. Gregorius I. 590. an. 13. menſ. 6. dies 10. pag. 208.
XC. Gregorius II. 714. an. 16. men. 8. dies 20. pag. 212.
XCI. Gregorius III. 731. an. 10. men. 9. dies 12. pag. 213.
CIII. Gregorius IV. 827. an. 15. menſ. 14. pag. 214.
CXXXIX. Gregorius V. 996. an. 2. men. 8. dies 6.

CXLVII.	Gregorius VI. 1044. an. 2. menſ. 8.
CLV.	Gregorius VII. 1073. an. 12. menſ. 1. dies 3. pag. 217.
CLXXI.	Gregorius VIII. 1187. duos ferè menſes. p. 220.
CLXXVI.	Gregorius IX. 1227. an. 14. men. 5. dies 3. pag. 222.
CLXXXII.	Gregorius X. 1271. an. 4. men. 4. dies 10. pag. 223.
CXCIX.	Gregorius XI. 1371. an. 7. men. 2. dies 24.
CCIII.	Gregorius XII. 1406. an. 2. menſ. 6. dies 14.
CCXXVI.	Gregorius XIII. 1572. an. 12. men. 10. d. 29.
CCXXIX.	Gregorius XIV. 1590. men. 10. dies 10.
CCXXXIV.	Gregorius XV. 1621. an. 2. men. 5.
	Gregorius Antipapa, 1013.

H

XCVII.	HADRIANUS I. iniit 772. ſedit an. 23. men. 10. dies 17. vide Prænot. pag. 213.
CVIII.	Hadrianus II. iniit 867. ſedit an. 4. menſ. 10. dies 17. pag. 215.
CXI.	Hadrianus III. 884. an. 1. men. 3. dies 19.
CLXVII.	Hadrianus IV. 1154. an. 4. men. 8. dies 29.
CLXXXIV.	Hadrianus V. iniit 1276. ſedit dies 29.
CCXVIII.	Hadrianus VI. 1522. an. 1. menſ. 8. dies 6.
XLVII.	Hilarus iniit 461. ſedit an. 5. men. 9. dies 29. v. pag. 202.
LXXI.	Honorius I. in. 626. ſ. an. 12. men. 4. dies 27. v. pag. 210.
CLXI.	Honorius II. 1124. an. 5. men. 1. dies 17. pag. 219.
CLXXXV.	Honorius III. 1216. an. 10. menſes 8. pag. 221.
CLXXXVIII.	Honorius IV. 1285. an. 2. & diem unum.
	Honorius II. ſeu Cadalous, Antipapa, 1062.
LVIII.	Hormiſdas 514. an. 9. dies 10. pag. 204.
X.	Hyginus 152. an. 3. dies 28. pag. 187.

I

XLI.	INNOCENTIUS I. iniit 402. ſedit an. 15. menſes 2. dies 10. vide Prænot. pag. 199.
CLXII.	Innocentius II. 130. ann. 13. men. 7. dies 10. v. pag. 219.
CLXXIV.	Innocentius III. 1199. ann. 18. menſ. 6. dies 9. p. 221.
CLXXVIII.	Innocentius IV. 1241. an. 11. men. 5. dies 14. pag. 222.
CLXXXIII.	Innocentius V. 1276. menſ. 5. dies 5.
CXCVII.	Innocentius VI. 1352. an. 9. men. 8. dies 20.
CCII.	Innocentius VII. 1404. an. 2. dies 22.
CCXIII.	Innocentius VIII. 1484. an. 7. men. 10. dies 27.
CCXXX.	Innocentius IX. 1591. menſes 2.
CCXXXVI.	Innocentius X. 1644. an. 10. men. 3. dies 22.
CCXL.	Innocentius XI. iniit 1676. an. 12. men. 10. dies 22.
CCXLII.	Innocentius XII. iniit 1691. an. 9. men. 2. dies 15.
LIV.	Joannes I. 523. an. 2. men. 9. dies 14. pag. 205.
LVII.	Joannes II. 532. an. 2. men. 8. pag. 206.
LXII.	Joannes III. 559. an. 12. menſ. 11. dies 16. pag. 207.

LXXIII.	Joannes IV. 640. an. 1. menſ. 9. dies 6.
LXXXIII.	Joannes V. 685. an. 1. dies 11.
LXXXVI.	Joannes VI. 701. an. 3. men. 2. dies 12.
LXXXVII.	Joannes VII. 705. an. 2. men. 7. dies 17.
CIX.	Joannes VIII. iniit 872. ſedit an. 10. diem unum.
CXVI.	Joannes IX. iniit 901. ſedit an. 3. dies 15.
CXXIII.	Joannes X. 913. an. 15.
CXXVI.	Joannes XI. 931. an. 4. men. 10.
CXXXI.	Joannes XII. 955. an. 9. aut 10.
CXXXIII.	Joannes XIII. 965. an. 6. men. 11. dies 5.
CXXXVII.	Joannes XIV. 984. an. 1. & aliquot menſ.
CXXXVIII.	Joannes XV. 985. an. 10. men. 4. dies 12.
	Joannes XVI. Antipapa.
CXLI.	Joannes XVII. 1003. menſes 5.
CXLII.	Joannes XVIII. 1003. an. 5. men. 7. dies 28.
CXLV.	Joannes XIX. 1024. an. 9. menſ. 8.
	Joannes XX. Antipapa, 1043. *ideoque omiſſus.*
CLXXXV.	Joannes XXI. 1276. men. 8. dies 8.
CXCIV.	Joannes XXII. 1316. an. 18. men. 3. dies 28. pag. 224.
CCV.	Joannes XXIII. 1410. an. 2. dies 15.
	Joannes Diaconus Antipapa, 844.
XXXVI.	Julius I. 326. an. 15. men. 5. dies 17. pag. 195.
CCXVI.	Julius II. 1502. an. 9. men. 3. dies 21.
CCXXI.	Julius III. 1550. an. 5. men. 1. dies 16.

L

CXXII.	LANDUS iniit 912. ſedit aliquot menſes.
	Laurentius Antipapa quartus, 498.
XLVI.	Leo I. iniit 440. ſedit annos 20. men. 11. v. pag. 201.
LXXXI.	Leo II. 683. menſ. 10. dies 14. v. pag. 211.
XCVIII.	Leo III. 795. an. 20. men. 5. dies 17. v. pag. 214.
CV.	Leo IV. 847. an. 8. menſ. 3. dies 5. v. pag. ead.
CXVIII.	Leo V. iniit 906. ſedit dies 40.
CXXIV.	Leo VI. 928. menſ. 6. dies 15.
CXXVII.	Leo VII. 938. an. 3. men. 6.
	Leo VIII. ab Othone intruſus, 962.
CL.	Leo IX. 1049. an. 5. men. 2. dies 7. pag. 216.
CCXVII.	Leo X. 1513. an. 8. dies 20.
CCXXXII.	Leo XI. 1605. dies 27.
XXXVII.	Liberius 352. an. 15. men. 4. dies 2. pag. 196.
II.	Linus 67. an. 11. men. 2. dies 23. pag. 182.
XXIII.	Lucius I. 253. an. 1. men. 4. pag. 191.
CLXIV.	Lucius II. 1144. men. 11. dies 14. pag. 219.
CLXIX.	Lucius III. 1181. an. 4. men. 2. dies 18. 220.

M

XXX.	MARCELLINUS iniit 296. ſedit an. 7. menſ. 11. dies 26. pag. 193.
XXXI.	Marcellus I. iniit 304. ſedit an. 4. men. 1. d. 25. pag. ead.
CCXXII.	Marcellus II. 155. dies 21.
XXXV.	Marcus 336. an. 8. dies 22. pag. 195.
CX.	Marinus I. 882. an. 1. dies 20.
CXXIX.	Marinus II. 942. an. 3. men. 4. dies 13.
LXXV.	Martinus I. 649. an. 5. men. 4. dies 10. pag. 210.
CLXXXVII.	Martinus dictus IV. 1281. an. 4. men. 1. dies 7.
CCVI.	Martinus dictus V. 1417. an. 13. men. 3. dies 12. pag. 225.
	Mauricius Burdinus Bracar. Archiep. Antipapa, 1118.
XXXIII.	Melchiades, 311. an. 2. men. 2. dies 7. pag. 194.

N

CVII.	NICOLAUS I. iniit 858. ſedit annos 9. menſes 6. dies 20. vide Prænot. pag. 215.
CLIII.	Nicolaus II. iniit 1059. ſedit an. 2. men. 6. pag. 217.
CLXXXVI.	Nicolaus III. iniit 1277. ſedit an. 2. men. 9. dies 2.
CLXXXIX.	Nicolaus IV. 1287. an. 4. menſ. 1. dies 14.
CCVIII.	Nicolaus V. 1447. an. 8. dies 19.
	Novatianus Antipapa primus 251.

P

C.	PASCHALIS I. iniit 817. ſedit annos 7. menſes 3. dies 16. vide Prænot. pag. 214.
CLVIII.	Paſchalis II. 1099. an. 18. men. 5. dies 4.
	Paſchalis Antipapa, 687.
	Paſchalis III. ſeu Guido Cremenſis, *Antipapa*, 1160.
XCV.	Paulus I. 757. an. 10. men. 10.
CCXI.	Paulus II. 1464. an. 6. men. 10. dies 26. v. pag. 225.
CCXX.	Paulus III. 1534. an. 15. dies 18.
CCXXIII.	Paulus IV. 1555. an. 4. men. 2. d. 24.
CCXXXIII.	Paulus V. 1605. an. 15. men. 8. dies 12.
LXI.	Pelagius I. 555. an. 3. men. 10. dies 18. pag. 207.
LXIV.	Pelagius II. 577. an. 12. men. 2. dies 27. pag. 288.
I.	S. PETRUS iniit 43. ſ. an. 24. men. 5. dies 10. pag. 181.
	Petrus Antipapa, 686.
XI.	Pius I. 156. an. 9. men. 5. dies 27. pag. 187.
CCX.	Pius II. 1458. an. 5. menſ. 11. dies 27.
CCXV.	Pius III. 1503. dies 26.
CCXXIV.	Pius IV. 1559. an. 5. men. 11. dies 15.
CCXXV.	Pius V. 1566. an. 6. men. 3. dies 24.
XIX.	Pontianus 231. an. 4. dies 6. pag. 190.

R

ROMANUS *Galeſinius Antipapa*, 897.

S

LXVI. SABINIANUS iniit 604. ſedit menſ. 5. dies 19.
LXXXV. Sergius I. 687. an. 13. men. 8. dies 14. pag. 214.
CIV. Sergius II. 844. an. 3. men. 1. dies 2.
CXX. Sergius III. 907. an. 13. men. 4.
CXLIII. Sergius IV. 1009. an. 2. men. 8. dies 13.
Sergius Antipapa, 890.
LXXII. Severinus 640. annos 2. dies 4.
LIX. Silverius 536. an. 4.
XXXIV. Silveſter I. 314. an. 21. men. 11. v. pag. 194.
CXL. Silveſter II. 999. an. 4. menſ. 2. aut 3. pag. 216.
Silveſter III. Antipapa, 1043.
XLVIII. Simplicius 467. an. 15. men. 5. dies 10. pag. 202.
XXXIX. Siricius 385. an. 13. men. 1. dies 14. pag. 198.
LXXXVIII. Siſinnius 708. dies 20.
VIII. Sixtus I. 130. an. 9. men. 10. d. 8. pag. 186.
XXV. Sixtus II. 257. an. 11. dies 13. v. pag. 191.
XLV. Sixtus III. 432. an. 7. men. 11. pag. 201.
CCXII. Sixtus IV. 1471. an. 13. dies 5. v. pag. 226.
CCXXVII. Sixtus V. 1585. an. 5. men. 4. dies 3.
XIII. Soter 173. an. 3. men. 11. dies 21. v. pag. 187.
XXIV. Stephanus I. 255. an. 2. men. 3. dies 22. pag. 191.
XCIII. Stephanus omitti ſolitus. 752. dies 4.
XCIV. Stephanus II. 752. an. 5. dies 20. pag. 213.
XCVI. Stephanus III. 768. an. 3. men. 5. dies 12. Ibidem.
XCIX. Stephanus IV. 816. an. 1. men. 7. dies 3. Ibidem.
CXII. Stephanus V. 885. an. 6. & dies aliquot.
CXIV. Stephanus VI. iniit 897. ſedit an. 3. aut 4.
CXXV. Stephanus VII. 929. an. 2. men. 1. dies 15.
CXXVIII. Stephanus VIII. 939. an. 3. men. 4. dies 5.
CLII. Stephanus IX. 1057. octo fere menſes. pag. 217.
LII. Symmachus 498. an. 15. men. 7. dies 27. pag. 204.

T

IX. TELESPHORUS iniit 140. ſedit annos 11. menſes 8. dies 29. vide Prænot. pag. 186.
LXXIV. Theodorus I. iniit 642. ſedit an. 7. men. 5. dies 20.
CXV. Theodorus II. 901. dies 20.
Theodorus Antipapa, 686. & 687.
Theophylactus Antipapa, 757.

Digitized by Google

V

CII. VALENTINUS iniit 827. ſedit dies 40.
XV. Victor I. iniit 192. ſedit an. 9. menſ. 1. dies 28. p. 188.
CLI. Victor II. 1054. an. 2. men. 6.
CLVI. Victor III. 1086. menſ. ferè 10.
Victor III. ſeu Gregorius, Antipapa, 1140.
Victor IV. Octavianus, Antipapa, 1159.
LX. Vigilius 540. an. 15. menſ. 6. pag. 206.
LXXVII. Vitalianus 656. an. 13. men. 4. dies 27.
XVIII. Urbanus I. 224. an. 6. men. 7. dies 4. pag. 190.
CLVII. Urbanus II. 108. an. 11. men. 4. dies 18.
CLXX. Urbanus III. 1185. an. 1. men. 10. dies 25.
CLXXX. Urbanus IV. 1261. an. 3. men. 1. dies 4. pag. 223.
CXCVIII. Urbanus V. 1362. an. 8. men. 1. dies 23. pag. 225.
CC. Urbanus VI. 1378. an. 11. men. 6. dies 6.
CCXXVIII. Urbanus VII. 1590. dies 13.
CCXXXV. Urbanus VIII. 1623. an. 20. men. 11. dies 22.
Urciſinus, ſive Urſinus, Antipapa, 367.

X

XYSTUS, vide *Sixtus*.

Z

XCII. ZACHARIAS iniit 741. ſedit annos 10. menſes 3. dies 10. vide Prænot. pag. 213.
XVI. Zephyrinus iniit 201. ſedit an. 18. dies 18. pag. 189.
Zinzimus, Antipapa, 824.
XLII. Zoſimus 417. an. 1. men. 4. dies 7. pag. 200.

Digitized by Google

IV.

CATALOGUS SIVE INDEX Chronologicus Epiſcoporum *Byzantii* & Patriarcharum CONSTANTINOPOLEOS, partim ex Nicephoro, partim ex Jure Græco-Romano aliiſque ſcriptoribus.

1. ANDREAS Apoſtolus Evangelii apud Byzantium præco, oratorium extruxit in Argyropoli. Ordinavit Epiſcopum Urbis illius Stachyn, cujus meminit Paulus in Epiſtola ad Romanos. Seculo I.
2. *Stachys* jam dictus, qui in Epiſcopatu vixit annos 16.
3. *Oneſimus*, Philemonis ſervus, annos 14.
4. *Polycarpus*, annos 17.
5. *Plutarchus*, annos 16. } Omiſſis à Scaligero, Nicephori exſcriptore. Seculo II.
6. *Sedecion*, ſive Sedecias, annos 9.
7. *Diogenes*, annos 15.
8. *Eleutherius*, annos 7.
9. *Felix*, annos 5.
10. *Polycarpus*, (qui à quibuſdam omittitur) annos 17.
11. *Athenodorus*, ſeu Athenogenes: hic alteram ædem extruxit in loco dicto Elæa, ubi Synaxes habebat, annos 4.
12. *Euzoius*, annos 16.
13. *Laurentius*, annos duos, menſes 6.
14. *Alypius*, annos 13. menſes 6.
15. *Pertinax*, vir conſularis. Hic aliam ædem extruxit in loco maritimo, quem Sycas vocant (hodie Pera, ſive Galata) eique ædi Irenes ſive Pacis nomen indidit. Sedit annos 19.
16. *Olympianus*, annos undecim. Seculo III.
17. *Marcus*, annos 13.
18. *Cyriacus*, annos 16.
19. *Caſtinus*, ſive Ceſtenus, qui ſanctæ Euphemiæ, tunc martyrium paſſæ, ædem condidit in loco cui nomen Petrium; ſedit annos 7.
20. *Titus*, ſive Taratus Citites, annos 35. menſes 6.
21. *Domitius*, ſive Domitianus, frater Probi Imperatoris, annos 24. aliis 21. menſes 6.
22. *Probus*, ejuſdem Domitii filius, annos 12.

Hi fue-

Seculo IV. *Hi fuere Epiſcopi Byzantini ante Conſtantinum, ſub quo cepit Metrophanes, quem Græci primum Patriarcham Conſtantinopolitanum jactant.*

1. *Metrophanes*, prædicti Domitii filius, Probi Epiſcopi frater & Probi Imperatoris fratris filius, cepit circa annum 314. ſedit annos 10. atque Alexandrum ſibi ſubſtituendum curavit.
2. *Alexander*, imperante eodem Conſtantino Magno, cepit anno, ut volunt, 317. ſedit annos 23.
3. *Paulus*, Confeſſor dictus, quia diem obiit in confeſſione, intra altare ſtrangulatus: cepit anno 340. ſæpiùs ſede ſua depulſus à Conſtantio Imperatore, ſemel reſtitutus per Conſtantem.
4. * *Euſebius*, Arianus intruſus, primùm Beryti, dein Nicomediæ, poſtea Conſtantinopolis antiſtes, translatus à Conſtantio anno 340. ejecto Paulo, ſedit annos 2.
5. * *Macedonius* Presbyter ejuſdem Eccleſiæ, qui ab oppugnando Spiritu ſancto Pneumatomachi cognomen tulit, electus ab Arianis anno 342. introducitur à Conſtantio anno 351. abdicatur in Concilio Conſtantinopolitano ab Acacio, anno 359.
6. * *Eudoxius* Arianus, priùs Germaniciæ, deinde Antiochiæ Epiſcopus, translatus Conſtantinopolim à Conſtantio, anno 359.
7. *Evagrius* Orthodoxus, ordinatus ab Euſtathio Antiocheno an. 370. ſed à Valente Imperatore in exilium actus.
8. * *Demophilus*, Semiarianus, qui priùs fuerat Berrhœæ in Thraciâ Epiſcopus, intruditur à Conſtantio anno 378. ſedit annos undecim, menſes 5.
9. *Gregorius* Theologus, qui & *Nazianzenus*, ſub Theodoſio magno, cepit 378. ac poſt annos 3. ad ſua rediit, ſæpiùs turbatus ab Arianis, à quibus adverſus eum intruſus *Maximus* Alexandrinus, ex Philoſopho *Cynico* Arianus.
10. *Nectarius*, Magiſtratum gerens, & adhuc Catechumenus, Arcadio Imperatore, à centum & quinquaginta ſanctis Patribus Concilii Conſtantinopolitani ſimul baptizatus ac conſecratus Epiſcopus, anno 381. ſedit annos 16. menſes 3. aliis 6.
11. *Joannes*, presbyter Antiochenus, cognomento *Chryſoſtomus*, anno 398. ſedit annos 5. menſes 6. deinde in exilium actus.

Seculo V.
12. *Arſacius* Presbyter, Nectarii frater, cepit an. 404. ſedit annos 2.
13. *Atticus* Presbyter, ſub Theodoſio Juniore creatus, an. 405. vivente adhuc Chryſoſtomo exule, ſedit annos 20.
14. *Siſinnius* cepit 426. ſedit annum 1. menſes 10.
15. * *Neſtorius* ex Monacho & Presbytero Antiocheno, frater Nectarii, hæreſiarcha: cum Chriſtum Deum eſſe negaret, apud Oaſim exulare juſſus: cepit an. 428. ſedit annos 3. menſes 2.
16. *Maximianus* Presbyter Conſtantinopolitanus, cepit an. 431. ſedit annos 2. menſes 5.
17. *Proclus*, priùs Cyzici Epiſcopus ordinatus, cepit anno 434. ſedit annos 12. menſes 3.
18. Sanctus *Flavianus*, Presbyter, à Dioſcoro ejectus in Synodo latro-

cinali

Digitized by Google

cinali Epheſina, cepit an. 446. ſedit annos duos, menſes 10.

19. * *Anatolius* Presbyter, Apocriſiarius Dioſcori, ſub Marciano & Leone Magno, cepit an. 449. ſedit annos 8, menſes 8.

20. *Gennadius*, anno 458. Is adorandi gratia Hieroſolymam profectus, in reditu obiit in Cypro: ſedit annos 13. menſes 2.

21. * *Thraitas*, ſive Flabitas: Presbyter ſanctæ Teclæ apud Sycas, ſub Zenone, cepit 471. ſedit menſes 3. dies 7.

22. * *Acacius* Presbyter Orphanotrophus, hæreticus, ſub Anaſtaſio, cepit an. 471. ſedit annos 17. menſes 9. mortuus in anathemate.

23. *Euphemius*, Ptochotrophus, cepit anno 489. ab Anaſtaſio Imperatore expulſus, ſedit annos 6. menſes 6.

24. *Macedonius*, Scevophylax id eſt vaſorum cuſtos, ann. 495. qui ſimiliter ejectus eſt poſt annos 16.

25. * *Timotheus* Scevophylax, ſub Anaſtaſio & Juſtino, cepit ann. 511. annos 6. & menſes 7. Seculo VI.

26. *Joannes* Cappadox, Presbyter & Syncellus ejuſdem Eccleſiæ, ſub Juſtino, cepit anno 517. ſedit annum unum, menſes 10.

27. *Epiphanius* Presbyter & Syncellus, ſub Juſtino & Juſtiniano, cepit 520. ſedit annos 16. menſes 3.

28. * *Anthimus* Trapezuntius Epiſcopus, an. 534. cui à Concilio Menæ contra Severum, dignitas adempta eſt poſt menſ. 10.

29. *Menas*, Presbyter & Xenodochus, Hoſpitii peregrinorum Sampſonici Præfectus, cepit an. 536. ſedit annos 16. men. 6.

30. *Eutychius* Presbyter & Monachus in Monaſterio Amaſiæ, an. 553. interfuit quintæ Synodo Oecumenicæ, ejectus à Juſtiniano: ſedit an. 12. menſ. 2.

31. * *Joannes* 3. Presbyter Antiochenus, è numero Scholaſticorum ſive Advocatorum, intruſus an. 564. ſedit annos 12. menſ. 7.

* *Eutychius* iterum, an. 578. ſub Juſtino Juniore reſtitutus, ſedit ann. 4. menſ. 6.

32. * *Joannes* 4. Diaconus Conſtantinopolitanus, *Jejunator* dictus, temporibus Tiberii, cep. an. 583. ſedit annis 13. menſ. 5.

33. * *Cyriacus*, Presbyter Eccleſiæ ejuſdem, & Oeconomus, an. 596. ſedit ſub Mauricio & Phoca annos fermè 11.

34. * *Thomas* Diaconus Eccleſiæ ejuſdem, & Sacellarius, circa annum 607. ſedit annos 2. menſes 7. Seculo VII.

35. * *Sergius* Diaconus Eccleſiæ ejuſdem, Monothelita, ut & ſequentium plerique, anno 609. ſub Heraclio Imperatore, ſedit annos 30. circiter.

36. * *Pyrrhus*, Presbyter ejuſdem Eccleſiæ, Monachus & Monaſteriorum Magiſter Chryſopoli, anno 639. orta ſeditione ſeceſſit poſt an. 2. menſ. 9. dies 9.

37. * *Paulus* 2. Presbyter ejuſdem Eccleſiæ & Oeconomus, anno 642. ſedit annos fermè 10.

* *Pyrrus* reſtitutus anno 652. ſedit menſ. 4. dies 23.

38. * *Petrus*, Curator accipiendis hoſpitibus in eadem Eccleſia, an. 653. ſedit annos 2. menſes 3. ſub Conſtante Heraclii nepote.

39. * *Thomas* 2. Diaconus ejuſdem Eccleſiæ & Chartarum cuſtos, anno 656. ſedit annos 2. menſ. 7.

40. * *Jo-*

40. * *Joannes* 5. Presbyter Scevophylax, an. 658. ſedit an. 5. menſ. 9.

41. *Conſtantinus* 1. Diaconus, Scevophylax, & Oeconomus, ann. 664. Orthodoxus, ſedit anno 1. menſ. 2. diebus 7. ſub eod. Conſtante; deinde expulſus eſt.

42. *Theodorus* Presbyter, ejuſdem Eccleſiæ ſyncellus & cuſtos Vaſorum, Monothelita, anno 666. ejectus poſt annos 12. menſ. 3.

43. *Georgius Cyprius* Presbyter, ſyncellus & Scevophylas, anno 678. ſub Conſtantino Pogonato Conſtantis filio, ſedit annos 3. menſ. 3. Catholicus interfuit ſextæ Synodo Oecumenicæ.

* *Theodorus Syncellus*, iterum reſtitutus ann. 682. ſedit anno 1. & menſ. 10.

44. *Paulus* 3. Laicus, à ſecretis, anno 684. ſedit annos 7.

45. * *Callinicus*, Presbyter & cuſtos Vaſorum Blachernis, anno 691. autor Synodi Quiniſextæ in Trullo: ſedit annos 12. oculis orbatus & Romam relegatus à Juſtiniano Rhinotmeto.

Seculo VIII. 46. * *Cyrus* Presbyter & Monachus Inſulæ Amaſtridis, anno 703. ſedit annos 9. expulſus à Philippico.

47. * *Joannes* 6. Monachus Diaconus, & Chartarum cuſtos, an. 712. ſedit annos 3.

48. *S. Germanus* Epiſcopus Cyzici, & confeſſor, an. 715. ſedit an. 14. menſ. 5. dies 7. ejicitur ab impio Leone Iſauro.

49. * *Anaſtaſius*, Presbyter & ſyncellus, Iconoclaſta, anno 730. ſedit annos 24. ſub eodem Leone & Conſtantino Copronymo.

50. * *Conſtantinus* 2. Monachus, & Epiſcopus Syllæi, anno 754. intruſus à Copronymo: ſub quo habita Pſeudoſynodus ſeptima contra Imagines: ſedit annos 12. Pulſus in exilium ab eodem Imperatore, deinde capite truncatus.

51. * *Nicetas*, Presbyter ſanctorum Apoſtolorum, & Monaſteriorum Magiſter, Eunuchus, anno 766. ſedit annos 13. menſ. 4.

52. *Paulus Cyprius*, confeſſor, anno 780. Orthodoxus: ſedit annos fermè 4.

53. *Taraſius*, à ſecretis & Laicus, anno 784. Catholicus & propugnator Sanctarum Imaginum, ſedit annos 22.

Seculo IX. 54. *Nicephorus* à ſecretis, Monachus factus, anno 806. expulſus ab impio Leone Armeno ob defenſionem imaginum: ſedit annos 9.

55. * *Theodotus* Meliſſenus, cognomento *Caſſiteras*, Iconomachus, intruſus à Leone Armeno anno 814. ſedit annos 6.

56. *Antonius* Epiſcopus Sylæi, qui & *Caſimatas*, ſub finem ejuſdem Leonis & ſub Michaele ejus filio, anno 823. ſedit an. 13.

57. * *Joannes* 6. ſive Janes Synerofiotes: Presbyter & ſyncellus, anno 834. ſedit annos 9. Iconomachus ſub Theophilo, depoſitus.

58. *Methodius* Homologeta ſeu confeſſor, Imaginum cultor, anno 842. ſedit annos 5. menſ. 4.

59. *Ignatius* Monachus, Michaelis Trauli Imp. filius, Eunuchus, anno 847. ſedit annos 11. menſ. 5.

Hactenus Nicephorus.

60. *Photius* ſenator, & ex Secretario factus Monachus, atque exacto Ignatio, Patriarcha, anno 859. ſedit annos circiter 8. imperantibus Michaele tertio & Baſilio Macedone, à quo abdicare coactus eſt, in

eſt in Synodo quarta œcumenica, jam anno 867. depoſitus.

Ignatius reſtitutus, eodem Macedone regnante, anno 867. ſedit annos 11.

Photius, mortuo Ignatio reſtitutus iterum regnante Leone Philoſopho, an. 878. Autor Schiſmatis præcipuus, ſedit annos 8.

61. *Stephanus*, Imperatoris Baſilii filius, Leonis Sexti cognomento Philoſophi frater, an. 886. ſedit ann. 3.

62. *Antonius* Secundus *Cauleas*, eodem Leone Imperante, an. 888. ſedit annos 2.

63. *Nicolaus*, anteà *Myſticus*, (quod nomen erat dignitatis palatinæ) eodem Leone regnante, an. 890. ſolio dejectus poſt annum.

64. *Euthymius*, ex Monacho, & ſyncello, an. 901. ſedit ann. 10. menſ. 6. pulſus & in exilio mortuus. Seculo X.

Nicolaus Myſticus, reſtitutus anno 911. ſedit an. 19.

65. *Stephanus* Metropolitanus Amaſeæ, 930. ſub Romano Lecapeno ſedit an. 2. menſ. undecim.

66. *Trypho* Monachus, an. 933. Imperante Romano eodem, Patriarcha ad tempus, donec Theophylactus ſequens adoleſceret, adminiſtravit annis 11.

67. *Theophylactus* Lecapeni filius, an. 944. conſecratus, ſedit annis 12. dies 25.

68. *Polyeuctus* Eunuchus, an. 956. Imperante Conſtantino 8. Romani filio, præfuit annos 14. menſ. 5.

69. *Baſilius Scamandrenus* Monachus anno 970. ſub Joanne Zimiſce. Sedit an. 4. depoſitus ob crimen.

70. *Antonius* Tertius Monachus *Studites*, an. 975. eodem Zimiſce, & poſt eum Baſilio Juniore & Conſtantino Porphyrogenito fratribus Imperantibus: abdicat anno ſequenti, & vacat ſedes annis 4.

71. *Nicolaus* Secundus *Chryſoberges*, an. 981. iiſdem Auguſtis, ſ. an. 12. me. 8.

72. *Siſinius* Secundus Magiſter, an. 995. iiſdem Imperantibus, ſed. an. 3.

73. * *Sergius*, aliàs Eulogius, Abbas Cœnobii Manuelis, an. 998. iiſdem Imperantibus: ſedit an. 20. ſtirpe & ſecta conjunctus cum Photio.

74. *Euſtathius* Archipresbyter Eccleſiæ Aulicæ, cujus extant doctiſſimi in Homerum Commentarii & alia, an. 1019. regnantibus iiſdem Auguſtis, ſedit an. 6. Seculo XI.

75. *Alexius Studites* ſive Eccleſiarches Manſionis Studiatæ, ann. 1025. ſub Conſtantino Baſilii fratre, & Michaele Paphlagone & aliis: ſedit annis 18.

76. *Michael Cerularius* anno 1043. ſub Conſtantino Monomacho ſedit an. 15. Latinis admodum infenſus. Tandem ab Iſaacio Comneno pulſus.

77. *Conſtantinus* Tertius, *Lychudes*, protoveſtiarius, an. 1058. ſub Iſaacio Comneno & Conſtantino Duca, annos ferè 7.

78. *Joannes* Septimus *Xiphilinus*, an. 1065. ſub eodem Conſtantino Duca, & ſequentibus: ejus eſt Epitome Dionis: ſedit an. 13. menſ. 6.

79. *Coſmas* Monachus Hieroſolymitanus, anno 1078. ſub Nicephoro Boloniate: ſedit an. 7. menſ. 6.

80. *Euſtratius* ſive *Euſtathius* Secundus cognomento *Garidas*, an. 1086. Alexii Comneni tempore, ſedit an. 3.

81. *Nicolaus* tertius Monachus *Grammaticus* ann. 1089. ejuſdem Alexii tempore; ſedit ann. 23. menſ. 3. licèt aliter numerum augeat ſeries Græco-Romana. Hunc Baronius cum Nicolao Muxalone confundere videtur.

Seculo XII. 82. *Joannes* Octavus Hieromnemon, cognomento *Chalcedonius*, ann. 1113. ſub eodem Alexio & Calo Joanne, ſedit annos 23. (legendum puto annos 2.)

83. *Leo Stypiota*, an. 1115. ſub eodem Joanne Comneno, qui Calo Joannes, an. 8. men. 8.

84. *Michael* Monachus *Oxites*, cognomento *Curcuas*, circa an. 1123. ſub eod. ſedit anno 2. menſ. 8.

85. *Coſmas* Secundus *Atticus* an. 1126. ſub eod. Principe, menſ. 10. Poſtea ejectus eſt, & Eccleſia vidua manſit menſes 10.

Hi omittuntur à Baronio.

86. *Nicolaus* Quartus Monachus, *Muzalo* dictus, circa an. 1127. ſub eodem Imperatore: cum in Patriarchatu exegiſſet ann. 3. menſes 4. ei renuntiavit.

87. *Theodotus*, aliis *Theodoſius*, Monachus & Abbas Monaſterii Sanctæ Reſurrectionis, anno 1131. ſub eodem Joanne Comneno, annis 3.

88. *Neophytus* incluſus, ex Monaſterio Evergetidis, anno 1134.

89. *Conſtantinus* 4. *Chliarenus*, Diaconus & ſacelli Præfectus, circa annum 1135. ſedit annos circiter 13.

90. *Lucas* Monachus *Chryſoberges*, anno 1148. ſedit annos 18.

91. *Michael* 3. *Anchialius*, Diaconus, & ſacelli Præfectus, ac Princeps Philoſophorum, anno 1167. ſedit an. 8. aut paulò ampliùs.

92. *Charito* Monachus Monaſterii Manganorum, anno 1177. menſes undecim.

93. *Theodoſius* Monachus, oriundus ex Antiochia, qui diu in colle S. Auxentii aſceticam vitam duxerat, anno 1178. poſt annos 3. renuntiavit aut abdicatus eſt.

94. *Baſilius* 2. *Camaterus*, Chartophylax & Hypertimus, an. 1182. ſedit an. 2. menſ. 7. poſtea depoſitus.

95. *Nicetas Mundanes*, magnus Sacellarius, anno 1185. ſedit annos 6. menſes totidem, remotus ab Imperatore.

96. *Leontius* Monachus, Diaconus & Præfectus Monaſterii SS. Apoſtolorum ad collem S. Auxentii, 1191. & poſt menſes 7. abdicatus eſt.

97. *Doſitheus*, Monachus Studita, primùm Hieroſolymitanus, deinde Conſtantinopolitanus Patriarcha creatus ab Iſaacio Angelo Imperatore ob falſa vaticinia, anno 1192. ac brevi deturbatus.

98. *Georgius* 2. *Xiphilinus*, magnus vaſorum cuſtos, anno 1193. ſedit an. 6. menſes 10. vacavitque ſedes menſes undecim.

99. *Joannes* 9. *Camaterus*, Diaconus & Chartularius, an. 1199. eod. Alexio Imperante, præfuit annos 5. menſ. 8. dies 7. uſque ad captam à Latinis Conſtantinopolim: vixitque poſt urbem expugnatam, annos 2. menſes 2. dies 14. obiit apud Didymotichum: vacavitque ſedes annum 1. menſes 10.

LATINIS CONSTANTINOPOLI
Imperantibus Patriarchæ fuere.

Seculo XIII.

LATINI.

1. *Thomas Maurocenus* Venetus, primus Latinorum Patriarcha Conſtantinopolitanus, ann. 1204. Balduino Flandro & Henrico Imperatoribus.

2. *Matthæus*, anno 1211. ſub Henrico, Petro, & Roberto Imperatoribus, ſedit annos 19.

3. *Nicolaus*, an. 1230. ſedit paulò ultra annos 20.

4. *Pantaleon Juſtinianus*, ann. 1251.

GRÆCI.

100. *Michael* 4. *Saurianus*, Magnus Sacellarius, anno 1208. ſub Theodoro Laſcari, ſedit Nicææ in Aſia minori, circiter annos *6*. vacavit ſedes menſes 10. cum dimidio.

101. *Theodorus* 3. *Irenicus* Chartularius & Princeps Philoſophorum, *Cupas* etiam dictus, anno 1214.

102. *Maximus* Abbas Monaſterii Vigilantium, an. 1215. menſ. 8.

103. *Manuel Charitopulus*, aliis *Michael*, ann. 1216. ſedit annis 5. menſes *6*.

104. *Germanus* 2. Monachus anno 1222.

105. *Methodius* 2. anno 1240. menſ. 3.

Manuel ſive *Michael*, iterum annos 14.

106. *Germanus* 3. anno 1254. brevi pulſus.

107. *Arſenius Autorianus*, anno 1255. annos 4.

108. *Nicephorus Blemmydes*, priùs Epheſinus Epiſcopus, ann. 1260. brevi mortuus.

Arſenius iterum evectus, iterumque pulſus an. 1261.

Pulſis Conſtantinopoli Latinis, alii poſt Pantaleonis obitum, titulo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum à Romanis Pontificibus ad hæc uſque tempora donati, nudum ſine re nomen habuere.

Apud Græcos Patriarcharum honore potiti ſunt

109. Dejecto Arſenio, *Germanus*, aliis *Georgius*, Adrianopolitanus antea Epiſcopus, anno 1261. ipſe quoque poſt annum ejectus.

110. *Joſephus*, Monaſterii præfectus in Galleſio monte, vita admirabilis & Confeſſionis corona decoratus, anno 1262.

Hìc deſinit ſeries Græca.

III.

111. † *Joannes Becus* concors Latinis, 1274.

Joſephus iterum, circa annum 1284. exceſſit poſt annum unum, menſes 6.

112. *Gregorius* 4. ann. 1288. loco motus poſt annum quoque 1. menſes 6.

113. *Athanaſius* anno 1290. expulſus cum ſediſſet annos fermè 4.

114. *Joannes* 11. Monachus, circa annum 1296. abdicatus eſt poſt annos 4. aut paulò ampliùs.

Seculo XIV. *Athanaſius* rurſus vocatus anno 1302. & poſt annos 6. ac menſes totidem rurſum depulſus.

115. *Niphon* Monachus, an. 1309. poſt annos 4. ſede Patriarchali dejectus ob crimen.

116. *Joannes* 12. *Glycys* cognomento, ex *Logotheta* dromi, uxore Monacham profitente, factus Patriarcha, circa ann. 1315. poſt an. 4. ſeceſſit.

117. *Geraſimus* Monachus, anno 1320. intruſus.

118. *Iſajas* imperitus, & facinoroſus Monachus montis Atho, ann. 1322.

119. † *Joannes* 13. anno 1331. Latinorum dogmatum aſſertor, ideoque exautoratus.

120. *Iſidorus* Monachus, 1347.

121. *Calliſtus* Monachus Cœnobii Iberorum in monte Atho, circa annum 1350. à Joanne Cantacuzeno Imperatore ſuffectus in locum Iſidori mortui.

122. *Philotheus* Heracleæ Archiepiſcopus, anno 1354. ejecto Calliſto.

123. *Macarius* Monachus anno 1375. ſedit annos 2. menſ. 7. dies 6. poſtea reſtitutus eſt, ut & Philotheus.

124. *Nilus* itidem Monachus, anno 1378. ſedit annos 20.

125. *Antonius* 4. Monachus, anno 1398.

126. *Calliſtus* 2. 1403. ſedit annos 13.

127. *Euthymius* 2. 1416.

128. * *Joſephus* 2. ex Metropolita Epheſino, anno 1416. cujus initia Onuphrius refert ad annum 1419. obiit in Concilio Florentino, poſt ſubſcriptam cum Latinis concordiam.

129. *Gregorius* 3. *Hieromonachus* anno 1440. ſanctimonia & Prophetiæ dono clarus, abdicavit prænuntiato Imperii interitu.

Anno Chriſti 1452. capta eſt Conſtantinopolis à Mahumete 2. Turcarum Imperatore, quæ gens adhuc Orientis Imperium obtinet.

Gennadius Scholarius, Urbe expugnata 1. Patriarcha, Græcis à Latinorum unione diſtractis, ſchiſma renovavit, in quo perſeverarunt ejus ſucceſſores. Horum res nobis parum notæ, nomina ipſa non ſatis certò cognita: certè non magno uſui ad Canonica ſtudia eſſe poſſunt. Catalogum utcumque continuavit *Philippus Cyprius* in Chronico Eccleſiæ Græcæ, uſque ad *Parthenium*, qui anno 1621. ſedem illam tenuit.

Nonnulla hìc obſervationem merentur: & primò quidem in his cæteriſque Patriarchis Orientalibus enumerandis, tantam eſſe inter autores diſcrepantiam, ut non modò plerumque in eorum temporibus, ſed

etiam

etiam in ordine, imo & in nominibus diſſentiant; aliique alios pretermittant, aut adjiciant. Nos ex *Nicephori*, ſive Calliſti, ſive Patriarchæ, Chronographia, ab *Antonio Contio* Latinè, à *Joſepho Scaligero* Græcè edita; atque ex Indice Græco, quem *Joannes Leunclavius* Juris Græco-Romani Lib. quarto inſeruit, itemque ex *Onuphrii* Chronico, *Baronii* Annalibus, aliiſque monumentis excerptam ſeriem dedimus: & in annis cuique aſſignandis ea ſecuti ſumus, quæ probabiliora viſa ſunt.

Deinde illud quoque notandum, non uſquequaque adhibendam eſſe Græcorum vanitati fidem. Nam quòd Epiſcopatus Byzantini autore B. Apoſtolo *Andrea* gloriantur, parum certis Antiquitatis teſtimoniis firmatur. Conſtant potius à B. Petro erectam primùm eam Eccleſiam fuiſſe, atque inſtitutos per ea loca Epiſcopos; Andream verò non in Thracia, ſed in Achaja Martyrium ſubiiſſe. Nec creditu facile eſt ab eo ordinatum fuiſſe *Stachyn*, quem, ut & *Oneſimum* (qui ei ſucceſſor datur) S. Pauli Comitem fuiſſe agnoſcunt. Falſum quoque omninò quod ajunt, *Metrophanem* Byzantii Epiſcopum numero 23. Conſtantinopoleos primum Patriarcham fuiſſe: cum nonniſi quartus Byzantii Epiſcopus ponatur à Cedreno, & circa annum 314. cepiſſe memoretur; nec ultra decennium, quin vix toto quadriennio eam Eccleſiam rexiſſe: ea verò civitas anno demum 330. à Conſtantino magno dedicata, *Conſtantinopolis* & novæ Romæ nomen accepit. Titulum autem Patriarchæ primus accepit aut Anatolius anno 451. in Concilio Chalcedonenſi, aut ſummùm Nectarius in Conſtantinopolitana prima ſynodo, anno 381. Primis certè ſeculis Heracleenſi Metropolitano ſubjectum fuiſſe, ſive Byzantinum, ſive Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ne ipſi quidem Græci auſint inficiari.

V.

CATALOGUS PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM, ex *Nicephoro*, *Onuphrio*, *Baronio*, &c.

SUB IMPERATORIBUS ETHNICIS.

Seculo I. 1. SANCTUS *Marcus* Evangeliſta, Roma in Ægyptum miſſus à B. Petro, anno Chriſti 58. (aliis 46.) fidem annunciavit, & Eccleſiam Alexandrinam inſtituit, quam rexit annis 6. pro fide cæſus.

2. *Anianus* Marco ſucceſſit, anno 64. ſedit ſecundum Nicephorum an. 12. ſecundum Onuphrium annos 22.

3. *Abilius*, an. 86. ſedit an. ex Nicephoro 12. ex Onuphrio 13. cujus, aut Baronii numeros in ſequentibus adſcribemus.

4. *Cerdo*, anno 99. Epiſcopus annos 10.

Seculo II. 5. *Primus*, aliis *Prianus*, an. 109. ſedit annos 12.

6. *Juſtus*, aliàs *Juſtinus*, cepit anno 121. ſedit annos 11.

7. *Eumenes*, cepit anno 132. ſedit an. 13.

8. *Marcus* 2. cepit an. 145. ſedit an. 10.

9. *Celadio*, cepit an. 155. ſedit an. 14.

10. *Agrippinus*, ſive *Agrippa*, cepit an. 169. ſedit an. 12.

11. *Julianus*, cepit an. 181. ſedit an. 10.

Seculo III. 12. *Demetrius*, cepit an. 191. ſedit an. 43.

13. *Heraclas*, cepit anno 234. ſedit an. 14.

14. *Dionyſius*, cep. 248. ſed. an. 17. expulſus ab Imperatore Valeriano.

15. *Maximus*, cepit anno 265. ſedit an. 18.

16. *Theonas*, cepit an. 283. ſedit an. 16.

17. *Petrus*, Martyr, cepit an. 299. ſedit an. 12.

Seculo IV. 18. *Achillas*, ſive *Achilles*, iniit anno 312. ſedit annis 6.

Sub Chriſtianis Principibus.

19. *Alexander*, qui fuit in prima Synodo: iniit an. 318. ſedit an. 7.

20. *S. Athanaſius*, cepit anno 326. ſæpè expulſus & reſtitutus, ſedit omnino annis 46. Damnatus primùm in conciliabulo Tyrio, an. 335. ac Treveros in exilium miſſus anno 336. ſed reſtitutus à Conſtantino juniore ann. 338. iterum ab Euſebianis abſens damnatus ac depoſitus in Synodo Antiochena, an. 341. abſolutus à Julio I. Pontifice.

21. * *Gregorius* Cappadox, an. 341. vi armata intruſus ab Arianis, in Catholicos ſævit annis 6. depoſitus in Synodo Sardicenſi.

S. Athanaſius, iterum, anno 347.

22. *Georgius*, itidem Cappadox, ærarii olim Conſtantinopolitani quæſtor ac depeculator, eaque de cauſa profugus, miſſus primùm ſpecie ducis, tum deinde in ſedem Epiſcopalem per vim introductus anno 356. interfectus à gentilibus an. 362.

S. Atha-

S. Athanaſius, è latebris emergit, an. 362. moritur an. 371.

23. * *Lucius*, anno 362. intruſus, ac brevi pulſus: ſed iterum per Athanaſii mortem, ejecto ejus legitimo ſucceſſore Petro, graſſatus, ann. 372. Pulſus ab Alexandrinis, an. 377.

24. *Petrus* Junior, cepit an. 372. expulſus à Valente Imperatore Ariano, confugit Romam: reſtituitur autoritate Damaſi ann. 377. moritur ann. 380.

25. *Timotheus* Petri frater, qui in ſecunda Synodo fuit: iniit ann. 380. ſedit ann. 5.

26. *Theophilus*, cepit an. 385. ſedit annis 27. menſ. 1.

27. *Cyrillus*, Theophili ſorore natus, cepit an. 412. ſedit ann. 32. menſ. aliquot. Seculo V.

28. * *Dioſcorus*, electus ann. 444. in Synodo poſteriore Epheſi, Latrocinali dicta, probat Eutychetis hæreſin, deinde damnatus in Concilio Conſtantinopolitano & in Chalcedonenſi, Gangris moritur exul anno 451.

29. *Proterius* Orthodoxus, creatus an. 452. occiſus in ſacro Balneo ſive Baptiſterio ab Eutychianis an. 457. ſedit annos circiter 5.

30. * *Timotheus* 2. *Ælurus*, introductus ab Eutychianis, anno 457. exilio mulctatus à Leone Imperatore anno 460. à Zenone reſtitutus an. 474. tandem ejecto Baſiliſco tyranno ſibi ipſe mortem conſciſcit, anno 477.

31. *Timotheus* 3. *Leucus*, ſive Albus, *Salofaciolus* dictus, Catholicus, an. 460. pellitur ab Æluro per Zenonem anno 475. ſed poſteà reſtitutus ab eodem Zenone anno 477. mortuus an. 482.

32. * *Petrus Mongus*, ſive *Moggus*, intruſus ann. 477. ſed in Schiſmate, poſt menſ. 1. abdicare coactus à Zenonem, deinde ab eodem reſtitutus, damnatus à Felice Papa anno 483. mortuus in anathemate anno 490.

Timotheus Salofaciolus, iterum ann. 477. ſedit an. 6. interpolatis autem vicibus annos 23. ac menſ. 6.

33. *Joannes Talaida* Tabenneſiota ex Presbytero, Orthodoxus, cepit, an. 482. ſedit menſ...

Petrus Moggus, iterum pulſo Acacii artibus Joanne, ſedit an. 8.

34. * *Athanaſius* 2. cognomento *Hermioſus*, hæreticus, cepit ann. 490. ſedit an. 7.

35. * *Joannes* 2. *Mela*, cepit an. 498. ſedit an. 7.

36. * *Joannes* 3. *Machiota*, hæreticus, cepit an. 506. ſedit an. 10. Seculo VI.

37. * *Dioſcorus* Junior, hæreticus, cepit 516. ſedit an. 13.

38. * *Timotheus* 4. hæreticus, cepit an. 519. ſedit an. 15.

39. *Aſterius* Orthodoxus, electus contra Timotheum, an. 521. omiſſus à Nicephoro.

40. * *Gajanus*, aliis *Galanicus*, eodem anno cum Theodoſio electus, ann. 535. pellitur à Judicibus.

41. * *Theodoſius*, hæreticus *Acephalus*, eligitur in ſchiſmate contra Gajanum, anno 535. ſecedit Conſtantiam, relegatus à Juſtiniano ann. 536.

42. *Paulus* Monachus, an. 536. ſedit an. 15.

43. *Zoilus*, anno 537. ſedit annos 15.

44. *Apollinaris*, an. 551. ſedit an. 19.
45. *Joannes* 4. an. 570. ſedit an. 11.
46. *S. Eulogius*, an. 581. ſedit an. 27.
Seculo VII. 47. *Theodoſius Scriba*, alids *Theodorus*, an. 608. ſedit an. 2.
48. *S. Joannes* 5. Cyprius, cognomento *Eleemoſynarius*, anno 610. ſedit an. 10.
49. *Georgius* 11. Joannis cognatus, an. 628. ſedit an. 10.
50. * *Cyrus*, Phaſidis Lazorum Epiſcopus, Monothelita, translatus in ſedem Alexandrinam ab Heraclio Imperatore, anno 630. ſedit annos 10.

Alexandria capitur à Saracenis, anno 634.

* *Petrus*, Monothelita, creatus anno 640. damnatus à Martino Papa, ſedit annos 10.

Hìc deſinit Nicephorus.

Patriarcharum ſequentium ſeries admodum incomperta.

Digitized by Google

VI.

INDEX PATRIARCHARUM ANTIOCHENORUM, ex *Nicephoro*, *Onuphrio*, *Baronio*, imperantibus Ethnicis.

1. S. PETRUS Apoſtolus, anno Chriſti 39. ex Baronio Antiochiam veniens, eam Eccleſiam fundavit, & ſeptem annis rexit. Seculo I.
2. *Evodius*, à Petro diſcedente relictus Antiochiæ Epiſcopus anno 45. ſedit annos 25. tumultu adverſus Judæos orto, interfectus.
3. *Ignatius Martyr*, Evodii vel collega, vel ſucceſſor, ann. 71. ſedit annos 38. ad beſtias damnatus, Romæ Martyrium conſummavit, anno 109.
4. *Heron*, ſive *Heros*, iniit an. 110. ſedit an. 20. Seculo II.
5. *Cornelius*, an. 131. ſedit annos 12.
6. *Heros* Junior, iniit an. 143. ſedit an. 27.
7. *Theophilus*, iniit 170. ſedit an. 13.
8. *Maximianus*, aliis *Maximinus*, vel *Maximus*, cepit ann. 182. ſedit annis 9.
9. *S. Serapion*, cepit an. 191. ſedit an. 22. Seculo III.
10. *Aſclepiades*, iniit an. 213. ſedit fermè an. 7.
11. *Philetus*, iniit an. 219. ſedit annis ferè undecim.
12. *Zebinus*, ſeu *Zebenus*, iniit an. 230. ſedit annis 10.
13. *S. Babylas*, iniit an. 241. ſedit annis 13. Martyr inſignis tempore Decii.
14. *Fabius*, cepit an. 254. obiit anno ſequenti.
15. *Demetrianus*, iniit an. 255. ſedit an. 7.
16. * *Paulus Samoſatenus*, iniit an. 262. ſedit annos 10. poſteà pulſus.
17. *Domnus*, aliàs *Domnio*, Demetriani Epiſcopi filius, cepit ann. 272. ſedit annis 5.
18. *Timæus*, ſive *Timacus*, cepit an. 277. ſedit an. 6.
19. *S. Cyrillus*, iniit an. 283. ſedit an. 16.
20. *Tyrannus*, ſeu *Tyrannius*, iniit an. 299. ſedit annis 13.

Sub Imperatoribus Chriſtianis. Seculo IV.

21. *Vitalis*, aliàs *Vitalius*, iniit an. 312. ſedit annos 2.
22. *Philogonius*, iniit an. 314. ſedit annis 5.
23. *Paulinus*, iniit an. 319. ſedit an. 5.
24. *Euſtathius Sidites*, ex ſede Berrœenſi translatus Antiochiam, iniit an. 324. fuit primus in Synodo Nicæna I. ob inſignem Orthodoxiam depoſitus ab Arianis, in exilium à Conſtantio pellitur ann. 340. ſedit an. 16.
25. * *Eulalius*, hæreticus Arianus, ex Epiſcopo Cæſareæ in Cappadocia, an. 340. brevi mortuus.
26. * *Euphronius*, Presbyter Cæſarienſis, (recuſante Euſebio Pamphili Cæſarienſi Epiſcopo) annum ferè 1.
27. * *Phacellius*, aut *Placidus*, Arianus; quo ſedente Encænia Dominici aurei,

aurei, & Concilium Antiochenum, ann. 341. ſedit annis 3.

28. * *Stephanus Libs*, an. 344. ſedit an. 3.

29. * *Leontius Phryx*, Spado, etiam Arianus, cepit ann. 347. ſedit ann. 8.

30. * *Eudoxius*, ex Epiſcopo Germaniciæ Syriæ, invadit ſedem Antiochenam, an. 356. Conſtantinopolim translatus, poſt an. 2.

31. * *Anianus*, abdicare coactus poſt menſes 4.

32. *Meletius*, ann. 360. fidem Nicænam publicè profeſſus, ideoque à Conſtantio expulſus.

33. * *Euzoius*, ab Arianis in locum Meletii ſuffectus, eodem ann.

Meletius redux poſt Conſtantii obitum, ann. 362. iterum pulſus à Valente, ann. 372. mortuus in œcumenica Synodo Conſtantinopolitana, ann. 381.

34. *Paulinus*, Orthodoxus, anno 362. in ſchiſmate contra Meletium, (quocum reconciliatus eſt, anno 378.) & ſimul contra Euzoium: mortuus anno 369.

35. * *Dorotheus*, Arianus, poſt Euzoium creatus in ſchiſmate contra Meletium & Paulinum, an. 376. omiſſus à Nicephoro, ſedit annos 10. ex Onuphrio.

36. *Flavianus*, à Meletianis, ſpreto jurejurando, electus in ſchiſmate contra Paulinum, anno 381. Romæ toleratus magis metu majorum turbarum, quàm probatus: ſedit annis 23.

37. *Evagrius*, mortuo Paulino, an. 389. ab Euſtathianis electus contra Flavianum, paulò poſt obiit, nec ſucceſſorem accepit.

38. * *Porphyrius*, ſedem invaſit, anno 404. ſedit annos 4.

Seculo V. 39. *Alexander*, anno 408. ſedit an. 3. & ſchiſma Orthodoxorum in Antiochena Eccleſia extinxit.

40. *Theodotus*, ſive *Theodorus*, an. 411. ſedit an. 16.

41. * *Joannes Grammaticus*, anno 427. ex ſchola Theodori Mopſueſteni, errores Neſtorii & Pelagii diu fovit, idcirco damnatus à Synodo Chalcedonenſi: ſed tandem Cœleſtino Pontifici & Cyrillo Alexandrino reconciliatus eſt: ſedit annis 13.

42. *Domnus*, aliàs *Domnio* 2. Joanni Avunculo ſucceſſit, an. 440. ſedit an. circiter 8. exautoratus in Lattocinali Synodo Epheſina; cujus, in hoc, judicium Leoni Papæ probatum.

43. *Maximus*, cepit ann. 449. ſedit ann. 6. interfuit Concilio Chalcedonenſi.

44. *Baſilius*, cepit anno 456. ſedit an. 2.

45. *Acacius*, cepit anno 458. cujus tempore concuſſus terræ motu penè totus Oriens, atque imprimis urbs Antiochena corruit: ſedit anno 1.

46. *Martyrius*, cepit anno 459. vexatus à Petro Fullone, ſedi renunciat an. 471.

47. *Julianus*, prætermiſſus à Baronio, nominatur à Nicephoro tanquam Epiſcopus annis 15.

48. * *Petrus* 2. *Cnapheus*, ſive *Fullo*, ſic dictus ab arte quam primùm exercuerat, invadit ſedem circa an. 471.

Martyrius, ejecto Fullone, reſtitutus à Leone Juniore Imperatore, anno 474. ſed eo mortuo pulſus à Zenone.

* *Pe-*

* *Petrus Fullo*, iterum anno eodem 474. à Zenone reſtitutus, iterumque pulſus ab eodem, an. 477.

Joannes, ei ſubſtituitur, ejectus poſt menſes 3.

49. *Stephanus* Orthodoxus, ann. 477. inter ſolemnia Synaxeos, artibus Fullonis ab Eutychianis occiſus, an. 479.

50. *Stephanus* Junior, cepit an. 479. ſedit an. 3.

51. *Calandion*, cepit ann. 482. paulò poſt relegatur Acacii Conſtantinopolitani opera.

* *Petrus Fullo*, adhuc reſtitutus anno 482. Triſagium corrumpit, & Xenajam autorem Iconoclaſtarum promovet, damnatus Romæ.

52. * *Palladius*, cepit an. 486. ſedit annis 10.

53. *Flavianus* 2. electus ann. 496. damnatus ab hæreticis ob fidem Concilii Chalcedonenſis, agente Anaſtaſio Imperatore, anno 512. ſedit annos fermè 16.

54. * *Severus*, ex Sozopoli Piſidiæ, Ethnicus primùm & Magus, tum Monachus Eutychianus, (à quo hæretici Severiani dicti) intruſus ab Anaſtaſio, an. 513. ſedit an. 6. Seculo VI.

55. *Paulus* 2. cepit an. 519. ſponte abdicavit, exoſus ob vitam flagitioſam, cum ſediſſet annos circiter 2.

56. *Euphraſius*, electus anno 521. periit oppreſſus urbis Antiochiæ ruina, an. 525. ſedit annos 4.

57. *Ephrem*, ſive *Ephraimus*, ex Comite Orientis, præcedentibus Prophetiis, electus an. 526. tempore Juſtiniani, ſedit annis 19.

58. *Domnus*, ſive *Domnio* 3. cepit an. 546. interfuit Quintæ Synodo Oecumenicæ, an. 553. ſedit annis 14.

59. *S. Anaſtaſius Sinaita*, ex Monacho ejus Montis, cepit anno 561. damnatus à Juſtiniano, quòd promulganti Incorruptibilium errorem obſiſteret: morte Imperatoris liberatur ab indicto exilio: ſed per calumnias hæreticorum pulſus eſt à Juſtino Juniore anno 572. ſedit annos 11.

60. *Gregorius* Monachus, abdicante Anaſtaſio, electus ann. 572. ſedit annos 23.

Anaſtaſius, iterum cepit an. 595. clarus inter ſcriptores Eccleſiaſticos, ſedit an. 6.

61. *Anaſtaſius Junior*, cepit anno 599. Martyrium ſubiit, interfectus à Judæis, ſedit an. 10. Seculo VII.

Hic deſinit Catalogus Nicephori.

62. *Gregorius* 2. cepit an. 610. ſedit annis 19.

63. * *Anaſtaſius* 3. Jacobita, à quo Heraclius in Monothelitarum hæreſin adductus: cepit an. 629. ſedit an. 11.

64. *Macedonius*, cepit an. 640. ſedit an. 10. damnatus hæreſis nomine à Martino Papa, anno 649.

65. *Macarius*, inter ſigniferos Monothelitarum, cepit circa annum 650. ſedit annis 31. exautoratus à Synodo Oecumenica Sexta an. 681.

66. *Theophanes* Monachus, & Presbyter Monaſterii Bajani in Sicilia, creatus à Synodo VI. an. 681. ſedit annis 5.

Alexander Secundus, aliàs *Conſtantinus*, cepit anno 686. ſedit an. 16. eo mor-

tuo ſedes ſine Epiſcopo fuit annos 40. prohibentibus Comitia Saracenis, qui Syriam invaſerant.

Sub Saracenis.

Seculo VIII. *Stephanus* 4. cepit an. 742. ſedit annis 2.
Theophylactus, cepit an. 744. ſedit annis 17.) Onuphrio 7.)
Theodorus Secundus creatus anno 751. ſed à Saracenis in exilium pulſus anno 766. interfuit per Legatum Septimæ Synodo Oecumenicæ ann. 785.

Quis poſt hunc Epiſcopus Antiochenus fuerit, incertum.

Theodoretus, invenitur anno 787.

Poſt hæc diu vacua fuit ſedes, certè ignota Patriarcharum nomina.

Seculo IX. Loco Patriarchæ Antiocheni, anno 869. Legatus ejus Patriarchatus ad Synodum Octavam Oecumenicam memoratur *Thomas* Tyri Metropolitanus.

Seculo X. *Chriſtophorus* à Saracenis exuſtus, an. 969. poſt eum *Theodorus* nominatur.

Seculo XI. 68. *Macarius*, cepit an. 1012.
69. *Eleutherius*, pulſus à Saracenis migravit Hieroſolymam.
70. *Petrus*, cepit an. 1050. à Leone IX. confirmatus.
71. *Æmilianus*, cepit anno 1079.
72. *Nicephorus*, ei ſucceſſit.
73. *Joannes*, cepit an. 1090. ſedit annos 10.

CAPTA EST A LATINIS ANTIOCHIA, DUCE Gothofredo Bullionæo, anno 1098. *Hinc Patriarchæ*

Seculo XII. LATINI, RE GRÆCI, TITULO TENUS.

1. *Bernardus Valentinus*, cepit anno 1100. ſedit ann. 33. vel paulò ampliùs.
2. *Rodulphus* Primus Domnofrontius Gallus, cepit an. 1136. ſedit annos fermè 6. menſes...... depoſitus à Synodo Antiochena, quòd ſubjectionem Romano Pontifici negaret.
3. *Americus Lemovix*, cepit circa an. 1142. ſedit annos 50.
4. *Rodulphus* Secundus cepit ann. 1193. ſedit annos 26. (ex Onuphrio, cepit an. 1187. ſedit 33.)

5. *Ray-*

5. *Raynerius Tudertinus*, Prior S. Fridiani Lucenſis, ann. 1219. ſedit an. 20.
6. *Helias Robertus* Regienſis, an. 1239. ſedit annos circiter 6.
7. *Albertus*, Concilio generali Lugdunenſi interfuit, an. 1245.
8. *Christianus*, Ordinis Prædicatorum, circa annum 1250. qui in expugnatione Civitatis ad Eccleſiæ altare procumbens, à Saracenis interfectus eſt, anno 1268.

Seculo XIII. *Theodorus Balſamon*, Chartular. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, creatus an. 1193. Antiochenus Patriarcha ab Iſaacio Angelo Imperatore, deluſus ſpe ſedis Conſtantinopolitanæ. Latinis infenſiſſimus. Autor Commentariorum in Canones Synodorum Græcarum, aliorumque operum.

Poſt hæc Latini, non niſi titulo tenus hunc Pathiarchatum obtinuere; Græcorum nomina maximam partem incomperta.

INDEX

VII.

INDEX PATRIARCHARUM HIEROSOLYMITANORUM, ex *Nicephoro*, *Onuphrio*, *Baronio* & aliis.

SUB GENTILIBUS.

Seculo I. 1. JACOBUS ALPHÆI, cognomento *Juſtus*, qui & frater Domini dictus, & *Minor* (comparatione Jacobi, qui Zebedæi filius Major, & frater Joannis Evangeliſtæ.) Omnium Primus Epiſcopus Hieroſolymitanus à Petro, Jacobo altero, & Joanne conſtituitur, an. Chriſti nati 34. proximo poſt Chriſti paſſionem: Martyrium paſſus à Judæis anno 63. ut annis 29. ſedem Epiſcopalem obtinuerit, licèt ei vulgò tribuantur anni tantùm 26.

2. *Simeon Cleophæ*, frater Domini ipſe quoque dictus, confunditur à quibuſdam cum Simone Chananæo, & Juda Jacobi, Apoſtolis: iniit an. 63. Martyrium conſecutus tempore Traiani, anno ætatis 120. Chriſti 109.

Seculo II. 3. *Juſtus I.* creatus Epiſcopus an. 109. ſedit annos 4.

4. *Zacharias*, aliis *Zacchæus*, cepit an. 113. Epiſcopus annum 1.

5. *Tobias*, cepit an. 114. ſedit an. 3.

6. *Benjamin*, cepit an. 117. ſedit an. 2.

7. *Joannes*, cepit an. 119. ſedit an. 2.

8. *Matthæus*, vel *Matthias*, cepit an. 121. ſedit an. 1.

9. *Benjamin* alter, an. 1.

10. *Philippus*, cepit an. 123. ſedit an. 3.

11. *Seneca*, cepit an. 126. Epiſcopus an. 2.

12. *Juſtus* 2. cepit an. 128. ſedit an. 1.

13. *Levi*, cepit an. 129. Epiſcopus an. 3.

14. *Ephraim*, ſive *Ephram*, an. 132. Epiſcopus an. 3.

15. *Joſephus*, cepit an. 135. Epiſcopus an. 1.

16. *Judas*, cepit an. 136. ſedit an. 2.

Hi ex Circumciſione fuerunt: eorum ut & ſequentium, minùs comperta, ipſi etiam Euſebio, ſunt tempora, nec ſatis certus ſucceſſionis ordo.

17. *Marcus*, excluſis Judæis, primus ex gentibus ordinatur anno 138. ſedit an. 8.

18. *Caſſianus*, cepit an. 146. ſedit an. 8.

19. *Publius*, cepit an. 154. ſedit an. 5.

20. *Maximus*, cepit an. 159. ſedit an. 4.

21. *Julianus*, cepit an. 163. ſedit an. 2.

22. *Gajanus*, aliis *Cajus*, vel *Galanicus*, cepit an. 165. ſedit an. 3.

23. *Symmachus*, cepit an. 168. ſedit an. 2.

24. *Cajus*, cepit an. 170. ſedit an. 3.

25. *Julianus* alter, cepit an. 173. ſedit an. 5. cui à Nicephoro ſubjicitur *Elias*, ab aliis prætermiſſus.

26. *Capi-*

26. *Capito*, cepit an. 178. ſedit an. 4.
27. *Maximus*, cepit an. 182. ſedit an. 4.
28. *Antoninus*, cepit an. 186. ſedit an. 5.
29. *Valens*, cepit an. 191. ſedit an. 3.
30. *Dolichianus*, cepit an. 194. ſedit annis 2.
31. *Narciſſus*, cepit an. 196. cum Theophilo Cæſarienſi Synodum celebravit an. 198. Deinde calumniis exagitatus, abiit in ſolitudinem: ſedit hac vice, annos 4.
32. *Dius*, ſive *Ælius*, cepit an. 199. ſedit annis 8. Seculo III.
33. *Germanion*, cepit an. 207. ſedit an. 4.
34. *Gordius*, cepit anno 21. ſedit an. 5.
Narciſſus, iterum cepit anno 216. ſedit adhuc annis 20. Martyrio coronatus.
35. *Alexander*, cepit anno 237. Martyr: ſedit an. 15.
36. *Mazabannes*, cepit an. 252. ſedit annis 24.
37. *Hymenæus*, cepit an. 266. ſedit annis 20.
38. *Zambdas*, aliis *Labdas*, cepit an. 296. ſedit an. 2.
39. *Hermon*, cepit anno 298. ſedit annis 13.
Hactenus Imperatores alieni à Chriſtiana religione, & Chriſtiani afflicti fuerunt.

Sub Chriſtianis Imperatoribus vixerunt.

40. *Macarius*, cepit anno 312. cum jam Conſtantinus imperaret, ſed non ſolus. Seculo IV.

Jam libero per totum Imperium Chriſtiano cultu.

Macarius idem, qui Synodo Nicænæ primæ interfuit, an. 325. ſedit an. 19.
41. *Maximus*, cepit an. 331. ſedit anno 20. Acerrimus fuit fidei Nicænæ adverſus Arianos propugnator.
42. *Cyrillus*, pro pluribus habitus ab Hieronymo & Epiphanio, eò quòd ſæpiùs Eccleſia pulſus & receptus fuerit; unicus tamen agnoſcitur à Rufino & Nicephoro, Author nempe Catecheſeon, ut videtur, cepit an. 351. abdicatus an. 359. ab Acacio Cæſarienſi Metropolitano, ſive ob defenſionem conſubſtantialis, ſive quòd quæſtionem moveret de primatu Palæſtinæ. Cum eo concurriſſe jam ab initio dicuntur apud Hieronymum *Eutychius* & *Irenæus*, qui fortè idem cum Nicephori *Arſenio*.
43. * *Heraclius*, in ſchiſmate creatus contra Cyrillum, circa an. 360.
Cyrillus, iterum reſtitutus an. 364.
44. *Hilarius*, itidem Arianus an. 367. ſedit an. 14.
Cyrillus, reſtitutus an. 381. interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ Secundæ. Sedit in totum an. 35.
45. *Joannes* 2. cepit an. 386. ſedit an. 30.
46. *Paulinus*, cepit an. 416. ſedit an. 16. Seculo V.
47. *Juvenalis*, qui duabus Synodis Epheſinæ & Chalcedonenſi, interfuit, cepit an. 429. ſedit an. 28. Patriarchatum Palæſtinæ fruſtrà affectavit, pulſuſque eſt ab Eutychianis.

48. *Theo-*

48. *Theodoſius*, expulſis *Marciano* & rurſum *Juvenale*, cepit an. 452. ſedit an. 6.
49. *Anaſtaſius*, cepit an. 458. ſedit an. 19.
50. *Martyrius*, cepit an. 477. ſedit an. 8.
51. *Saluſtius*, cepit an. 485. ſedit an. circiter 8.
52. *Elias*, cepit an. 492. ſedit an. 21. expulſus ab Anaſtaſio Imperatore.

Seculo VI.

53. *Joannes* 3. ex Hæretico Eutychiano Catholicus, retentus in ſede à Catholicis contra Anaſtaſium Imperatorem & Severum Hæreſiarcham, cepit an. 513. ſedit an. 11.
54. *Petrus*, cepit circa an. 525. ſedit an. 21. tempore Juſtiniani Imperatoris.
55. *Macarius* 1. cepit anno 546. ſed cum ſediſſet annis 2. amotus eſt, ob falſam ſuſpicionem hæreſis Origeniſtarum.
56. *Euſtathius*, ſive *Euſtochius* creatus an. 548. ſedit annos 1.
57. *Macarius* 2. iterum, damnato Origene, anno 549. ſedit an. 4.
   Euſtochius, iterum, mortuo Macario, an. 553. ſedit an. 8.

Seculo VII.

Sedi Hieroſolymitanæ, quæ hactenus nudum nomen ſedemque inter Patriarchas obtinuerat, addita hoc tempore in Concilio V. Oecumenico dicuntur Jura Patriarchatus in tres Palæſtinas.

58. *Joannes* 4. cepit an. 561. ſedit an. 33.
59. *Amos*, aliàs *Heamus*, cepit an. 594. ſedit annis 7.
60. *Iſycius*, ſive *Heſychius*, Nicephoro *Iſaacius*, cepit anno 601. ſedit annis 8.
61. *Zacharias*, cepit an. 609.
62. *Modeſtus* Abbas, abducto in Perſidem Zacharia, Eccleſiam ſtrenuè adminiſtrat, an. 616.
   Zacharias iterum ex captivitate Perſica redux, adminiſtrationem reſumit: ſedit omninò annis 24.
63. *Sophronius*, cepit anno 633.

Ejus tempore *capta eſt à Saracenis Hieroſolyma* cum univerſa Palæſtina & magna Syriæ parte, Duce Haomaro, anno 636. à quo poſtquam Chriſtianis ſacrorum ſuorum uſum obtinuiſſet, mœrore captæ urbis extinctus eſt.

Ultra hunc Sophronium non producitur Nicephori Catalogus, atque admodùm obſcura & pauca Patriarcharum his temporibus nomina ad nos pervenerunt.

Imperantibus Saracenis occurrunt pauci qui ſequuntur.

N. ad Concilium Oecumenicum VI. miſit Georgium Legatum an. 680.

Seculo VIII. *Theodorus*, an. 759.
Helias, an. 787.
Joannes, anno 795.

Seculo IX. *Thomas*, anno 802.
Theodoſius, ad Concilium Oecumenicum VIII. miſit Eliam Legatum, anno 869.

Joannes,

Joannes, à Saracenis combuſtus unà cum Eccleſia ſancti Sepulcri, anno 969. Seculo X.

Oreſtes, anno 1006. Seculo XI.

Simeon, 1090. captis per Francos Hieroſolymis, abdicavit; vacavit ſedes menſes 5. dies 15.

Regnantibus Francis Patriarchæ Latini.

1. *Daybertus*, Piſanus Archiepiſcopus, anno 1100. ſedit an. 3. menſes 3. dies .... Seculo XII.
2. *Ebremarus*, an. 1103. intruſus, ſedit an. 4. deinde depoſitus.
3. *Gibellinus*, Gallus, ex Archiepiſcopo Arelatenſi, an. 1107. ſedit an. 4. menſ.....
4. *Arnulphus Malcorona*, ex Archidiacono Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, cepit an. 1112. ſedit an. 7.
5. *Guarimundus*, Ambianenſis Gallus, cepit an. 119. ſedit an. 10.
6. *Stephanus* Carnotenſis, Gallus, Abbas ſancti Joannis de Valle, an. 1129. ſedit an. 2.
7. *Gulielmus* Mechlinienſis Belga, ex Priore ſancti Sepulcri, an. 1131. ſedit an. 15.
8. *Fulcherius* ex Archiepiſcopo Tyrenſi, an. 1145. an. 11. menſes .... dies 27.
9. *Amalaricus* Noviodunenſis Gallus, Prior Dominici Sepulchri, cepit an. 1158. ſedit an. 22.
10. *Heraclius*, ex Archiepiſcopo Cæſarienſi, creatus Idibus Octobr. an. 1180. ſedit an. 24.

AMISSIS HIEROSOLYMIS, ET RETENTA aliqua parte Palæſtinæ à Francis.

Heraclius adhuc.

11. *Albertus*, ex Epiſcopo Vercellenſi, an. 1204. ſedit an. 10. contra quem *Laonicus*, ſive *Leontius* Græcus. Seculo XIII.
12. *Rodulphus*, an. 1214. ſedit an. 13.
13. *Geroldus*, Epiſcopus Valentinus, loco Thomæ Capuani Presbyteri Cardinalis ſanctæ Sabinæ, ab Eccleſia Hieroſolymitana electi, ſed à Gregorio IX. haudquaquam conceſſi, creatus circa annum 1227. ſedit an. 3.
14. *Robertus*, Epiſcopus Nannetenſis, cepit anno 1230. ſedit an. 12.
15. *Guilielmus*, Epiſcopus Agennenſis, cepit anno 1242.
16. *Jacobus* Pantaleon, Trecenſis, poſtea Urbanus IV. (Pontifex Maximus) an. 1243.

Acone ſive Ptolemaide reſidens.

7. *Thomas* Agni de Lentino, ex Ordine Prædicatorum, an. 1263. ſedit an. circiter 9.

18. *Thomas* alter, ex Archiepiſcopo Conſentino, cepit anno 1272. ſedit annos 6.

19. *Joannes* Vercellenſis Dominicanus, cepit anno 1278. brevi mortuus.

20. *Nicolaus* de Anapis, ejuſdem Ordinis, an. 1279. cujus tempore Ptolemais à Saracenis capta, & Latini Syria univerſa expulſi, an. 1291.

21. *Rodolphus*, cepit an. 1294. ſedit annis 1.

22. *Baſilius*, ex Ordine Prædicatorum, cepit an. 1295.

Hi cum ſequentibus per Pontifices Romanos creatis, nudum habuere Patriarcharum nomen. Sed tamen Romæ hi Titulares Eccleſiarum Orientalium Patriarchæ, cum charactere & honore, Seſſionis etiam prærogativa gaudent.

Græcorum ſub Saracenis rara mentio apud Autores noſtros.

Lazarus, circa annum 1335.

Geraſimus, intruſus, pulſo Lazaro, an. 1351.

Lazarus iterum, agente Joanne Cantacuzeno Græcorum Imperatore: fortè etiam tertiò reſtitutus, opera Urbani V. Pontificis.

Digitized by Google

VIII.

INDEX ALPHABETICUS SS. PATRUM ET AUTORUM ECCLESIASTICORUM, tum eorum, quibus præſertim uſi Collectores Canonum, tum aliorum Illuſtriorum, ad Seculum 12.

A

ABBO Floriacenſis, anno 990.	Seculo X.
Adamantius. Vide *Origenes*.	
Ado Viennenſis Archiepiſcopus, an. 859. Prænot. pag. 270.	Seculo IX.
Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, circa an. 723.	Seculo VIII.
Albertus Magnus, circa an. 1250. Prænot. pag. 278.	Seculo XIII.
Alcuinus, ſive *Flaccus Albinus*, Diaconus & Abbas, circa an. 780. Prænot. pag. 268.	Seculo VIII.
Algerus ex Leodienſi Scholaſtico Cluniacenſis Monachus, an. 1130. Prænot. pag. 276.	Seculo XII.
Amalarius Fortunatus Treverenſis Archiepiſcopus, circa annum 800. Prænot. pag. 269.	Seculo IX. ineunte.
Amalarius, alius Diaconus Metenſis, circa an. 816. pag. ead.	Seculo IX.
S. Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus, an. 374. pag. 247.	Seculo IV.
Ambroſius Ausbertus Abbas, circa an. 667.	Seculo VII.
Amphilochius Iconii Epiſcopus, an. 364. Prænot. pag. 245.	Seculo IV.
Anaſtaſius Bibliothecarius, an. 880. pag. 271.	Seculo IX.
Anaſtaſius Nicænus, circa an. 690.	Seculo VII.
Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus ſive Theopolitanus, an. 561. Prænot. pag. 265.	Seculo VI.
Anſegiſus Abbas, an. 341.	Seculo IV.
Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, an. 1081.	Seculo XI.
S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, an. 1094. pag. 275.	Seculo XI.
Anſelmus Laudunenſis, anno 1100. pag. ead.	Seculo XII.
Antonius Abbas Ægypti, alius ab Autore Monachorum, an.... pag. 269.	Seculo VIII. exeunte.
Aſterius Epiſcopus Amaſææ in Ponto.	Seculo IV.
S. Athanaſius Alexandrinus Archiepiſc. an. 326. pag. 239.	Seculo IV.
S. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, an. 395. Prænot. pag. 257.	Seculo IV.
S. Auguſtinus Anglorum Epiſc. an. 600.	Seculo VII.
Avitus Alcimus Archiepiſcopus Viennenſis.	Ineunte Seculo VI.
Aurelius Prudentius, an. 405. pag. 253.	Seculo V. ineunte.

B

S. BASILIUS Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus, anno 367. pag. 242.	Seculo IV.

Baſilius

Seculo IV. *Baſilius* Seleucienſis, anno 382.
Seculo VIII. *Beda* Venerabilis dictus, Preſbyter Anglus, an. 714. pag. 267.
Seculo VI. *S. Benedictus* Abbas, anno 530.
Seculo IX. *Benedictus* Levita, anno 861.
Seculo XII. *Berengarius* hæreticus.
Seculo XII. *S. Bernardus* Abbas Claravallis, circa annum 1120. pag. 277.
Seculo XI. *Berno* Augienſis, anno 1014. pag. 274.
Seculo VIII. *Bonifacius* Moguntinus Archiepiſc. circa an. 730. pag. 267.
Seculo XI. *Brocardus*, imò *Burchardus*, Epiſcopus Vvormatienſis, an. 1020.

C

Ineunte Secul. VI. CÆSARIUS Arelatenſis Epiſc. an. 501.
Seculo V. *Caſſianus* Scytha, circa an. 403. pag. 263.
Seculo VI. *Caſſiodorus*, dictus Senator, an. 528. pag. 264.
Chryſoſtomus, V. *Joannes*.
Seculo V. *S. Chromatius* Aquilejenſis, aliàs Romatianus Epiſcopus, an. 409. pag. 253.
Seculo II. *S. Clemens* Alexandrinus Preſbyter, an. 192. pag. 235.
Seculo IV. *Conſtantini* Privilegium, ſive Donatio.
Seculo III. *S. Cyprianus* Epiſcopus Carthaginenſis & Martyr, an. 248. pag. 234.
Seculo V. *S. Cyrillus* Alexandr. Patriarcha, an. 412. pag. 251.
Seculo IV. *S. Cyrillus* Hieroſolymitanus Epiſcopus, an. 351. pag. 344.

D

Seculo IV. DIDYMUS Alexandrinus cæcus, an. 392. pag. 244.
Seculo I. & II. *S. Dionyſius* Areopagita, circa an. 100. pag. 231.
Seculo III. *S. Dionyſius* Alexandrinus Epiſcopus, an. 248.

E

Seculo VIII. EGBERTUS Eboracenſis Archiepiſc. an. 740.
Seculo IV. *Eligius* Epiſcopus Noviomenſis, pag. 266.
Seculo VI. *Ennodius* Ticinenſis Epiſcopus, an. 503. pag. 263.
Seculo IV. *S. Ephrem* Syrus, Diaconus Edeſſenus, an. 366.
Seculo IV. *S. Epiphanius* Salaminæ in Cypro Archiepiſc. an. 370. pag. 245.
Seculo VI. *Evagrius* Scholaſticus, Syrus, Hiſtoricus, an. 597. pag. 265.
Seculo V. *S. Eucherius* Lugdunenſis Archiepiſc. an. 441.
Seculo IV. *Euſebius* Emiſenus, an. 342. pag. 239.
Seculo IV. *Euſebius* Pamphili, Epiſcopus Cæſareæ in Palæſtina, anno 320. Prænot. pag. 239.

F

Seculo V. FAUSTUS Regienſis ſeu Rejenſis Epiſc. an. 455. pag. 263.
Seculo X. *Flodoardus* Rhemenſis Canonicus, an. 960. pag. 272.
Seculo IX. *Freculfus* Lexovienſis Epiſc. an. 847.
Seculo XI. *Fulbertus* Carnotenſis Epiſc. an. 1007. pag. 274.
Seculo VI. *S. Fulgentius* Ruſpenſis in Africa Epiſc. an. 505. pag. 263.

GAU-

G

GAUDENTIUS, Brixienſis Epiſcopus.	Seculo V.
Gelaſius Cyzicenus, an. 475.	Seculo V.
Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha, an. 458.	Seculo V.
Gennadius Maſſilienſis, an. 490.	Seculo V.
Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, an. 715.	Seculo VIII.
Gofridus Vindocinenſis Abbas, an. 1121. pag. 276.	Seculo XII.
Gratianus Monachus, Autor Decreti, an. 1151.	Seculo XII.
S. Gregorius Magnus Papa, an. 590. Prænot. pag. 264.	Seculo VI.
S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, an. 368. pag. 243.	Seculo IV.
S. Gregorius Nazianzenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 372. pag. ead.	Seculo IV.
S. Gregorius Thaumaturgus, an. 232. Prænot. pag. 238.	Seculo IV.
S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, an. 772. pag. 264.	Seculo VIII.
Guitmundus Epiſcopus Averſanus, an. 1073. pag. 275.	Seculo XI.

H

HALITGARIUS Cameracenſis Epiſc. an. 823.	Seculo IX.
Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis, circa an. 840. pag. 270.	Seculo IX.
Henricus I. Imperator, an. 1005.	Seculo XI.
Herardus Turonenſis, an. 859.	Seculo IX.
Hermes, ſive *Hermas*, pag. 227.	Seculo I.
Heſychius, aliàs *Iſichius*, Hieroſolymitanus Presbyter, vide *Iſichius*, pag. 265.	Seculo VI.
S. Hieronymus Stridonenſis Presbyter, anno 378. pag. 254.	Seculo IV.
Hilarius Pictavienſis Epiſc. an. 355. pag. 246.	Seculo IV.
Hincmarus Rhemenſis Archiepiſc. an. 841. pag. 271.	Seculo IX.
Honorius Imperator, an. 395.	Seculo IV.
Honorius Auguſtodunenſis Presbyter & Scholaſticus, an. 1122. pag. 276.	Seculo XII.
Hildebertus Cenomanenſis Epiſc. an. 1097.	Seculo XI.
Hugo à S. Victore, anno 1130. pag. 276.	Seculo XII.
Humbertus Cardinalis, anno 1051. pag. 274.	Seculo XI.
Humbertus Viennenſis, Ordinis Prædicatorum, an. 1254. pag. 278.	Seculo XIII.
Incmarus, lege *Hincmarus*.	

I

S. IDELPHONSUS Epiſcopus Toletanus, an. 658. Præn. pag. 266.	Seculo VII.
S. Ignatius Martyr, Epiſcopus Antiochenus, circa annum 100. pag. 230.	Seculo II.
Innocentius III. Pontifex Maximus, an. 1196. pag. 277.	Seculo XII.
Joannes Caſſianus Monachus, an. 430. pag. 263.	Seculo V.
S. Joannes Chryſoſtomus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, an. 392. pag. 248.	Seculo IV.
* *Joannes* Epiſcopus Hieroſolymitanus.	Seculo V.
Joannes Climacus, Abbas Montis Sinai, an. 565.	Seculo VI.
Joannes Jejunator, Patriarcha Conſtantinopolitanus, an. 596. pag. 265.	Seculo VI.

Seculo VIII. *S. Joannes Damaſcenus*, Presbyter & Monachus, an. 744. pag. 268.
Seculo VII. *Joannes Moſchus*, an. 668.
Seculo IX. *Jonas* Epiſcopus Aurelianenſis, an. 828.
Seculo XII. *Joannes Zonaras*, anno 1123.
Seculo II. *S. Irenæus* Epiſcopus Lugdunenſis, & Martyr, an. 179. pag. 233.
Seculo IX. *Iſaacus* Lingonenſis, anno 860.
Seculo V. *Iſidorus Peluſiota*, Presbyter Ægyptius & Monachus, circa an. 420. pag. 251.
Seculo VII. *Iſidorus* Hiſpalenſis Archiepiſc. an. 600, pag. 266.
Iſichius, vide *Heſychius*.
Seculo V. *Julianus Pomerius*, Abbas in Gallia & Presbyter Eccleſiæ Arelatenſis, anno 496.
Seculo XI. *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus, an. 1092.
Seculo II. *S. Juſtinus* Philoſophus Chriſtianus, Martyr, circa an. 141. vide Prænot. pag. 222.

L

Seculo IV. LACTANTIUS Firmianus, anno 315.
Seculo XI. *Lanfrancus* Archiepiſc. Cantuarienſis, an. 1070. pag. 275.
Seculo V. *S. Leo I.* Papa, 451. Prænot. pag. 262.
Seculo XI. *Leo IX.* Pontifex Maximus, an. 1049. pag. 274.
Seculo IX. *Leo* Sapiens, Imperator, an. 886. pag. 273.
Seculo VII. *Leontius* Scholaſticus Conſtantinopolitanus, circa an. 600.
Seculo IX. *Ludovicus I.* Imperator, Pius dictus, an. 814.
Seculo IX. *Lupus* Ferrarienſis Abbas, an. 842. pag. 270.
Seculo X. *Luitprandus* Cremonenſis Epiſc. 961. pag. 272.

M

Seculo XII. MALACHIAS Primas Hiberniæ, an. 1124.
Seculo VI. *Martinus* Bracarenſis Epiſc. anno 572.
Seculo XI. *Micrologus*, cujus verum nomen minùs compertum, circa an. 1085. pag. 275.

N

Seculo IV. S. NECTARIUS Epiſcopus Conſtantinopolitanus, anno 388.
Seculo IX. *Nicephorus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 810.
Seculo V. * *Nilus*, Abbas Græcus, circa an. 440.

O

Sec X. exeunte. OECUMENIUS, pag. 273.
Sec. IX. at X. *Olympiodorus*, Monachus Græcus, pag. 273.
Seculo IV. *Optatus* Milevitanus Epiſcopus in Africa, circa an. 368. pag. 246.
Seculo III. *Origenes*, anno 211. pag. 236.
Seculo X. *Otto I.* Imperator, an. 937.

PACIA-

P.

PACIANUS Epiſcopus Barcinonenſis, circa an. 355.	Seculo IV.
Palladius Epiſcopus Nelenopoleos, an. 388.	Seculo IV. & V.
Paſchaſius Ratbertus, an. 816. pag. 269.	Seculo IX.
Paſchaſius Diaconus Cardinalis, an. 493. pag. 263.	Secul. V. & VI.
Paulinus Presbyter Mediolanenſis.	Seculo IV.
S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, anno 400. pag. 261.	Sec. V. ineunte.
Paulus Diaconus Aquilejenſis, an. 774. pag. 267.	Seculo VIII.
Pelagius, ex Diacono Eccleſiæ Romanæ Pontifex Maximus, an. 555.	Seculo VI.
Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis in Anglia, ann. 1169. pag. 277.	Seculo XII.
Petrus Epiſcopus Alexandrinus, anno 304. pag. 238.	Seculo IV.
S. Petrus Chryſologus Ravennenſis Epiſcopus, anno 433.	Seculo V.
Petrus Bluniacenſis Abbas, qui & Petrus venerabilis, an. 1123.	Seculo XII.
Petrus Comeſtor ſive Manducator, Trecenſis Canonicus & Decanus, circa annum 1160. pag. 374.	Seculo XII.
Petrus Damiani Cardinalis, an. 1052. pag. 274.	Seculo XI.
Petrus Diaconus Græcus, circa an. 520.	Seculo VI.
Petrus Lombardus, qui & Magiſter Sententiarum, anno 1153. pag. 374.	Seculo XII.
Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 892.	Seculo IX.
Primaſius Adrumettinus vel Uticenſis in Africa Epiſcopus, anno 540. pag. 264.	Seculo VI.
Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus, an. 438.	Seculo V.
Proſper Aquitanus, anno 428. Prænot. pag. 262.	Seculo V.
Prudentius, vide *Aurelius*.	

R

RABANUS MAURUS Moguntinus Archiepiſcopus, an. 847. Prænot. pag. 270.	Seculo IX.
Regino Abbas Prumienſis, an. 945. pag. 272.	Seculo X.
Richardus à S. Victore, circa annum 1160. pag. 277.	Seculo XII.
Ruffinus, anno 373. pag. 253.	Seculo IV. & V.
Rupertus Abbas Tuitienſis, circa an. 1120. pag. 276.	Seculo XII.

S

SALVIANUS Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, an. 440. pag. 263.	Seculo V.
Sedulius Presbyter, an. 340. pag. 262.	Seculo IV.
Severus Sulpicius, Agennenſis Epiſc. in Aquitania, an. 400. pag. 257.	Seculo V.
Sidonius Apollinaris, Arvernorum Epiſcopus, an. 468. pag. 262.	Seculo V.
Simeon Metaphraſtes, qui & Logotheta, an. 940. pag. 273.	Seculo X.
Smaragdus Abbas, an. 843. pag. 269.	Seculo IX.
Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus, an. 636.	Seculo VII.
Sozomenus & Socrates Hiſtorici, circa an. 440.	Seculo V.
Stephanus Eduenſis, ſive Auguſtodunenſis Epiſcopus, an. 1112.	Seculo XII.
Strabus Fuldenſis Monachus, an. 842. pag. 94. & 270.	Seculo IX.

T

Seculo VIII. TARASIUS Conſtantinopolitanus, an. 786.
Seculo III. *Tertullianus* Carthaginenſis, an. 200. pag. 233.
Seculo VIII. *Theodulphus* Aurelianenſis Epiſcopus, an. 794. pag. 269.
Seculo V. *Theodoritus*, ſive *Theodoretus*, Epiſcopus Cyri, an. 423. pag. 252.
Seculo VII. *Theodorus* Cantuarienſis Epiſcopus, an. 697.
Seculo IX. *Theodorus* Studites Abbas, circa an. 810. pag. 272.
Seculo XI. *Theophylactus* Archiepiſcopus Bulgariæ, an. 1072. pag. 275.
Seculo IV. *Theophilus* Alexandrinus, an. 385. pag. 250.
Seculo V. *Theodoſiana* Leges, ſive Codex Theodoſianus, anno 438. pag. 279.
Seculo IV. *Timotheus* Alexandrinus Patriarcha, an. 381. pag. 244.
Seculo VI. *Tripartita* Hiſtoria, circa an. 550.

V

Seculo IX. VALAFRIDUS Strabo Abbas Augiæ, an. 824. pag. 270.
Seculo VI. *Victor Tununenſis*, vel *Tonnonenſis*, an. 555. pag. 264.
Seculo V. *Victor Uticenſis*, ſive *Vitenſis*, in Africa Epiſcopus, an. 487.
Seculo V. *Vincentius* 13. Abbas Lirinenſis, an. 434. pag. 263.
Seculo IX. *Uſuardus* Monachus, anno 806. pag. 268.
Seculo XIII. *Vincentius* Bellovacenſis, Dominicanus, an. 1255. pag. 278.

Y

Seculo XI. YVO Carnotenſis Epiſcopus, anno 1092.

IX. ORDI-

I X.

ORDINUM REGULARIUM INDEX & primo de MONACHORUM cæterorumque REGULARIUM inſtitutione.

I. Origo vitæ Monaſticæ.

VITÆ communis inſtitutum apud fideles unà cum Religione Chriſtiana ortum eſſe ſacræ literæ teſtantur, Actuum cap. 2. & 4. Siquidem jam tum *Multitudini credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam, eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia*. Qui quidem mos Alexandriæ à B. Marco introductus, à Philone Judæo, lib. de vita contemplativa ſive de ſupplicibus, ſub Eſſæorum, à ſanctitate deducto nomine, deſcriptus fuiſſe putatur, autoribus Euſebio lib. 2. hiſt. cap. 15. & 16. Epiphanio hær. 29. Sozomeno lib. 1. cap. 12. aliiſque. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Philone ea de re ſic loquitur: *Ex quibus apparet talem primam in Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt: ut nihil cujuſquam proprium ſit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur & Pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ*. Unde à vero non videtur abhorrere quod aſſerit Caſſianus 2. inſtit. Cœnob. 5. Ægyptios Monachos à S. Marco eſſe inſtitutos. Quinimò paulò adhuc antiquior cenſeri poteſt hæc vitæ norma: ſiquidem apud Iſidorum S. Joannes Baptiſta vitæ Monaſticæ fundamenta jeciſſe dicitur, atque à S. Joanne Chryſoſtomo, hom. de Joan. Baptiſta, & à S. Hieronymo, epiſt. 22. ad Euſtochium, *Monachorum Princeps* appellatur. Verùm quia & Joannes exemplo potiùs ſuo cæteris præiviſſe, quàm certa regula conſtituta diſcipulos informaſſe videtur, neque apparet aut hos, aut Chriſtianos Alexandrinos in ejuſmodi vivendi ratione diu perſeveraſſe, alii opinor certiores quærendi ſunt ejus rei auctores.

II. Initium Monaſticæ diſciplinæ.

Monachos peperiſſe creduntur perſecutiones in Chriſtianos ab Imperatoribus Ethnicis motæ: Deciana imprimis circa annum Chriſti 253. Per ea enim tempora auctoribus, hinc Dionyſio Alexandrino Ægyptii fideles in Thebaidem, inde Gregorio Thaumaturgo Neocæſareæ Epiſcopo in Ponti ſolitudines, vitandi graſſantium adverſus fideles Paganorum furoris cauſa, ſeceſſiſſe feruntur. In illis *Paulus* fuiſſe legitur, quem omnes Anachoretarum principem agnoſcunt. Paulò poſt, initio nimirùm ſequentis ſeculi, Monachos inſtituit in eadem Ægypto *Antonius*, qui quidem Cœnobiticæ vitæ ſub communi regula in eremo degendæ autor perhibetur, aut certè, (ſi quis auctorem ejus Marcum fuiſſe contendat,) reſtitutor. Id autem inſtitutum à B. Athanaſio Patriarcha Alexandrino, qui cum Antonio vixerat, in Clerum ejus Eccleſiæ eſt translatum, ac deinde Romam illatum circa annum 340. unde brevi per Occidentis provincias propagatum fuit.

Digitized by Google

III. Diverſa Monachorum genera.

Monachorum autem Ægyptiorum tria fuiſſe genera tradit epiſt. 22. Hieronymus: Horum primi erant *Cœnobitæ*, quos Ægyptii ſua lingua *Sauſes* vocabant, id eſt communem inter ſe vitam agentes; quoſque *Synoditas* appellant Arcadius & Honorius *in l. addictos 6. Cod. de Episc. aud.* ſcilicet intra eandem domum ſub regula degentes. Secundum locum obtinebant *Anachoretæ*, qui & Ἡσυχάσαι à Juſtiniano Nov. 5. cap. 3. & *Eremitæ*, ac propriè Monachi, ſeu Μονάζοντες, i. ſolitarii dicti, in cellis quiſque ſuis & latebris ſive lauris, ut vocabant, per deſerta & vaſtas ſolitudines, procul ab hominum cultu cœtuque, religiosè, ſed plerumque ſine certa norma & regula vivebant. Tertium genus fuit eorum qui *Remoboth* dicebantur, & bini tantùm aut terni in urbibus ferè aut caſtellis ſimul habitantes, ſuo arbitratu, ex iis quæ proprio quiſque labore comparabant, in commune collatis, vivebant: à quibus parum quid diverſi fuere quos Caſſianus *Sarabaitas* appellatos fuiſſe memorat collat. 18. c. 7.

IV. Reliqua Regularium ac Cœnobitarum genera.

Monachis & Cœnobitis, itemque Monialibus acceſſere Canonici, atque alii Clerici Regulares: Canonici quidem dicti quòd inſcripti eſſent Canoni ſeu matriculæ Eccleſiæ vel Cœnobii; Regulares verò quòd ex præſcripta Regula communem agerent vitam. Prodiere poſteà Hoſpitalarii, Mendicantes, aliique: quorum omnium collapſa progreſſu temporis diſciplina, ei ad priſtinam, aut certè ad meliorem formam redigendæ, orta ſubinde varia ſodalitia, Religioſorum virorum ac puellarum numerum in immenſum auxerunt.

V. Regulæ variæ.

His omnibus diverſæ vivendi formæ poſt ſanctum Antonium à Pachomio Abbate, ejus in regendis per Thebaidem Monachis ſucceſſore, aut adjutore; ac deinde à Sancto Baſilio circa ann. 373. in Oriente; in Occidente verò à S. Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo circa an. 400. ab Honorato Lirinenſi Abbate, ac deinde Epiſcopo Arelatenſi circa an. 420. à S. Benedicto Nurſino circa an. 520. à Columbano Abbate Hiberno circa an. 565. atque à B. Franciſco Aſſiſinate circa an. 1206. conſcriptæ ſunt. Hodiè innumeræ diverſorum Ordinum familiæ, licèt habitu, ac regiminis forma diſſimiles, unam ex his quatuor Regulis, ſanctorum videlicet Baſilii, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci profitentur, atque alii ſtrictiùs, mitiùs alii obſervant: niſi quòd Carthuſianis, aliiſque nonnullis propriæ Conſtitutiones pro Regula ſunt. Innocentius 2. *in Can. perniciosam xviii. quæſt. 2.* trium priorum Regularum meminit, cum nondum S. Franciſcus ſuam inſtituiſſet. Sed de his qui plura volet, ei conſulendi Polyd. Virgilius lib. 7. de inventorib. rer. Chaſſanæus in Catalogo gloriæ mundi, parte 4. conſiderat. 53. & ſeqq. Ren. Chopinius in libris Monaſticon, Hugo Menardus, Aubertus Miræus, Anton. Dadinus Altaſerra & alii.

VI. Vota Regularia.

Cœnobitarum ſtatus tribus votis conſtat, Continentiæ, Paupertatis, & Subjectionis, quæ tria omninò ad ſubſtantiam vitæ Regularis pertinent: & tum Obedientia (quam Abbati omnes in omnibus exhibere tenentur,) tum hodiè *abdicatio Proprietatis, ſicut & cuſtodia Caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*, teſte Innocentio 3. in cap. *cum ad Monaſterium 6. ex. de Statu Monachor.* Atque iis vinculis obſtricti tenentur tametſi Clerici fiant, *Can. 3. de Monachis*, xvi. *quæſt. 1.* aut etiam Epiſcopi:

ſcopi: Manent enim adhuc Monachi, eoſque oportet ferre habitum Monachalem, *cap.* 15. *in f. e. de vita & honeſt. Cleric.* Niſi ſcilicet ab ipſo religionis vinculo abſolvantur, *ex Gloſſa dict. cap. cum ad Monaſter.* quod præſertim Epiſcopali ordinatione contingit, circa obligationem ſervandæ paupertatis, aliorumque Monaſticorum offic...tum, quæ cum Epiſcopalibus pugnant, *Can. un.* XVIII. *quæſt.* 2. Idcoque Beguinæ, quæ nulli promittebant obedientiam, nec propriis renunciabant, nec profitebantur aliquam Regulam approbatam, Religioſæ nequaquam exiſtebant, quanquam habitum deferrent & adhærerent Religioſis aliquibus, uti deciſum eſt à Clemente 5. in Concilio Vienneſi, *Clem.* 1, *de Religioſis domib.* Idcirco Monachus mundo mortuus, Deo tantùm vivere dicitur, *Can. placuit* 8. XVI. *quæſt.* 1. Eremitarum ſeorſim degentium, quod ad propria poſſidenda pertinet, alia videtur fuiſſe cauſa, §. *econtrà poſt Can. perlatum*, XIX. *quæſt.* 3. & *cap. un. de exceſſib. prælator. in fi. lib.* VI.

Quoniam libero conſenſu ſuſcipi debet Regularis vitæ Profeſſio; ne erroris, qui conſenſui contrarius eſt, ulla obtendi poſſit excuſatio, rectè conſtitutum eſt, ut nec ante pubertatem, nec niſi poſt debitam probationem ſive experimentum, vota emittantur. Ætatem Tridentina Synodus ſeſſ. 25. in decreto de Regularib. cap. 15. & Conſtitutio Bleſenſis art. 28. in utroque ſexu anno decimo ſexto completo definiunt, Probationis tempus nunc ferè annuum eſt, niſi ex cauſa differatur; vixque apud nos valet tacita Profeſſio, ex quo edicti Molinenſis art. 55. ad probanda vota Regularia requiri cœpit ſcriptura. VII. Requiſita.

Sequens Syllabus ſingulorum Ordinum & Sodalitiorum Auctorem, Tempus, Locumque inſtitutionis, ac Regulam breviter indicabit.

INDEX CHRONOLOGICUS ORDINUM & Congregationum Regularium.

ANTONIANI, ſive Monachi Ordinis ſancti Antonii, ab *Antonio* Ægyptio Abbate, circa annum Chriſti 310. in Thebaide Ægypti Provincia, apud Nitriam præſertim montem, inſtituti: in Syria & Ægypto hodieque plurima Monaſteria habent. *Monachi di S. Antonio Eremita.*

TABENNITÆ, ſuperſtite ſancto Antonio in eadem Thebaide, Tabennis, qui locus in Nili fluminis inſula ſitus eſt, inſtituti à ſancto Pachomio Abbate, ſub cujus Regula degunt, cum ſuperioribus plerumque confunduntur. 320. *Di S. Pacomio.*

BASILIANI circa an. 363. Matazæ in Ponto à ſancto Baſilio, poſteà Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo, dicti, cujus Regulam ſequuntur, per totam Græciam magno numero degunt. *Di S. Baſilio.*

CANONICI REGULARES auctorem habent ſanctum Auguſtinum Hipporegienſem in Numidia Præſulem circa an. 395. *Canonici Regolari di S. Agoſtino.*

EREMITÆ AUGUSTINIANI ab eodem in Eremo Numidiæ Tagaſtenſi, vitæ Monaſticæ Regulam acceperunt, circa idem tempus 395. *Romiti di S. Agoſtino.*

Digitized by Google

Del Monte Carmelo. CARMELITARUM ſemina videntur ſub annum 400. jacta, cum Monachorum Antonianorum propago, S. Baſilii Regulam auſpiciis Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani, in Carmelo Palæſtinæ monte, amplexi dicuntur.

Di S. Onorato di Lerino. LIRINENSES, in Provinciæ inſula Lerina, ab Honorato, qui poſt Arelatenſis Antiſtes, ſub dura regula inſtituti circa annum 420. poſteà cum Benedictinis coaluerunt.

Di S. Benedetto. BENEDICTINI, qui & Monachi Nigri, à ſancto Benedicto Nurſiæ in Umbria, aliàs in Sabinis, nato, Monachorum per Occidentem parente, originem Regulamque acceperunt, apud montem Caſſinum in Latii & Campaniæ confinio, circa annum 529. Eorum Regula à Gregorio magno confirmata legitur an. 595. in Concilio Romano. Hic Ordo jam tempore Conſtantienſis Concilii Orbi Chriſtiano virorum piorum in Sanctorum album relatorum quinquaginta & quinque millia, & præterea quadringentos ac ſexaginta, Pontifices maximos 35. Cardinales 200. Archiepiſcopos 1164. Epiſcopos 3512. protuliſſe dicebatur.

Di S. Colombano. B. Columbani Abbatis Hiberni, (qui ſub annum 565. apud Scotos à ſe ad fidem converſos Monaſterium inſtituit, cujus Abbati Epiſcopi ipſi ſubeſſent,) Regulam plura olim per Britanniam Inſulam Cœnobia ſequebantur. Is Luxovienſe in Burgundia, & Bobienſe tandem in Italia fundavit.

Di Clugnì. CLUNIACENSES à Bernone orti, qui ex Comite Monachus, & Gigniacenſis in Occitania Abbas, auſpiciis Guilielmi Aquitaniæ Ducis Arverniæque Comitis, apud Cluniacum vicum in Matiſconenſi Burgundiæ Diœceſi circa annum 910. fundato Monaſterio, remiſſum in Gallia Monachorum Benedictinorum inſtitutum inſtauravit. Quamquam ſunt qui Guerinum Comitem Cabilonenſem & Matiſconenſem, ſub annum 820. primum autorem fuiſſe contendant Cœnobii Cluniacenſis, quod poſteà deſtructum, atque à Guilielmo Duce inſtauratum fuerit, eique Berno Abbas præpoſitus.

Di Camaldoli. CAMALDULENSES à Romualdo Ravennate nobili, Claſſenſi ſancti Apollinaris apud Ravennam Abbate, circa annum 997. Camalduli in Tuſciæ Diœceſi Aretina, ſub ſancti Benedicti Regula fuere inſtituti: quem Anachoretarum Ordinem Alexander II. anno 1073. comprobavit.

Di Vallombroſa. VALLIS-UMBROSÆ Monachi autorem agnoſcunt Joannem Gualbertum Florentinum, nobili loco natum, qui cum Monachum apud ſanctum Miniatum profeſſus eſſet, deinde Teuzonis viri docti conſilio, Vallem Umbroſam in Tuſcia, & Diœceſi Florentina, profectus, ibi Monaſterium condidit, ac novi Ordinis fundamenta jecit, circa annum 1060.

Canonici Riformati. CANONICORUM REGULARIUM diverſa genera, diverſæque familiæ ſunt ſub S. Auguſtini regula militantium. Primum ferè inter eos locum tenent quos ſub annum 1056. Arnolfus quidam Hieroſolymis inſtituit: Quod inſtitutum inſtauratum maximè creditur, cum per Alexandrum II. in Lateranenſi Concilio anni 1063. à Canonicis ſeu Clericis Collegiatis communem vitam ſervari conſtitutum eſt.

Di Gran-mont. GRANDIMONTENSIUM conditor fuit Stephanus Arvernus, vir miræ ſanctitatis, qui vitam eremiticam in patria amplexus an. 1076. apud Mureti montem Lemovicibus proximum, plurimos in B. Benedicti diſciplina erudiit. Ejus poſteà diſcipuli, Grandimontium in eadem Diœceſi migra-

migrarunt, circa annum 1130. Hunc Ordinem aliquatenus temporum injuria labefactatum Joannes XXII. reformavit; & Monaſterium, quod anteà Priorem tantùm habuerat, Abbatiæ titulo donavit.

CARTHUSIANI, dicti ſunt à Carthuſiæ ſolitudine in Diœceſi Gratianopolitana, ab Hugone Epiſcopo B. Brunoni Colonienſi autori illius Inſtituti, ipſiuſque ſociis conceſſa; quæ circa annum 1086. habitari cœpta. Hi quoniam à ſolitariæ vitæ cum perpetua cilicii, ſilentii, jejunii obſervatione conjunctæ, inſtituto non receſſerunt, & ſtatutis ſuis ab Urbano II. confirmatis, quæ ipſis pro Regula ſunt, arctiùs inſtiterunt; Reformatione non indiguere: Idque habent præcipuum quòd Mendicantes aliique religioſi ab Ordinibus ſuis ad hunc, tanquam ſtrictiorem, tranſire poſſunt, *cap. de Regularib. in communib.* *I Certoſini.*

SANTI ANTONII VIENNENSIS Hoſpitalariis Gaſto vir nobilis Provinciæ Viennenſis originem dedit. Hic cum Gerino filio, adjunctis octo ſodalibus, infirmorum miniſterio ſe addixit, qui præſertim ſacro igne, (morbo nimirum per ea tempora frequenti) ardebant; idque circa an. 1095. Hi affixa tunicæ figura literæ T. diſtinguuntur. Primaria domus eſt apud Motam, quæ à ſancti Antonii reliquiis eò jam tum translatis, fanum S. Antonii vocatur, in Viennenſi agro ſita. *S. Antonio di Vienneſe.*

CISTERCIENSE Monaſterium in Diœceſi Cabilonenſi & Burgundiæ Ducatu erexit ſanctus Robertus Abbas Moliſmenſis anno 1098. permiſſu Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis Legati Apoſtolici, & Valteri Cabilonenſis Epiſcopi, atque ope Odonis Burgundiæ Ducis. Hinc ortus Ordo Ciſtercienſium qui ſub Regula S. Benedicti degunt, multis privilegiis à Paſchali præſertim II. Calliſto II. Innocentio II. donati: Eorum decus B. Bernardus Abbas Claravallenſis. *De' Ciſtercieſi.*

FONTIS EBRALDI familia à Roberto de Arbruſſellis Theologo Pariſienſi, qui ſancto Bernardo familiaris fuit, inſtituta eſt circa annum 1117. apud ejus nominis locum in Diœceſi Pictavienſi, non procul à Turonum & Andegavorum finibus, condito Monaſterio: cujus Abbatiſſa non ſolùm Monialibus, ſed etiam Monachis totius Ordinis præeſt; exemplo ſcil. beatæ Virginis, cui tanquàm matri, B. Joannes in filium adoptatus, paruit. Juſſu Sixti 4. facta eſt Ordinis Reformatio ſecundum ſancti Benedicti Regulam, & Roberti ſtatuta. *Di Fonteurand.*

HOSPITALARII, ſive JOANNITÆ, circa annum 1131. Hieroſolymis in æde ſancti Joannis inſtituti ſunt, ſub regula ſancti Auguſtini, ſacram militiam, cum Hoſpitalitate, atque infirmorum cura, profeſſi. Poſt ereptam Chriſtianis Palæſtinam Equites *Rhodii*, nunc amiſſa Rhodo, *Melitenſes* vocantur. *Cavalieri di S. Giovanni di Geruſalemme o di Malta.*

SANCTI RUFI Canonicorum Regularium Congregatio, auctore B. Rufo Archiepiſcopo Lugdunenſi, cœpit ſub regula B. Auguſtini, circa annum 1107. in Galliæ Diœceſi Valentinenſi, qua in urbe nunc Cœnobium ejus primarium exiſtit. *Di S. Rufo.*

TEMPLARII, licèt Militaribus Ordinibus annumerandi videantur, quòd in id præcipua cura incumberent, ut Chriſtianos loca ſacra adeuntes à vi atque inſidiis, tum latronum, tum infidelium, tutos pro virili præſtarent: quia tamen fideles quoque peregrinos hoſpitio excipiebant, Hoſpitalariis eos accenſeri nihil vetat. Illi numero novem circa annum 1118. votis ſe regularibus obſtringere cœperunt, Hieroſolymis coram Pa- *I Templarii.*

Digitized by Google

triarcha, autoribus Hugone de Paganis & Gaufredo de ſancto Andomaro, nobilibus viris; dictique ſunt Milites Templi, quòd eis Rex Hieroſolymitanus in palatio ſuo, quod ſecus Templum Domini erat, habitaculum; Canonici verò Templi locum Palatio vicinum ad opus officinarum conceſſiſſent. Nono poſt anno aſſignata eſt eis in Trecenſi Concilio Regula juſſu Honorii II. atque ab eo tempore immenſum numero atque opibus crevere: donec impietatis & multorum flagitiorum rei acti, juſſu Clementis V. omnes ubique deleti ſunt, bonaque ipſorum partim Joannitis ſive Rhodiis, partim Teutonicis militibus attributa.

Di Premoſtrato. PRÆMONSTRATENSES Canonici Regulares initium accepere anno 1120. apud Præmonſtratum in Diœceſi Laudunenſi, à Norberto, Evangelicæ doctrinæ prædicatore celebri, qui poſtea Magdeburgenſis in Germania Archiepiſcopus creatus eſt. Militant ſub B. Auguſtini Regula, & Paſtoralia in locis ſibi aſſignatis munia obeunt.

Del monte della Vergine. MONTIS VIRGINIS Monaſterium, à quo univerſæ familiæ nomen, fundavit Gulielmus Vercellenſis Eremita in Abellinate, ni fallor, Provincia Beneventanæ Diœceſi, ſub regula ſancti Benedicti, circa an. 1124.

Di S. Guglielmo. GUILIELMITÆ, ſeu Eremitæ ſancti Guilielmi, in Stabulo Rhodis, quod hodiè Malla vallis, apud Groſſetum Senenſis in Tuſcia ditionis oppidum, ortum habuerunt circa an. 1152. autore Gulielmo, ſive ultimo Aquitaniæ Duce ac Pictonum Comite, ſive alio Guilielmo; ſub Regula ſancti Benedicti, comprobata ab Innoc. IV. an. 1248. Vulgò apud nos à pallii exterioris colore, *Blancs manteaux* appellabantur. Hunc Ordinem plerique ad Auguſtini regulam referunt, quòd nunc in Stabulo Rhodis inſigne ſit Monaſterium Auguſtinianorum.

Gilbertini. GILBERTINA Benedictinorum Congregatio per B. Gilbertum Sempinganum Anglum in Diœceſi Lincolnienſi inſtituta fuerat an. 1148. atque ab Eugenio III. approbata.

Di S. Croce. CRUCIFERORUM ſeu Crucigerorum plures ſunt familiæ. Primam originem ad Cleti Pontificis tempora quidam referunt. Cyriacum alii, qui Helenæ Conſtantini matri locum indicavit, in quo Chriſti crux recondita fuerat, auctorem prædicant hujus inſtituti. Illud conſtat ante annum 1160. per Italiam innotuiſſe: ſiquidem eos variis privilegiis ornavit Alexander III. eorum ſæpiùs hoſpitalitate uſus, cum Friderici Ahenobarbi vim fugeret. At qui in Gallia, Belgio, Germaniaque eo nomine cenſentur, circa an. 1216. initium habuere à quinque piis hominibus, qui ſe Hugoni Cardinali Apoſtolico Legato obtulere. Innocentius IV. ſub Regula ſancti Auguſtini Ordinem confirmavit, cujus caput Huii ad Moſam in Diœceſi Leodienſi.

Le Beghine. BEGUINÆ, aut Beghinnæ, ſive à Begga Pipini primi Brabantiæ Ducis filia, circa annum 680. ſive à Lamberto Begho Leodienſi Sacerdote, circa annum 1170. denominatæ atque inſtitutæ, nobiles ſunt virgines, religioſum vitæ genus Pſalmodia, divinorumque Officiorum aſſiduitate, habitu quoque in Choro, & habitatione communi amplexæ, citra votorum tamen regularium profeſſionem: longè diverſæ ab iis quæ cum Begardis in Concilio Viennenſi hæreſis nomine damnatæ ſunt.

Gli Vmiliati. HUMILIATI à quibuſdam Nobilibus Mediolanenſibus, patriæ poſt exilium tandem reſtitutis ab Imperatore Henrico V. aliàs VI. cœperunt originem circa annum 1196. Eorum ſodalitium Innocentius III. circa 1200. confir-

confirmavit ſub Benedictina Regula; abolevit Pius V. propter inſidias B. Carolo Borromæo paratas anno 1570. Hi ab Humiliatis, hæreſeos nomine per Innocentium III. damnatis, diverſi fuere.

Della Trinità e Trinitarj.

SANCTISSIMÆ TRINITATIS Ordo *ad Redemptionem Captivorum* inſtitutus eſt anno 1197. auctore Joanne de Matha in Provincia nato, qui Theologus Pariſienſis fuit, atque à Felice Anachoreta Valeſiano, in loco Diœceſis Meldenſis qui *Cervus Frigidus* dicitur, ubi adhuc Ordinis Caput, licèt Generalis Miniſter apud Maturinenſes Lutetiæ ut plurimùm degat. Confirmatus eſt hic ordo ab Innocentio 3. an. 1209.

Del Monte di Dio.

MONTIS DEI Ordo ſecundum Regulam ſancti Auguſtini, in Diœceſi Germaniæ Spirenſi, exordium habuit anno 1203. ab Alexandro Magdeburgenſi Archiepiſcopo, confirmante Innocentio III.

I Carmelitani.

CARMELITÆ, ſive Carmelitani fratres, cum anteà ſparſim per montem Carmelum agerent, temporibus primùm Alexandri III. ſimul conveniſſe dicuntur: deinde Innocentii III. autoritate ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano circa annum 1205. Regulam ex ſancti Baſilii aliorumque præceptis compoſitam accepere; quæ ab Honorio III. confirmata, ab Innocentio deinde 4. mitigata eſt. Habitus formam mutavit Honorius IV. In Gallia ſedes figere cœperunt circa annum 1264.

I Franceſcani e Cordigeri.

FRANCISCANI qui & *fratres Minores*, & Minoritæ, ann. 1208. initium habuere à ſancto Franciſco Aſſiſino, qui eis & vivendi normam ſtrictiori paupertatis profeſſione inſignem præſcripſit, in Lateranenſi IV. Concilio ab Innocentio III. atque iterum ab Honorio itidem III. confirmatam. Ejus Ordinis plures ſunt familiæ, de quibus ſuo loco. Numeroſiſſima eſt Obſervantium, qui & *Cordigeri* dicuntur, quòd funiculo cingantur. Eorum alii Conventuales & majoris; alii minoris, id eſt arctioris Obſervantiæ vocantur. Illis immobilia in communi poſſidere permiſſum, his non item.

Le Religioſe di S. Chiara, le Vrbaniſte.

SORORES MONIALES ORDINIS SANCTI FRANCISCI ab eo inſtitutæ fuit anno 1212. in Eccleſia ſancti Damiani, duce ſancta Clara virgine Aſſiſinate: unde CLARISSÆ, & *Damianæ* ſeu Damianiſticæ dictæ, quæ primæ Ordinis aſperitati ſtrictiùs inhæſerunt: à quibus differunt Urbaniſticæ, quæ mitigationem Regulæ ab Urbano V. factam ſequuntur & prædia poſſident. Atque hic eſt ſecundus Ordo B. Franciſci, Monialium nimirum.

I Domenicani e Frati Predicatori.

DOMINICANI ſive *Prædicatores*, qui & ab Eccleſia ſancti Jacobi eis Pariſiis conceſſa, *Jacobini* in Gallia dicuntur, eodem ferè tempore quo Franciſcani, ſub S. Auguſtini Regula adjecto imprimis abjiciendarum poſſeſſionum ſtatuto, conſtituti ſunt Bononiæ à ſancto Dominico Hiſpano, Oxomenſi Canonico, qui egregiam contra hæreticos Albigenſes operam navavit, & primus ſacri Palatii Magiſter fuit. Ordo ab Innoc. III. confirmatus eſt in Lateranenſi quarto Concilio anno 1215. ac deinde ab Honorio III. eique commiſſum eſt officium in hæreticos Inquirendi.

Della Valle degli Scolari.

VALLIS-SCHOLARIUM Ordo in Diœceſi Lingonenſi inchoatus eſt 1212. juxta B. Auguſtini regulam à Guilielmo, qui cum Pariſiis literas didiciſſet, in Burgundia aliquandiu docuit, ac poſteà cum aliquot diſcipulis in eam eremum ſeceſſit autoritate Guilielmi Epiſcopi Lingonenſis.

Della Valle de' Caroli.

Ordo VALLIS-CAULIUM in Diœceſi Lingonenſi ac Monaſterio ejus nomi-

nominis fundatus à Viardo ſub diſtrictiori Ciſtercienſium inſtituto, eodem tempore quo ſuperior.

Romiti di S. Paolo. EREMITÆ SANCTI PAULI Budæ in Hungaria, ex inſtituto nimirum ſancti Pauli primi Anachoretæ, autore B. Euſebio Strigonienſi Archiepiſcopo, cœpere circa annum 1215.

Della Mercede. Ordo S. MARIÆ DE MERCEDE, ad redimendos ex infidelium manibus Captivos Chriſtianos, à Jacobo Aragoniæ Rege, conſilio Raimundi Pennafortii, atque opera Petri de Nolaſco Nobilis Occitani, Barcinone circa annum 1218. fertur inſtitutus: atque à Gregorio IX. an. 1235. approbatus, ſub B. Auguſtini Regula.

Gli Agoſtiniani. AUGUSTINIANI, ſive *Eremitæ ſancti Auguſtini*, hujus beati Præſulis inſtitutum jam propemodum extinctum, Pontifice Innocentio III. inſtaurarunt circa tempus Concili generalis Lateranenſis IV. quod rurſus anno 1276. & adhuc tempore Gregorii XII. ſub annum 1406. redintegratum eſt.

I Canonici Regolare di S. Marco. *Canonicorum* Regularium S. MARCI Congregatio ab Innocentio tertio probata, ab Honorio III. & à Gregorio IX. anno 1231. confirmata, nomen accepit, tum ab Eccleſia ejus nominis apud Mantuam, tum ex eo quòd ejus Inſtituti primus autor dicatur S. Marcus.

I Religioſi del Terz' Ordine di S. Franceſco. TERTIARII, ſive Religioſi Tertii Ordinis, aliàs Ordo *Pœnitentium* cœpit anno 1221. Complectitur non ſolùm in Clauſtris degentes Cœnobitas, qui & Tertiæ ſancti Franciſci Regulæ adhærent; ſed etiam laicos viros & fœminas, qui domi ſuæ juxta ejuſdem Regulæ præſcriptum vivunt.

I Silveſtrini. SILVESTRINORUM Congregationem B. Silveſter Guzolinus Canonicus Auximas, ac deinde Eremita, inchoavit anno 1231. ſub Regula ſancti Benedicti.

Agoſtiniani della Penitenza. *Fratres* DE POENITENTIA *D. N. Jeſu Chriſti*, qui & Saccati, mandato Innocentii IV. Sodalitatem Maſſiliæ injerunt anno 1251. quæ per Galliam Italiamque diffuſa, una fuit ex Congregationibus quas Alexander IV. ſub unam Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini obſervantiam redegit.

I Celeſtini. CÆLESTINI ab auctore Petro Æſernino, qui monte Morrhone prope Sulmonem, eremiticam vitam profeſſus, ac poſteà Pontifex creatus, Cæleſtinus V. dictus eſt, hoc nomen acceperunt, cum anteà Congregatio ſancti Damiani vocaretur. Cœpit hoc inſtitutum in Magellana Apuliæ eremo, multis ob famam Petri ſanctitatis eò confluentibus, extructaque Eccleſia & Monaſterio ſub nomine Sancti Spiritus circa annum 1270. Confirmatum eſt primùm à Gregorio X. deinde an. 1294. ab ipſo Cæleſtino, qui poſt quintum menſem, Pontificatu abdicato, ad priſtinam vitæ normam rediit. Sequuntur Regulam ſancti Benedicti.

Del Monte Oliveto. MONTIS OLIVETI Congregatio anno 1313. originem ſumpſit à Bernardo Ptolomæo nobili Senenſi, qui Juris primùm Profeſſor, poſt uſum oculorum invocatione B. Virginis receptum, in montem ejus nominis, in Aretina Diœceſi, cum ſociis ſeceſſit, aſperam vivendi ratiõnem profeſſus ſub Benedictina Regula huic Ordini à Joanne XXII. præſcripta: quæ ab Urbano V. probata anno 1370.

Di S. Brigida, o Brigidine. BRIGIDANORUM ſive *Sancti Salvatoris* Ordo tam fœminarum quàm virorum (qui tamen Abbatiſſæ ſubjecti) à Brigida vel Birgitta Daniæ

Daniæ Regis filia, Ulphonis Neritiæ in Svecia Principis vidua, initium habuit circa annum 1363. apud Vvaſtenam in Svecia. Pia hæc fœmina revelationibus & peregrinationibus clara, habitum quidem Monachalem non ſumpſit: ſed Regulam, quæ cum Baſilii & Auguſtini præceptis multa habet communia, Chriſto, ut ferunt, dictante, ſuis præſcripſit. Ea confirmata eſt ab Urbano 5. anno 1370.

I Geſuati.

JESUATI, ita dicti quòd nomen JESU frequentiſſimè in ore haberent, circa annum 1355. inſtituti ſunt Senis in Tuſcia per Joannem Columbinum virum nobilem: Regulam S. Auguſtini profitentur: probataque eſt eorum vivendi ratio ab Urbano V. anno 1367. Cum autem initio ſacris non initiarentur, id eis poſteà conceſſum.

I Gerolimiti o Religioſi di S. Girolamo.

HIERONYMIANI, ſive Monachi *Sancti Hieronymi*, auctore Petro Fernando Hiſpano, ejuſque ſocio Petro Romano, B. Auguſtini Regulam amplexi, inſtituti ſui approbationem à Gregorio XI. circa annum 1374. obtinuerunt. Ordinis Caput eſt Lupiana, vulgo Fanum B.V. de *Guadalupe*, in Diœceſi Toletana. Ab Ordinis corpore ſejuncta fuit Martini V. temporibus per Lupum Olmedum, novæ ex ſcriptis ſancti Hieronymi Regulæ concinnatorem, Congregatio *Iſidoriana* anno 1425. Sed curante Philippo 2. Rege Catholico, cum Ordine iterum conjuncta eſt. Iſidorianæ propago eſt Congregatio *Italica*, cujus hodiè caput eſt Hoſpitale ſeu Monaſterium Lodejanenſe in Longobardia.

Eremiti di S. Girolamo in Italia.

EREMITÆ alii ſancti *Hieronymi*, à B. Petro Gambacurta nobili Piſano inſtituti ſub annum 1380. nullis initio votis adſtricti, victum ſibi manibus quærebant, & ſublevandis pauperibus incumbebant. At Pii V. autoritate ſolemnia vota amplexi, litteris & concionibus operam dare cœperunt.

Fratelli della vita Commune.

Fratres ſive CLERICI VITÆ COMMUNIS, à Gerardo Magno, Daventrienſi, qui Pariſienſis Doctor, Canonicus Ultrajectinus & Aquiſgranenſis fuit, inſtituti, à Gregorio XI. approbati anno 1376. ſub Regula S. Auguſtini. Hi celeberrimas in Belgio Germaniaque Scholas habuere: quæ nunc partim ab Heterodoxis, partim à Societatis JESU aliiſve religioſis occupatæ ſunt. Paucæ tamen adhuc ſuperſunt, ut Coloniæ, Veſaliæ, &c.

Congregazione Fieſolana di S. Girolamo.

Congregatio FESULANA fratrum Mendicantium *ſancti Hieronymi* anno 1380. inchoata eſt à B. Carolo filio Antonii Comitis Montis Granelli Diœceſis Sarſinatis in Romandiola, ſociis Rodone à monte Granello, & Gualtero Marſo, in Feſularum ruinis haud procul Florentia: Comprobata eſt anno 1405. ab Innocentio VII. aliiſque Pontificibus.

Congregazione di Friſonaria, o di Laterano.

FRISONARIA Congregatio Bartholomæum Columnam nobilem Romanum agnoſcit auctorem, qui in Monaſterio S. Mariæ ejus cognominis non procul Tuſciæ civitate Luca, diſciplinam ſancti Auguſtini reſtauravit circa annum 1396. quæ tota deinde Italia recepta eſt titulo Congregationis *Lateranenſis*, à Baſilica Romana Lateranenſi, ubi reſtituti per Eugenium IV. Canonici Regulares, donec Sixtus IV. eorum loco ſæculares conſtituit.

Di S. Giuſtina o di Monte Caſino.

Sanctæ JUSTINÆ Congregatio dicta eſt ab ejus nominis Monaſterio apud Patavium, cui à Gregorio XII. Præpoſitus Ludovicus Barſius Patricius Venetus, Præfectus Congregationis Canonicorum ſancti Georgii in Alga, diſſolutam ibi diſciplinam feliciter inſtauravit, & collapſum ſancti Benedicti Ordinem Italia tota reſtituit circa annum

1408.

1408. Eadem Reformatio *Caſſinenſis* quoque vocatur, quòd apud montem Caſſinum maximè vigeat.

Di S. Salvatore o delli Scopetini. Congregatio Canonicorum Regularium SANCTI SALVATORIS *Silvæ Lacus* prope Senas coaluit opera Stephani Senenſis, Ordinis Eremitarum Auguſtinianorum, qui autoritate Gregorii 12. Pontificis Canonicus Regularis factus eſt circa annum 1408. Vulgus Ordinem *Scopetinorum* appellavit ab Eccleſia ſancti Donati de Scopeto Florentiæ ſita, quam cum ſancti Salvatoris Baſilica Martinus 5. univit.

Canonici Regolari dello Spirito Santo. CANONICORUM REGULARIUM *Congregatio* altera apud Venetos, quæ à Sancto Spiritu nomen habet, per Gabrielem Spoletinum inſtituta eſt.

Dell'Oſſervanza. OBSERVANTINI dicti ſunt, ad Conventualium diſcrimen, Franciſcani ſtrictiùs Obſervantiæ Regulæ ſancti Franciſci inhærentes: quorum auctor ſanctus Bernardinus Senenſis, circa annum 1419.

Religioſi di S. Bernardo. SANCTI BERNARDI Congregatio, in Hiſpania per Martinum Vargam Monachum Ciſtercienſem, ex Petræ in Aragonia Cœnobio, initium habuit an. 1425. quo Martinus cum ſodalibus duodecim ad Monaſterium Montis Sion haud procul Toleto ſeceſſit, & veterem ejus Ordinis diſciplinam probante Martino 5. inſtauravit.

Di Burſfeld. BURSFELDENSIS Ordo ſive Congregatio initium habuit in Monaſterio ſancti Matthiæ apud Treveros, cujus Abbas Joannes Rodius, Ordinis Benedictini per Germaniam viſitator generalis conſtitutus à Concilio Conſtantienſi, Monaſterium imprimis ſuum reformavit circa annum 1429. Ejus Reformationis decreta *Burſfeldiæ* primùm anno 1435. ſuſcepta ſunt. Eſt autem Burſfeldia exiguum Diœceſis Moguntinæ Monaſterium, cujus exemplum ſequuta pleraque Germaniæ Monaſteria huic & Belgicæ Congregationi acceſſerunt.

Carmelitani Mitigati o Billieti. *Carmelitæ* qui MITIGATI dicuntur, Regulæ ſuæ relaxationem Eugenii 4. declaratione obtinuere an. 1432. Pariſiis Billieti vocantur.

Di S. Ambrogio. SANCTI AMBROSII *ad Nemus* Congregatio ſub Regula ſancti Auguſtini anno 1433. Mediolani prodiit ſub Eugenio itidem 4.

Agoſtiniani della Congregazione di Lombardia. *Congregatio* LOMBARDIÆ, Cremæ per Gregorium Rocchium Papienſem & Gregorium Cremonenſem an. 1444. inſtituta, eminet inter reformatas Eremitarum ſancti Auguſtini.

I Minimi. MINIMI auctore ſancto Franciſco de Paula, ſic dicto à patria in Calabria, ubi jam tum anno 1435. ſub Eugenio 4. ejus Ordinis fundamenta jecit ſub nomine Eremitarum ſancti Franciſci Aſſiſinatis; deinde Regulæ ſuæ (qua imprimis quadrageſimale jejunium per totum annum ſancitur) confirmationem à Sixto 4. impetravit an. 1473. At Alexander 6. Eremitas Ordinis Minimorum vocari juſſit.

I Barnabiti o Apoſtolici. *Apoſtolici*, qui & BARNABITÆ, Clerici ſunt Regulares qui inſtituti ſui ab Innocentio 8. anno 1484. confirmati originem ad ſanctum Barnabam referunt.

Le Penitenti o Convertite. POENITENTES MULIERES, Pariſiis anno 1494. cœpere à meretricibus ad meliorem frugem converſis, in honorem B. Magdalenæ, Joannis Tiſſerandi Minoris frequenti adhortatione.

Monache dell' Annunziata. ANNUNCIATÆ, ſive Ordo Monialium *Annunciationis* B. Virginis Biturigibus anno 1498. initium habuere à B. Joanna Ludovici XI. filia poſt divortium à Ludovico XII. Eccleſiæ autoritate factum: quod inſti-

inſtitutum Alexander 6. aliique Pontifices ratum habuerunt.

THEATINI, à Joanne Petro Caraffa Ep. Theatino, qui poſteà Paulus 4. Pontifex Maximus, & ſociis tribus, inſtituti anno 1524. ſub nomine Clericorum Regularium, vulgaribus votis hoc peculiare inſtitutum adjecerunt, non tantùm ne quid poſſideant, verùm etiam ne mendicando vitam ſuſtentent, ſed ultrò collatis eleemoſynis alantur.

I Teatini.

CAPUCINI à Caputio acuminato dicti, Matthæum Baſſium Umbrum, Minoritam Obſervantem, qui apud montem Falconium in Piceno anno 1525. divino monitu, cum habitum unà cum ſtrictiſſima Regulæ ſancti Franciſci obſervatione ſuſcepiſſe dicitur, licèt poſteà illam Caputii formam abjecerit. Approbatus eſt triennio poſt hic Ordo à Clemente 7.

I Cappucini.

SOMASCHI, de loci nomine, Mediolanum inter & Bergomum, appellantur Clerici Regulares anno 1531. ab Hieronymo Æmiliano Senatore Veneto inſtituti ad Orphanos educandos, qui priùs Clerici Regulares ſancti Majoli de Papia vocabantur, à loco ubi primum fuit ejus Congregationis Collegium. Congregationem Paulus 3. anno 1540. confirmavit. Pius 5. facultatem conceſſit profitendi tria vota Regularia.

I Somaſchi.

RECOLLECTI, Congregationem conſtituunt Minorum ſancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ, diſtinctam à Reformatis aliis eamdem Regulam obſervantibus, ut qui eam ſecundum literam, ut loquuntur, & juxta Nicolai 3. & Clementis 5. declarationes, certis regiminis Conſtitutionibus adjectis, ſervare ſatagant. Approbationem à Clemente 7. meruere anno 1532.

I Riformati di S. Franceſco.

SANCTI PAULI DECOLLATI Congregatio Clericorum Regularium, à Jacobo Antonio Morigia, & aliis duobus Mediolani, auctore Seraphino Firmano, inſtituta eſt, atque à Clemente 7. anno 1533. approbata. Hi publicis ſancti Pauli Lectionibus bene vivendi normam edocendos, atque ad Pœnitentiam adhortandos fideles ſuſceperunt: atque à S. Barnabæ apud Mediolanum Baſilica, quæ primùm ad officia ſua peragenda ipſis conceſſa, *Barnabitæ* dicti ſunt.

I Barnabiti di S. Paolo.

PATRES SOCIETATIS JESU, qui vulgò *Jeſuitæ*, ortum debent Ignatio de Loyola nobili Cantabro, ejuſque ſociis ſex, qui cum Pariſiis operam literis darent, anno 1534. votum ineundæ inter ſe religioſæ Societatis apud Montem Martyrum emiſere: cujus ſumma, ad prædicationem Verbi Dei apud Infideles, Pontificis arbitrio, ſuſcipiendam, eive operam ſuam in aliis religionis operibus addicendam pertinebat, ſpeciali in id obedientiæ voto cæteris demum addito. Pueris quoque & rudi populo Chriſtianis moribus imbuendis incumbunt, Domus eorum qui poſtremum votum poſt diuturnam in Ordine probationem profeſſi ſunt, reditibus carent. Inſtitutum Paulus III. an. 1540. ſcripto firmavit.

I PP. della Compagnia di Gesù, o Geſuiti.

CARMELITÆ DISCALCEATI opera ſanctæ Tereſiæ de JESU Nobilis Virginis Hiſpanæ, auctore Antonio Heredio apud Durvellum juxta Abulam prodierunt, ubi priſca Ordinis ac diſciplinæ aſperitas reſtitui cœpit circa annum 1568.

I Carmelitani Scalzi e le Carmelitane.

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ Sodalitates inſtitui cœpere ſub annum 1571. Conſtitutione Pii V. ut pueri aliique divinæ legis ignati, ſacra

I PP. della Dottrina Criſtiana.

Digitized by Google

ſacra doctrina erudirentur. Hinc nata Congregatio Clericorum cui *à* Doctrina Chriſtiana nomen, & quam Paulus V. an. *1616*. certis legibus cum Somaſcha unitam voluit.

I Fratelli della Carità o di S. Giovanni di Dio. *Congregatio Fratrum* JOANNIS A DEO, à B. Joanne homine Luſitano an. 1538. initium Granatæ habuerat: ſed non niſi anno 1572. confirmata eſt. Ea in curandis pauperibus infirmis verſatur, diciturque apud Italos Ordo *Fate ben fratelli*: in Gallia nomen habet *à Charitate*. Paulus V. Congregationem Italicam, noſocomia Galliæ, Germaniæ, & Poloniæ complectentem, ſubſtantialibus tribus votis addito quarto de curandis infirmis, in cœtum verè Regularem erexit.

I Padri dell'Oratorio. *Congregatio* ORATORII anno 1575. à S. Philippo Nerio Presbytero Florentino Romæ in Eccleſia Parochiali B. Mariæ Vallicellæ, annuente Gregorio XIII. inſtituta eſt ex Presbyteris & Clericis ſecularibus. Conſtitutiones ejus confirmavit anno *1612*. Paulus V. Idem anno ſequenti, petente Maria Medicæa Regina, cum Henrico Gondio Epiſcopo Pariſienſi, Congregationem piorum Sacerdotum, per GALLIAM ſub nomine *Oratorii* JESU CHRISTI *Domini noſtri*, probavit: ut ſcilicet perfectionis Sacerdotalis ſtudio ſpeciatim incumberent, ejuſque inſtituti munia juſſu Ordinariorum ſuſciperent. Eorum autem inſtitutor primuſque generalis Præpoſitus fuit Petrus Berulla Pariſinus, poſteà Cardinalis.

I Fulienſi e le Fuliantine. FULIENSES, ſeu Congregatio B. Mariæ Fulienſis, anno 1577. cœpere auctore Joanne Barreria Abbate Monaſterii ejus nominis in Diœceſi olim Toloſana, nunc Rivenſi, Ordinis Ciſtercienſis; qui ad veterem ſancti Benedicti, & ſancti Bernardi diſciplinam Monachos reduxit, per carnis, imò & initio vini quoque abſtinentiam, aliaque ejuſmodi inſtituta. Sixtus V. anno *1586*. eam comprobavit, Clemens VIII. & Paulus V. Abbatis Ciſtercienſis ſubjectioni exemerunt.

I Religioſi di S. Baſilio in Occidente. SANCTI BASILII Ordo in Italia, Sicilia, Hiſpaniaque reſtauratus eſt à Gregorio XIII. ann. *1579*. ejus Monaſteriis ſub Abbate in unam Congregationem redactis.

I Cherici Minori. CLERICI MINORES, ſive Congregatio Presbyterorum, & Clericorum Regularium Minorum, autore Auguſtino Adorno Genuenſi Presbytero, ejuſque ſociis, ſub tribus religioſæ vitæ ſubſtantialibus votis ab eodem Sixto V. confirmata eſt anno 1588.

Gli Agoſtiniani Scalzi. *Fratres Reformati* DISCALCEATI *Ordinis* SANCTI AUGUSTINI à Clemente VIII. ſub annum 1595. conſtituta Congregatione, probati ſunt.

I Trinitarii Scalzi. DISCALCEATI *Ordinis* SS. TRINITATIS *de Redemptione Captivorum*, primitivam ejus Ordinis Regulam profeſſi, Congregationem quoque conſtituerunt, quæ à Clemente VIII. eſt confirmata.

I Domenicani Riformati. PRÆDICATORUM *ſeu Dominicanorum* REFORMATORUM Congregatio, à Joanne Michaelis, in Galliæ Provincia Aquenſi, inchoata, ſejuncta eſt à cæteris ejuſdem Ordinis Cœnobiis autoritate Pauli V. anno *1608*. eique præfectus à Generali Dominicanorum Præpoſito idem Michaelis.

Le Monache della Viſitazione. *Ordo Monialium* VISITATIONIS *B. Mariæ*, ſic dictus à munere infirmos & egenos viſitandi, quo ob reverentiam myſterii B. Virginis Eliſabetham viſitantis, initio fungebantur piæ quædam fœminæ, cum Joan-

Digitized by Google

Joanna Franciſca Fremiota earum anteſignana; autorem habet S. Franciſcum Saleſium Epiſcopum Genevenſem, qui Aneſſiaci ſuam ipſis vitæ normam præſcripſit, ſub annum 1610. Hodie Cœnobiis ſuis clauſæ, infirmas ac debiles puellas tenentur admittere, ideoque ab aliorum Ordinum profitenda regula arcentur.

URSULINÆ, ſive Ordo virginum & viduarum ſub B. Urſulæ Patrocinio, & ſancti Auguſtini Regula, Pariſiis prodiere circa 1611. curante nobili vidua Maria l'Huillier domina *de ſainte Beuve*, quo anno à Paulo V. comprobatum eſt earum inſtitutum, utpote ad puellas literis, ac bonis moribus erudiendas comparatum: quemadmodum & *Congregatio Sanctæ Mariæ* paucis antè annis à nobili vidua de Leſtonaco Burdigalæ introducta. *Le Orſoline, o Religioſe di S. Orſola.*

B. Mariæ DE CALVARIO *& ſanctæ Scholaſticæ* Congregatio Monialium Ordinis Benedictini primæ Regulæ, ab Antonia Aurelianenſi, Ludovici Ducis Longovillani filia, quæ cum clam ſuis in Folientinarum Cœnobium Toloſæ nuper inſtitutum conceſſiſſet, poſteaque Fontis-Ebraldi Monaſterio à Paulo V. præpoſita fuiſſet, hujus Congregationis Monaſterium apud Pictavos erexit, ubi & diem tandem ſuum obiit anno 1618.

Operæ pretium nunc videtur horum Ordinum, & Congregationum ſyllabum adjicere per claſſes Regularum ſub quibus quæque Domino militant. De his qui plura volet, is *Proſperum Stellartium*, & Aubertum *Miræum*, inter cæteros conſulere poterit. Singulorum habitum externum ſive religioſum ſchema, cum cujuſque militiæ inſignibus, ſuppeditabit *Odoardi Fialetti* Italicum ea de re opuſculum, Pariſiis ann. 1558. editum, & Gallicè verſum. De variis Monacorum Regulis accuratè ſcripſit Hugo *Menardus* Ordinis Benedictini, è ſancti Mauri Congregatione. *Le Religioſe del Calvario.*

ORDINES ET CONGREGATIONES *Hominum Religioſorum*

MILITANTIUM

I. SUB REGULA SANCTI BASILII.

PRÆTER Græcos Monachos, qui *Calogeri* vocantur,

BASILIANI Sancti Salvatoris Meſſanenſis in Sicilia, Calabria, Hiſpania; tranſlati in Occidentem circa an. Chriſti 1057. Græco ſermone ac ritu Divina celebrantes.

Baſilitani alii ritus Latini, per Germaniam.

CARMELITÆ, ſive Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo. Tum Viri, triplicis generis.

Calceati, ſive *Majores*, qui inſtituti dicuntur anno 1205.

Mitigati, anno 1432.

Diſcal.

Digitized by Google

Diſcalceati, ſeu *Nudipedes* tum Fœminæ *Carmelitanæ* — Ex reformatione B. Tereſiæ an. 1562.

Addi poteſt *Sancta Brigittæ* Ordo Fœminarum & Virorum, cujus Regula ex Baſilii & Auguſtini Statutis mixta videtur, in Svecia, anno 1363.

II. SUB REGULA SANCTI AUGUSTINI.

Partim Canonici Regulares, partim Monachi ſive Eremitæ.

CANONICI ET CLERICI REGULARES.

Lateranenſis Congregatio, in Italia inſtituta, anno 1063. Cui adjunctæ aliæ poſtea Sodalitates.

Sancti Antonii Viennenſis Ordo, in Gallia, anno 1095.

Sancti Rufi Ordo, item in Gallia, anno 1107.

Sancti Victoris Congr. etiam in Gallia, anno 1113.

Præmonſtratenſis Ordo, itidem in Gallia, anno 1120.

Sancti Sepulcri Ordo in Italia, anno 1163.

Sancti Spiritus Ordo in Gallia & Italia, anno 1198.

Vallis Scholarium Ordo in Gallia, anno 1212.

Vvindeſimenſis Congr. in Germania, anno 1387.

Sancti Georgii de Alga Congr. apud Venetos, anno 1404.

Theatinorum Ordo in Italia, anno 1524.

Somaſchi, in Italia, anno 1531.

Barnabitarum Ordo qui & *Clerici Sancti Pauli decollati*, in Italia, anno 1533.

Clericorum Minorum Congr. in Italia, anno 1588.

Sanctæ Genovefæ Congr. in Gallia, anno 1622.

M O N A C H I.

Auguſtiniani, ſive *Eremitæ Sancti Auguſtini*, quorum Ordo inſtauratus eſt circa annum 1215. Eique adjunctæ poſtea plures Familiæ.

Prædicatorum Ordo qui & *Dominicani* & *Jacobini*, in Italia, anno 1215.

Cruciferorum Ordo in Belgio, anno 1216.

Sanctæ Mariæ de Mercede Ordo in Hiſpania, anno 1218.

Jeſuatorum Ordo in Italia, anno 1374.

Joannis de Deo, ſive *Charitatis*, in Hiſpania, anno 1538.

Auguſtinianorum Diſcalceatorum Cong. in Hiſpania, anno 1585.

Prædicatorum Reformatorum Cong. in Gallia, circa annum 1600.

His adjici poteſt

SS. Trinitatis Ordo ſive *Cervi frigidi*, aut *Maturinenſium*, in Gallia, anno 1197.

Tum Calceati, tum Diſcalceati, circa annum 1600.

CANO-

CANONICÆ REGULARES ET MONIALES.

Auguſtinianarum Ordo, in Italia, anno....
Begghinæ, in Belgio circa annum 1170.
Sanctæ Catharinæ Senenſis, ſeu *Dominicanarum* Ordo, anno 1609.
Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ſive *Pœnitentium*, in Gallia, anno 1494.
Annunciationis B. Mariæ, in Gallia, anno 1498.
Sanctæ Urſulæ, in Gallia, anno 1611.
Viſitationis B. Mariæ, circa annum 1620.

III. SUB REGULA SANCTI BENEDICTI.

M O N A C H I.

Cluniacenſis Ordo, in Gallia, circa annum 910.
Camaldulenſis Ordo, in Italia, anno 997.
Vallis Umbroſæ Ordo, in Italia, anno 1060.
Grandimontenſis Ordo, in Gallia, anno 1076.
Ciſtercienſis Ordo, in Gallia, anno 1098.
Fontis-Ebraldi Ordo, in Gallia, circa annum 1117.
Montis Virginis Ordo, in Italia, anno 1124.
Silveſtrinorum Congr. in Italia, anno 1231.
Cæleſtinorum Ordo, in Italia, anno 1273.
Montis Oliveti Congr. in Italia, circa annum 1320.
Sanctæ Juſtinæ de Padua, & *Caſſinenſis* Congr. in Italia, anno 1408.
Sancti Bernardi Congr. in Hiſpania, anno 1425.
Burſfeldenſis Congr. in Germania, anno 1430.
B. Mariæ Fulienſis Congr. in Gallia, anno 1573.
Addantur & *Carthuſiani*, mixtis Benedicti & Auguſtini Inſtitutis utentes, in Gallia anno 1086.

M O N I A L E S.

Benedictinæ.
Fontis-Ebraldi, anno 1117.
Sancti Bernardi.
Fulientinæ, in Gallia, circa annum 1600.
B. Mariæ de Calvario, & *Sanctæ Scholaſticæ*, in Gallia, anno 1618.

IV. SUB REGULA SANCTI FRANCISCI.

M O N A C H I.

Fratrum Minorum Ordo, qui & *Minoritæ*, & *Chordigeri*, & per antonomaſiam Franciſcani, in Italia, anno 1208. Qui primus eſt Ordo Sancti Franciſci.
Iidem *Conventuales* dicuntur, & *Obſervantiæ* ex Pontificum diſpenſatione aliquantùm remiſſæ, *de la grande Obſervance*.

Tertia-

Tertiariorum Ordo, ſive *Tertii Ordinis*, aliàs *Pœnitentium S. Franciſci*, in Italia, anno 1221.

Obſervantinorum Ordo, *Minorum Reformatorum*, ſive *Strictioris Obſervantiæ*, in Italia, anno 1419.

Capucinorum Ordo, in Italia, anno 1525.

Recollectorum Congr. in Italia, anno 1532.

Adjiciantur & *Minimi*, in Italia, anno 1435.

MONIALES.

Sanctæ Claræ, ſive *Clariſſæ Strictiores*, in Italia, anno 1212. qui ſecundus eſt Ordo B. Franciſci.

Urbaniſtæ, ſive Inſtituti ab Urbano V. Pontif. mitigati.

Capucinæ.

FINIS.

VA i 1530783

Digitized by Google

Digitized by Google

165.
30.

Google